

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/theologiamoralis0000joan_k2d6

ST. IGNATIUS COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

THEOLOGIA MORALIS

SANCTI

ALPHONSI DE LIGORIO

OLIM EPISCOPI S. AGATHÆ GOTHORUM, ET RECTORIS MAJORIS
CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS

ADJUNCTA IN CALCE PERUTILI INSTRUCTIONE AD PRAXIM CONFESSARIORUM

UNA CUM ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

JOANNIS DOMINICI MANSI ARCHIEPISCOPI LUCENSIS

EPITOME DOCTRINÆ MORALIS ET CANONICÆ

EX OPERIBUS BENEDICTI XIV.

EDITIO DECIMATERTIA ABSOLUTISSIMA

IN QUA PRÆTER EA OMNIA QUÆ IN CETERIS ADDITA FUERE

NUNC PRIMUM

Auctor ipse plura reformavit, aliquibus sententiis clarius explicatis, aliis de novo additis, aliis re melius perpensa immutatis, & novas animadversiones magni ponderis adjecit.

TOMUS TERTIUS

ALMA COLLEGE
239.02
LIBRARY
L627
Alma, California

BASSANI

SUIS TYPIS REMONDINI EDIDIT

M. DCCC. XXXII.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

5040

INDEX
CAPITUM ET DUBIORUM

Cui adnectuntur omnia Summaria, quæ singulis Capitibus, & Dubiis infra apponentur, ut simul hic præ oculis habeantur cunctæ res & quæstiones, quæ in Libro continentur.

Littera l. *denotat librum*, n. *numerum marginalem*, v. *versiculum*.

TRACTATUS IV.

DE MATRIMONIO

CAPUT I.

DE SPONSALIBUS.

DUBIUM I.

Quid sint Sponsalia? pag. 1.

831. Promissio sponsalitia, ut sit valida, debet esse *voluntaria, & deliberata*. 832. An teneatur ad Matrimonium ficte promittens sponsalia alteri repromittenti? 833. Quid si quis voluit promittere, sed non se obligare? 834. Quando obligentur pueri? 835. An sint valida sponsalia contracta per dolum? 836. Promissio debet esse *mutua*. Qu. I. An acceptans sponsalia intelligatur repromittere? 837. Qu. II. An quis possit se obligare ad nuptias vi gratuitæ promissionis? Et an hæc obliget sub gravi? 838. Promissio debet esse *expressa signo*. Quid si parentes contrahant pro filiis tacentibus? 839. Dub. 1. Quid si extranei? Dub. 2. An sufficiat, si parentes promittant pro filiis absentibus? 840. An sponsalia debeant fieri *inter habiles*? Quid si verba, vel signa sint dubia? 841. Verba de præsenti apta ad Matrimonium inter impuberes habent vim sponsalium. An idem valeat inter puberes in Matrimonio clandestine contracto? 842. An sufficiat ad sponsalia dicere: *Non ducam aliam quam te?* 843. An dicens: *Contraliam, si Papa dispensaverit?* An sufficiat subarrhatio annulorum & missio munerum? Quid si parentes annulum mittant? 844. Qu. I. An sponsalia contracta per metum gravem sint per se nulla? Qu. II. Quid si per metum levem? Qu. III. An qui contraxit ex metu levi possint sponsalia rescindere?

DUBIUM II.

Quæ, & quanta sit obligatio sponsalium? pag. 6.

845. Sponsalia obligant sub gravi. An autem obligent ad statim ineundum Matrimonium? 846. An Judex possit, & debeat cogere nolentes ad Matrimonium? 847. An fornicatio sponsæ, vel sponsi cum alia sit specie diversa? Ficte promittens non tenetur ad nuptias, nisi copulam extorserit a virgine. (*Vide etiam dicta de Rest. T. I. l.* 3. *ex num.* 652.) 848. Si quis cum duabus sponsalia contraxit, & cum secunda coierit, quam ducere debeat? 849. De filiis nuptias contrahentibus, insciis parentibus. An tales nuptiæ sint validæ? Qu. I. An & qualiter peccent filii nubentes, parentibus insciis, vel inconsultis? Quid si sponsalia fuerint jurata? Quid si sponsus post illa virginem defloraverit? An Prælati teneantur has nuptias impedire? Ex quibus autem causis excusentur filii contrahentes sine consensu parentum? 850. Qu. II. An teneatur filius obedire patri præcipienti Matrimonium? 851. Qu. III. An notabilis disparitas conditionis aut status inter contrahentes irritet sponsalia? 852. Resiliens perdit arrhas, &c. Not. 1. Quid si mulier promittit aliquid viro, ut eam ducat, & quid e converso? 853. Not. II. De pœna apposita in resilientem. Qu. I. An liceat adjicere pœnam in resilientem injuste? Qu. II. An juste resiliens teneatur ad pœnam promissam cum juramento? Qu. III. An soluta pœna, teneatur recipiens eam restituere? Qu. IV. Quid si relinquatur legatum puellæ, ut nubat cum aliquo, & illa cum alio nuptias contrahat? Qu. V. Quid si legatum relinquatur, ut non nubat, & illa nubit? 854. An liceant tactus & oscula inter sponsos?

DUBIUM III.

Quomodo dissolvantur sponsalia? pag. 14.

855. Solvuntur sponsalia I. Per *Matrimonium* cum alia. (*Vide etiam de hoc num.* 875.). II. Per *mutuum consensum* inter puberes. Quid si sponsalia fuerint jurata? 856. Quomodo autem solvantur inter impuberes? Quid si ipsi juramento promiserint nuptias. 857. III. Per *Impedimentum dirimens* superveniens. Dub. 1. An tunc sponsalia dirimantur etiam ex parte nocentis? 858. Dub. 2. An nocens teneatur petere dispensationem? 859. Dub. 3. An, contractis sponsalibus cum impedimento sub conditione dispensationis, ea obtenta, per se valeant? 860. IV. Per *crimen alterius*. 861. An solvantur sponsalia per fornicationem alterutrius sponsi? Dub. 1. Quid si sponsa fuerit per vim oppressa? 862. Dub. 2. Quid si uterque sponsus fornicetur? 863. V. Per *mutationem notabilem*, nempe 1. Si timeantur odia, &c. 2. Si superveniat defectus noxius. 3. Si Superveniat paupertas. 864. An liceat contrahere cum defectu occulto pernicioso? 865. An cum defectu non pernicioso? Et quid si sponsa interrogetur, an sit virgo? 866. VI. Per *discessum alterius* in longinquum. Quid si in propinquum, animo redeundi? 867. VII. Per *lapsum temporis præfixi*. Dub. 1. Quid si dubium sit, an terminus fuerit assignatus ad finiendam obligationem? 868. Dub. 2. Quid si alter fuerit juste impeditus? Dub. 3. An, elapso termino, etiam pars nocens liberetur? 869. VIII. Per *susceptionem Ordinis sacri, & ingressum in Religionem*. IX. Per *votum castitatis*. 870. Distinctius de his agitur, & I. *de Professione Religiosa*. Dub. 1. An per ingressum in Religionem solvantur sponsalia ante professionem? Dub. 2. An, si sponsalia fuerint jurata, teneatur sponsus ante ingressum nuptias inire? 871. II.

de

de susceptione Ordinum. Dub. 1. An peccet sponsus suscipiens Ordines sacros, invita sponsa? 872. Dub. 2. An per susceptionem Ordinum minorum solvantur sponsalia? 873. III. *de voto* ingrediendi Religionem, suscipiendi Ordines sacros, aut servandæ castitatis. Dub. 1. An per votum castitatis, aut suscipiendi Ordines sacros, solvantur sponsalia etiam ex parte voventis? 874. Dub. 2. Quid si sponsus post votum copulam extorsit? 875. X. Rursus agitur de solutione sponsalium per *Matrimonium validum* cum alia, & quæritur, an per illud solvantur sponsalia etiam mortuo conjuge? 876. XI. An per *hæreditatem novam* supervenientem? Et quid si offeratur conjugium notabiliter melius? 877. An dissensus parentum sit causa solvendi sponsalia? 878. Dub. 1. An ad solvenda sponsalia semper requiratur auctoritas Judicis? Dub. 2. Quæ probatio sufficiat in foro interno, & quæ in externo.

CAPUT II.

DE MATRIMONIO SECUNDUM SE.

DUBIUM I.

Quid sit, quæ ejus materia, forma, & ministri? pag. 24.

879. Quid est Matrimonium? Et in quo consistat ejus essentia? 880. Quæ sit materia Sacramenti Matrimonii? 881. Ob quem finem liceat nubere? 882. Distinguuntur tres fines. Dub. 1. An liceat nubere principaliter in remedium concupiscentiæ? 883. Dub. 2. An ob fines extrinsecos? 884. Quomodo peccent contrahentes in mortali? 885. Quæ requirantur ad contrahendum Matrimonium per Procuratorem. 886. Quid si qui dedit mandatum sine animo contrahendi, antequam Matrimonium contrahatur, mandatum ratificaverit? 887. Qualis consensus sufficiat ad contrahendum? Quid si quis ficte contrahit? An verba sint necessaria ad valorem? 888. An sint necessaria de præcepto? 889. An sufficiat ad contrahendum donatio annuli, vel traductio sponsæ? 890. An sufficiat consensus conditionatus? 891. Quid si conditio est necessaria, aut turpis, aut contra substantiam Matrimonii? 892. Quid si apponatur conditio, *si Pater consenserit?* Dub. 1. Quid si Pater taceat? 893. Dub. 2. Quid si Pater primo dissentit, & postea consentit? 894. Dub. 3. Quid si tempore conditionis Pater erat mortuus. 895. An impleta conditione, requiratur novus consensus? 897. In quo differat conditio a demonstratione, causa, modo, & die. 897. DISSERTATIO de ministro, & forma Matrimonii, 898. Solvuntur objectiones. 899. Illationes ex nostra sententia.

DUBIUM II.

DE USU MATRIMONII.

ARTICULUS I.

An usus Matrimonii, sive actus conjugalis sit licitus? pag. 33.

900. Actus conjugalis illicitus est. I. Si Matrimonium est dubium. 901. Qu. I. An liceat contrahere cum dubio de impedimento? 902. Qu. II. An cum opinione probabili de insubsistentia impedimenti? Qu. III. An cum opinione probabili probabilitate facti? 903. Qu. IV. An in dubio de valore Matrimonii jam contracti liceat petere & reddere? Et signanter an uxor non certa de morte primi viri teneatur reddere secundo? 904. Dub. 1. An, contracto Matrimonio bona fide, superveniente dubio, liceat petere post diligentiam? 905. Dub. 2. Quid si adsit opinio probabilis tantum pro nullitate Matrimonii? 906. Dub. 3. An, nuptiis initis cum dubia fide, dubitans post diligentiam possit petere? 907. Dub. 4. An in dubio positivo judicandum sit in favorem Matrimonii contracti? 908. An conjux teneatur credere alteri asserenti se ficte consensisse? Quid si audiat impedimentum a testibus fide non dignis? Quid si audiat ab uno fide digno? 909. III. Illicita est copula, si fiat cum periculo sanitatis. Dub. 1. An liceat petere, si alteruter conjugum laborat lepra, morbo gallico, & simili? 910. An liceat petere post balnea, aut sectionem venæ, vel cum febri? vel an statim post prandium? 911. Dub. 2. An tempore lactationis? 912. IV. Si fiat ob voluptatem? 913. V. Si fiat mente adultera? Quid si conjux ad se excitandam delectetur de pulchritudine alterius personæ. 914. Quid si de copula aliena delectetur? 915. VI. Si fiat modo indebito. 916. Qu. I. An sit mortale inchoare copulam in vase præpostero? 917. Qu. II. An coire situ innaturali? 918. Qu. III. An cohibere seminationem post copulam incœptam? 919. An autem uxor, viro se retrahente post seminationem, possit ipsa statim tactibus se excitare ad seminandum. 920. VII. Si fiat loco indebito. (*Remissive ad l. 3. n. 458.*) 921. VIII. Si fiat tempore indebito. 922. Qu. I. An liceat conjugi coire die Communionis? (*Remiss. ad n. 273. & 274. in hoc l. VI.*) 923. Qu. II. An in diebus festivis? 924. Q. III. An tempore prægnationis? An autem, seclusо periculo abortus, sit venialis coitus cum prægnante? 925. Qu. IV. An liceat coire tempore menstrui? 926. Qu. V. An tempore purgationis post partum? 927. Licitus est autem usus Matr. I. Propter prolem. II. Ad vitandam incontinentiam. (*Vide dict. n. 882. Dub. 1.*) III. Propter alios fines honestos: (*Vide dict. n. 883. Dub. 3.*) 928. Qu. I. An aliquando vir teneatur petere? 929. Qu. II. An aliquando uxor? 930. Qu. III. An conjux prohibitus petere ob votum, vel affinitatem contractam, possit aliquando petere? 931. Qu. IV. An liceat petere excommunicato, & an ab excommunicato? 932. An & quando liceant tactus, aspectus, & verba turpia inter conjuges? 933. Qu. I. An sint mortales inter ipsos tactus & aspectus turpea seclusо periculo pollutionis? 934. Qu. II. Quid si periculum pollutionis jam prævideatur? 935. Perpenduntur quidam tactus enormiter turpes. 936. Qu. III. An peccet graviter conjux turpiter seipsum tangens, altero absente? 937. Qu. IV. An si morose delectetur de copula habita vel habenda?

ARTICULUS II.

An actus conjugalis sit præceptus & debitus? pag. 48.

938. Conjuges per se tenentur reddere, & quandoque etiam petere. 939. Tenentur etiam ad cohabitationem, nisi adsit juxta causa excusans. Dub. 1. An possit vir expellere uxorem ob dotem non solutam? Dub. 2. An teneatur eam alere, non soluta dote? Dub. 3. An si ipsa adulterium commiserit? 940. De obligatione reddendi debitum. Qu. I. An sit mortale negare debitum semel vel bis? Quid si alter remisse petat, vel si precibus cedat? Quid si immoderate petat? Quid si alter differat reddere ad breve tempus? 941. Qu. II. An multiplicitas filiorum possit esse causa justa negandi debitum? 942. Peccat conjux reddens se impotentem. 943. Qu. I. An conjux teneatur reddere alteri il-

illicite petenti? 944. Dub. 1. Quid si culpa se tenet ex parte petentis, nempe si ille habeat votum castitatis, &c.? 945. Dub. 2. Quid si petens sit incestuosus? 946. Qu. II. An conjux teneatur reddere petenti cum sola culpa veniali? 947. Qu. III. An liceat reddere, vel petere a viro volente seminare extra vas post copulam inceptam? 948. An conjux teneatur & possit reddere, si mutuo cum altero voverit castitatem? Quid si alter sit amens, vel ebrius? 949. Incestuosus, & vovens castitatem non potest petere, sed tenetur reddere. 950. Conjux non tenetur reddere cum gravi damno suo, vel prolis. An teneatur reddere alteri laboranti morbo contagioso? Quid si damnum sit leve, & alter sit leprosus? Quid si damnum sit grave? Et an tunc possit reddere? Ex quibus causis possit conjux reddere cum gravi periculo salutis. 951. An conjux possit reddere cum periculo prolis? 952. An teneatur reddere uxor laborans febri, vel tempore menstrui, aut prægnationis, aut si alter petat modo innaturali? 653. Quid si uxor experta sit in pariendo periculum mortis, vel filios parere mortuos? 954. An aliquando liceat impedire generationem? Quando peccet uxor surgens, aut mingens statim post copulam? Dub. 1. An puella oppressa possit statim expellere semen? Dub. 3. An liceat copulari senibus, vel infirmis plerumque non valentibus seminare intra vas?

DUBIUM III.

An, & quibus ex causis possit fieri divortium? pag. 55.

955. Fit divortium quoad *vinculum*. I. Si habentur sufficientia indicia de morte conjugis. II. Si alter convertatur ad fidem. III. Si fit Religiosus ante consummationem. IV. Si Papa dispenset in Matrimonio rato. 956. De indissolubilitate Matrimonii. 957. An si infidelis nolit converti, liceat fideli transire ad alias nuptias? 958. Inter fideles Matrimonium ratum solvitur tantum per professionem religiosam. 959. An solvatur etiam per dispensationem Papæ? 960. Permittitur autem divortium quoad *torum*. I. ob adulterium conjugis. 961. Qu. I. An ad divortium sufficiat suspicio de adulterio? 962. Qu. II. An liceat facere divortium ob sodomiam, vel bestialitatem commissam a conjuge? Qu. III. An ob copulam sine seminatione? 963. Qu. IV. An vir, cognito adulterio uxoris, teneatur eam dimittere? 964. Qu. V. An uxor teneatur divertere a viro adultero? 965. Et an conjux innocens teneatur recipere alterum adulterum emendatum? 966. Qu. IV. In quibus casibus conjux nequit divertere ab adultero? I. Casus si uterque sit reus adulterii. II. Si conjux consentiat in adulterium alterius. III. Si adulterium accidat sine culpa. IV. Si injuria remittatur. 967. Dub. 1. An facto divortio per sententiam judicis, possit conjux innocens adulterum ad se revocare? Dub. 2. Quid si facto divortio, innocens etiam adulteretur? 968. Dub. 3. An vir possit adulteram dimittere propria auctoritate? 969. Facta juridica separatione, vir potest ingredi Religionem, aut fieri Sacerdos, invita adultera; adultera vero id non potest nisi de licentia alterius. 970. Permittitur II. divortium ob sævitiam alterius. 971. Qu. 1. An ob hanc causam possit conjux recedere propria auctoritate? Qu. 2. An possit fieri Religiosus altero invito? Qu. 3. Qualis timor sufficiat ad faciendum divortium ob sævitiam? 972. Qu. 4. An sola verbera sint justa causa divortii? 973. Permittitur III. divortium conjugi, si alter trahat eum in peccatum. 974. Permittitur IV. imo aliquando præcipitur divortium ob hæresim alterius. 975. Permittitur V. ob mutuum consensum. 976. Facto divortio, apud quem sint filii educandi? Et cujus conjugis expensis? 977. An uxor teneatur sequi virum quoad cohabitationem?

CAPUT III.

De Impedimentis Matrimonii. pag. 62.

978. Impedimenta alia sunt impedientia, alia dirimentia. 979. An Ecclesia possit constituere impedimenta dirimentia? 980. Quis possit ea constituere? Dub. 1. An Episcopi? 981. Dub. 2. An impedimenta dirimentia apposita ab Ecclesia obligent infideles?

DUBIUM I.

Quæ sint impedimenta impedientia tantum? 63.

982. Quæ reddens Matrimonium illicitum. I. Ecclesiæ vetitum, scil. prohibitio Episcopi, &c. 983. II. Tempus feriarum, quo prohibentur solemnitates, Benedictio, &c. 984. Dub. 1. An tunc liceat consummare? Dub. 2. An liceat consummare ante Benedictionem? 985. III. Catechismus. IV. Crimen, scil. incestus, raptus, uxoricidium, &c. V. Sponsalia. 986. VI. Votum castitatis, aut Religionis. Dub. 1. An Episcopus possit dispensare in voto castitatis emisso post Matrimonium? 987. Dub. 2. An in voto emisso ante Matrimonium, ad debitum petendum? An id possint Mendicantes? Dub. 3. An aliquando Episcopi, etiam ad Matrimonium contrahendum? 988. Impedit etiam Matrimonium. I. Clandestinitas. II. Omissio Benedictionis. 989. III. Omissio denunciationum. 990. Dub. 1. An peccet graviter Parochus eas omittens, si aliunde sciat non esse impedimentum? Et quod dicitur de obligatione denunciationum ante Matrimonium, idem dicitur post illud. Quid si una tantum denunciatio omittatur? 991. Dub. 1. An denunciationes faciendæ in Ecclesia, & in Missa? Dub. 3. In qua Parochia debeant fieri? 992. Dub. 4. In quibus diebus festivis? Et an aliquando possint fieri in diebus ferialibus? 993. Quando sint repetendæ. 994. De obligatione denunciandi impedimenta. 995. Dub. 1. An teneatur denunciare impedimentum qui illud probare nequit? 996. Dub. 2. An unus testis de impedimento impediat Matrimonium? 997. Requisita ut talis testis impediat. 998. Dub. 3. An sufficiat unus testis, si sponsalia fuerint jurata? 999. An fama impediat Matrimonium? Quid si Judex privatam habuerit notitiam famæ, aut ipsius impedimenti? 1000. An contrahens teneatur impedimentum fateri? 1001. Quid debeat agere Parochus, cognito impedimento? 1002. Dub. 1. An Parochus teneatur impedire Matrimonium, si ipse solus noverit impedimentum? Dub. 2. Quid si Ordinarius solus sit impedimenti conscius? 1003. Quis possit dispensare in denuntiationibus? 1004. An Episcopus, & ob quam causam? 1005. Causæ ob quas Episcopus tenetur dispensare. 1006. Causæ ob quas non tenetur, sed potest dispensare. 1007. Dub. 1. An possit dispensare Vicarius Generalis? Dub. 2. An aliquando Parochus possit dispensare, aut saltem declarare?

DUBIUM II.

Quæ sint impedimenta dirimentia Matrimonium? pag. 70.

1008. Impedimenta dirimentia sunt quindecim, videl. *I. Error, II. Conditio, III. Votum, IV. Cognatio, V. Crimen, VI. Cultus disparitas, VII. Vis, VIII. Ordo, IX. Ligamen, X. Honestas, XI. Ætas, XII. Affinis, XIII. Si Clandestinus. XIV. & Impos, XV. Raptave sit*

sit mulier, nec parti reddita tutæ. 1009. *I. Error personæ.* 1010. De errore circa personam. 1011. De errore circa qualitates personæ. 1012. An irritet Matrimonium error circa qualitatem, si dederit causam contractui? 1013. Dantur tres regulæ ad dignoscendum, quando error qualitatis redundat in substantiam. 1014. Prima, si quis actualiter contrahit sub conditione qualitatis. 1015. Secunda, si qualitas est propria cujusdam personæ. 1016. Tertia, si consensus fertur directe in qualitatem. 1017. *II. Conditio*, scilicet servilis. Plura notanda usque ad *n.* 1023. 1024. *III. Votum solemne.* 1025. Dub. 1. An hoc dirimat Matrimonium jure divino, vel ecclesiastico? 1026. Dub. 2. An Papa possit dispensare in voto solemni? 1027. *IV. Cognatio.* Et 1. de Cognatione *Legali.* 1028. 2. De Cognatione *Spirituali.* (de qua vide dicta de Bapt. ex n. 146.) 1029. 3. De Cognatione *Carnali*, & de regulis pro distinguendis gradibus. 1030. Arbor Consanguinitatis. 1031. *V. Crimen.* Primum *Homicidium.* Secundum *Adulterium.* 1032. Tertium *Raptus.* 1033. Assignatur regula: *I. Utroque patrante*, scil. si adsit solum homicidium. 1034. An requiratur quod intentio Matrimoni alteri sit manifestata? 1035. *II. Uno patrante*, scil. si adsit homicidium cum adulterio. 1036. Requisita ad hoc impedimentum incurrendum. 1037. *III. Neutro patrante*, scil. si adsit adulterium sine homicidio. Requisita ad hoc impedimentum. 1038. Dub. 1. An taciturnitas adulteræ sufficiat pro consensu? 1039. Dub. 2. An promissio ficta inducat impedimentum? 1040. Dub. 3. An promissio conditionata inducat impedimentum? 1041. Dub. 4. An ad incurrendum impedimentum requiratur ut promissio fuerit mutua? 1042. Oritur etiam impedimentum ex adulterio cum Matrimonio attentato, vivente conjuge. 1043. Peccat qui vivente conjuge promittit alteri Matrimonium. 1044. *VI. Disparitas cultus.* Quid de Matrimonio cum hæreticis? 1045. *VII. Vis*, sive metus gravis, & injuste incussus ad extorquendum Matrimonium. 1046. In quo vis differat a metu? Et quid sit metus ab intrinseco, & metus ab extrinseco? 1047. Quæ requirantur ad metum gravem? 1048. Quæ mala constituant metum gravem? 1049. Quæ requirantur, ut metus irritet Matrimonium? 1050. Dub. 1. Quid si Judex injuste aliquem damnet, & promittat liberationem, si ducat filiam? 1051. Dub. 2. Quid si reus juste damnetur? 1052. Dub. 3. Quid si quis esset innocens, sed juste damnaretur secundum allegata? 1053. Dub. 4. Quid si Medicus neget mederi, nisi ducat filiam? 1054. Dub. 5. An metus irritet Matrimonium de jure naturæ, aut ecclesiastico? 1055. Dub. 6. An irritet metus levis? 1056. Dub. 7. An metus reverentialis? 1057. Dub. 8. An possit resilire, qui metum incussit? 1058. *VIII. Ordo.* 1059. An Ordo sacer dirimat Matrimonium de jure divino? 1060. *IX. Ligamen.* 1061. *X. Honestas.* Non oritur hoc impedimentum ex sponsalibus incertis, neque ex conditionatis? 1062. Qu. 1. An ex Matrimonio nullo? 1063. Qu. 2. An ex Sponsalibus juste dissolutis? 1064. Qu. 3. An ex Matrimonio clandestino? 1065. *XI. Ætas.* 1066. Vide plura de Matrimonio impuberum. 1067. An sit nullum Matrimonium contractum, si puer ætate completa nequeat coire? Quid de Matrimonio senum? 1068. *XII. Affinis.* 1069. De impedimento affinitatis ante Matrimonium contractum? 1070. De impedimento non petendi. 1071. Qu. I. An uxor cognita per metum a consanguineo viri privetur jure petendi? 1072. Qu. II. An ignorantia excuset ab hoc impedimento contrahendo? Et primo, si ignorantia sit juris? 1073. Secundo, si ignorantia sit facti? 1074. Tertio, si ignorantia sit pœnæ? 1075 Qu. III. An ad contrahendam affinitatem requiratur, ut copula ex utraque parte sit consummata? 1076 Qu. IV. Quis possit dispensare in hoc? 1077. Pœna contrahentium cum impedimento affinitatis. 1078. *XIII. Clandestinitas.* 1079. Quid si alicubi non possit haberi Parochus? 1080. An peregrini valide contrahant sine Parocho? 1081. Quis intelligatur nomine Parochi? 1082. An Parochus excommunicatus, aut irregularis, &c.? 1083. Dub. 1. An excommunicatus assistens peccet graviter? 1084. Dub. 2. An talis Parochus possit alteri dare licentiam? 1085. Quales testes sufficiant? 1086. Quid si sint duo Parochi? Vel si sponsi habeant duo domicilia? 1087. An sufficiat Parochus alterutrius sponsi? 1088. Sufficit licentia præsumpta de præsenti, & oretenus. 1089. De vagabundis. 1090. De militibus. 1091. De peregrinis, carcere detentis, ægris, puellis in conservatoriis degentibus, &c. 1092. An valide nubant sponsi coram Parocho nolente? 1093. An licite? 1094. Quomodo peccet Parochus non interrogans de consensu? vel non dicens: *Ego vos conjungo, &c.*? 1095. *XIV. Impotentia.* Vide plura apud Busemb. Qualis impotentia dirimat Matrimonium? 1096. I. De impotentia ex maleficio. II. ex frigiditate. III. ex improportione corporum. 1087. Dub. I. An valeat Matrimonium, si femina possit incidi cum periculo gravis morbi, sed non mortis? 1098. Dub. II. An soluto Matrimonio propter arctitudinem feminæ, si postea per copulam cum secundo viro fiat apta primo, teneatur ad primum redire? 1099. Dub. III. An femina arcta teneatur pati incisionem? 1100. Dub. IV. An teneatur pati incisionem claustri virginalis, si &c.? 1101. Quid agendum, si impotentia est certa? 1102. Qui si dubia, & dubium antecedat Matrimonium? 1103. Quid si dubium superveniat? 1104. Quid in dubio an Matrimonium sit consummatum, vel an impotentia præcesserit? 1105. Quid censendum de Matrimoniis in partibus Hæreticorum? 1106. *XV. Raptus.* 1107. Ad incurrendum impedimentum raptus requiritur, ut mulier rapiatur I. de loco ad locum; II. Causa Matrimonii; III. invita. 1108. Quid si vir rapiat eam cum qua sponsalia contraxerat?

DUBIUM III.

Quando Matrimonium invalidum sit revalidandum? pag. 94.

1109. Quomodo revalidandum Matrimonium, si fuit nullum ob consensum fictum, vel metu extortum? Quomodo si ob impedimentum occultum? 1110. Qu. I. An in Matrimonio nullo ob impedimentum occultum revalidando, iterum requiratur assistentia Parochi, & testium? 1111. Qu. II. Quomodo, & quando impedimentum censeatur occultum? 1112. Qu. III. An sit revalidandum Matrimonium coram Parocho, & testibus, si ipsi tempore Matrimonii contracti erant conscii impedimenti? 1113. Qu. IV. An qui ficte contraxit Matrimonium, teneatur ex justitia illud revalidare per verum consensum? 1114. Qu. V. An si quis ficte, vel ex metu contraxit, debeat alterum conjugem certiorare de Matrimonii nullitate? 1115. Qu. VI. An si Matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum, oporteat, ut uterque fiat conscius de nullitate? 1116. Quid in casu urgentis necessitatis? 1117. Qu. VII. Quotuplici modo possit renovari sive exigi consensus a parte inscia impedimenti?

DUBIUM IV.

A quo, & ob quam causam possit dispensari in impedimentis Matrimonii? pag. 99.

1118. In quibus impedimenti Papa possit dispensare? 1119. An Papa possit unquam dispensare in iis, quæ

quæ sunt de jure divino? 1120. An aliquando in impedimentis de jure naturæ? 1121. An possit Episcopus dispensare in impedimentis dirimentibus? 1122. Qu. I. An possit, urgente necessitate, dispensare in eis ante Matrimonium contractum? 1123. Qu. II. An post contractum? 1124. Qu. III. An tunc requiratur, ut Matrimonium sit contractum bona fide? 1125. Qu. IV. An Episcopus possit hanc facultatem alteri delegare? 1126. Episcopi possunt dispensare in omnibus impedimentis quæ impediunt Matrimonium de jure humano, vel quæ Matrimonio superveniunt. 1127. An Regulares possint dispensare ad petendum debitum? 1128. An ipsimet possint dispensare in voto castitatis ad contrahendum Matrimonium, urgente necessitate? 1129. Quæ sint causæ justæ ad dispensandum in impedimentis dirimentibus? 1130. Adduntur aliæ causæ sufficientes. An sufficiat subministratio majoris pecuniæ? 1131. Not. 1. Quid explicandum, ut dispensatio non sit subreptitia? Not. 2. Veritas causarum pertinet ad valorem Dispensationis. 1132. Qu. 1. An cessante causa cesset dispensatio? 1133. Qu. 2. Quid in dubio an causa falso allegata fuerit finalis? vel an allegata fuerit vera? 1134. Qu. 3. An in supplicatione exprimendum sit, copulam incestuosam habitam fuisse cum intentione facilius obtinendi dispensationem? 1135. Quid si copula non fuerit ex tali intentione præhabita? 1136. Qu. 4. An possit manifestari gradus remotior, tacito propinquiori? 1137. Qu. 5. An petens secundam dispensationem debeat exprimere primam? 1138. Qu. 6. An si quis habeat plura impedimenta ejusdem speciei, debeat omnia exprimere? 1139. Qu. 7. An possint seorsim impetrari dispensationes plurium impedimentorum? 1140. Qu. 8. An si quis post obtentam dispensationem rursus cognoverit consanguineam sponsæ, indigeat nova dispensatione? 1141. Qu. 9. An interveniente copula incestuosa inter sponsos, antequam dispensatio executioni mandetur, nova dispensatio requiratur? 1142. Qu. 10. An si contrahentes sint diversæ Diœcesis, unusquisque a proprio Episcopo sit dispensandus? 1143. Qu. 11. Quæ sint clausulæ in dispensationibus S. Pœnitentiariæ? 1144. Qu. 12. In quibus impedimentis S. Pœnitentiaria possit dispensare? 1145. Not. 1. Ad dispensationis valorem non requiritur consensus ejus cui prodest. 1146. Not. 2. Quid exprimendum, quando dispensatio petitur a Dataria? & quid quando a S. Pœnitentiaria? 1147. Formula supplicationis a S. Pœnitentiaria pro impetranda dispensatione impedimenti, vel voti castitatis, ad celebrandum, aut revalidandum Matrimonium. 1148. Formula exequendi hujusmodi dispensationes.

LIBER VII.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS ET IRREGULARITATIBUS.

CAPUT I.

DE CENSURIS IN GENERE.

DUBIUM I.

Quid sit censura ecclesiastica? pag. 107.

1. Quid est censura? 2. An censura privet bonis internis? 3. An Degradatio, vel Depositio sit censura? 4. An cessatio a Divinis? 5. An irregularitas? de qua vide etiam infra n. 351.

DUBIUM II.

Quotuplex sit Censura? ibid.

6. Quotupliciter censuræ dividantur. An censuræ latæ ab Episcopo in Synodo sint perpetuæ, & tanquam latæ a jure? 7. Quando censuræ reputentur esse latæ sententiæ. 8. Quando ferendæ?

DUBIUM III.

Qui possint ferre Censuram, & in quos? pag. 108.

9. Quis possit censuram ferre? 10. Ex potestate ordinaria possunt I. Papa. II. Episcopi. An autem eorum Vicarii? III. Prælati Regulares. IV. Concilia, & Capitula. V. Qui hoc habent ex privilegio. 11. Quis possit ferre censuras ex potestate delegata? Non possunt 1. Parochi. 2. Laici. 3. Feminæ. 12. Quot conditiones requirantur, ut quis possit censuram ferre? I. Ut sit vir. II. Baptizatus. III. Tonsuratus. IV. Compos rationis. V. Ut habeat jurisdictionem expeditam. VI. Ut libere agat. 13. Quæ conditiones, ut quis possit censura ligari? I. Ut sit Homo. II. Baptizatus. III. Compos rationis. An ebrii, vel amentes ad tempus? 14. An impuberes doli capaces? 15. IV. Ut sit subditus. 16. An Reges? 17. An peregrini? 18. Ut sit persona determinata, quoad excommunicationem. 19. An excommunicatio in communitatem sit valida, & licita? 20. Prælati Regulares possunt censuras ferre in subditos ubique existentes. 21. Qu. I. An Episcopus existens extra Diœcesim possit ferre censuras in subditos? 22. Qu. II. An contra, existens in Diœcesi possit ligare censuris subditum extra degentem? 23. Qu. III. An subditus delinquens extra Diœcesim, incurrat censuram latam per præceptum in futuros delinquentes? 24. An Monasteria Regularium sint loca exempta? 25. Quid si agatur de damno resarciendo? 26. Qu. IV. An Episcopus possit censuras ferre in subditum alienum delinquentem in sua Diœcesi? 27. Qu. V. An censura lata generaliter liget alienigenas? 28. Quomodo quis ligare possit pluribus censuris?

DUBIUM IV.

Ob quam causam possit ferri Censura? pag. 113.

29. Ob quale peccatum incurrantur censuræ? 30. An ob veniale incurratur levis suspensio, vel interdictum? 31. An aliæ censuræ ob veniale sint nullæ, &c. quid ex hoc inferatur? 32. An in dubio de gravitate materiæ incurratur censura? 33. An præceptum sub censura obliget sub gravi? 34. An ad incurrendam censuram actus debeat esse externus? 35. An possit imponi censura contra Officium recitantes distracte? 36. An actus peccati debeat esse consummatus? An censura contra homicidam incurratur etiam a mandante, &c.? 37. An contra mandantem, &c. incurratur etiam effectu non secuto? 38. Observa distinctionem. 39. Utrum incurratur in dubio, an mandatum influxerit? 40. Quid si dans consilium pro occisione illud revocet ante executionem? 41. An requiratur culpa propria? 42. Quid excuset a censura incurrenda? 43. An ad incurrendam censuram requiratur scire crimen vetitum esse etiam ab Ecclesia? 44. An hoc valeat etiam pro suspensione, & interdicto? 45. An detur ignorantia excusans a censura, quin excuset a mortali? 46. An metus gravis excuset a censura? 47. Quando excuset ignorantia etiam crassa? 48. An excuset ignorantia affectata? 49. An incurratur censura ob peccatum me-

re

re præteritum? An Episcopi possint ferre censuras pro delictis futuris? 50. Censura est invalida. I. Ob defectum ferentis. 51. II. Si præteritur ordo judicii. 52. An in omnibus censuris requiratur monitio rei? 53. An censura sine monitione sit nulla? 54. Et quando sit nulla ob peccatum mere præteritum? 55. An requiratur monitio, si censura sit a jure ferendæ sententiæ? 56. An monitio debeat esse trina cum debito intervallo? Et an debeat fieri ab ipso Judice? 57. Quid si censura sit contra plures generaliter? 58. An censura sine trina monitione sit invalida? 59. Quid notandum quoad sententiam censuræ? 60. Quæ solemnitates in ea sint servandæ. 61. Quando autem istæ solemnitates non requirantur? Vide ib. alia notanda. 62. An incurratur censura lata disjunctive, *verb. gr. Sit excommunicatus, vel suspensus*? 63. An possit ferri censura sub conditione? 64. An, transacto termino, incurratur censura, si creditor proroget? 65. Vide alia notanda circa ordinem ferendi censuram. 66. III. Censura est invalida ob defectum justæ causæ. 67. Quomodo quis se gerere debet in dubio, an incurrerit censuram? 68. An in dubio censura judicanda sit justa? Et an reus teneatur parere Judici jubenti aliquid sub censura, si putet probabiliter ad id non teneri?

DUBIUM V.

Qui possint absolvere a Censuris? pag. 120.

69. Distinguendum inter censuram per sententiam particularem ab homine, & inter latam a jure, vel ab homine per sententiam generalem. 70. Quis potest absolvere a censuris latis a jure? 71. An omnes Confessarii possint absolvere ab excommunicatione minori? An simplex Sacerdos? 72. Quis possit absolvere a censuris latis ab homine per sententiam particularem? 73. Quis, si per sententiam generalem contra personas indeterminatas? 74. Quæ censuræ reservatæ possint absolvi ab Episcopis per Cap. *Liceat?* 75. Vide verba Capituli. 76. Not. I. An Episcopus possit dispensare in irregularitate propter hæresim? Not. II. Quando crimen dicatur occultum, vel deductum ad forum? 77. Dub. 1. An possit absolvi ab Episcopo qui fuerit punitus in foro alterius Episcopi? 78. Dub. 2. An crimen publicum in uno loco possit absolvi ab Episcopo in alio, ubi est occultum? 79. Not. III. Qui veniant nomine Episcoporum? Not. IV. Qui veniant nomine subbitorum? Not. V. Episcopi possunt absolvere a casibus Papalibus occultis reservatis etiam post Tridentinum. (*Remissive ad l. 6. n.* 594.) 80. Not. IV. An Episcopi gaudeant hac facultate, ubi Tridentinum non est receptum? 81. Qu. I. An Episcopus possit dispensare in irregularitatibus, & suspensionibus cum suo subdito in aliena Diœcesi morante? 82. Qu. II. An facultas concessa in Cap. *Liceat*, fuerit revocata per Bullam Cœnæ? 83. Verior sententia. 84. Qu. III. An Episcopi possint absolvere a censuris Bullæ Cœnæ impeditos adire Romam? 85. Qu. IV. Quinam dicantur impediti? 86. Quid si impedimentum sit ad breve tempus, & quid si ad longum? 87. An teneatur reus absolutus deinde se præsentare Pontifici, si jam sit emendatus; & parti satisfecerit? 88. Quid si impedimentum sit perpetuum? Et qui dicantur perpetuo impediti? 89. Qu. V. An impediti teneantur adire Romam per epistolam, aut procuratorem? 90. Qu. VI. An Episcopus possit absolvere Hæreticum impeditum, etiam per alium? 91. Qu. VII. An cum inferior absolvit impeditum a casu reservato sine censura, teneatur pœnitens se se præsentare Superiori? 92. Qu. VIII. An impediti adire Episcopum possint a quocumque absolvi? 93. Qu. IX. An possint Episcopi generaliter delegare aliis facultatem eis concessam in Cap. *Liceat?* 94. De facultate Mendicantium absolvendi reservata. 95. Quas censuras possint Regulares absolvere quoad seculares? 96. An possint eos absolvere a casibus Papalibus occultis? 97. An a publicis? 98. An a casibus ab Episcopis sibi reservatis? 99. An a censuris Episcopis reservatis a jure, vel a consuetudine? 100. An a casibus Clementis occultis? 101. An Regulares possint absolvere suos subditos ab omnibus casibus Papalibus extra Bullam Cœnæ? 102. An etiam novitios? 108. An novitios etiam a censuris ab Episcopo sibi reservatis? 104. An Prælati regulares possint absolvere subditos a casibus Bullæ Cœnæ? Usque ad n. 106. 107. An subditus a censura ob percussionem alterius Religiosi, aut Clerici secularis? 108. Quid circa recipientes Bullam Cruciatæ? Remissive. 109. Regulæ pro absolvendis censuris. 110. An, data facultate absolvendi a Papalibus, comprehendantur censuræ Bullæ cœnæ? 111. An in Jubilæo, data potestate absolvendi, omnes censuræ comprehendantur, etiam latæ ab Episcopo specialiter? 112. An habens facultatem circa casus Bullæ Cœnæ possit absolvere etiam ab hæresi? 113. 114. Quid amplius notandum circa facultatem Regularium? 115. Quid amplius circa facultatem concessam in Jubilæis?

DUBIUM VI.

Quomodo danda sit absolutio a censura? pag. 132.

116. Quomodo absolvendæ censuræ in foro externo? & quomodo in interno? 117. An possit absolvi absens? 118. De eo qui absolutus est in Jubilæo. 119. De absolutione metu extorta. 120. An valeat absolutio, non satisfacta parte? 121. Quid si cum hac conditione sit concessa facultas? 122. An, secuta satisfactione, de se auferatur censura? 123. An valeat, & liceat absolutio sub conditione? 124. An possit dari absolutio ad reincidentiam? 125. An ad reincidendum requiratur nova culpa? 126. An censura possit absolvi extra Confessionem? 127. Ad absolvendas censuras requiritur I. Satisfactio partis. 128. In quibus casibus possit reus absolvi ante satisfactionem? 129. Requiritur II. ut reus præstet juramentum non amplius committendi crimen, si sit valde enorme. 130. Requiritur III. ut censuratus petat absolutionem. 131. Plura notanda. Quid si reus adhuc sit contumax, vel invitus, vel oblitus non petierit? 132. An valeat absolutio, si reus falsum exponat?

CAPUT II.

DE EXCOMMUNICATIONE.

DUBIUM I.

Quid sit, & quotuplex? pag. 134.

133. Quid excommunicatio? Quænam veniat illius nomine major ne, aut minor? Et qui sint vitandi? 154. Resolutiones. 135. Quid requiratur, ut quis sit vitandus? Vide Constitutionem Conc. Constantiensis. 136. De 1. conditione, ut sit nominatim excommunicatus. 137. De 2. conditione, ut sit publice denunciatus. 138. An liceat toleratis cum aliis communicare? 139. An peccet inducens excommunicatum toleratum ad communicandum in divinis, sine necessitate? 140. An idem de suspenso, & interdicto vitando? 141. Quando percussor Clerici sit vitandus? 142. An ad vitandum eum requiratur notorietas facti? 143. An sufficiat, ut alicui factum sit notum? 144. An requiratur etiam notorietas juris? 145. An percussor notorius in loco, sit vitandus in alio, ubi non est notus? 146. Quando possit credi vitandus absolutus?

DU-

DUBIUM II.

Ob quam causam incurratur, & quem effectum habeat excommunicatio minor? pag. 137.

147. Ob quam causam incurratur excommunicatio minor? 148. An Episcopus possit alicui interdicere Sacramenta? Effectus directus excommunicationis minoris est privatio suscipiendi Sacramenta. 149. An sit privatio etiam ministrandi? 150. Effectus indirectus est privatio electionis passivæ ad beneficia. 151. Incurritur communicando cum vitando. 152. An sit mortale recipere Sacramenta cum excommunicatione minori? An ministrare? 158. An incurratur cum solo veniali? 154. Et an hoc veniale possit omitti in Confessione? 155. Quis possit absolvere ab ea? an etiam quicunque qui potest absolvere venialia? 156. Quis incurrat? Remissive.

DUBIUM III.

Quot effectus habeat excommunicatio major? pag. 138.

157. Qui sint effectus mediati excommunicationis majoris? I. Irregularitas ob exercitium Ordinis. II. Suspicio de hæresi, si per annum insordescat. 158. Qui sint effectus immediati? I. Privatio susceptionis Sacramentorum licitæ, & etiam validæ quoad Pœnitentiam. 159. An excommunicatus sine culpa suscipiens pœnitentiam valide absolvatur ante absolutionem censuræ? 160. Plura notanda. 161. An excommunicatus teneatur tollere impedimentum excommunicationis ad implenda præcepta? 162. II. Privatio communium suffragiorum, &c. 163. An possint offerri sacrificia, &c. nomine Ecclesiæ pro excommunicato vitando, si non stet per ipsum quominus absolvatur? 164. An possint offerri pro excommunicato tolerato? 165. III. Privatio administrandi Sacramenta. An peccent fideles sine causa recipientes Sacramenta ab excommunicato tolerato? 166. An excommunicatus vitandus valide ministret Sacramenta? 167. An Sacramentum Pœnitentiæ? 168. Quid si sit toleratus? Et quid in articulo mortis? 169. An excommunicatus licite ministret Sacramenta? 170. Quando etiam vitandus? 171. Quam pœnam incurrat excommunicatus illicite Sacramenta ministrans? An vitandus incurrat irregularitatem ministrans Pœnitentiam? 172. Quam pœnam incurrat recipiens Sacramenta sine necessitate a vitando? 173. IV. Privatio divinorum officiorum. Quomodo peccet communicans in divinis cum vitando? Et an liceat recitare privatim Officium cum ipso? 174. An vitando liceat usus Sacramentalium, & orare privatim in Ecclesia? 175. Quid si vellet interesse Missæ, &c.? 176. Ad quid tenentur Clerici, si excommunicatus nolit recedere? An alii assistentes peccent tunc mortaliter? Et an incurrant excommunicationem minorem? 177. Quæ veniant nomine divinorum officiorum? An vitandus possit audire concionem, lectionem, &c.? quo modo debet expelli, alias Missa interrumpi? Et an inchoato Canone? 178. An excommunicatus teneatur ad Horas? Et an & quando peccet dicendo, *Dominus vobiscum*? An recitando cum alio privatim? 179. V. Nullitas beneficii collationis, & præsentationis, &c. 180. Plura notanda: & an idem dicendum de collatione dignitatum, &c.? Quid si ante excommunicationem fuisset præsentatus? Et an beneficiatus faciat fructus suos? 181. An toleratus sit inhabilis ad beneficia, officia, &c.? 182. An valida sit collatio beneficii alicui, qui ignoret se esse excommunicatum? 183. An excommunicatus privetur fructibus beneficii ante sententiam? 184. VI. Privatio communicationis forensis. An possit se defendere in judicio? An agere? An testificari? An tueri alios? 185. VII. Privatio usus jurisdictionis. 186. VIII. Privatio ecclesiasticæ sepulturæ. Vide ibid. plura notanda de pollutione Ecclesiæ, vel Cœmeterii, de exhumatione, comitantibus, sepelientibus, &c. 187. Quid si sit Hæreticus non denunciatus? 188. IX. Privatio communicationis civilis. Ex 189. I. *Os*. 190. II. *Orare*. 191. III. *Vale*. 192. An liceant signa urbanitatis sine verbis? 193. An liceat resalutare, & rescribere? 194. IV. *Communio*, id est contrahere, cubare, habere societatem, &c.? 195. V. *Mensa*. Quid si casu accidat? 196. Quale peccatum communicare cum vitando? 197. Peccat graviter communicans I. In Divinis. II. In eodem crimine. 198. An sit mortale communicare frequenter cum vitando? 199. In quibus casibus communicans cum vitando incurrat excommunicationem majorem? 200. In quibus casibus liceat cum vitando communicare?

DUBIUM IV.

Ob quas causas incurratur excommunicatio major? pag. 148.

ARTICULUS I.

Quæ sint excommunicationes non reservatæ? ibid.

209. Excommunicationes contra omnes, 210. Contra Clericos. 211. Contra Religiosos. 212. Excommunicationes adjectæ a Tridentino. Dub. 1. An incurrant excommunicationem cogentes puellas ingredi Monasteria, tantum ut educentur? Dub. 2. An cogentes ex metu reverentiali? Dub. 3. An cogentes mares? An impedientes ingressum puellæ?

ARTICULUS II.

Quæ sint excommunicationes reservatæ Episcopis? pag. 151.

213. Excommunicatio I. in eum qui leviter percutit Clericum. II. In eos qui absolvuntur in articulo mortis, & postea non se præsentant Superiori. III. In Fratres Minores, &c. IV. In procurantes abortum fœtus animati effectu secuto. V. In eos qui communicant in eodem crimine, &c. VI. Excommunicationes quas Episcopi sibi reservant. 214. De excommunicatione imposita ex Monitorio. 215. An obligatus revelare damnum, si non revelet? 216. An sit obligatus revelare crimen emendatum? 217. Qui, facto Monitorio, excusentur a revelando?

ARTICULUS III.

Quæ sint Papæ reservatæ extra Bullam Cœnæ. 152.

218. Excommunicationes reservatæ Papæ contra omnes. 219. Excommunicationes reservatæ contra Clericos, & Religiosos. 220. Specialiter agitur I. de excommunicatione contra duellantes, & cooperantes. 221. Agitur II. de excommunicationibus latis contra violantes clausuram Monialium. 222. Dub. 1. An ingredientes sine licentia incurrant excommunicationem reservatam, si non intrent prætextu facultatum? Dub. 2. An incurrant omnes introducentes in clausuram? 223. Dub. 3. An talis licentia debeat esse in scriptis? Dub. 4. An licentia debeat esse specialis? 224. Dub. 5. A quo debeat concedi? 225. Dub. 6. Quæ causa requiratur ad licentiam concedendam? 226. Plura notanda circa ingressum Medicorum, & aliorum Officialium. 227. De in-

ingressu Confessariorum. 228. Dub. 7. An ingrediens cum licentia teneatur statim egredi? 229. De alia excommunicatione reservata in Moniales violantes clausuram, & in alios cooperantes. 230. De alia excommunicatione reservata contra mulieres violantes clausuram Religiosorum. 231. quæ feminæ excipiantur ab hac prohibitione? Et quæ domus veniant nomine Conventuum?

232. De prohibitione colloquendi cum Monialibus, juxta jus commune. Quid circa Regulares? 233. Dub. 1. An vetetur solus accessus sine collocutione? 234. Dub. 2. An loquentes per nutus, aut signa incurrant casum reservatum? 235. Dub. 3. An peccet graviter semel colloquens cum Moniali? 236. Dub. 4. An in tali locutione detur parvitas materiæ? & an detur in Regularibus? 287. Dub. 5. An liceat colloqui cum Moniali ob utilitatem, sine licentia? 238. Dub. 6. An cum Abbatissa? 239. Dub. 7. Qui eximantur ab hac prohibitione? 1. Consanguinei in primo, & secundo gradu. 2. Metu coacti. 3. Pauperes, & quæstuantes. 240. Dub. 8. An impuberes? 241. Dub. 9. An Regulares incurrant excommunicationem latam ab Episcopo? 242. Dub. 10. An peregrini? 243. An Episcopi colloquentes cum Monialibus in aliena Diœcesi incurrant excommunicationem latam ab Ordinario loci?

244. DISSERTATIO super censuris circa sententias pertinentes ad Conceptionem B. V. Mariæ. Enunciantur Bullæ editæ super hac materia. 245. Quando incurrant pœnas contradictores piæ sententiæ. (*usque ad n.* 247.) 248. Quando ejus fautores. 249. Probatur pia sententia usque ad n. 262. 263. An liceat emittere votum profundendi vitam ob defensionem præservationis B. V. Mariæ a labe originali?

ARTICULUS IV.

Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris Clericorum? pag. 168.

264. Verba Canonis. 265. Quid intelligatur I. per verba, *si quis?* An impuberes, & a quo ipsi possint absolvi? 266. Quomodo comprehendantur etiam mandantes, consulentes? &c. 267. Quomodo ratihabentes? 268. Quomodo non impedientes? 269. An qui tenentur impedire tantum ex charitate? 270. Quid intelligatur II. Per *Clericum?* 271. Quid per *Monachum?* An Eremitæ? 272. Quid III. per verba, *manus injecerit?* 273. An requiratur, ut percussio sit cum peccato mortali, & externe gravi? 274. Incurrit I. Clericum conspuens, vel alia gravi injuria afficiens. II. Violenter detinens, &c. III. Persequens eum, ut decidat. IV. Apprehendens equum, &c. V. Hæc agens, etiam Clerico consentiente. VI. Clericus seipsum percutiens; sed alii id negant. VII. Judex laicus percutiens Clericum, vel ecclesiasticus per laicum.

275. Non incurrit I. Fur clam furans. II. Percutiens jocose, vel casu. An pueri Clerici se percutientes? Et an defendentes se, vel suos, aut sua? III. Si absit mortale. IV. Percutiens Clericum per ignorantiam, aut inadvertentiam, aut per iram subitaneam. Dub. 1. Quid si quis percutit ignorans alterum esse Clericum, animo tamen comparatus quod percuteret, etiamsi sciret? Dub. 2. An excuset ignorantia crassa? Dub. 3. Quid si quis percutit Petrum Clericum credens Paulum Clericum? V. Excusatur etiam Prælatus, aut Præceptor percutiens. An Pater? VI. Percutiens Clericum exercentem officium cauponis, &c. vel turpiter agentem, aut sollicitantem uxorem, aut consanguineam in primo gradu. Quando excusetur puella percutiens Clericum sollicitantem?

276. Quando Episcopus possit absolvere ab hac excommunicatione? 277. Quæ percussio dicatur *levis*, quæ *gravis*, & quæ *enormis?* 278. Quot modis percussio levis possit fieri gravis? 279. Quinam possint absolvere a percussione levi, & quinam a gravi? 280. Dub. 1. An in dubio percussio judicandâ sit levis, aut gravis? Dub. 2. An incurrat excommunicationem qui venenum dat Clerico?

ARTICULUS V.

Quæ sint excommunicationes Papæ reservatæ per Bullam Cœnæ? pag. 173.

281. De excommunicatione in retinentes, legentes, &c. libros Hæreticorum. 282. Ad eam incurrendam, requiritur I. Ut auctor sit hæreticus. An legi possunt libri infidelium, vel Hebræorum? 283. II. Ut liber hæresim contineat, vel de religione agat. Quid si error abradatur, vel si auctor non sit damnatus ut hæreticus? Quid si quis legat ad confutandum Hæreticum? 284. III. Ut legatur materia notabilis. 285. Ut scienter legatur, &c.

286. Non incurritur I. Si legas librum referentem verba Hæreticorum. II. Si legas Scholia Hæreticorum. 287. An prohibeantur libri philosophici, vel qui incidenter hæresim continent? 288. Quinam libri prohibeantur in Indice? 289. Quot classes librorum prohibitorum Index constituat? 290. Ad quem spectet libros prohibere? 291. An liceat ex curiositate, etsi cum licentia, ligere libros hæreticos? Et an legere libros prohibitos ei qui certus est lectionem non esse sibi obfuturam (*Vide de hoc dicta I. 1. n.* 199. in fine.)? 292. An incurrat qui legit proœmium, indicem, &c.? An qui audit legere? Et quid si inducat ad legendum? 293. An qui legit scripturam brevem, vel manuscriptum? 294. An qui legit duas lineas, vel minus quam paginam? 295. An qui retinet parvo tempore? 296. An excuset ignorantia crassa? Quid si quis scit ex viro probo librum esse prohibitum? 297. An incurrat excommunicationem qui impedit ne liber comburatur, aut laudat stylum, &c.? 198. An incurrat qui deponit librum prohibitum apud alium? 299. An qui eum comburit? A quo impetranda licentia legendi?

300. Ad incurrendam excommunicationem ob hæresim requiritur I. Ut sit Formalis. 301. Qu. 1. An incurrat errans ex ignorantia crassa, vel affectata? 302. Qu. 2. An qui dubitat circa res fidei? 303. Requir. II. Ut error externetur. 304. Requir. III. Ut manifestatio sit moraliter mala. Requir. IV. Animus profitendi errorem. 305. Vide alia advertenda. 306. Incurrunt etiam *credentes*, *fautores*, *receptores*, *& defensores*. 307. Qu. I. An qui favent Hæretico ob amicitiam, &c.? 308. Qu. II. An qui Hæreticum recipit, ne capiatur, effectu non secuto? 309. Item incurrunt excommunicationem Bullæ I. Surripientes bona naufragantium. 310. II. Domini imponentes tributa. 311. Quinam alii incurrant excommunicationem Bullæ?

CAPUT III.

DE SUSPENSIONE ET DEGRADATIONE.

DUBIUM I.

Quid sit Suspensio, quotuplex, & unde dignoscatur qualis, & quanta sit? pag. 179.

312. Quid est suspensio? & quis suspendi, aut suspendere potest? 313. An peccet graviter exercens actum, a quo est suspensus? 314. Dub. 1. An incurrat irregularitatem, si suspensio sit facta ad tempus? Dub. 2.

2. An Episcopus suspensus a Pontificalibus incurrat irregularitatem Pontificalia exercendo? Et quid si Missam solemniter celebret? An Sacerdos suspensus non toleratus invalide absolvat? Quid si toleratus? vel si sit suspensus tantum ab Ordine? 315. Quot modis possit ferri suspensio? 316. Qualitas suspensionis ex quo colligatur? Vide Resol. apud Busemb. Dub. 1. An suspensus a Beneficio possit, cum sit pauper, retinere fructus? Dub. 2. An suspensus a Beneficio censeatur suspensus etiam a Beneficiis, quæ possidet in aliena Diœcesi? 317. An suspensa communitate, sint singuli suspensi? & an isti incurrant irregularitatem? An suspensio debeat ferri in scriptis?

DUBIUM II.

Quæ sint suspensiones in particulari; & quis ab eis possit absolvere? pag. 181.

318. Quæ sint suspensiones Juris communiores Clericorum? 319. Quæ Religiosorum? 320. Quæ Episcoporum? 321. An quis possit suspendi ob culpam levem? 322. Quis possit absolvere a suspensione?

DUBIUM III.

Quid sit Depositio, & Degradatio? & a quo, & ob quam causam ferri possit? pag. 182.

CAPUT IV.

DE INTERDICTO.

DUBIUM I.

Quid sit, & quotuplex? pag. 183.

328. Quid est interdictum? 329. Quotuplex est? 330. An interdicta Civitate, interdicantur suburbia? Et an Ecclesiæ Regularium? 331. Qui eximantur ab interdicto generali personali? Et an, interdicto Clero, interdicantur Religiosi, vel Clerici non habentes beneficium, aut officium? 332. Quid si interdicantur cives, aut civitas?

DUBIUM II.

Quī sint effectus Interdicti? ibid.

33. Effectus interdicti sunt I. Prohibitio divinorum Officiorum. 334. II. Prohibitio Sacramentorum, excepto Baptismo, &c. 335. III. Prohibitio sepulturæ. 336. IV. Peccatum mortale, quod committitur a violantibus interdictum. Item irregularitas, quæ incurritur a Clericis, & excommunicatio a Religiosis.

DUBIUM III.

Quis censuram Interdicti ferre, & quis tollere potest? pag. 185.

337. Qui possint interdictum ferre? Et an ad illud incurrendum requiratur culpa gravis? 338. Qui possint tollere interdicta generalia a jure non reservata? 339. Qui personalia particularia? 340. De cessatione a divinis.

CAPUT V.

DE IRREGULARITATE.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex sit Irregularitas? pag. 185.

341. Definitio irregularitatis. An irregularitas sit censura? Dupliciter dividitur irregularitas.

DUBIUM II.

Quinam effectus Irregularitatis? pag. 186.

342. Effectus irregularitatis sunt tres. I. Inhabilitare ad Ordines suscipiendos. II. Impedire exercitium Ordinum. III. Invalidare collationem beneficii. An id valeat de beneficio simplici? 343. An collatio tunc sit ipso jure irrita?

DUBIUM II.

Quomodo incurratur, & tollatur irregularitas? pag. 187.

344. An in dubio irregularitas incurratur? 345. Non incurritur, nisi in jure sit expressa. 346. Dub. I. In dubio de irregularitate contracta quomodo quis se gerere debeat? Et quid si dubium sit juris? 347. Dub. 2. Quid in dubio facti, præter homicidium? Dub. 3. Quid in dubio homicidii commissi? Dub. 4. Quid in dubio de animatione fœtus, si abortus fuerit patratus? 348. An ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur culpa mortalis, & actus externus, ac consummatus? 349. Qu. I. Quid si crimen fuerit externum, sed prorsus occultum? 350. Qu. II. An ad incurrendam irregularitatem requiratur scientia legis? 351. Qu. III. An etiam scientia pœnæ? 352. Quot modis tollatur irregularitas? 353. Irregularitas tollitur per dispensationem. Quis possit in ea dispensare? Plura notanda. 354. Quomodo tollatur irregularitas ex defectu natalium per professionem religiosam? 355. Prælati regulares in quibus irregularitatibus possint dispensare?

DUBIUM IV.

Quæ sint irregularitates ex delicto? pag. 191.

356. Irregularitas ex delicto incurritur I. ob *Baptismum iteratum*. 357. II. ob *violationem censuræ*. 358. Plura notanda. (An autem qui ordinatur ligatus censura, incurrat irregularitatem? *Vide dicta lib. 6. n. 799.* Dub. 3. *vers. Utrum.*) 359. III. ob *Exercitium actus Ordinis sacri*, quem aliquis Clericus non habet. 360. IV. ob *malam susceptionem Ordinum*. 361. Quotupliciter incurratur irregularitas ob furtivam susceptionem? 362. V. ob *Crimina infamia & notoria*. 363. Requiritur notorietas facti, vel juris. Quæ sint crimina, & exercitia, quibus annexa est infamia? 367. Quomodo tollatur hæc irregularitas?

365. VI. ob *homicidium*, vel *mutilationem?* 366. De irregularitate ob homicidium *voluntarium*. 367. Hanc irregularitatem incurrunt I. Qui occidunt, vel mutilant 368. Dub. 1. Quid si homicida pœniteat ante mortem? 369. Dub. 2. Quid si unus feriat, sed alii occidant? 370. II. Incurrunt mandantes, vel consulentes homicidium, vel mutilationem. 371. Dub. 1. Quid in dubio an homicidium causatum fuerit ex mandato, sive consilio? 372. Dub. 2. Quid si homicida jam erat determi-

minatus ad occidendum? 373. Dub. 3. Quid si consulens consilium revocet? 374. III. Incurrunt omnes cooperantes ad homicidium vel mutilationem, nempe 1. Excitantes. 2. Præliantes in bello injusto. 3. Ministrantes auxilium. 4. Accusantes, &c. 5. Associantes. 375. Dub. 1. An incurrant ratihabentes? 376. Dub. 2. An non impedientes?

377. De irregularitate ob homicidium, vel mutilationem *casualem*. 378. De mutilatione membrorum. 379. Dub. 1. Quid veniat nomine *membri*? 380. Dub. 2. An fiat irregularis qui abscindit testiculos? 381. Et an ab irregularitate propter mutilationem possint dispensare Episcopi? 382. Plura ap. Busemb. & præsertim, an dans potum infirmo, vel eum admovens incurrat irregularitatem? Vide ibid. n. 4. 383. Si quis dat operam rei licitæ, non fit irregularis, nisi apponat negligentiam mortaliter culpabilem. 384. Hinc excusatur I. Magister, & pater verberans, si, &c. II. Equitans in equo feroci. III. Alens feram ligatam. IV. Reficientes tectum. V. Clericus in sacris, aut Monachus medens sine incisione, vel adustione. 385. Quid de Clerico beneficiato medente cum incisione? 386. Si quis dat operam rei illicitæ, non fit irregularis, si res non est periculosa. 387. Quid si periculosa? 388. Quid si quis occidat ad defensionem sui vel innocentis? & quid si adulter occidat maritum aggressorem? *Remissive ad lib.* 3. *n.* 396. *v. In ordine*. 389. An fiat irregularis occidens ob defensionem libertatis, honoris, bonorum, &c.? 390. Quomodo tollatur irregularitas propter homicidium? 391. An Episcopi possint dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario? 392. Et quid si homicidium fuerit omnino occultum? 393. Quid si homicidium fuerit casuale? 394. An reputetur casuale homicidium patratum in rixa? 395. Et quid si fuerit commissum per defensionem, sed excedendo moderamen? 396. Quomodo Prælati regulares possint dispensare in irregularitate ob homicidium, vel mutilationem cum subditis suis? Et quomodo cum laicis?

DUBIUM V.

Quæ irregularitates ex defectu? pag. 201.

397. *Prima* ex defectu *animæ*. Hinc sunt irregulares. I. *Amentes, Dæmoniaci & Epileptici*. 398. Distinctius agitur de amentibus. 399. De *Epilepticis & Dæmoniacis*. 400. Quis possit dispensare in hac irregularitate? Et an Episcopi possint dispensare in aliqua irregularitate ex defectu? An saltem in dubio? An Prælati regulares? 401. II. Sunt irregulares *Illiterati*. 402. III. *Neophyti*.

403. *Secunda* ex defectu *corporis*, vel quia defectus impedit exercitium Ordinis, vel quia affert deformitatem. 404. Et primo *ob impedimentum exercitii* est irregularis. I. *Cæcus*. 405. II. *Surdus*. 406. III. *Mutus*. 407. IV. *Claudus*. 408. V. Qui caret manu, aut digitis omnibus, aut pollice, aut indice. 409. VI. Laborans febri, paralysi, &c. item abstemius, &c. 410. Secundo *ob deformitatem* est irregularis I. Ille cui deest membrum, nempe nasus, aut oculus. Quid si desint auriculæ. 411. II. *Leprosus*. 412. III. *Monstruosus*, nempe gibbosus, pigmæus, æthiops. 413. Not. 1. Quid si defectus superveniat Ordinibus? Not. 2. Quid si antecesserit? 414. Quis possint in hac irregularitate dispensare? An Papa cum cæco? An Prælati regulares? 415. Quid si defectus corporis advenerit ex propria culpa? Et an in eo possit dispensare Episcopus? 416. Quid de eunucho? 417. Quid si quis causam dederit abscissioni virilium? 418. Quid si quis amputet sibi testiculos ob vocem servandam? 419. Et quid si quis tantum attentet se occidere, &c.?

420. *Tertia* ex defectu *natalium*. 421. Illegitimi legitimantur I. Per Matrimonium subsequens. 422. An sufficiat, ut Matrimonium contrahatur tempore nativitatis? 423. Not. 1. Quid si Matrimonium fiat postquam filius est ordinatus? Not. 2. Quid si Matrimonium non consummetur? 424. Not. 3. Quid si Matrimonium sit nullum, sed ignoretur saltem ex una parte? 425. Not. 4. Quid si filii nascantur ex Matrimonio clandestino ob omissas denunciationes? 426. II. Legitimantur filii per *professionem religiosam*. 427. III. Per *Dispensationem Pontificiam*. 428. Episcopus potest dispensare cum illegitimo ad Ordines minores, & ad beneficium simplex. 429. Dub. 1. Ad recipiendum Canonicatum. 430. Dub. 2. An cum illegitimo occulto? 431. Dub. 3. An saltem ad ministrandum in sacris Ordinibus jam susceptis? 432. Dub. 4. An filii *expositi* sint irregulares? Principes seculares possunt legitimare tantum ad secularia. Quid in dubio an quis sit legitimus?

434. *Quarta* ex defectu *ætatis*. (*Remissive ad lib.* 6. *num.* 799.)

535. *Quinta* ex defectu *Sacramenti*, idest ob Bigamiam. Vide quæ sunt ap. Bus. 436. Triplex est bigamia, *vera, interpretativa & similitudinaria*. I. Quænam sit *vera*? 437. II. Quæ *interpretativa*? Hæc contingit quatuor modis. *Primus* modus, cum quis ducit viduam. 438. *Secundus* modus, cum quis ducit mulierem corruptam ab alio. 429. Dub. 1. Quid si credat virginem? 440. Dub. 2. Quid si invalide contrahat? 441. *Tertius* modus, cum quis cognoscit uxorem adulteram. 442. Dub. 2. Quid si adulterium fuerit occultum 443. Dub. 2. Quid si cognoscit ignorans adulterium? 444. *Quartus* modus, cum quis contrahit duo Matrimonia, unum validum, aliud nullum? 445. Dub. 1. Quid si utrumque fuerit nullum? 446. Dub. 2. Quid si cum bona fide? 447. Dub. 3. Quid si ficte ineatur secundum Matrimonium? 448. III. Quænam sit bigamia *similitudinaria*? 449. An hanc irregularitatem incurrant etiam Clerici in sacris? 450. Quomodo tollatur irregularitas ex bigamia? An Papa possit in ea dispensare? 451. An Episcopi? 452. An saltem quoad Ordines minores, & ad beneficia simplicia? An in bigamia similitudinaria? 453. An Prælati regulares possint dispensare cum suis subditis in omni bigamia? 454. *Sexta* ex defectu *infamiæ*. 455. *Septima* ex defectu *libertatis*. Hinc sunt irregulares I. Servi. 456. II. Conjugati. III. Curiales. IV. Milites, & administratores publici, atque exercentes sæva, aut turpia. 457. *Octava* ex defectu *lenitatis*. 458. An sit irregularis, qui occidit in defensionem honoris? (*vide etiam dicta n.* 438.) 389. Fiunt irregulares ex hoc defectu I. Qui occidunt in bello; sed quando? 460. An qui hortatur in bello ad occidendum? 461. II. Qui in judicio concurrunt ad mortem, vel mutilationem. Modo ipsi I. *Cooperentur*. 462. II. *active*. 463. III. *efficaciter*. An peccent Clerici assistentes supplicio? 464. IV. *Proxime*. An peccet Confessarius, vel alius consultus a Judice respondens aliquem in particulari esse plectendum? 465. Qui possunt excusari? An omnes qui non concurrunt ut ministri ad causæ probationem, vel executionem? 466. V. *Per actionem ex natura sua ad id ordinatam*. 467. Quomodo vetitum sit Clericis, & Monachis se intromittere in causam sanguinis? 468. Fiunt autem irregulares I. Judices. II. Testes voluntarii. III. Accusatores, &c. Quid si accuset Clericus? & quid si causa sit propria, vel aliena? 469. An in hac irregularitate possit dispensare Episcopus, si fuerit occulta. An Prælati regulares? 471. Adnotantur ultimo facultates quas habet S. Pœnitentiaria super casibus, censuris, irregularitatibus, inhabilitatibus, votis, &c.

THEOLOGIA MORALIS

LIBER VI.

TRACTATUS SEXTUS

DE MATRIMONIO

CAPUT I.

DE SPONSALIBUS.

DUBIUM I.

Quid sint Sponsalia?

831 *Promissio sponsalitia, ut sit valida, debet esse* voluntaria, & deliberata. 832. *An teneatur ad Matrimonium ficte promittens sponsalia alteri repromittenti?* 833. *Quid si quis voluerit promittere, sed non se obligare?* 834. *Quando obligentur pueri?* 835. *An sint valida sponsalia contracta per dolum?*

836 *Promissio debet esse* mutua. *Qu. I. An acceptans sponsalia intelligatur repromittere?* 837. *Q. II. An quis possit se obligare ad nuptias vi gratuitæ promissionis? Et an hæc obliget sub gravi?*

838 *Promissio debet esse* expressa signo. *Quid si parentes contrahant pro filiis tacentibus?* 839. *Dub. 1. Quid si extranei? Dub. 2. An sufficiat, si parentes promittant pro filiis absentibus?*

840 *Sponsalia debent fieri* inter habiles. *Quid si verba, vel signa sint dubia?* 841. *Verba de præsenti apta ad Matrimonium inter impuberes habent vim sponsalium. An idem valeat inter puberes in Matrimonio clandestine contracto?* 842. *An sufficiat ad sponsalia dicere:* Non ducam aliam quam te? 843. *An dicere:* Contraham, si Papa dispensaverit? *An sufficiat subarrhatio annuli, & missio munerum? Quid si parentes annulum mittant?*

844. *Qu. I. An sponsalia contracta per metum gravem sint per se nulla? Qu. II. Quid si per metum levem? Qu. III. An qui contraxit ex metu levi, possit sponsalia rescindere?*

831 „ Resp. Sunt promissio voluntaria, deliberata, & mutua, signo sensibili expressa, futuri „ matrimonii inter personas jure habiles.

„ Dicitur 1. *Promissio*, quia propositum non „ sufficit, cum non inducat obligationem. Unde „ qui diceret: Volo te accipere, habere, aut du- „ cere in uxorem, non contraheret sponsalia, ut „ *Bonac. qu. 1. p. 1.* docet, & alii, quia hæc ver- „ ba non promissionem, sed propositum promis- „ sionis tantum significant, nisi tamen ex circum- „ stantiis aliud colligatur.

„ Dicitur 2. *Voluntaria*, & *deliberata*, scilicet „ deliberatione sufficiente ad peccatum mortale, „ cum sponsalia sub mortali obligent. *Diana p.* „ *3. t. 4. R. 273.* ex *Sanch. Pont.* &c. etsi *Bonac.* „ *qu. 1. p. 4. n. 3.* plus requirat. Unde regulariter „ non sunt valida ante septennium completum, „ ut docent *Con. d. 22. art. 5. Sanch. l. 1. d. 16.* „ nisi malitia, & prudentia suppleant ætatem. *Dia-* „ *na t. 4. p. 5. R. 274. Pontius*, &c. (quod ta- „ men quidam negant sufficere, cum jus determi- „ narit ætatem): imo nec post septennium, si de „ usu rationis sufficienti non constet, uti neque si „ vi, dolo, errore, vel ignorantia circa substantiam, „ aut notabilem conditionem substantialem fiant, „ secundum dicta de Voto & Contractibus.

832 Quær., an teneatur Matrimonium contrahere qui ficte promisit sponsalia alteri vere repromittenti? Fictio hæc diversimode potest contingere. 1. Si is non habuit animum contrahendi. 2. Si non habuit animum se obligandi. 3. Si non habuit animum adimplendi. In primo casu certe non tenetur stare promissis, cum omnino defuerit promittendi voluntas. Ita *Viva de Matr. q. 1. art. 1. n. 1. & Salm. eod. tit. c. 1. n. 25. & de Contract. c. 1. n. 7.* cum *Sanch. Lugo*, *Sylv. &c. communiter*. Contra vero in tertio casu certum est teneri, quia jam contraxit obligationem. Vide *Salm. de Matr. l. c. n. 25.* & *Viva n. 5. & 7.* ubi bene advertunt, quod si quis sciret oriri obligationem ex promissione, sed ad eam non adverteret, nihilominus teneretur ad promissum, quia jam habuit virtualem voluntatem se obligandi.

833 Quæstio tantum est de secundo casu, quando is voluit promittere, sed noluit se obligare, & respondetur: si ipse ignoravit ex promissione illa o-

riri obligationem exequendi Matrimonium, certum est non teneri, ut dicunt *Salm. n.* 26. cum communi (quidquid aliqui aliter sentiant); quia qui ignorat naturam promissionis, non habet veram promittendi voluntatem. Dubium igitur est, an teneatur ad Matrimonium, qui sciens naturam promissionis, ficte promiserit sponsalia, nolens revera ad Matrimonium se obligare? *Prima* sententia dicit, quod iste non solum peccat mortaliter contra justitiam, sed etiam ex justitia tenetur ad contrahendum Matrimonium; nec excusatur, si damnum alio modo velit resarcire. Ratio, quia in ipsa promissione, quando est vera, necessario est insita obligatio ipsi competens; cum autem quis minime vult promittere, minime quidem obligatur, sed quando vere promittit, non potest nolle obligari juxta conditionem contractus; nequit enim a promissione obligationem illi propriam separare; ita probabiliter *Pont. de Matr. l.* 12. *c.* 2. *n.* 7. cum *Vasq. Viva l. c. n.* 2. *v. Dico* 2. item *Sotus*, *Lop. Ledesm. Aragon. Gutt. &c.* apud *Sanch. Secunda* vero sententia probabilior, cui subscribimus, & quam tenent *Sanchez de Matr. lib.* 1. *Disp.* 9. *n.* 5. *& Disp.* 10. *n.* 25. *Pal. p.* 2. *n.* 2. *Laym. c.* 1. *n.* 10. *Less. c.* 18. *n.* 61. *Holzm. c.* 1. *n.* 117. *Spor. c.* 1. *n.* 54. *Escob. l.* 24. *q.* 12. *Renzi de Matr. c.* 1. *sec.* 1. *qu.* 2. *Tamb. eod. tit. l.* 8. *c.* 1. §. 4. *n.* 5. *Mazz. c.* 2. §. 1. & *Salm. c.* 1. *n.* 28. cum *Bonac. Bec. Aversa*, *Vill. Cornejo*, *& Diana*, negat esse obligationem contrahendi. Ratio præcipua est, quia omnis obligatio quæ non habetur ex lege, oritur ex privata hominis voluntate; ergo ubi deest voluntas se obligandi, deficit obligatio. Et hoc etiamsi promissio fuerit juramento firmata, ut docent *Sanchez d. Disp.* 9. *n.* 9. cum *S. Bonav. S. Anton. Medina*, *Pal. & pluribus*, *Escob. n.* 95. cum *Riccardo*, *Gabr.* ac *Salm.* cum *Bonacina & Aversa*, *ex D. Thom.*, qui (*in* 3. *dist.* 39. *qu.* 1. *art.* 3. *qu.* 3.) docet juramentum non obligare, ubi deest animus se obligandi; juramentum enim sequitur naturam promissionis. Nec obstat ratio contraria super allata; quia, etsi ficte promittens peccarit contra justitiam, alteram partem decipiendo, non tenebatur tamen ex justitia ponere verum consensum, cum nulla ei aderat obligatio contractum ineundi, & contra alter nullum acquisierit jus in eum ex suo consensu; ideo tenetur quidem postea ratione deceptionis damna resarcire, sed non tenetur ratione promissionis verum consensum ponere, & Matrimonium contrahere. Secus vero dicendum, si intervenerit defloratio, quia tunc deflorans omnino tenetur ad Matrimonium, cum non possit tunc alia via sat æquivalenter damnum resarcire, ut diximus *Tom. I. l.* 3. *ex n.* 642.

834 Sufficit autem ad validitatem sponsalium inter pueros, ut in ipsis probabiliter agnoscatur rationis usus. Hoc putant probabilius cum communi *Salm. de Matr. c.* 1. *n.* 71. cum *Sanch. Con. Dic. Bon.* & *aliis*, contra *Pal. Avers.* &c. qui dicunt pueros ante septennium non obligari. Non peccant autem graviter pueri, vel parentes pro eis sponsalia promittentes, ut dicunt *Salm. cap.* 1. *n.* 77. cum *Conc. Sanch.* &c. contra *Bonac.* & *Henr.*

835 An vero sint irrita sponsalia contracta per dolum dantem causam contractui, etsi versantem tantum circa qualitatem? Affirmat *Sanchez de Matr. l.* 1. *D.* 64. *n.* 3. cum *Mol. Covarr. &c.* & idem sentiunt *P. Conc.* & alii quos citavimus *T. I. lib.* 3. *n.* 715. *de Contract.* Sed ibi diximus probabilius eo casu contractum non irritari, neque de jure naturali, cum jam adsit consensus quoad substantiam, neque de jure civili, ut patet ex *Instit. l.* 4. *tit.* 15. *de Except.* cujus verba attulimus *dict. n.* 715. Habet vero tunc deceptus actionem irritandi contractum propter injuriam & defectum consensus, idque currit, etiamsi deceptio provenerit ab alio tertio, parte ignorante, ut docet *Sanch.* cum *Covarr. & aliis cit. D.* 64. *n.* 4. & 5. Ceterum satis probabile est cum *Lessio*, *Laym. & Sporer.* relatis *eod. n.* 715. & cum *Viva de Matr. qu.* 2. *art.* 1. *n.* 2. quod deceptus non tenetur in conscientia stare contractui, si suus error vere fuerit invincibilis.

An autem stando primæ sententiæ, nempe quod 836
sponsalia sint per se irrita, etiam decipiens liber remaneat? Affirmant idem *Sanch. l. c. & Pontius l.* 4. *c.* 21. *n.* 7. cum *Con. Val. Reb. &c.* Sed oppositum est probabilius, ut fuse probavimus *Tom. I. l.* 3. *n.* 715. cum *Lug. Less. Laym. Pal. &c.*

„ Dicitur 3. *Mutua*. Unde si Titius promittat
„ nuptias Cajæ, & hæc acceptet sine repromis-
„ sione, neuter obligatur; quia, cum contractus
„ sponsalium sit onerosus, & reciprocus, non po-
„ test claudicare; involvit enim conditionem, si
„ tu repromiseris. Quod si tamen Titii promissio
„ fuisset absoluta, ac gratuita, & acceptata a Caja,
„ solus Titius obligaretur, non vi sponsalium, sed
„ simplicis promissionis. Ita *Sanch. lib.* 1. *d.* 5.
„ contra *Pontium* apud *Dian. p.* 3. *tr.* 4. *res.* 244.

Quær. hic I. An hoc ipso, quod aliquis acceptet sponsalia, simul repromittere intelligatur? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenet *Pont. lib.* 12. *c.* 4. *n.* 10. cum *S. Anton. Palud. Sylv. &c.* ac probabilem putant *Salm. c.* 1. *n.* 10. cum *Vasq. Henr. Leandro*, *& Gabr. a S. Vincentio*. Ratio, quia sicut acceptatio Matrimonii de præsenti includit virtualem repromissionem, seu voluntatem ad illud se obligandi, cum Matrimonium valere non possit, si utraque pars non obligetur; ita etiam acceptatio sponsaliorum, quæ Matrimonii naturam sequuntur. Hinc deducunt hi Auctores cum *Mol. & Busemb.* quod casu quo uterque sponsorum non obligatur, neuter remanet obligatus. *Secunda* vero sententia probabilior negat, & hanc tenent *Bon. q.* 1. *p.* 1. *n.* 7. *Conc. t.* 10. *p.* 268. *n.* 5. *Sanch. l.* 1. *D.* 5. *n.* 15. *Laym. c.* 1. *n.* 2. *Spor. n.* 151. *Escob. n.* 68. cum *Soto*, ac *Salm. c.* 1. *n.* 18. cum *Dic. Pal. &c.* qui dicunt, bene posse stare promissionem unius de futuro Matrimonio, & acceptatam obligare, sine repromissione alterius; neque acceptationem includere repromissionem, quia potest quisque acceptare obligationem alterius, quin seipsum obliget. Advertunt tamen *Salm. n.* 21. hoc intelligi, si promittens voluit sponte se obligare independenter ab alterius repromissione, atque hoc sit certum; nam in dubio, ut dicunt, censendum est noluisse sine repromissione obligari. Et in tali casu notandum, quod promissio illa non essent sponsalia, ideoque non induceret impedimentum publicæ honestatis, sed esset mera promissio gratuita, unam tantum partem

tem obligans, non vi quidem sponsalium, sed vi meræ fidelitatis.

837 Quær. II. An quis possit se obligare ad contrahendum Matrimonium vi gratuitæ promissionis libera remanente altera parte? *Prima* sententia negat, & hanc tenet *Pont. l.* 12. *cap.* 4. *n.* 2. cum *Vasq. Conc. p.* 259. *num.* 6. & probabilem vocat *Diana* 3. *p. tr.* 4. *R.* 244. Ratio, quia contractus sponsaliorum est instar contractus cujusdam permutationis; unde in eo nemo potest se obligare, nisi sub conditione, ut alter mutuo se obliget. *Secunda* vero sententia communior & probabilior affirmat, eamque tenent *Busemb.* ut supra, & *Sanch. l.* 1. *D.* 5. *n.* 12. *Laym. c.* 1. *n.* 2. *Bon. q.* 1. *p.* 1. *n.* 8. *Escob. l.* 24. *n.* 71. *Spor. n.* 152. & *Salm. c.* 1. *n.* 20. cum *Con. Dic.* & *Aversa*. Ratio, quia, licet vi promissionis sponsalitiæ non possit unus remanere obligatus, altero manente libero; tamen bene potest aliquis vi simplicis promissionis gratuitæ se obstringere independenter a contractu sponsalium. An autem hæc promissio obliget sub gravi? Id pendet ab alia quæstione allata *Tom. I. l.* 3. *n.* 720. ubi diximus cum *Cajet. Bann. Led. Henr. & Salm.* ex auctoritate D. Thomæ, satis esse probabilem sententiam negativam. Recte vero advertunt *Spor. loc. c. & Tamb. de Matr. tr.* 4. *cap.* 1. §. 1. *n.* 4. quod regulariter nunquam sponsi intendunt gratis se obligare sine conditione, quod alter etiam se obliget.

838 „ Dicitur 4. *Signo expressa;* quia contractus in-
„ ter homines non fit, nisi signo externo. Unde
„ non sufficit ad sponsalia taciturnitas Cajæ, et-
„ iam cum consensu interno in promissionem ma-
„ trimonii, quod Titius ei promittit. Si tamen
„ pater, vel mater pro filio, aut filia, aut cura-
„ tor pro eo, cujus curam habet, præsente & non
„ contradicente, dummodo metus absit, contra-
„ hat, valida erunt; quia in hoc casu jus accipit
„ taciturnitatem pro expressione consensus. *Sanch.*
„ *l.* 1. *d.* 22. *Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 170. imo etiamsi
„ pro absente: saltem si is resciens id expresse,
„ vel tacite signo aliquo sufficienti ratificat. *Sanch.*
„ *Pont. Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 271. contra quos *Sot.*
„ & *Henr.* ne hoc quidem requirunt, sed tantum,
„ ut resciens non contradicat. Quod *Conin.* ad-
„ mittit, si per ipsos tutores, vel parentes iis pro-
„ ponatur; tunc enim si taceant, censentur con-
„ sentire.

Si parentes contrahant sponsalia præsente filio, qui taceat, & non contradicat, ipsa utique sunt valida, ut communiter docent *Laym. cap.* 1. *n.* 3. *Pal. p.* 4. *n.* 12. *Ronc. p.* 133. *qu.* 5. *R.* 1. *Sanch. l.* 1. *C.* 23. *n.* 5. & alii passim. Et patet ex *cap. un.* §. 1. *fin. de Despons. impub. in* 6. ubi Bonif. VIII. sic declaravit: *Porro ex sponsalibus quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur.* Idemque dicendum, non solum si pater, sed etiam si mater contrahat pro filio, ut recte etiam communiter docent *Sanch. n.* 9. *Pont. l.* 2. *c.* 14. *n.* 2. *Pal. p.* 4. *c.* 12. *Boss. c.* 3. *n.* 159. cum *Abb.* & *Salm. n.* 48. idque infertur ex dicto textu, ubi non dicitur *patres*, sed *parentes;* & ratio est, quia in hoc non habetur respectus ad patriam potestatem, sed ad affectum parentum erga filios: matres autem non minus quam patres filios diligunt. Idem dicunt *Busemb. ut supr. & Sporer loc. cit.* de tutoribus, & curatoribus promittentibus pro pupillis, & minoribus. Sed probabilius id negant *Salm. d. num.* 48. cum *Sanch.* & *Guttier.* quia hoc tantum de parentibus dispositum est.

Id tamen procedit duntaxat pro foro externo, ut bene advertunt *Bonacina* & *Roncag. ll. cc.* ac *Holz. de Matr. n.* 149. cum *Anacl.* Nam in foro interno, si filius dissenserit, certe ad sponsalia illa a parentibus contracta non obligatur. Et idem omnino dicendum puto, si filius negative se habuerit non dissentiendo neque consentiendo; ad contrahendam enim quamcumque obligationem positivus requiritur consensus. Nec obstat præfatus textus, cum ibi dicatur *obligantur;* nam ad Matrim., & sic pariter ad sponsalia quæ Matrimonii naturam sequuntur, non sufficit consensus internus contrahentium, sed requiritur consensus externe expressus aut verbis, aut signis, ut habetur in *Cap. Sufficiat, Caus.* 27. *qu.* 2. Quamvis autem sponsalia contracta per solum consensum internum non valeant, valent tamen in hoc casu speciali, ut Bonifacius decernit, nempe si pater contrahat pro filio tacente, & non contradicente; sed utique intelligendus Pontifex loqui, modo filius interne & positive consentiat. Et sic revera mecum sentiunt *Bon. qu.* 1. *p.* 1. *n.* 11. & *Salm. n.* 46. dum dicunt, tunc solum taciturnitatem filii valida reddere sponsalia, quando filius interne consentit.

Dubit. 1. an sit speciale, quod sufficiat præsen- 839
tia & taciturnitas filiorum, si parentes pro eis contrahant? Negant *Hostiens. Manuel*, & *Anchar. ap. Sanch. l.* 1. *D.* 22. *n.* 7. qui dicunt id procedere, etiamsi extraneus contrahat sponsalia pro alio præsente & tacente; quia (ut ajunt), cum hic agatur de re appetibili, quisque tacens consentire videtur. Idque confirmant ex *c.* 2. *de Matr. contr. contra Eccles. &c.* ubi judicantur valida sponsalia inita a fratre pro sorore præsente, & tacite consentiente, dum textus ponderat ibi aliqua signa taciti consensus. Et huic sententiæ consentiunt etiam *ap. Sanch. l. c. Vict. Henr. Led. & Sotus;* loquendo tamen pro solo foro externo. Sed communissime, & verius id in utroque foro esse speciale pro sponsalibus contractis a parentibus affirmant *Escob. n.* 169. *Pal. p.* 4. *n.* 17. *Boss. c.* 3. *n.* 165. & *Sanch. n.* 7. cum *S. Anton. Palud. Innoc. Abba. Gabr. Cov. Tab.* & aliis plurimis ex *D. Th. in* 4. *D.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 3. Ratio, quia licet Matrimonium sit per se appetibile, tamen obligatio ad illud est onerosa; cum autem parentes præ magno amore erga filios præsumantur ipsis bene consulere, merito censentur filii consentire ipsorum promissioni: sed hæc ratio non militat pro aliis. Nec obstat regula juris 43. in 6. *Qui tacet consentire videtur.* Nam bene respondet *Salm. num.* 45. *Bonac.* & *Ronc. ll. cc.* hoc procedere in favorabilibus, non autem in obligatoriis; ubi verius oppositum præsumitur: & maxime in sponsalibus, ubi (ut diximus) positivus requiritur consensus. Neque obstat textus supra oppositus, nam respondet *Escob. l. c.* cum *Glossa*, ibi bene adfuisse expressum consensum, & textum exprimere alia signa tacita, ut confirmet adfuisse

ve-

verum consensum per illa signa externatum. Recte tamen *Sanch. n.* 14. cum aliis primam sententiam admittit, si alicubi (prout est apud Indos) esset consuetudo, ut consensus per alios exprimatur.

Dubit. 2. an, cum parentes contrahunt sponsalia pro filiis absentibus, sufficiat ad eorum valorem, si filii certiores facti non contradicant? *Prima* sententia negat, dicitque requiri, ut ipsi sponsalia ratificent aliquo alio speciali signo expresso, vel tacito: ita *Sanch. l.* 2. *D.* 23. *n.* 17. *Pont. l.* 2. *c.* 14. *n.* 14. & *lib.* 10. *c.* 9. *n.* 9. *Ronc. p.* 143. *q.* 5. *R.* 2. *Escob. n.* 172. cum *Vega*, & *Cordub.* ac *Boss. c.* 3. *n.* 188. cum *Molin. Fill. Barb. Gutt. &c.* Et probant ex *eod. cap. unic. de Desp. imp. in* 6. ubi sic dicitur: *Et est idem si filii tempore sponsaliorum absentes, & etiam ignorantes eadem sponsalia post scienter ratificaverunt tacite, vel expresse.* Ergo (ut arguunt) bene ibi constituitur differentia inter sponsalia contracta præsentibus filiis, ubi sufficit taciturnitas; & filiis absentibus, ubi amplius requiritur ratificatio expressa, vel tacita. *Secunda* vero sententia dicit sufficere ad contrahendum, quod taceant & non contradicant; hanc tenent *Bon. qu.* 1. *p.* 1. *n.* 11. *Sporer n.* 191. cum *Con.* & *Tamb. Pal. p.* 4. *n.* 14. cum *Palud.* & *Henriq.* ac *Salm. c.* 1. *n.* 87. cum *Soto*, *Dic. &c.* Hujusque sententiæ est quidem etiam *D. Th.* 4. *D.* 27. *qu.* 2. *art.* 2. *ad* 1. dum ibi ait: *Robur habent* (sponsalia) *in quantum illi inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes non reclamant, & intelliguntur consentire quæ per alios facta sunt.* Ratio, quia ex præfato textu sufficit, ut filii expresse, vel tacite sponsalia ratificent; *expresse* ergo intelligitur consentiendo, *tacite* non contradicendo, & ideo Pontifex dicit, *Et idem est*; & in tantum ibi ait *ratificaverunt*, quia agitur de re per alios jam peracta. Utraque sententia est probabilis, sed secunda probabilior. Bene tamen advertit *Pal. n.* 15. *cum Coninck*, non sufficere quod filius casu resciat sponsalia a parente contracta, & non contradicat; sed insuper requiri, ut parens vel per se, vel per epistolam aut nuncium filium certiorem faciat.

840 „ Dicitur 3. *inter habiles*; idest, quæ & ætatem a jure præscriptam habent, & nullo impedimento prohibentur.

Unde resolves:

„ 1. Quando verba, vel signa sunt dubia, in foro conscientiæ standum est intentioni contrahentium, si de illa constet; in externo autem, communi intelligentiæ & sensui verborum, ita tamen, ut potius inclinetur in favorem matrimonii. V. *Dian. p.* 3. *t.* 4. *Res.* 205. *Bon. q.* 1. *p.* 1.* (*Sed probabilius est, ut ait Viva, inclinandum esse in favorem libertatis*) *.

841 „ 2. Verba de præsenti inter impuberes apta ad matrimonium, cum hoc ex jure positivo sit nullum, habent vim sponsalium. Ratio est ex interpretativa intentione contrahentium, quia actus, quando non valent, eo pacto quo fiunt, valent meliori modo, quo possunt, sponsalia autem virtute continentur in matrimonio. *Laym. l. c. n.* 7.

Hæc doctrina est communis apud omnes; ita enim docent *Sanch. l.* 1. *D.* 2. *n.* 2. *Pontius l.* 12. *c.* 5. *n.* 4. *Pal. p.* 4. *n.* 3. & *Salm. c.* 1. *n.* 51. ac alii universe, ex *c. ux.* §. *Idem, de Despon. impud.* ubi id expressum habetur; modo (intelligendum) impubes interius non expresse dissentiat. An autem idem valeat inter puberes, si Matrimonium clandestine, idest sine Parocho & testibus contrahatur? Affirmant *Laym. cap.* 8. *n.* 18. *Con. Reb.* ac *Vega ap. Barb. in Trid. sess.* 24. *c.* 1. *n.* 130. item *Avila*, *Henriq. Led. &c. ap. Salm. n.* 52. probabilem putat *Escob. n.* 128. Ratio, quia, ut dicitur in dicto §. *Idem*, actus qui non valet ut fit, valet tamen ut fieri potest. Sed communissime & probabilius negant *Sanch. l.* 1. *D.* 20. *n.* 3. *Barb. All.* 32. *n.* 143. *Bon. p.* 8. *n.* 48. *Conc. p.* 262. *n.* 14. *Escob. n.* 128. *cum Nav. Led. Manuel*, & *Palac. Boss. c.* 3. *n.* 12. cum aliis pluribus, & *Sanch. n.* 54. *cum Becan. Dian.* & *Vill.* qui affert Declar. Cardinalium. Ratio, quia, cum actus est nullus, non jam ex parte contrahentium, sed ex parte sui ipsius, eo quod est contra bonos mores, & jus illi resistit (prout huic resistit Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. declarans Matrimonium clandestinum omnino irritum, & insuper personas omnino inhabiles ad sic contrahendum), tunc talis actus nullam parit obligationem ex *l. Non dubium, C. de Legib.*

„ 3. Ad sponsalia non sufficit 1. Si dicas, *Non* 842
„ *ducam aliam, quam te;* quia sunt verba mere
„ negativa, & potest ducere nullam. *Bon. q.* 1. *p.*
„ 7. *n.* ...

Idem recte tenent *Laym. c.* 2. *n.* 2. *Pal. p.* 3. *n.* 13. *Escob. n.* 148. *Salm. c.* 1. *n.* 44. *Boss. c.* 3. *n.* 213. & 224. *Holzm. num.* 148. *cum Anacl.* & communi ut asserit, ac *Sanch. l.* 1. *D.* 19. *n.* 5. cum *Henr. Ang. Man. Vega Ledesm. &c.* contra *Aug. Sylv. Adrian. Villal. &c. ibid. n.* 3. Ratio, quia talia verba, licet importent, quod si ille velit uxorem ducere, non posset aliam accipere, ut bene advertunt *Laym. Pal. Bonac. Salm.* & alii communiter; tamen per se non important quod illam ducere teneatur. Dicimus *per se*, nam aliter dicendum cum *Bon. Escob. & Salm.* si ex circumstantiis colligatur talem vere voluisse sponsalia contrahere. Probabilissime autem dicunt *Pont. l.* 4. *c.* 10. *n.* 7. *Viva qu.* 1. *art.* 4. *n.* 2. cum *Perez*, & alii *apud Boss. n.* 221. quod si verba sint de præsenti, nempe *Nullam volo nisi te*, tunc vere contrahit sponsalia.

„ Non sufficit ad contrahenda sponsalia dicere, 843
„ *contraham tecum, si Papa dispensaverit. Barb.*
„ & alii 10. cum *Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 290. contra
„ *Sanch. Conin.* & *Pont.* Ac proinde licitum est
„ utrique contrahenti, ante, & post impetratam
„ a Pontifice dispensationem, altero invito resi-
„ lire. Si tamen impensæ magnæ factæ sint cau-
„ sa dispensationis, eas tenebitur refundere re-
„ siliens * (*Hujusmodi tamen sponsalia, impleta conditione, probabilius sunt valida, juxta dicenda num.* 859. *Et interim, licet non valeat ad inducendum impedimentum publicæ honestatis, obligant tamen ad petendam dispensationem, si Papa in tali impedimento soleat dispensare, secus si non soleat; vide dicta Tom.* I. *l.* 3. *n.* 65.) * 3. Subarrhatio annuli, & missio munerum jocalium; nisi consuetudo patriæ aliud habeat. Ratio est, quia potest fieri

„ ex aliis causis * (*Ita etiam Sanch. l. 1. D. 22.*
„ *n. 2. Boss. c. 3. n. 120. Pal. p. 4. n. 10. Conc.*
„ *p. 262. n. 13. et alii passim.*) * Quod si ta-
„ men verba unius præcesserint, tunc immissio
„ annuli, & verbum, *recipio*, operatur sponsalia,
„ vel etiam matrimonium, pro ratione promissio-
„ nis, ut docet *Fill.* quia recipiendo sic annulum
„ tacite consentit: itemque si habito inter amicos
„ tractatu de matrimonio sponsus misit arrhas, &
„ munera jocalia: eaque sponsa acceptavit. *Laym.*
„ *l. 5. t. 10. c. 2.* * (*Ita pariter Pal. p. 4. n. 10.*
„ *Escob. n. 164. Boss. c. 5. n. 125. Holz. n. 146.*
„ *et Sanch. l. 1. D. 22. n. 3. cum Abbat. Sylv.*
„ *Angl. Tab. Arm. Cov. et aliis; et hoc etiamsi*
„ (*ut hi dicunt*) *non adsit verbum* recipio, *ut*
„ *vult Busemb. sufficit enim sola acceptatio. Si*
„ *autem parentes annulum mittant ad sponsam,*
„ *non præsumitur filius contraxisse sponsalia,*
„ *nisi annulus ex suo consensu missus fuerit, ut*
„ *recte sentiunt Palaus l. c. Sanch. n. 7. et Boss.*
„ *num. 125. cum Mol. Gutt. Menoch. etc.*) * 4.
„ Sponsalia metu gravi contracta, licet juramento
„ firmata, sunt invalida: quia juramentum metu
„ extortum non firmat contractum; imo probabi-
„ liter nec obligat, adeoque relaxatione non indi-
„ get. *Sanch. Barb. Diana, part. 3. t. 4. Resol.*
„ 278. *sup. l. 3. t. 2. cap. 2.*

844 Quæritur I. Utrum sponsalia per metum gravem injustum contracta sint ipso jure invalida? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Sanch. de Matr. l. 4. D. 21. n. 3. Pontius l. 4. c. 6. n. 12. Laym. l. 3. tr. 4. c. 6. n. 3. Bon. p. 7. n. 6. Salm. c. 1. ex n. 62.* cum *Bec. Cov. Diana*, & *Aversa*, ac *Boss. c. 12. n. 113.* cum *Panorm. Azor. Sa, Rodr. etc.* Et probant ex *c. Ex litteris, 11. de Despons. impub.* ubi, cum quædam puella contraxisset sponsalia cum juramento, postea *nolens* (ut ait textus) *et invita, minis parentum impulsa*, adducta fuit in domum sponsi; ideo Pontifex declaravit eam liberam esse ab illis sponsalibus. Nec obstat dicere, quod talis puella non contraxit sponsalia per metum, sed per metum domum sponsi adivit. Nam communiter supponunt DD. cum Glossa, hanc puellam desponsatam fuisse per metum; idque recte ait *Sanchez* certe supponi in eod. textu, alias enim Pontifex eam ab obligatione sponsalium non absolvisset. Dicitur autem per metum *gravem*; nam si esset levis, aliter dicendum, ut mox videbimus in Quæst. II. Item dicitur *per metum injustum*, quia si esset justus, valida quidem essent sponsalia; tunc enim pars, quæ ea contraxit, esset irrationabiliter invita, si nollet contrahere, ut recte dicunt *Salm. d. n. 66.* juxta dicenda *n. 5057. Secunda* vero sententia, quam tenent *Conink. D. 28. n. 7. Viva q. 1. art. 8. n. 9.* item *Hurt. Dic.* & *Trull. apud Salm. n. 61.* tenet hujusmodi sponsalia ex metu gravi contracta posse quidem irritari a metum passo, sed non esse per se irrita; ideoque dicit, quod si adfuit juramentum, debet ipsum servari, donec relaxetur. Ratio, quia omnes contractus, præter solum Matrimonium, per metum initi per se validi sunt, juxta dicta *Tom. I. l. 3. n. 717.* Respondent autem ad textum allatum in *dict. c. Ex Litteris*, quod ibi agebatur de puella quæ omnino invita contraxerat, & ideo ejus promissio fuerit irrita declarata. Utraque sententia est probabilis, sed prima mihi videtur probabilior; licet enim, loquendo de contractibus in genere, oppositum tenui (ut dixi), nempe quod contractus metu initi sint de se validi, circa sponsalia vero diversa occurrit ratio; nam in aliis contractibus, cum ipsi non sint per se nulli, nec eis resistat jus, bene potest metum passus, nisi velit contractus rescindere, manere obstrictus ad illum exequendum; at nemo potest obligari ad exequendum actum per se nullum, & cui jus resistit, qualis esset Matrimonium durante tali metu contrahendum; unde sicut non potest aliquis esse obligatus ad tale Matrimonium, ita nec ad ejus media, sive dispositionem, prout sunt sponsalia; dispositiones enim induunt eandem naturam actus, & ideo passim Doctores asserunt, sponsalia naturam Matrimonii sequi. Adde, quod connexorum idem debet esse judicium, ut infertur ex *cap. Translato, de Constit.* Quapropter sicut Matrimonium ex metu est irritum, idem dicendum de sponsalibus. Ex his infertur, quod ex hujusmodi sponsalibus minime oritur impedimentum publicæ honestatis.

Quæritur II. An sint valida sponsalia contracta per metum levem, qui dederit causam contractui? *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Nav. c. 22. n. 51. Less. c. 17. dub. 6. n. 46. Ronc. p. 132. q. 4. R. 2.* & *Boss. c. 12. n. 288.* cum *Rebell. Comit. Sylv. etc.* Ratio, quia is qui per metum (etsi levem) extorquet consensum alterius, adhuc injuriam ei irrogat, unde indignus est, ut ex sua malitia commodum reportet. *Secunda* vero sententia communior & probabilior affirmat, & hanc tenent *Bon. p. 9. n. 6. Pont. l. 4. c. 10. n. 5.* cum *Medina. Salm. c. 1. n. 6.* cum *Aversa, Croix l. 7. p. 3. n. 105. Viva de Matr. qu. 4. art. 3. n. 6.* & *Mazz. t. 4. p. 142.* Ratio, quia non censetur alter veram injuriam tibi intulisse, cum facile poteras tu metum illum repellere; quare, si non repulisti, censeris sponte voluisse talem injuriam pati.

Quær. III. An qui contraxit sponsalia ex metu levi dante causam contractui, possit illa in conscientia rescindere? *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Pon. l. 4. c. 10. n. 6. & 10. & Viva q. 4. ar. 3. n. 6.* cum *Perez, Med. etc.* Et ratio est eadem quæ mox supra adducta est pro secunda sententia in Quæst. præced. Hæc sententia est satis probabilis; sed communior est, & probabilior videtur *secunda* sententia affirmans, quam tenent *Laym. lib. 3. tr. 4. c. 6. n. 4. Sanch. l. 4. D. 19. n. 6. Wigandt tr. 3. n. 19. Bon. p. 9. n. 8. Salm. c. 1. n. 60. Mazzotta tom. 4. p. 142. Croix n. 105.* cum *Becan.* & *Lugo de Contract. D. 22. n. 138.* cum *Azor. Reg. Lop. Led. etc.* & probabilem putat *Viva q. 4. art. 3. n. 7.* Ratio, quia, cum metus dederit causam contractui, ita ut alias initus non fuisset, incutiens metum tenetur contractum rescindere; unde, sicut ille tenetur relaxare fidem injuste per talem metum extortam, ita metum passus potest fidem datam revocare. Idque tanto magis procederet, si hic apprehendisset metum illum ut gravem, licet in se fuisset levis, quia eo casu talem metum non facile repellere poterat, sicut poterat quando novisset ut levem. Quid autem dicendum, si metus fuerit justus, vel ab intrinseco; vide dicenda ex *num. 1053.*

DU-

DUBIUM II.

Quæ, et quanta sit obligatio sponsalium?

845 *Sponsalia obligant sub gravi. An autem obligent ad statim ineundum Matrimonium?*

846 *An Judex possit, et debeat cogere nolentes ad Matrimonium?*

847 *An fornicatio sponsæ, vel sponsi cum alia sit specie diversa? Ficte promittens non tenetur ad nuptias, nisi copulam extorserit a virgine.* (Vide etiam dicta de Rest. Tom. I. l. 3. n. 622.)

848 *Si quis cum duabus sponsalia contraxit, et cum secunda coierit, quam ducere debeat?*

849 *De filiis nuptias contrahentibus insciis parentibus. An tales nuptiæ sint validæ? Qu. I. An et qualiter peccent filii nubentes, parentibus insciis, vel inconsultis? Quid si sponsalia fuerint jurata? Quid si sponsus post illa virginem defloraverit? An Prælati teneantur has nuptias impedire? Ex quibus autem causis excusentur filii contrahentes sine consensu parentum?*

850 *Quæst. II. An teneatur filius obedire patri præcipienti Matrimonium?*

851 *Quæst. III. An notabilis disparitas conditionis aut status inter contrahentes irritet sponsalia?*

852 *Resiliens perdit arrhas, etc. Not. I. Quid si mulier promittit aliquid viro, ut eam ducat, et quid e converso?* 853. *Not. II. De pœna apposita in resilientem. Qu. I. An liceat adjicere pœnam in resilientem injuste? Qu. II. An juste resiliens teneatur ad pœnam promissam cum juramento? Qu. III. An, soluta pœna, teneatur recipiens eam restituere? Qu. IV. Quid si relinquatur legatum puellæ, ut nubat cum aliquo, et illa cum alio nuptias contrahat? Qu. V. Quid si legatum relinquatur, ut non nubat, et illa nubit?*

854 *An liceant tactus et oscula inter sponsos?*

845 „ Respondeo 1. Obligat ad ineundum matri-
„ monium sub peccato mortali. * (*Ita communiter omnes* (*vide Salm. c. 1. n. 81.*); *et patet ex c. Ex litteris de sponsal. Ratio, quia, licet promissio simplex, juxta probabilem sententiam, non inducat gravem obligationem, secus vero est de promissione mutua, quæ perfectum constituit contractum ex utraque parte obligatorium.*) * Si tamen terminus non sit præfixus, sufficit, si promittens impleat, quando a promissario requiretur, vel pro more regionis. Ratio prioris patet ex natura contractus onerosi, in re gravi. Ratio posterioris est, quia id est commune omni debito. *Sanch. l. 1. d. 28. Conin. d. 22. dub. 1.* apud *Dian. p. 3. t. 4. R. 245. Pontius* tamen *ibid.* vult obligari statim post contractum.

Quær. igitur, an qui sponsalia contraxit sine tempore præfixo ad Matrimonium contrahendum, teneatur illud inire, statim ac commode possit; *Prima* sententia negat, & dicit tum solum teneri, cum altera pars requirit; ita *Busemb.* ut supra: *Sanch. l. 1. D. 28. n. 2. Nav. c. 17. n. 79. Holzm. n. 177. cum Abb.* & *Piring.* ac *Escob. n. 78.* cum *Palud. Sylv. etc.* Ratio, quia sic habetur in *l. Debitores præsentes, C. de Pignor.* ubi dicitur: *Debitores prius denunciationibus conveniendi sunt. Secunda* tamen sententia verior affirmat, & hanc tenent *Pontius l. 12. c. 6. n. 1. Pal. p. 7. n. 2. Conc. p. 266. n. 26. Ronc. p. 134. q. 2. R. 2. et Salm. c. 1. n. 85. cum Con. Led. et Aversa.* Ratio, quia sic habetur expressum in *l. In omnibus ff. de Reg. Jur.* ubi sic dicitur: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.* Et in *l. Eum qui §. Quoties, ff. de Verb. obl.* ubi: *Quod sine termino præfixo debetur, statim debetur.* Respondetur autem ad textum oppositum, quod illud tantum statuitur pro debitoribus qui dederint pignora, quæ jure merito non sunt distrahenda a creditoribus, nisi prius debitores moneantur. Sed notandum quod DD. primæ sententiæ (ut *Sanch.* & alii) dicunt, quod si altera pars ex oblivione, timore, verecundia, vel simili causa non peteret, ut præcipue in fœminis evenit, tenetur tunc sponsus de se sine petitione Matrimonium contrahere, cum commode possit. E converso DD. secundæ sententiæ (ut *Pal. l. c. et Salm. n. 85. cum Con. etc.*) dicunt, quod si altera pars, cum possit commode petere, tacet, tunc ipsa videtur dilationi assentire; & sic præfatæ sententiæ satis conciliantur. Quid autem, si in sponsalibus appositus sit terminus præfixus ad nuptias ineundas? vide dicenda *n. 867.*

„ 1. Resiliens cogi potest ad matrimonium etiam 846
„ a judice per censuras: quod tamen raro expedit
„ ob periculum infelicis exitus.

Nulli dubium, ut dicimus, quod in foro conscientiæ nolens implere sponsalia sine juxta causa graviter peccaret. Dubium est, an Judex possit nolentem cogere? Alii affirmant, alii negant, nisi promissio juramento firmata fuerit. Alii negant, etiamsi adfuerit juramentum. Et has sententias omnes probabiles putant *Salm. c. 1. n. 88.* Attamen verius, & communiter dicunt *Pal. p. 8. ex n. 2. Conc. p. 266. n. 27. Tamb. c. 1. §. 1. n. 10. Holz. n. 178. Pont. l. 12. c. 6. n. 2. Salm. c. 1. n. 89. cum Con. Becan. Dic. etc.* & *Salm. l. 1. D. 29. n. 4. cum S. Bonav. S. Antonin. Nav. Palud.* & aliis innumeris, quod si ex tali Matrimonio timeantur rixæ, aut scandala, non debet Judex ad illud ineundum cogere partem invitam; secus, si scandala non timeantur; & ita habetur expressum in *c. Ex litteris. 10. de sponsal.* ubi dicitur: *Ecclesiastica censura compellas, nisi rationabilis causa obstiterit.* Et sic censuit S. C. abstinendum a coactione, suffragante aliqua probabili causa: secus vero sanxit alias, ut refert *P. Zacharia apud Croix l. 6. p. 3. ad n. 62.* Recte autem advertunt *Busemb.* & *Tamb.* raro expedire, ut partes ad tale Matrimonium cogantur: huicque consentit *P. Concina*, dicens semper minus malum esse, ut pars innocens ab hujusmodi Matrimonio abstineat. Item recte advertit *Tamb.* quod si pars renitens fuerit excommunicata, & persistat, Judex debet eam absolvere, quia tunc non speratur

tur profectus; & contra, si tale Matrimonium contraheretur, prudenter malus exitus timendus esset. Notant etiam *Salm. n.* 92. *cum Sanch. Pont. Pal. etc.* quod si constet de sponsalibus, tam Judex Ecclesiasticus, quam sæcularis habent jus cogendi sponsos ad Matrimonium.

847 „ 2. Si Judex secundum allegata, & probata „ cogat ad Matrimonium, licet a parte rei revera „ coactio sit injusta, valet Matrimonium. *Sanch.* „ & *M. Perez*, contra *Texed.* apud *Dian. p.* 9. „ *t.* 8. *R.* 26.

„ 3. Fornicatio sponsæ est circumstantia in confessione exprimenda, quia mutat speciem, & „ constituit injustitiam, quæ in sponsa gravis est, „ ideoque mortalis habetur, ut si quis rem alteri „ promissam notabiliter corrumpat: quod tamen „ sponsus non censetur facere fornicando, cum in „ viro fornicatio non tanti æstimetur, nisi aliud „ accedat. *Sanch. l.* 1. *dist.* 2. *Conink. Fagund.* „ *Fill.* &c. probabiliter contra *Laym. Azor.* &c. „ Vide *Lugo d.* 16. *n.* 176.

Circa hanc quæstionem adest triplex sententia probabilis. *Prima* dicit, quod fornicatio tam sponsæ, quam sponsi induit malitiam specie diversa; & ita tenent *Pal. p.* 7. *n.* 5. *Laym. c.* 1. *num.* 6. *Holzm. n.* 194. *Azor. apud Fill. c.* 2. *n.* 53. & *Salm. de Matrim. cum Con. Dicast. et aliis c.* 1. *n.* 11. quia ex parte utriusque injuria irrogatur juri, quod unus acquisivit ad rem, sive ad corpus alterius. *Secunda* dicit, quod peccat specie diversa tantum sponsa, non autem sponsus, qui fornicando levem injuriam videtur afferre sponsæ, ita *Sanch. l.* 1. *D.* 2. *n.* 6. *Bon. q.* 1. *p.* 10. *n.* 62. item *Fill.* & alii apud *Salm. n.* 9. *Tertia* demum sententia adhuc satis probabilis, quam tenent *Pontius l.* 21. *c.* 6. *n.* 8. & *Trull. Covar. Diana*, *ac Vivald. apud Sal. n.* 7. & probabilem putant *Sanch. n.* 7. *Laym. c.* 2. *n.* 6. *Lugo de Pœn. D.* 16. *n.* 17. *cum Led.* & *Megala*, *Salm. l. c.* ac *Elbel n.* 59. dicit neutrum fornicando committere injustitiam, quia neuter sponsorum jus acquisivit in corpus alterius, cum neuter adhuc corpus suum tradiderit. Id igitur currit tam pro sponso, quam pro sponsa; si enim hæc committeret injustitiam fornicando, non posset deinde Matrimonium cum sponso contrahere, nisi manifestaret vitium occultum sui corporis, quia tunc adesset inæqualitas; sed ad hoc non tenetur, ut ait *Pontius* cum aliis (vide dicenda *n.* 864. *ad n. II.*): ergo adest æqualitas, & per consequens non committit injustitiam.

„ 4. Qui simulato animo promisit, per se lo- „ quendo, non obligatur ad nuptias, tametsi damnum creatum debeat resarcire. Dixi, *per se*, „ quia si facta promissione puellam induxit ad copulam, tenetur illam ducere. *Bonac. l. c. p.* 2. „ Ubi excipit, si puella esset longe inferioris conditionis, v. g. quoad nobilitatem, vel divitias: „ tunc enim non teneri ducere, v. gr. virum nobilem filiam agricolæ, præsertim si illa fuerit „ conscia disparis status, seu conditionis, eo quod „ tunc decipi potius voluerit, quam decepta sit, „ unde nec teneri eo casu illam dotare: secus tamen si ipsa inæqualitatem status ignorarit, aut „ si ipse non ficte, sed ex animo Matrimonium „ promiserit. Ita *Bonac. q.* 1. *p.* 3. *n.* 7. *et seq.* „ *ex Vasq. Mol. d.* 106. *Sanch. l.* 1. *d.* 10. V. „ *Less. l.* 2. *c.* 10. *d.* 3. *Laym. c.* 1. *n.* 10. & *M.* „ *Per. d.* 2. *s.* 3. * (*De omnibus his vide ea quæ* „ *fuse notavimus de Restit. Tom. I. l.* 3. *ex n.* „ 642.)*.

„ 5. Sponsalia posteriora contra priorem fidem 848 „ inita, tametsi jurata sint, aut copula etiam ac- „ cesserit, sunt invalida *Sanch.* & *Vill.* Contra- „ rium tamen tenent *Conin.* & *Pont.* cum *Diana* „ *p.* 3. *t.* 4. *R.* 210. Matrimonium post sponsalia „ contractum cum altera est validum, licet injustum. *Bon. p.* 5. *et* 7. *Laym. c.* 1. *n.* 5.

Certum est quod si secunda sponsa fuerit conscia priorum sponsalium, Matrimonium cum prima debet contrahi, quia tunc secunda non fuit decepta, sed ipsa voluit decipi; ita communiter *Bossius c.* 3. *n.* 90. *Salm. c.* 2. *n.* 94. *Viva q.* 2. *art.* 7. *n.* 3. *Holzm. n.* 217. & alii passim. Dubium est, si illa fuerit ignara. *Prima* sententia dicit sponsum teneri contrahere cum secunda, si cum hac copulam habuit; ita *Pal. p.* 22. *n.* 6. *Viva l. c. Pont. l.* 12. *c.* 14. *n.* 4. *cum Major. Boss. l. c. cum Diana*, & *Salm. l. c. cum Con. Reb. et Leand.* Ratio, tum quia ex *cap. Is qui fidem*, *de sponsal.* olim per copulam animo maritali factam sponsalia transibant in Matrimonium; & licet hoc Matrimonium hodie ea jure novo Tridentini *sess.* 24. *c.* 1. non amplius subsistat, tamen textus ille bene fundat jus in re, quod acquiritur a secunda sponsa per corporis traditionem, quæ olim Matrimonium constituebat: tum quia, quando unus agit de lucro acquirendo, & alter de damno vitando, huic potius favendum est quam primo. *Secunda* vero sententia communior & probabilior dicit sponsum teneri contrahere cum prima, etiamsi adfuerit copula cum secunda, ita *Sanch. l.* 1. *D.* 49. *n.* 5. *cum Led. Henriq. Man.* & *Lop.* item *Nav. c.* 22. *n.* 26. *Bon. p.* 5. *n.* 7. *Ronc. p.* 370. *q.* 6. *R.* 2. *Elbel p.* 370. *n.* 17. cum communi ut asserit: *Escob. n.* 245. *Laym. c.* 1. *n.* 5. *cum Soto*, & *Rodr. Holzm. n.* 117. *cum Manstr.* & *Anacl. ac Croix n.* 74. *cum Hurt. et Aversa*. Ratio, quia promissio facta secundæ sponsæ semper est nulla utpote de re illicita, cum fuerit priori sponsæ promissa; nec injuria illata alteri jus huic adimit. Et hoc, etiamsi secunda promissio fuerit juramento firmata, ut dicunt *Holzm. n.* 116. *Sanch. Dist.* 50. *n.* 2. *Escob. n.* 248. *Laym. l. c.* & alii; quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis. Nec obstat prima ratio sententiæ oppositæ, nam textus ille (ut recte dicunt *Navarr. Sanchez ll. cc. cum Soto*, *et Led.*) intelligendus est loqui de copula affectu maritali habita, non autem de habita affectu fornicario, ut esset in nostro casu. Neque valet secunda ratio, nam hic revera non agitur de contractu lucrativo, sed potius oneroso, cum sit ultro citroque obligatorius. Dicunt tamen *Sporer l. c. Sanch. n.* 6. *Elbel pag.* 371. *num.* 19. *et Bonac. cum Reg. ac Mol.* ac *Croix cum Aversa*, *et Ronc. ll. cc.* quod ex æquitate tenetur prima sponsa cedere juri suo, si altera ex defloratione grave damnum pateretur, quia charitas obligat ad leve nocumentum patiendum, ne proximus gravissimum subeat; unde ajunt *Henriq. apud Sanch. l. c. et Croix* cum aliis, quod Judex eo casu bene potest cogere sponsum

sum ad ducendam secundam. Sed non improbabiliter *Holzm. d. n.* 117. *cum Anacl. Gutt. et Pichler.* sentiunt ad hoc illam non teneri, quia secunda debet suo crimini imputare quod tale damnum patiatur.

849 „ 6. Liberi, qui parentibus insciis contraxerunt „ sponsalia, etiam cum iis, qui imparis sunt con„ ditionis, v. g. nobilis cum ignobili, licet pec„ carint, tamen obligantur; nec a parentibus pos„ sunt impediri, quominus servent fidem datam. „ *Laym. l. c. n.* 12. *ex S. Th.* &c. nisi scandalum „ magnum ex Matrimonio timeretur. *Dian. part.* „ 9. *tom.* 7. *Resol.* 71. *ex Mol. Sanch.* &c.

Certum est Matrimonia filiorum-familias contracta sine consensu parentum esse valida, contra Lutherum, Bucerum, & Erasmum (*apud Bellarm. de Matr. c.* 19.), qui invalida asserebant: id patet ex Trident. *sess.* 24. *c.* 1. *de Ref.* ubi sic dicitur: *Quique falso affirmant Matrimonia a filiis fam. sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Unde non satis videtur probabilis opinio *Pont. l.* 2. *c.* 1. *n.* 5. *et Tourn. Præl. Theol. t.* 11. *p.* 197. quod olim hujusmodi Matrimonia sine consensu parentum inita, erant invalida; nam obstat communis sententia omnium Scholasticorum, ut ipse *Pont.* fatetur, & videtur certum esse ex præfato textu Concilii. Ex hoc inferunt *Laym. c.* 1. *n.* 14. *Sporer c.* 5. *n.* 202. & *Holzm. n.* 167. *cum Anacl.* & aliis communiter, quod sicut tale Matrimonium est validum, ita & sponsalia. Nec officere ait *Holzm.* textum in *l.* 1. §. 7. *ff. de Sponsal.* ubi ad valorem sponsalium videtur requiri consensus parentum, pari modo ac requiritur in Matrimonio, juxta *l. Si ut proponis* 7. *C. eod. tit.* Respondet enim, quod lex, tametsi prohibeat hujusmodi sponsalia, non tamen illa invalidat.

Hæc quoad validitatem; sed quæritur I. an, & quando, & qualiter peccent filiifamilias nuptias contrahentes sine consensu parentum? Quatuor adsunt sententiæ. *Prima*, & quidem communior docet universe eos peccare lethaliter, si Matrimonium ineant, parentibus sive inconsultis, sive invitis; ita *Pont. l.* 2. *c.* 1. *n.* 26. *Mol. t.* 1. *tr.* 2. *D.* 166. *Sylvius Suppl. q.* 47. *art.* 6. *Concl.* 4. *Nav. c.* 14. *n.* 15. *Petrocor. tom.* 4. *p.* 413. *Albelly p.* 205. *Roncag. p.* 269. *qu.* 3. *Conc. p.* 281. *n.* 4. & pro hac sententia fusam edidit dissertationem Illustriss. D. Franciscus Muscettola Episcopus Rossanensis, cui novissime doctas addidit adnotationes eruditissimus Canonicus Neapol. Alexius Mazzochius, ubi citantur pro eadem sententia *Alber. Magn. Estius, Merbes. Megal. Fag. Nald. Turrecrem. Bellarm. Amic. Manstr. Martin. Leand. Marchant. Vidal, Platel, Isamb. Genett. Natal. Alex. Juenin, Cabassut.* & alii: sed notandum, quod ex his plures (ut observavi), prout *Bellarm. Albert. M. Estius, Turrecrem. Juenin*, & *Cabassut.* dicunt quidem hæc Matrimonia esse illicita (quod revera omnes DD. concedunt), sed non explicant an sub culpa gravi, vel levi. Probatur hæc sententia 1. ex *c. Aliter, Causa* 30. *qu.* 5. ubi legitur Decretum illud Evaristo Papæ tributum, quo dictum fuit præsumi *non conjugia, sed adulteria*, illa quæ fiunt sine consensu parentum, & sine præviis precibus, sine benedictione Sacerdotis, & custodia Paranympharum, &c. Et *ex c. Honoratur* 32. *qu.* 2. ubi dicitur non esse virginalis pudoris maritum eligere, sed judicium parentum exspectare. Item probatur ex Tridentino *dict. c.* 1. *sess.* 24. ubi, cum sermo habeatur de Matrimoniis clandestinis, & simul sermo de Matrimoniis contractis a filiisfamilias sine consensu parentum, dicitur; *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* Probatur 2. ex Jure Civili, quo irritæ declarantur nuptiæ sine consensu parentum contractæ, ut videtur expressum in *l.* 2. *ff. de Rit. Nupt. l. Si ut proponis, C. de Nupt.* & aliis, ac signanter in *Institut. de Nupt.* ubi: *Si filii sint, consensum habeant parentum; nam hoc fieri debere et civilis, et naturalis ratio suadet.* Et infra: *Si adversus ea aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec Matrimonium, nec dos intelligitur.* Et licet hæ leges a Jure Canonico sint correctæ, ut habetur in *c. Tua. de Sponsal. et c. Cum causa. de Raptor.* ac in Tridentino *d. c.* 1. tamen ex illis deducitur ex ipso lumine naturali deprehendi deformitatem talium nuptiarum. Probatur 3. ratione, tum quia ex hujusmodi nuptiis gravia incommoda & scandala oriuntur; tum quia hoc requirit obedientia parentibus debita; tum quia iidem graviter offenduntur, si filii, ipsis insciis, vel invitis Matrimonium contrahant.

Secunda sententia dicit teneri quidem filios sub mortali parentum consilium petere, non vero illud sequi; ita *Sanch. l.* 4. *D.* 23. *n.* 10. *Laym. c.* 2. *n.* 14. *Barb. in Trid. sess.* 24. *c.* 1. *n.* 2. *Viva de Matr. q.* 4. *art.* 2. *n.* 5. *Bon. ed. tit. q.* 4. *p.* 17. *n.* 25. item *Vasq. Fill. Vill. etc. ap. Boss. de Matr. c.* 11. *n.* 81. Probatur prima pars, quia censetur gravis contemptus in re tam gravi non consulere parentes, quibus incumbit prospicere bono filiorum; poterit enim pater, qui majori prudentia ac experientia pollet, aliqua aperire filio, per quæ hic mutet voluntatem. Secunda autem pars (quam præter AA. mox citatos tenent etiam *Tolet. Burgh. etc.* apud *Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 570. atque *Viguer. Led. et Riminald. ap. Sanch. l. c.* & videntur ibid. expresse etiam tenere *Host. Suar. Lupus, et Covar.* saltem dicunt ibi non esse mortale *Victor.* & *Henriq.*) probatur, inquam, hæc secunda pars ex *D. Th.* 2. 2. *qu.* 104. *art.* 5. ubi ait: *Non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de Matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda.* Et licet S. Doctor ibi non loquatur de filio contrahente sine consensu patris, sed de patre cogente filium ad Matrimonium, ratio tamen, quam ibi præmittit, est generalis, & pro utroque casu concludit, dum dicit: *Tenetur autem homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus sunt agenda; in quibus tamen, secundum ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo; quia omnes homines natura sunt pares, puta in his quæ pertinent ad corporis sustentationem, et prolis generationem. Unde non tenentur nec servi ...* & sequitur ut supra. Fundamentum intrinsecum hujus sententiæ est, quia cum per Matrimonium homo perpetuæ servituti obligetur, ratio exposcit, ut sit omnino liber in eo contrahendo. Et quamvis sit de jure naturæ, ut filii obsequium paren-

ti-

tibus præstent, tamen de jure etiam naturali & potiori est, ut in nuptiis omnimoda servetur libertas. Nec obstant textus supra allati, consensum parentum exquirentes; ipsi enim tantum probant illum requiri de decentia, & honestate, non vero de præcepto, ut ajunt *Salm. c.* 6. *n.* 24. *Boss. c.* 11. *n.* 87. *& Sanch. l. c. cum Host. Suar. &c.* ex *Gloss. in c. fin. Caus.* 30. *q.* 2. *v. Parentum*, ubi *Hoc tantum ad honestatem referas*. Textum autem Tridentini non est certum referri ad Matrimonia contracta sine consensu parentum, quia verba illa, *Dei Ecclesia illa semper detestata est*, potius referri possunt ad Matrimonia clandestina, ut colligi videtur ex verbis subsequentibus, ubi dicitur, quod cum Matrimonia illa prohibita homines improbi etiam contraherent, ideo declarantur irrita: ergo Tridentinum declarat hic, Ecclesiam tantum *detestatam* fuisse Matrimonia quæ prohibuit, & nunc Concilium reddit invalida. Ob eandem rationem, ut supra, tanto minus obstant leges civiles; quæ autem (ut sentiunt *Cujacius*, *& Gothofredus ad l. Filius ff. de Ritu Nupt.* & *Holzm. n.* 168. ac *Gonzal. in d. c. Tua n.* 8.) non invalidabant tales nuptias, sed tantum eas reddebant civiliter irritas; nempe quoad solos effectus contractus civilis, prout declaravit Ludovicus XIII. in Regno Galliarum *ap. Tourn. t.* 11. *p.* 104.

Tertia sententia dicit, quod si filiifamilias Matrimonium contrahunt, sive inconsultis parentibus, sive invitis, illicite quidem contrahunt, at per se loquendo non peccant mortaliter, sed tantum venialiter; ita *Palaus p.* 12. *s.* 11. *Boss. c.* 11. *n.* 87. *Elbel p.* 368. *n.* 9. *Tamb. Dec. l.* 5. *c.* 2. §. 3. *n.* 6. *Renzi p.* 204. *q.* 2. *Holzm. n.* 172. *cum Pichler*, *Spor. n.* 206. *cum Henr. Led. & Gob.* ac *Salm. c.* 6. *n.* 22. *cum Covar. Victor. Aversa*, *Dic. & Henriq.* Ratio, quia licet filii teneantur hoc obsequium præstare parentibus, nempe eos consulendi in re tam gravi, hæc tamen obligatio non potest esse gravis, quando filii eorum consilio stare non obstringuntur; satis autem vel per se, vel per alios viros prudentes aliunde valent cognoscere, quæ circa id occurrere possunt; e converso parentes nequeunt esse rationabiliter graviter inviti, quod eorum consilium non exquiratur in re quæ absolute pendet ab electione liberorum. Si autem filii non tenentur (saltem sub gravi) parentum consilium sequi, ut concedunt DD. secundæ sententiæ, non adest ratio cur sub gravi teneantur eos consulere; tanto magis, quia parentes magis se existimant offensos, si filii nuptias ineant ipsis invitis post consilium datum, quam ipsis inconsultis. Idque tanto magis valet, si filius judicet parentes non graviter laturos Matrimonium illud contrahi ipsis insciis. Imo minime peccabit filius, si reputet parentes in eo libenter consensuros, vel ipsos injuste impedituros si consulantur, ut dicit *Barb. l. c. cum Con. Sanch. & Vasq. ac Boss. c.* 11. *n.* 81. *cum Bellarm. Nav. Sayr. Gutt. &c.* Idque satis probatur ex *eod. Trident. d. c.* 1. *sess.* 24. ubi conceditur Matrimonium contrahi omissis denunciationibus, *si fuerit probabilis suspicio Matrimonium malitiose impediri posse*. Communiter tamen præfati AA. tam secundæ quam tertiæ sententiæ, ut *Sanch. n.* 11. *Pal. n.* 9. *Holz. l. c. Croix n.* 570. *& Salm. n.* 29. & alii passim,

dicunt, non excusari a culpa mortali filios Matrimonium contrahentes, si parentes juste contradicant; vel si censeantur rationabiliter inviti, puta si tales nuptiæ redundarent in dedecus familiæ, vel si ex eis sint oritura gravia scandala aut dissensiones.

Quarta demum sententia, quam tenent *Laym. c.* 1. *n.* 14. *& Delbene*, *ac Aversa apud Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 579. distinguit, & dicit quod si parentes ab omni Matrimonio filium avertere conantur cum periculo incontinentiæ, filius non tenetur obedire, si vero impedire velint aliquod certum Matrimonium, tunc videndum: si parentes injuste impediant, tunc filius nec tenetur obedire; secus si parentes juste impediant; nempe si ex tali Matrimonio oriatur dedecus, aut scandalum familiæ, tunc enim filius graviter peccat, si non obedit, & Matrimonium contrahit.

Casu autem quo filius non posset sine peccato tale Matrimonium inire, dicunt DD. quod ad illud non obligatur, etiamsi cum juramento sponsalia contraxisset; quia, cum hæc promissio esset de re illicita, juramentum non potest esse vinculum iniquitatis; ita *Rebellius p.* 2. *l.* 2. *qu.* 14. *sect.* 2. *n.* 9. *Pignat. t.* 4. *Cons.* 11. *n.* 1. *Salm. tr.* 9. *c.* 2. *n.* 85. *Boss. c.* 11. *n.* 93. *cum Menoch.* item *Card. de Lauræa*, *Gabr. a S. Vincent.* & *Opatov. ap. Mazzoch. p.* 90. *in cit. Diss.* ex *c. Quanto*, *de Jurejur.* ubi: *Juramentum fuisse illicitum*, *& nullatenus observandum &c.* Et clarius ex Responso Alexandri II. *apud eund. Mazzoch. p.* 99. *n.* 186. ubi *Peccator iste notatur perjurio*, *quia quod observare legaliter non potuit sine judicio parentum*, *temere jurare præsumpsit*. Et ait *D. Th.* 2. 2. *q.* 98. *art.* 1. *ad* 1. id esse verum perjurium, nempe jurare illicitum: *Quocumque enim modo qui jurat illicitum*, *hoc ipso falsitatem incurrit*, *quia obligatus est ad hoc quod contrarium faciat*. Hocque verum esse dicunt *Tolet. l.* 4. *c.* 22. *n.* 2. *Sanch. l.* 1. *D.* 32. *n.* 1. *cum Abb. Cov.* & *Mol.* item *Suar.* & *Grass. ap. Mazzoch. p.* 99. *n.* 187. ex *D. Bonav.* & *D. Th.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. etiamsi res juramento promissa esset venialiter mala; & merito, quia iniquitas levis etiam est vera iniquitas, cujus juramentum non potest esse vinculum.

Idem dicendum putant communiter AA. scil. non teneri sponsum ad implenda hujusmodi sponsalia cum gravi parentum injuria, etiamsi virginem defloraverit, sed sufficere quod eam dotet, ita *Valent. t.* 5. *D.* 3. *Marchant. t.* 2. *tr.* 7. *tit.* 1. *q.* 2. §. 3. *dub.* 2. *R.* 2. *Sanch. l.* 1. *D.* 14. *n.* 3. qui id verissimum censet *cum Navar. Lop. Cordub. Gutt. &c.* Item *Reg. Trull. Tamb. Serius*, *Graff.* & *Gob. apud Mazzoch.* ex *p.* 150. (contra *Boss. c.* 21. *nu.* 90.) Ratio, quia virtus justitiæ nequit obligare ad actum qui sine peccato impleri non potest. Ex qua probabiliter videtur inferri, quod si talis sponsus non possit defloratam dotare, nec etiam tenetur eam ducere: quia non potest damnum illius reparare cum gravi injuria parentum. Præterquamquod posito quod ipse non tenetur vi promissionis, nec etiam videtur teneri ratione defloration is ad reparandum damnum illatum, cum nemo teneatur reparare damnum cum excedenti suo detrimento.

Et quoties filius peccaret in contrahendo Matrimonio indigno, ex quo dedecus familiæ, vel scandala & infelices exitus prudenter timeri possent, tunc dicunt *Laym. c. 1. n. 14. Bonac. q. 4. p. 17. n. 26. Dicast. D. 4. dub. 18. Delbene de Immun. p. 1. c. 8. dub. 19. sect. 9. n. 43.* ac *Boss. c. 11. n. 89. cum Pontio & Rebell.* quod parentes implorare possunt auctoritatem Prælati ad tales nuptias impediendas, & Prælatus tenetur impedire; ideo (ut *Bossius ibid.*) mortaliter peccaret Prælatus, si filio faveret, vel dispensaret in denunciationibus ad Matrimonium præmittendis.

Conveniunt autem Doctores, ut notat Auctor prædictæ dissertationis *p. 36. dub. 1. n. 41.* filios excusari saltem a mortali, si absque consensu parentum nuptias contrahunt ex justis causis, & præcipue I. Si pater injuste prohibeat filium a conjugio; ita *Bellarm. d. c. 19. Laym. c. 1. n. 14. Mol. t. 5. D. 51. n. 2. Elbel de* IV. *Præc. n. 538. cum Spor.* & communi. II. Si causa majoris dotis indignam mulierem ei dare velit; *Bellarm.* III. Si pater velit tradere filio uxorem ægram, aut duræ conditionis; *Guttier. c. 79. n. 19.* IV. Quando filius a parentibus injuste opprimeretur; *Guttier. ib.* V. Si pater procul distet, & filius non posset commode eum certiorem facere, credatque patrem libenter consensurum: *Gonet. c. 8. q. 1.* VI. Si pater ideo prohibet justum Matrimonium, quia vult filium ducere aliquam contra ejus voluntatem: ita Auctor præfatæ Diss. *l. c.* VII. Si pater impediat filium ab aliquo Matrimonio sine justa causa; tunc enim filius non tenetur obedire, & pater graviter peccat impediendo, ut communiter dicunt *Viva de Matr. q. 4. art. 2. n. 2. Boss. c. 1. n. 69. cum Guttier. Rebell. &c.* ac *Sanch. l. 4. D. 22. n. 6. cum P. Soto, Cordub. Lop. & Vega.* An autem pater injuste impediens nuptias filii incurrat excommunicationem? affirmat *Lopez ap. Sanch. l. c. n. 9.* ex Trid. *sess. 24. c. 9.* ubi dicitur: *Sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscunque alios cogant, quo minus libere Matrimonia contrahant.* Sed verius negant *Sanch. ib. cum Mol. Henr. Gutt. Man.* & communi; nam, ut patet ex contextu, Concilium tantum ibi loquitur de dominis & Magistratibus, qui cogunt alios ad nuptias. Præterquamquod probabilius dicit *Barb. in Trid. l. c. n. 9. cum Nav. Mol. Pont. Bon. Con. Menoch. Henr. &c.* præfatam excommunicationem infligi a Concilio, non contra impedientes a Matrimoniis, sed tantum contra cogentes ad illa.

An vero dissensus parentum sit per se justa causa solvendi sponsalia? vide dicenda *n. 877.* & an parentes possint exhæredare filios nubentes contra ipsorum voluntatem, vel nubentes cum indignis? vide dicta *Tom. I. lib. 3. num. 947.* & *948.*

850 Quær. II. an teneatur filius obedire patri præcipienti, ut Matrimonium contrahat, vel ut aliquam ducat mulierem, a qua filius abhorret? Communis est sententia negans, quam tenent *Sanch. l. 4. D. 23. n. 3. cum Scoto, Host. Sylv. Soto, Tamb. Ang. Led. &c.* item *Croix l. 6. p. 3. n. 370. cum Aversa*, & aliis passim, ex *D. Th. 2. 2. q. 104. art. 5.* ubi: *Non tenentur filii parentibus obedire de Matrimonio contrahendo.* Et *D. Bonav. in 4. D. 29. n. 10. Per præceptum non potest pater ad contrahendum cum hac vel illa obligare.* Communiter tamen dicunt *Petrocor. t. 4. p. 414. q. 5. Laym. c. 1. n. 14. cum Sylvest. Croix l. c. cum Tolet. Sanch. n. 4. cum S. Bonav. Bellarm. Nav. Soto, Henr. &c. & Bossius c. 11. n. 77. cum Lop. & Led.* teneri filium obedire, si Matrimonium illud valde referat ad tollenda gravia dissidia, vel ad sublevandam gravem necessitatem parentum, non jam vigore præcepti, sed ex virtute pietatis, quia filius tenetur subvenire parentibus in necessitate. Et huic consentit *D. Th. in 4. D. 29. q. 1. art. 4.* ubi docet: *Pater non potest cogere filium ad Matrimonium per præceptum, sed potest eum inducere ex rationabili causa: & tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris; ut si illa causa cogat de necessitate, vel de honestate, & præceptum similiter cogat: alias non.* Sed hoc intelligendum, ait *Sanch. n. 5. cum Palac. Led. &c.* ex suppositione quod filius velit statum conjugalem eligere; nisi (excipit *Sanch. cum Ledes.*) Matrimonium aliquod locuples esset necessarium ad subveniendum necessitati parentum; sed hoc etiam cum grano salis intelligendum.

Dicit autem *Bossius n. 70. cum Menoch.* & *Salon.* quod præcisis his causis, poterit pater moderata & levi coactione, scilic. paterna increpatione & suasionibus cogere filium ad aliquod Matrimonium. Sed melius ait *Spor. de IV. Præc. c. 5. n. 22. cum Bellarm. & aliis*, tantum permissum esse patri filium ad nuptias invitare ob aliquam justam causam, puta familiam propagandi, facultates ampliandi, aut nobilitatem augendi. Ait tamen idem *Bossius l. c.* nullo modo posse patrem cogere filium ad nuptias, si hic velit meliorem statum eligere, nempe Religionis, aut cælibatus; item addit *n. 71. cum Sanch. Gutt. &c.* quod si filius jam sponsalia contraxerit, a quibus non possit juste recedere, non poterit pater eum cogere ad aliam ducendam.

Quær. III. an notabilis disparitas conditionis, 851
aut status inter contrahentes irritet sponsalia contracta? Sedulo hæc quæstio discutienda est, cum hic casus frequenter occurrat. Certum est, quod, si contrahentes tempore sponsalium non fuerint disparitatis conscii, sponsalia sunt nulla, dummodo ignorantia fuerit antecedens; valida tamen, si fuerit concomitans; vide *Vivam de Matr. q. 1. art. 5. n. 7.* Dubium est, si jam conscii fuerint. Communiter Doctores infra citandi dicunt teneri ad Matrimonium; nisi (excipiunt) ex illo eveniat dedecus, aut scandalum propinquorum, in hoc indistincte loquentes. Sed hic necessario distingui debet dedecus a scandalo. Nam si Matrimonium non posset contrahi, nisi cum dedecore familiæ, non dubitandum quin sponsi teneantur Matrimonium contrahere. Ratio, quia promissio tunc est nulla, cum sit de re graviter illicita, utpote quæ impleri non potest nisi cum magno familiæ detrimento. Ita communiter *Laym. de Matr. l. c. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 14. cum Nav. & Gutt.* item *Spor. de Matr. c. 1. n. 203. Ronc. de 4. Præc. c. 1. q. 3. cum Menoch.* & *Gobat. ac Sanch. l. 1. D. 14. n. 3. cum Panorm. Præpos. Cord. Felin. Lap. &c.* Et licet *Laym.* & *Sanch. n. 2.* dicant, quod sponsa-

salia contracta cum persona disparis conditionis per se valeant, addunt tamen, quod si Matrimonium non possit iniri sine familiæ dedecore, vel magno scandalo inter consanguineos, talis promissio non obligat, utpote versans circa rem illicitam, ad quam nemo potest se obligare. Notandum autem hic, quod non sufficit qualiscunque disparitas ad liberandum sponsum a Matrimonio promisso, sed requiritur notabilis, puta si vir nobilis desponsaverit filiam artificis mechanici, ut ait *Navar. cap.* 26. *num.* 18. vel agricolæ, ut *Busemb. num.* 848. *v.* 4. Vide dicta *Tom. I. lib.* 3. *n.* 643.

Sed quid dicendum, si Matrimonium contrahi posset sine familiæ dedecore, nempe si disparitas non sit in nobilitate, sed tantum in divitiis? Eo casu, duo (ut in principio diximus) Doctores asserunt; primo, quod per se tenetur promittens ad Matrimonium; secundo, quod non tenetur, imo non potest promittens Matrimonium contrahere, si adsit probabilis timor magni damni, vel odii capitalis inter consanguineos. Ita communiter *Sanch. de Matr. l.* 1. *D.* 14. *n.* 1. *cum Mol. & Cord. Bonac. de Matr. q.* 1. *p.* 2. *n.* 2. *Less. l.* 2. *c.* 18. *n.* 9. *Laym. de spons. p.* 1. *n.* 24. *Spor. de Matr. c.* 3. *n.* 189. *Salm. de Matr. c.* 1. *n.* 82. *cum Azor. Viva dicta n.* 7. *& aliis*. Ratio primæ partis, nempe quod sponsus teneatur ad Matrimonium, est quia promittens, licet peccaverit ejusmodi prodigam promissionem faciens, tamen tenetur ad illam, quia promisit quod suum est, & cum jam cognitam habuerit suam meliorem conditionem, censetur excessum illum donasse; prodiga enim promissio (ut dicunt) quamvis illicite fiat, facta tamen, & ab altero acceptata, valet, & obligationem parit. Hoc est totum fundamentum istius sententiæ.

Cum autem ratio hæc pendeat a quæstione, nimirum an promissio prodiga acceptata obliget, hæc prius hic disserenda est. Adsunt in ea tres sententiæ. Prima sententia tenet obligare ad totum; hanc tenent *Lug. de Just. D.* 18. *n.* 61. *Sanch. l. c. n.* 5. *Croix l.* 3. *p.* 2. *n.* 795. *Spor. de Matr. c.* 3. *n.* 198. *Fill. t.* 2. *D.* 271. item *Mol. Caj. & Val. ap. Sanch. in Dec. l.* 3. *c.* 9. *n.* 27. qui etiam huic sententiæ inclinat. Ratio, quia licet promissio fuerit facta cum peccato, tamen, cum is cui facta est promissio jam acquisierit jus ad rem promissam, illius executio, ad satisfaciendum juri alterius, evadit licita & debita. *Secunda* sententia, quam probabilem putat *Tamb. Dec. l.* 3. *c.* 3. §. 5. *n.* 20. cum *Tancredi*, dicit hujusmodi promissionem ad nihil obligare, nec etiam ad partem quæ licite dari potuit; quia cum promissio sit indivisibiliter facta; tota materia evadit inhonesta. *Tertia* sententia, cui subscribimus, verior & communis, ut fatetur ipse *Lugo*, docet promissionem prodigam obligare ad partem quæ non est prodiga, non vero ad excessum. Ita *Salm. de Rest. c.* 1. *n.* 167. *cum Soto, Bann. Prado, Serra*, item *Suar. Led. Palac. Salon. Manuel, & Arag. ap. Sanch. l. c. in Dec. d. n.* 27. qui æque probabilem putat, & *Croix lib.* 3. *pag.* 1. *n.* 519. etiam probabilem censet. Ratio cur obliget ad partem, quia utile per inutile non vitiatur; & sic respondetur secundæ sententiæ *Tamb.* Ratio autem cur non obliget promissio ad excessum, est, quia malitia prodigalitatis principaliter consistit in præstatione, minus vero principaliter in promissione; ideo enim non licet prodige promittere, quia illicitum est prodige dare. Posito igitur quod actus prodigæ præstationis sit per se principaliter malus, minime unquam poterit ipse impleri sine peccato; neque executio poterit cohonestari ab obligatione promissionis factæ, quia nemo se potest obligare ad rem illicitam exequendam, ut habetur ex reg. juris 69. in 6. ubi: *In malis promissis fidem non expedit servari*. Et consequenter pars acceptans, ex promissione ipsi facta nullum potest jus acquirere ad id quod altera pars nequit sine peccato præstare. Et sic respondetur ad rationem primæ sententiæ. Hinc infertur I. *Sot. de Just. l.* 3. *q.* 7. *a.* 1. *ad* 2. & *Led. Bann. Sa, Machad. Palac. ac. Manuel. ap. Sanch. l. c. de Matr. D.* 14. *n.* 1. quod si quis prodige aliquid promiserit meretrici pro usu corporis, non tenetur solvere excessum; quia, cum sit promissa res illicita ratione prodigalitatis, promissio nulla est. Recte infertur II. *Salm. l. c.* cum aliis a se citatis, quod si res promissa sit impartibilis, ad nihil tenetur promittens, quia tunc vere tota materia evadit illicita.

Juxta igitur hanc tertiam sententiam, ut ad casum nostrum veniamus, sponsus prodige promittens Matrimonium, cum res sit indivisibilis, & promissio tota per se illicita evadat, non tenebitur utique ad illam. Nec obstat, quod culpa prodigalitatis non excedat veniale peccatum; quia promissio rei qualitercumque malæ, adhuc venialiter, puta mentiendi &c., nec etiam potest ullam parere obligationem, ut notant *Salm. ib.* & certum est. Pro conclusione igitur hujus puncti, mihi & aliis doctis Junioribus (salvo sapientiorum judicio) videtur dicendum I. sponsum, qui antecellit in divitiis, in casu proposito non teneri ad Matrimonium; necnon venialiter peccare ratione prodigalitatis, si illud contrahat. Dicendum II. hoc procedere, stando in terminis veræ prodigalitatis: verumtamen, cum culpa prodigalitatis non sit plus quam venialis, quævis mediocris justa causa vitium prodigalitatis auferre potest. Hinc satis excusabitur sponsus, feminam disparem ducens, si noverit in ea aliquam specialem prærogativam, nimirum providentiæ, devotionis, magnæ honestatis, vel etiam alicujus dotis naturalis, propter quam putat sponsus cum illa quietam ducere vitam. Hinc infertur vix casum accidere posse, quod sponsus eam ducere non teneatur, quia rarissime deerit aliqua ex his causis, quæ culpam prodigalitatis excusabit. Dicendum III. quod casu quo sponsus vi promissionis copulam extorserit a virgine, vel a femina honesta, tunc omnino tenetur eam ducere: quia proditio virginitatis, aut bonæ famæ est res pretio inæstimabilis, quæ prævalet, aut saltem æquivalet excessui disparitatis sponsi; & ideo in eo casu promissio facta bene est valida; cum jam adfuerit æqualitas in contractu sine vitio prodigalitatis. Et hoc procederet (juxta id quod ait *Lugo de Just. D.* 12. *n.* 34.) non solum cum femina famam amiserit, sed etiam cum se exposuerit periculo famæ amittendæ. Hoc tamen currit, si disparitas sit tantum in divitiis; nam si sit in nobilitate, tunc etiamsi intercesserit defloratio

ratio, non tenetur vir ad Matrimonium cum dedecore familiæ, imo probabiliter nec etiam ad damnum illatum, ut diximus *l.* 3. *n.* 64.

Ad id autem quod DD. dicunt, ut supra diximus, scilicet quod talis sponsus non potest illud dispar Matrimonium inire (intellige *dispar* tantum ratione divitiarum, non autem nobilitatis cum dedecore familiæ, ut jam distinximus), si probabiliter timeantur damna, aut odia propinquorum; rationem afferentes, quia eo casu graviter peccaret sponsus contra charitatem, & ideo, cum Matrimonium illud contrahere tunc esset res illicita, non potest promissio facta ad illam obligare. Et ob eandem rationem dicit *Sanch. l. c. n.* 3. *cum Nav. Cord. Lop.* & *Gutt.* hoc dicendum, etiamsi sponsa defloratione passa fuerit. Et etiamsi (ut addit *Sanch. ib.* cum *Lop.*) nulla sit inter contrahentes disparitas. Fateor quidem hanc esse communem sententiam, & per se loquendo veram, quando filius commode hujusmodi scandala vitare posset; sed si non posset sine gravi suo incommodo, rationi adductæ videtur obstare, quod charitas non obligat cum gravi incommodo; hinc puella ad vitanda scandala virorum non tenetur perpetuo domi manere, ne diu sua libertate privetur; quia grave incommodum hoc ipsi esset, ut dictum est *l.* 2. *nu.* 53. cum *Cajet. Sanch. Pal. Less. Nov. Azor. Salm. Spor.* & aliis. Si ergo mulier, ne sua libertate diu privetur, non tenetur longo tempore abstinere ab egrediendo, etiamsi alii scandalum sint passuri; quomodo filius tenebitur sub mortali, nec parentes scandalum patiantur (sine tamen eorum dedecore ut supponimus), a Matrimonio desiderato abstinere? Fortene sponsus non videtur grave incommodum subiturus, si omittere cogatur Matrimonium cum puella, cum qua credit quietam ducturum vitam, ob vehementem amoris passionem, qua se sentit affectum erga illam? grave quidem incommodum existimant hoc omnes DD. illi, quos in præcedenti quæstione retulimus, qui ideo excusant a culpa gravi filios Matrimonium ineuntes invitis parentibus; quia, ut dicunt *Sanch. d. l.* 4. *D.* 23. *num.* 10. *Escob. de Matr. Dub.* 175. *n.* 723. & *Salm. c.* 6. *n.* 23. per Matrimonium quisque perpetuæ obligatur servituti, maxima secum afferenti onera, quæ nisi ex omnino spontanea voluntate suscipiantur, difficillime perferri poterunt. Si igitur ob hoc motivum excusantur filii ab obsequio parentibus debito, cur non ob eamdem rationem excusabuntur a præcepto charitatis, quod cum gravi incommodo non obligat? Quapropter melius dicendum mihi & aliis doctis junioribus videbatur cum *Pal. D.* 2. *p.* 12. *n.* 9. tunc filios teneri sub mortali obedire parentibus, ab hujusmodi Matrimonio abstinendo, quando possunt sine gravi suo incommodo. Tanto magis quod (ut dicunt ipse *Sanch. l.* 1. *D.* 14. *n.* 3. & *Holz. n.* 266.) hujusmodi scandala, quamvis antea jactentur, inito tamen Matrimonio facile evanescunt, & animi conciliantur. Ceterum, cum hoc sit contra communem, propterea sapientibus discutiendum relinquo.

852 „ 7. Resiliens culpabiliter a sponsalibus perdit „ suas arrhas, & tenetur ad alterius partis red- „ dendas, ac ad restitutionem, quanti ejus inte- „ rerat talem contractum impleri.

Hinc autem notandum I. quod si a muliere promittitur aliquid viro, ut eam ducat, valet quidem promissio, prout habetur ex *cap. De illis, de Condit. appos.* quia tunc promissio præsumitur facta causa dotis. Secus si vir promittat aliquid mulieri, si secum nupserit, quia tunc promissio præsumitur facta ob causam turpem, nempe libidinis explendæ; ita communiter *Sanch. l.* 1. *D.* 33. *n.* 3. *et Salm. c.* 2. *n.* 108. cum aliis passim, ex *l. si ita stipulatus*, §. *Si tibi, ff. de Verbor. signif.* ubi id expresse habetur. Excipiunt tamen, si vir sit ignobilis aut senex, & mulier sit nobilis aut juvenis: quia tunc promissio juste fit in compensationem nobilitatis aut juventutis ex *l. Mulieres C. de Dignit.*

Notandum II. quod promissio pœnæ appositæ in 853
sponsalibus in resilientem est illicita & invalida, ex *c. Gemma, de Sponsal.* quia per hujusmodi pœnam Matrimonii libertas læderetur; ita in textu præfato: *Cum itaque libera Matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda.* Hinc communissime dicunt Doctores peccare, qui sponsalia cum hac pœna contrahunt. Alii vero dicunt id esse mortale, ut *Bonac. qu.* 1. *p. ult. n.* 3. *et Salm. c.* 1. *n.* 94. Alii autem censent esse veniale, ut *Sanch. l.* 1. *D.* 30. *n.* 2. *Boss. c.* 11. *n.* 415. *cum Cajet. Arm. Gutt. et Rebell.* Hoc autem procedit, si pœna apponatur a sponsis, vel ab eorum consanguineis, aut amicis, ut communiter tenent *Pal. p.* 9. *n.* 1. *Sanch. n.* 11. *et Salm. n.* 94. *cum Aversa, Lop.* & *Cornejo.* Non vero si apponatur ab extraneo, ut iidem AA. ex *l. Cum ita, C. de Spons.* Ratio, quia in primo casu etiam minuetur libertas Matrimonii, eo quod sponsi illud possunt inire, ne propinqui, vel amici talem pœnam solvant; secus tamen accidit, cum pœna motu proprio ab extraneis apponitur. Præterea advertendum id procedere, si pœna generaliter apponatur etiam in eum qui juste resiliat, tunc enim certum est apud omnes promissionem pœnæ non obligare, sed

Quærit. I. an promissio talis pœnæ sit valida & licita, si adjiciatur in injuste resilientem? *Prima* sententia satis probabilis negat, & hanc tenent *Sanch. l.* 1. *D.* 30. *n.* 2. *Bonac. p. ult. n.* 1. *Boss. c.* 11. *ex n.* 420. *Conc. p.* 267. *n.* 30. *et Aversa, Becan. et Dic. ap. Salm. n.* 96. Et probant ex *l. Titia* 134. *ff. de Verb. oblig.* ubi dicitur: *Inhonestum enim videtur Matrimonia, sive contrahenda, sive contracta, metu pœnæ obstringi.* Item ex *l. fin. de Spons.* ubi: *Si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interpretata ex utraque parte, nullas vires habebit, cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat.* Probant etiam ratione, quia adhuc libertas læderetur; posset enim accidere, quod pars quæ juste posset resilire, nequiret suam causam in judicio probare, & sic invita nuptias iniret. *Secunda* vero probabilior sententia affirmat, & hanc tenent *Pontius l.* 12. *c.* 19. *n.* 8. *Laym. c.* 1. *n.* 8. *Roncag. p.* 135. *qu.* 3. *R.* 2. *Holz. n.* 203. *cum Anacl. et Haunold. Palaus D.* 1. *p.* 9. *n.* 3. *cum Suar. Vasq. et Con. ac Salm. cum Leand. et Diana.* Ratio, quia talis adjectio pœnæ non est neque contra jus naturale, neque positivum. Non contra naturale, quia per se rationabile est pœnam imponi culpabi-

bi-

biliter resilienti; nec est contra libertatem ad Matrimonium requisitam, impedire sponsos ab injuste resiliendo; licet enim jura in Matrimonio approbent libertatem rationabilem, reprobant tamen irrationabilem; & ideo non officit libertati Matrimonii, quod Judex cogat sponsos ad contrahendum per censuras, carcerem, aut pœnam pecuniariam, cum talis metus juste incutiatur. Quod autem aliquando posset aliquis juste resilire, & non posset probare, hoc per accidens se habet, & fundamentum nostræ sententiæ non elidit. Neque obstant leges supra allatæ, nam in tantum hæ leges promissionem pœnæ in sponsalibus irritabant, in quantum olim ex Jure Civili ad sponsalia solvenda sufficiebat voluntas unius partis, sive cum causa, sive sine causa resiliebat, ut patet ex *l.* 1. *C. de spons.* & Glossa ibi; sed de jure Canonico *c. Præterea* 1. *de Spons.* omnino requiritur consensus utriusque. Ceterum, in *l. fin. ibid.* approbatur tamquam valida & licita pœna solvendi duplum, triplum, vel quadruplum pro arrhabus, quas injuste resiliens acceperit. Imo Leo Imperator in *Novell.* 18. (ut videre potes *apud Pontium*) expresse approbat adjectionem pœnæ in sponsalibus contra inconstantes, sive injuste resilientes, addens id esse jam consuetudine firmatum.

Quærit. II. an juste resiliens a sponsalibus teneatur solvere pœnam promissam, si promissionem juramento firmaverit? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Lessius l.* 2. *c.* 17. *n.* 56. *v. Ubi*, *Mol. tr.* 2. *D.* 151. *Suar. de Relig. tom.* 2. *l.* 2. *c.* 23. *et Con. D.* 22. *dub.* 5. *n.* 25. Ratio, quia licet sit vetita promissio pœnæ, non tamen est vetita ejus solutio, quæ aut vi obligationis naturalis, aut saltem juramenti debetur, juxta dicta *Tom. I. l.* 3. *n.* 177. ubi dictum est ex *cap. Debitores de Jurejur.* juramentum obligare, esto promissio facta irritetur a jure in odium iniqui creditoris, prout est promissio solvendi usuras. *Secunda* vero sententia probabilior negat, & hanc tenent *Sanch. l.* 1. *D.* 31. *n.* 21. *Pontius l.* 12. *c.* 19. *n.* 7. *Bossius c.* 11. *n.* 443. *cum Barb.*, *Bonac. Filliuc. et Vill. Pal. p.* 9. *n.* 6. *cum Gomez*, *Covar. et Gutt. Escob. n.* 195. *cum Bartol. Ang. et Præpos. ac Salm. cum Aversa*, *Trull. Cornejo*, *et Dic.* Ratio, tum quia, cum adjectio pœnæ contra juste resilientem sit iniqua, & ideo illicita, non obligat juramentum, quod non potest esse vinculum iniquitatis; tum quia jus prohibens promissionem pœnæ, non tam promissionem interdicit, quam solutionem; non tam enim promissio quam solutio Matrimonii libertatem lædit. In contractu vero usurario irrita est promissio, non autem solutio usurarum, & ideo promittens tenetur ad juramentum.

Quær. III. an si pœna in sponsalibus adjecta solvatur, teneatur recipiens illam restituere. *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Sanch. l.* 1. *D.* 31. *n.* 2. *Less. c.* 17. *n.* 56. *et Escob. n.* 292. *cum Mol. Henr. Vega*, *Lop. etc.* Ratio, quia jura solam promissionem irritant, non vero solutionem. Et confirmant ex simili, nempe quod recipiens pecuniam victam in ludo vetito non tenetur restituere, licet victus non tenebatur eam solvere. *Secunda* tamen sententia probabilior affirmat, & hanc tenent *Salm. c.* 1. *n.* 106. *cum Dicast. Boss. c.* 11. *ex n.* 449. *cum Hurt. Gutt. et Mascard. ac Pal. p.* 9. *n.* 9. *cum Soto*, *Med. Lop. etc.* Ratio, quia recipiens non habet titulum retinendi, cum jus omnino talem promissionem irritet, ut patet ex *l. fin. C. de spons.* ubi dicitur, quod talis adjectio pœnæ, *ex utraque parte nullas vires habebit*. Unde deficiente titulo, nequit ille dominium soluti acquirere. Non obstat paritas ludi; nam ibi ideo victor pecuniam recipiens non tenetur restituere, quia contractus per se est validus, & jura tantum præbent actionem victo repetendi solutum, ut diximus *l.* 3. *n.* 887. ac ideo potest victor retinere illud, usquedum in judicio repetatur. Bene tamen *Pulaus* cum *Guttier.* hanc secundam sententiam limitat, nisi qui solverit pœnam, jam noverit se non esse obligatum; quia tunc recte censetur donasse. In dubio autem hæc donatio non præsumitur, ut recte ait *Boss. ex Gutt. n.* 454. juxta *l. Campanus*, *ff. Oper. liberat.*

Quærit. IV. an debeatur legatum relictum puellæ sub conditione nubendi cum aliquo viro, si illa cum alio nubat? Per se loquendo, certum est non deberi, ex *l. Titio* §. 1. *ff. de Condit. et Demonst.* quia, cum libere possit puella tales nuptias acceptare, vel respuere, hic non læditur libertas ad Matrimonium requisita. Excipiendum tamen, nisi alioquin a patre gravetur legitima filiæ debita; vel nisi ipsa inducatur ad nubendum cum indigno; quia tunc conditio illa rejicitur tanquam turpis, & debetur ei legatum, si ipsa nubat cum alio, ex *l. Cum ita*, §. *Videamus*, *ff. eod. tit.* ita communiter *Salm. c.* 1. *n.* 107. & *Boss. c.* 11. *n.* 468. *cum Rota Rom. Mol. Gutt. Villal. Laym. Pontio*, *Vasq. etc.* Item ait *Boss. n.* 469. *cum Cov. Sanch. Gutt. Mol. Vill. etc.* (contra *Pontium*, & alios *ibid.*) si puella, ut obediat patri, alium ducat; quia, adhuc admissa sententia, quam tenet & objicit *Pontius*, quod filia non peccet si nubat personæ dignæ sine consensu patris, tamen (ut vidimus *n.* 849.) commune est inter DD. esse contra honestatem non exspectare in nuptiis patris consensum; & ideo cum puella non possit honeste nubere, patre non consentiente, non debet legato privari. Sed huic responderi potest, quod, ex hac eadem justa causa, nempe ne illa legatum amittat, satis ab hujusmodi dehonestate excusaretur, si cum persona designata digna ipsa nuberet.

Quærit. V. an legatum relictum mulieri, ut non nubat, debeatur ei si nubat? Vide dicta *Tom. I. l.* 3. *n.* 930. *v. Dub.* 7. ubi diximus deberi, si mulier esset virgo; secus si vidua.

„ Resp. 2. ubi Tridentinum non est receptum
„ sponsalia jure antiquo transeunt in Matrimonium
„ per quævis signa externa, maritali affectu exhi-
„ bita, v. gr. per copulam. Dico, *ubi Trid.* &c.
„ quia ubi hoc receptum est, hæc signa non te-
„ nent, si sint clandestina; ideoque graviter in iis
„ peccari potest.

Unde sequitur.

„ Sponsis non licent tactus impudici, cum pro- 854
„ xime disponant ad copulam, & pollutionem;
„ etsi liceant amplexus, & oscula in signum amo-
„ ris. *Sanch. l.* 9. *d.* 47. Vide *Dian. p.* 1. *tr.* 17.
„ *R.* 6. *et t.* 2. *misc. R.* 31. *et p.* 4. *R.* 131.

Quær.

Quær., an inter sponsos sint peccata mortalia oscula, & tactus pudici, si fiant ad captandam voluptatem? (dicitur *pudici*, nam certum est impudicos esse lethalia) Duplex adest sententia. *Prima* sententia, quam tenent *Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 46. *n.* 37. *ac Salm. c.* 15. *n.* 91. cum *Aversa*, *Diana*, *et Azor.* dicit esse tantum venialia, licet intendatur delectatio carnalis, & adsit commotio spirituum genitalium, dummodo non sit magna, & absit periculum pollutionis, vel consensus in copulam. Ratio, quia sicut Matrimonium cohonestat copulam, sic sponsalia, quæ sunt quædam inchoatio Matrimonii, cohonestant tales actus, qui sunt copulæ inchoatio. Eo magis, quia per illos plus fovetur amor ad Matrimonium contrahendum. Adduntque *Salm. ibid.* prædictos actus excusari etiam a veniali, si adsit causa justa, v. g. ostendendi amorem, captandi benevolentiam, effugiendi inurbanitatem, vel servandi morem patriæ. *Secunda* sententia longe probabilior, & omnino sequenda, quam tenent *Less. t.* 14. *n.* 59. *Mazzot. t.* 4. *p.* 169. *Ronc. p.* 296. *qu.* 6. *R.* 1. *Conc. t.* 10. *p.* 359. *n.* 9. *Bon. de Matr. qu.* 4. *p.* 9. *Prop.* 1. *n.* 6. cum *Henr. et Rebell. Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 151. cum *Mendo* & aliis, *ac Viva de Matr. qu.* 1. *art.* 7. *n.* 6. *et* 7. cum *Suar. Perez*, *et Hurt.* docet, tales actus prohibitos esse sponsis eodem modo, quo vetantur omnino solutis. Ratio, quia sponsus ratione sponsalium nullum acquirit jus ad corpus sponsæ; & si forte aliquale jus acquirit per sponsalia, quia tamen non adhuc est perfecte dominus rei, non potest re illa uti ne imperfecte quidem: sicuti ille cui promissa est venditio vineæ, nequit illa uti ne imperfecte quidem, donec vinea de facto ei vendatur, & tradatur. Præterea, cum sponsis non liceat copula, nec licent tales actus, qui tantum ad copulam sunt ordinati. Concedunt tamen *Croix*, *et Viva locis cit.* cum aliis AA. ab ipsis adductis, quod oscula, & amplexus juxta morem patriæ aliquando sponsis permitti possunt: sed non aliter quam solutis permittuntur. Et hoc est probabile, modo tales actus non sint pressi per aliquod tempus protracti, ut bene advertit *Roncag. l. c.* qui etiam eos admittit ad benevolentiæ demonstrationem, sed ego non admitterem, nisi ubi talis vigeret usus, ut etiam ait *Mazzot. l. c.* Id autem quod dicunt *Busemb. l.* 3. *n.* 431. *et Less. lib.* 4. *n.* 58. *et* 59. cum *Nav. Tol. Cajet. etc.* nempe quod sponsis liceant tactus pudici, si intendant delectationem tantum sensitivam, secus vero si veneream, recte ajunt *Ronc. ib. et Croix d. n.* 151. *in fin.* non esse practice probabile, quia ordinarie semper aderit certum periculum consentiendi in delectationem veneream, cum sensitiva tam conjunctam. Qua ratione spectata, prima etiam sententia nec practice probabilis est; quia in materia tam labili moraliter est impossibile in talibus actibus, causa voluptatis habitis, se continere a non labendo in pollutionem, vel copulæ consensum. An autem sponsis liceat delectari de copula futura? Vide dicta *Tom. II. l.* 5. *n.* 24. ubi sententiam negativam (contra *Bonac. Salm. etc.*) omnino tenendam diximus cum *Holzm. Pal. Laym. Sanch. Ronc. etc.* quibus adde *Lessium lib.* 4. *n.* 120. *et Mazzot. tom.* 4. *pag.* 170.

DUBIUM III.

Quomodo dissolvantur sponsalia?

855 *Solvuntur sponsalia I. Per* Matrimonium *cum alia.* (Vide etiam de hoc n. 875.) *II. Per* mutuum consensum *inter puberes. Quid si sponsalia fuerint jurata?* 856. *Quomodo autem solvantur inter impuberes? Quid si ipsi juramento promiserint nuptias?*

857 *III. Per* impedimentum dirimens *superveniens Dub.* 1. *An tunc sponsalia dirimantur etiam ex parte nocentis?* 588. *Dub.* 2. *An nocens teneatur petere dispensationem?* 859. *Dub.* 3. *An, contractis sponsalibus cum impedimento sub conditione dispensationis, ea obtenta, per se valeant?*

860 *IV. Per* crimen alterius. 861. *An solvantur sponsalia per fornicationem alterutrius sponsi? Dub.* 1. *Quid si sponsa fuerit per vim oppressa?* 862. *Dub.* 2. *Quid si uterque sponsus fornicetur?*

863 *V. Per* mutationem notabilem, *nempe* 1. *Si timeantur odia, etc.* 2. *Si superveniat defectus noxius.* 3. *Si superveniat paupertas.* 864. *An liceat contrahere cum defectu occulto pernicioso?* 865. *An cum defectu non pernicioso? Et quid si sponsa interrogetur, an sit virgo?*

866 *VI. Per* discessum alterius *in longinquum. Quid si in propinquum, animo redeundi?*

867 *VII. Per* lapsum temporis præfixi. *Dub.* 1. *Quid si dubium sit, an terminus fuerit assignatus ad finiendam obligationem?* 868. *Dub.* 2. *Quid si alter fuerit juste impeditus. Dub.* 3. *An, elapso termino, etiam pars nocens liberetur.*

869 *VIII. Per* Susceptionem Ordinis Sacri, & ingressum in Religionem. *IX. Per* votum Castitatis.

870 *Distinctius de his agitur, et I.* de Professione Religiosa. *Dub.* 1. *An per ingressum in Religionem solvantur sponsalia ante Professionem? Dub.* 2. *An, si sponsalia fuerint jurata, teneatur Sponsus ante ingressum nuptias inire?* 871. de Susceptione Ordinum. *Dub.* 1. *An peccet Sponsus suscipiens Ordines Sacros invita Sponsa?* 872. *Dub.* 2. *An per susceptionem Ordinum Minorum solvantur sponsalia?* 873. *III.* de Voto *ingrediendi Religionem, suscipiendi Ordines Sacros, aut servandæ Castitatis. Dub.* 1. *An per votum Castitatis, aut suscipiendi Ordines Sacros, solvantur sponsalia etiam ex parte voventis?* 874. *Dub.* 2. *Quid si Sponsus post votum copula extorsit?*

875 *X. Rursus agitur de solutione sponsalium per* Matrimonium validum *cum alia, et quæritur an per illud solvantur sponsalia etiam mortuo conjuge?*

876 *XI. An per* Hereditatem novam *superveniente m? Et quid si offeratur conjugium notabiliter melius?* 877. *An dissensus Parentum sit causa solvendi sponsalia?*

Dub.

878 *Dub.* 1. *An ad solvenda sponsalia semper requiratur auctoritas Judicis? Dub.* 2. *Quæ probatio sufficiat in foro externo, & quæ in interno?*

„ Resp. I. Dissolvuntur sequentibus casibus, „ 1. Per *Matrimonium validum*, cum alia initum: *Bonac. part.* 6. (*An autem, mortuo* „ *conjuge obligent? vide infra n.* 875.)* II. Per „ *Mutuum consensum*, sicut quivis contractus. „ *Laym. c.* 2. *n.* 8.

855 Inter puberes per mutuum consensum solvuntur sponsalia, etiam juramento firmata, non solum valide, sed etiam licite, si adsit rationabilis causa: nam alias esset saltem veniale: ita communiter *Viva de Matr. qu.* 2. *art.* 1. *n.* 1. *Holzm. p.* 496. *n.* 28. *Pal. p.* 17. *n.* 4. *cum Con.* & *Guttier. Sanch. l.* 1. *D.* 42. *n.* 8. *cum Nav. Henr.* & *Lop. Pontius l.* 12. *c.* 9. *n.* 2. *cum Mol.* & *Reb. ac Escob. num.* 264. *cum Vivald. Philiarch.* contra *Sotum, Sylvest. Ang.* &c. *ibid. n.* 262. Idque probabiliter dicunt *Ronc. p.* 157. *qu.* 1. *R.* 1. & *Pal. Viva, ac Holz. ll. cc.* & *Salm. c.* 2. *n.* 5. & 15. *cum Sanch.* procedere, etiamsi sponsalia sint jurata principaliter propter Deum, quia juramentum in favorem tertii, quamvis principaliter fiat in honorem Dei, semper conditionem includit, si alter acceptet, vel si non remittat, juxta dicta *de jurament. Tom. I. l.* 3. *n.* 193. ex *D. Th.* 2. 2. *qu.* 89. *art.* 9. *ad* 2. ubi dicit, quod juramentum factum in utilitatem proximi bene potest ab eo remitti. Casu autem quo una sola pars consentiat in solutionem sponsalium, sponsalia non solvuntur absolute, sed tantum datur jus resiliendi alteri parti juxta communem: vide *Sal. l. c. n.* 3.

886 Inter impuberes vero non solvuntur sponsalia, nisi ipsi fiant puberes ex *c. De illis de Despons. impub.* ubi dicitur: *Cum ad annos pubertatis pervenerit, reclamaverit, judicio Ecclesiæ poterunt ad invicem separari.* Perveniendo autem ad pubertatem, quæque pars potest resilire, reclamando statim, scilicet post triduum coram judice, vel testibus, alias præsumitur consensisse. Tempus tamen hoc trium dierum incipit currere a tempore, non jam pubertatis adeptæ, sed adeptæ cognitionis privilegii resiliendi; tempus enim utile, datum a Lege ad utendum privilegio, non currit, nisi postquam privilegium agnoscitur. Quod si impubes sciens, & advertens suum privilegium, volensque resilire, statim non resilit, jam sponsalibus censetur consentire. Quod impubes factus pubes debet statim reclamare, infertur ex cit. *cap. de illis:* ex verbis, *cum ad annos pubertatis pervenerit, reclamaverit, etc.* Ubi enim non apponitur tempus, intelligitur statim, ut communiter hic intelligunt DD. utque diximus *n.* 845. ubi probatum est, statim deberi id quod debetur. Quod autem illud statim intelligatur intra triduum, probatur ex *l. fin. C. de Errore advoc.* ibi: *Incontinenti, idest triduo.* Ita communiter *Sanch. l.* 1. *D.* 51. *n.* 14. *Pont. l.* 10. *c.* 1. *n.* 4. *Salm. c.* 2. *n.* 9. *Viva l. c. Pal. p.* 17. *n.* 5. *cum Guttier. et Filin.* ac *Holzm. num.* 213. *cum Pichler.* Dicunt autem *Sanch. n.* 16. *Pontius n.* 5. quod si alter Sponsorum ante pubertatem dissenserit, & in tali dissensu perseveravit, solvuntur sponsalia, cum ille ad pubertatem pervenit. Si tamen interne tantum dissenserit, censent *Sanch. l. c.* & *Bonac. qu.* 1. *p.* 6. *n.* 3. *cum Con. etc.* posse etiam resilire in conscientia; Sed probablius id negant *Conc. pag.* 268. *n.* 3. & *Pontius*, ac *Pal. ll. cc. cum Gutt. etc.* tum quia hoc beneficium resiliendi non conceditur a jure nisi reclamantibus, quod certe intelligitur externe; tum quia, sicut ad ineundum contractum non sufficit solus consensus internus, ita ad contractum solvendum nec sufficit solus internus dissensus.

Quær. autem, an casu quo impuberes juramento sponsalia firmaverint, possint invita parte resilire in pubertate? Negant *Bonac. n.* 4. *Ronc. pag.* 136. *qu.* 1. *R.* 2. & *Salm. c.* 2. *n.* 5. *cum Aversa, Becano, Dic.* & *Sanch.* (ut citant) *l.* 1. *D.* 51. *n.* 22. Id probant 1. ex *c. Litteris de Sponsal.* ubi dicunt id expressum haberi. Probant 2. ratione, quia sponsalia impuberum, secluso juramento, valida sunt quamvis dissolubilia; ergo juramento firmantur. Sed affirmant *Pontius l.* 12. *c.* 9. *n.* 8. *Conc. p.* 368. *n.* 3. *Viva q.* 2. *art.* 1. *n.* 3. *cum Perez*, ac *Pal. p.* 17. *n.* 9. *cum Palud. Henr. etc.* Et merito *Salm. l. c.* id probabile putant, quia juramentum sortitur legem contractus, seu sponsalium, quæ (ut vidimus) inter impuberes sunt revocabilia. Nec obstat textus in *cit. c. Ex litteris*, nam, ut advertunt *Pont. Pal. et Viva*, ibi sermo erat tantum de *Impubescentibus* (ut exprimit textus), idest de pubertati proximis, qui, malitia ætatem supplente, jure merito ut puberes habentur; & huic sententiæ etiam *Sanch. l. c. n.* 24. *cum Cov. Lop. etc.*

„ III. Si superveniat *Impedimentum dirimens* „ Matrimonium; *Bonac. p.* 8. *n.* 5.

Dubit. 1. An per impedimentum superveniens 857 sponsalia dissolvantur? Hic distinguendum; Si impedimentum sit impediens, communissime & probabilius *Sanch. l.* 1. *D.* 56. *n.* 3. *Pal. p.* 26. *n.* 1. *Esc. n.* 185. *cum Palud. Bon. p.* 7. *n.* 8. *cum Reg. et Salm. cum Con.* contra *Sotum, Aversa, et Led.* negant sponsalia dissolvi, nisi impedimentum proveniat ex voto Religionis, & valde probabiliter etiam castitatis, juxta dicenda *n.* 873. *Dub.* 1. Ratio, quia alia impedimenta hodie non vigent, nec indigent dispensatione. Si vero impedimentum sit dirimens, certum est apud omnes (vide *Salm. c.* 2. *n.* 70.) dissolvi ex parte innocentis, ita ut iste non teneatur admittere dispensationem. Sufficit autem ad solvenda sponsalia sola fama hujusmodi impedimenti, ut bene advertit *Viva q.* 2. *a.* 7. *n.* 4. ex *c. Cum in tua* 27. *de Spons. et c. Super eo* 2. *de Consang.* ubi: *Si non est manifestum, fama tamen loci hoc habet, etc.* Ad hoc tamen requiritur fama, non sufficit rumor: *fama* est quando adest opinio impedimenti apud majorem partem Viciniæ, *rumor* apud minorem; *Viva l. c.* Sed dubium est, an tunc sponsalia solvantur etiam ex parte nocentis? Affirmat *Dic. tr.* 10. *D.* 1. *dub.* 38. & probabile putant *Salm. c.* 2. *n.* 70. quia, supposito tali impedimento, jam factum est impossibile Matrimonium. Negant vero communius & probabilius *Sanch. l.* 1. *D.* 56. *in fine, et Pal. p.* 26. *n.* 2. *cum Con. et Gutt.* qui dicunt tunc suspendi obligationem sponsalium, do-

nec

nec tollatur impedimentum; quia æquum non est, ut delinquens commodum ex suo crimine reportet, ex *c. 2. de Translat. Prælat.* Sed

858 Dubit. 2. An qui impedimentum apposuit, teneatur dispensationem obtinere, vel ipsam oblatam acceptare? Alii, ut *Fill. Con. et Aversa ap. Salm. c. 2. n. 72.* dicunt non teneri etiamsi sponsalia fuerint jurata, nisi ad hoc obligetur ratione damni illati, nempe defforationis, vel famæ deturpatæ; tum quia promissio intelligitur facta, rebus in eodem statu manentibus, ex *c. Quemadmodum de Jurejur.* tum quia nemo tenetur a lege se extrahere per dispensationem. Alii vero, ut *Ronc. p. 140. qu. 10. R. 2. Pal. p. 26. n. 4. cum Ochag. ac Salm. n. 7. cum Led. etc.* dicunt teneri, adhuc præciso damno illato, ad procurandam dispensationem, una cum diligentia & expensis quæ communiter pro tali dispensatione fieri solent, etiamsi essent magnæ. Ratio, quia tenetur quisque modo quo potest resarcire jus alterius, quod ipse injuste læsit, opponendo impedimentum. Alii demum probabilius, ut *Sanch. l. 1. D. 56. n. 4. Viva q. 2. art. 7. n. 3. Wigandt tr. 16. n. 22. Bon. p. 7. n. 9. cum Gutt. et Spor. n. 277.* (cum communi ut asserit) dicunt teneri quidem etiam secluso damno illato, si dispensatio facile posset impetrari; secus si ad eam requirerentur magnæ expensæ, & longa mora; quia obligatio orta ex sponsalibus urget Sponsum ad apponenda media tantum ordinaria & facilia, non autem difficilia & extraordinaria. Excipit tamen *Sporer l. c. cum Tamb.* nisi esset reparandum damnum defforationis, vel famæ ut supra: quia tunc teneretur etiam magnam expensam erogare; sed non tantam, ut cogeretur a suo statu decidere. An autem habens votum castitatis teneatur ducere virginem defloratam sub promissione Matrimonii? Et an teneatur petere dispensationem, qui sub promissione Matrimonii violaverit consanguineam? Vide dicta *Tom. I. l. 3. n. 649. et 650.*

859 Dubit. 3. Si sponsalia sint contracta inter habentes impedimentum dirimens, sub conditione expressa, si Papa dispensaverit, utrum, impleta conditione, valida sint sine novo consensu? Vide dicta *Tom. I. l. 3. n. 650.* ubi sententiam tenuimus affirmativam cum *Lugo Laym. Pal. Salm. etc.* quibus adde *Pontium l. 12. c. 7. n. 1. et Bon. D. 1. p. 7. n. 10.* Licet enim sponsalia ante conditionem impletam vera sponsalia non sint, inducunt tamen absolutam obligationem exspectandi eventum conditionis; ergo consensus perseverat usque ad impletionem conditionis. Unde infertur, quod esto ante conditionis verificationem hæc sponsalia non inducant impedimentum Publicæ Honestatis, peccaret tamen Sponsus si cum sorore Sponsæ Matrimonium contraheret, & hæc secunda sponsalia essent nulla, cum esset promissio de re injusta, quæ non obligat, ut recte dicunt *Spor. n. 211. et Pont. l. 7. c. 36. n. 7.* cum Decr. S. C.

860 „ IV. Per *atrox crimen alterius* sponsi solvun-
„ tur ex parte innocentis: quale censetur 1. for-
„ nicatio, sive spiritualis, ut hæresis: sive corpo-
„ ralis, tam sponsi, quam sponsæ, post sponsa-
„ lia, & sponsæ etiam ante illa, sed a sponso i-
„ gnorata, licet per vim facta. *Bonac. part. 8.*
„ Imo si sponsa permittat se tangi impudice ab a-
„ lio per oscula, & amplexus, potest sponsus re-
„ silire a sponsalibus; sed non viceversa, quia,
„ etsi sponsus id faciat, non est dedecus sponsæ,
„ nec mutatio alicujus momenti. *Reg. Dian. p.*
„ 3. *t. 4. R. 283.* * (*Ita etiam Sanch. l. 1. D.*
„ 55. *n. 5. et Salm. c. 2. n. 80. cum Con. Dic.*
„ *etc.*) * Limitant tamen * (*Ut etiam Sanch.*
„ *et Salm. ll. cc. cum aliis citatis*) * nisi ta-
„ lia oscula, & tactus sint ita frequentes, ut in-
„ dicent valde propensum sponsi animum in alte-
„ ram, ut merito timeri possit, ne sponsæ non
„ sit fidem servaturus. Si autem uterque sponsus
„ fornicetur post sponsalia, neutrum posse resili-
„ re docent *Pal. et Bon.* contra *Con. Regin.*
„ *Sanch. Laym.* & *Pont.* qui soli viro id eo ca-
„ su permittunt, eo quod delicta sint imparia, &
„ longe gravius damnum immineat ipsi propter in-
„ certitudinem prolis, *Dian. l. c. R. 284. 2.* Fur-
„ tum grave, homicidium, &c. vel simile, quod
„ grave damnum, vel infamiam pariat. *Bonac.*
„ *p. 8. n. 12.*

Si fornicatio fuerit ante sponsalia, certum est a- 861
pud omnes posse virum, cognita fornicatione Sponsæ post sponsalia, eam relinquere. E converso non potest mulier rescindere sponsalia ob fornicationem Sponsi cum alia ante habitam, ut communiter docent *Sanch. l. 1. D. 63. n. 6. Pont. l. 12. c. 18. n. 2. et Salm. c. 2. n. 88. cum Pal. et Dic.* (contra *Holzm. n. 265.*) Nisi, limitant *Sanch. n. 10. Pont. l. c. Tamb. de Matrim. c. 5. §. 9. n. 6. et Rono. p. 139. q. 7. R. 2. cum Con. et Pal.* vir insuper prolem ex alia habuerit, vel etiam nisi ipse noscatur fuisse deditus huic vitio, cum pluribus feminis se commiscendo.

Si vero fornicatio fuerit post sponsalia, certum est posse Sponsum mulierem relinquere, si ipsa voluntarie fornicata sit. Sed dubitatur 1. an vir possit a sponsalibus resilire, si Sponsa violenter fuerit fornicationem passa? Negant *Armilla, Tabiena, Rosella, etc. ap. Escob. n. 273.* Quia (ut ajunt); cum ipsa culpa vacaverit, non est suo jure privanda. Sed communiter & verius affirmant *Sanch. l. 1. D. 55. n. 7. Nav. c. 22. n. 27. Conc. p. 276. n. 25. Spor. n. 272. Holzm. n. 254. Pont. l. 12. c. 17. n. 3. Pal. p. 26. n. 5. Laym. c. 2. n. 11. cum Sylv. et Cov. Escob. n. 175. cum S. Antonino, Palud. Soto, et Led. ac Ban. p. 8. n. 3. cum Con. Fill. Henr. Gutt. et Reg.* ex *c. Raptor. 33. Caus. 27. q. 2.* ubi expresse permittitur Sponso repudiare Sponsam violenter raptam. Et ratio est, quia Sponsa per talem oppressionem, licet sine sua culpa, notabiliter vilior redditur; unde notabiliter mutantur circumstantiæ, juxta mox dicenda *n. 863.*

Dubit. 2. an, utroque Sponso fornicante, utri- 862
que liceat resilire? Adsunt tres sententiæ. *Prima*, quam tenent *Pal. p. 2. n. 10.* affirmant; nam esto fornicatio Sponsæ turpior sit, tamen Sponsus, cum etiam per suam fornicationem violet fidem datam, jam tribuit Sponsæ justam causam resiliendi. *Secunda* sententia, quam tenent *Viva q. 2. art. 2. n. 2. Bonac. D. 1. p. 8. n. 6. cum Palud. Holzm. n. 258. cum Bambest.* item *Avers. et Perez ap. Salm. c. 2. n. 83.* dicit neutrum posse resilire, sed dari compensationem, ita ut neuter queat a sponsalibus recedere. Ratio, quia sicut post Matrimo-

nium

nium contractum, si uterque conjux adulteretur, neuter potest petere divortium *ex c.* 6. *de Adulter.* ita si post sponsalia uterque Sponsus fornicetur, neuter potest resilire. *Tertia* vero sententia probabilior, & communis (ut fatetur ipse *Pal.*), quam tenent *Pont. l.* 12. *c.* 17. *n.* 3. *Sanch. l.* 1. *D.* 55. *n.* 9. *Laym. c.* 2. *n.* 12. *Conc. p.* 279. *n.* 26. *Escob. n.* 181. *Spor. n.* 271. *Renzi p.* 345. *qu.* 3. *& Salm. c.* 2. *n.* 84. *cum Con. Henr. Diana, Leand. Dic. etc.* docet Sponsum bene posse resilire, non vero Sponsam. Ratio, quia in hoc non daretur æqua compensatio, cum longe turpior sit fornicatio Sponsæ quam Sponsi. Dispar autem est ratio divortii propter adulterium, quia obligatio Matrimonii quoad torum difficilius solvitur quam sponsalium obligatio, quæ solvi potest ex quacumque rerum notabili mutatione (sicut esset hæc) superveniente, ut mox dicetur *n. seq.*

865 „ V. Si *Notabilis mutatio* accidat, vel detegatur, quæ si a principio cognita fuisset, a sponsalibus deterruisset; * (*Ita comm. Sanch. l.* 1. *D.* 63. *n.* 2. *Pont. lib.* 12. *c.* 6. *n.* 18. *Pal. p.* 29. *Salm. c.* 2. *n.* 67. *& alii passim. Et hoc procedere ait Viva q.* 2. *art.* 6. *n.* 4. *etiamsi intervenerit copula, tunc enim sufficit damnum compensare*) * qualis esset; v. gr. I. inimicitia, vel odium grave inter Sponsos; quo refertur morum asperitas, vel sævitia post sponsalia primum cognita: item justus timor, ne ex matrimonio scandala, & gravia odia nascantur inter parentes, vel consanguineos. *Laym. c.* 1. *n.* 18. *Bon. p.* 18. *n.* 8. &c. II. Si alteruter incidat in lepram, paralysim, morbum gallicum, &c. si graviter mutiletur, ut amissione oculi, nasi, vel aliter graviter deformetur, præsertim sponsa, vel sponsus reddatur ineptus ad opificium exercendum, vel acquirendum officium ad sustentationem familiæ necessarium. *Dian. p.* 3. *tr.* 4. *R.* 85. *Sanch. l.* 1. *d.* 57. *Con. dist.* 13. *dub.* 8. *Laym. et Bon. ll. cit.* *. (*Ita comm. omnes cum D. Th. Suppl. qu.* 43. *art.* 3. *Et hoc etiamsi non adsit certitudo de tali defectu, sed sola (vehemens tamen sive prudens) suspicio, ut Pontius l.* 12. *c.* 17. *n.* 4. *et Pal. p.* 27. *n.* 3.) * Non tamen tenetur sponte aperire tales defectus, qui reddant nuptias minus quidem appetibiles, non tamen perniciosas, præsertim si aliquam infamiam habeant adjunctam (v. gr. si sponsa vi, vel sponte fuisset corrupta); dummodo tamen contrarium positive verbo, factove non simulet; potestque interrogatus licite dissimulare, & contrahere Matrimonium. Si vero defectus sint perniciosi, verb. gr. morbus contagiosus, gravis infamia, sive personalis, sive generis, aut familiæ, non licet, etiamsi post sponsalia contracta in eos inciderit, contrahere, cum eorum ignaro, nisi similes defectus ipse patiatur. *Coninch. Pont. Dian. part.* 5. *tom.* 4. *Resol.* 28. ubi ex *Con.* & *Salm.* contra *Pont. Nav.* &c. infert, Sponsam post sponsalia corruptam posse Sponsum defectus istius occulti ignarum cogere ad standum sponsalibus, & contrahendum Matrimonium. III. Si magna alterius debita detegantur, vel grave sit periculum fortunarum, famæ, morbi, paupertatis, &c. vel Sponsa dotem promissam afferre nequeat, vel denique si Sponsus incipiat vagari cum incommodo Sponsæ, *Bonac. l. c. Item Sporer n.* 282. *Sanch. l.* 1. *Dist.* 59. *n.* 2. *et* 4. *ac Pont. l.* 12. *c.* 17. *n.* 8. *cum Con. Reb. et Tol. sive dos, ut ajunt, sit promissa, sive non. Et idem dicunt Spor. et Pont. ll. cc. si timeatur Pater filium exheredaturus*). Quod si autem defectu Sponsæ detecto, dubitet Sponsus, an si eum ab initio cognovisset, contracturus fuisset, tunc si defectus ille censeatur gravis ac notabilis, præsumetur pro Sponso, cui liberum erit resilire. *Sanc. Conc. Tann. t.* 1. *l.* 1. *dist.* 65. secus si defectus sit levis. *Bard. l.* 9. *c.* 11. *p.* 7.

Quær., an pars laborans occulto defectu suffi- 864
cienti ad solvenda sponsalia, teneatur illum manifestare ante sponsalia, vel eis contractis, ante Matrimonium? Distinguendum cum communi; Si defectus redderet nuptias perniciosas, ut esset infamia, lepra, morbus gallicus, aut alius contagiosus, tenetur manifestare, vel a nuptiis desistere, nisi altera pars eodem defectu laboret; ita *Pont. l.* 12. *c.* 18. *n.* 6. *Ronc. p.* 140. *q.* 12. *Pal. p.* 30. *n.* 5. *cum Salm. c.* 2. *n.* 99. *cum Diana* 3. *p. tr.* 4. *R.* 287. *Spor. n.* 286. *cum Perez, et Gob.* (quicquid dicant *Sanch. l.* 1. *D.* 68. *n.* 8. *et alii ap. Salm.*) Ratio quia sicut peccat contra justitiam qui alteri vendit merces noxias credenti bonas, ita a fortiori qui cum pernicioso defectu vult Matrimonium contrahere.

Si vero defectus non redderet nuptias noxias, 865
sed tantum minus appetibiles, nempe si Sponsa esset pauper, quæ reputatur dives; ignobilis, quæ nobilis; deformis, quæ pulchra: corrupta, quæ virgo; tunc esto ipsa non possit virum decipere fingendo se immunem a tali defectu, tamen non tenetur defectum manifestare, sed potest etiam interrogata dissimulare æquivoce respondendo; tunc enim non fingit, sed occultat vitium occultum; ita *Sanch. l.* 6. *D.* 27. *n.* 9. *Pont. Spor. Dian. ll. cc. Ronc. l. c. et Reg. in prax.* 7. *Renzi p.* 437. *q.* 10. *Croix n.* 182. *Pal. p.* 30. *n.* 2. *cum Con. et Turrian. Salm. c.* 2. *n.* 97. *cum Dic. et Avers. Escob. n.* 324. *cum Hurt. et Leand.* (contra *Ochag. ibid. n.* 322. *et Conc. p.* 278. *n.* 31.) Ratio, tum quia est consuetudine jam receptum, ut non sit obligatio tales defectus manifestandi, tum quia nemo tenetur propalare suum defectum cum propria infamia, si non lædit jus alterius. Licet enim Sponsus, cognito defectu, habeat jus resiliendi a sponsalibus, opponendo exceptionem propter talem defectum, tamen usquedum ipse exceptionem non opponit, potest cogi a Sponsa ad Matrimonium: sicut adultera, usquedum vir non opponit exceptionem propter cognitum adulterium, potest ab eo debitum petere. Unde dicunt præfati AA. quod sponsa ab alio corrupta, etiamsi interrogetur a sponso, an fuerit ab alio cognita, poterit dissimulare & negare per restrictionem non pure mentalem, respondendo non esse corruptam, subintelligens in communi estimatione, aut ad aperiendum tibi; additque *Dian.* posse illam sine peccato, aut saltem sine mortali, uti aliquo artificio, quo impediat, ne vir deprehendat esse corruptam.

Excipiunt tamen 1. *Sporer n.* 286. *Pal. p.* 30. *n.* 6. *Pont. d. n.* 6. *et Croix n.* 183. *cum Con. et Perez*, si Sponsa ex concubitu habito cum alio

sit prægnans, quia tunc adest periculum damni Sponsi, nempe quod deberet alere prolem alienam. Excipiunt 2. *Sanch. n.* 11. *Pont. ibid. Salm. n.* 98. *Ronc. d. Reg.* 7. *Croix n.* 184. *& Pal. n.* 3. *cum Nav. Con. & Turrian.* si, non manifestato defectu, prudenter timeatur, ne ille propaletur post nuptias initas, & graves inde discordiæ sint proventuræ; tunc enim dicunt teneri Sponsam vel suam violationem passam propalare, vel a Matrimonio desistere, quia tenetur ex charitate erga Sponsum, & etiam erga seipsam talia damna præcavere; Sed huic objici posset, quod charitas non videtur obligare cum tanto incommodo, nimirum vel se infamandi, vel remanendi semper innupta; vide dicta *n.* 851. *v. Ad id autem.*

Ad videndum autem, quænam causæ sufficiant ad solvendam obligationem sponsalium; attende has duas regulas. *Prima*, pro causis supervenientibus ad sponsalia, sufficit illa causa, quæ si esset prævisa, sponsalia non fuissent contracta: tunc enim ab eis libera manet pars, quæ de novo has causas non dedit; ita communiter *Sanch. l.* 1. *D.* 62. *n.* 3. *Pal. p.* 28. *n.* 8. *& Salm. c.* 2. *n.* 63. *cum Aversa, Led. Henr. Dic. & aliis.* Ratio; quia sponsi sub hac conditione censentur obligari, nisi accedat notabilis mutatio, qua prævisa, minime contraxissent. *Secunda* regula, pro causis ignotis anterioribus ad sponsalia, illa sufficit, quæ si superveniret, jam esset sufficiens ad illa rescindenda; ita *Pontius l.* 12. *c.* 18. *Sanch. l.* 1. *D.* 63. *n.* 2. *Pal. p.* 29. *& Salm. c.* 2. *n.* 87. *cum Dic. Aversa, Leand.* & communi, quia in tali casu etiam adest notabilis mutatio, quæ si ab initio fuisset cognita, jam sponsalia impediisset. Quapropter si ignorantia non dedisset causam contractui, sed fuisset concomitans, nempe si Sponsus, adhuc cognita prius causa, etiam contraxisset, minime poterit a sponsalibus deinde resilire, quia tunc non advenit illa notabilis mutatio; ita *Pontius l. c. n.* 4. *Sanch. Dist.* 65. *n.* 2. *Pal. n.* 2. *& Salm. n.* 93. *cum Dic. Con. Leand. & Trull.*

„ VI. Si alter sine alterius licentia *proficiscatur* „ in terram longinquam; quia censetur renuntiare „ suo juri. *Laym. l. c. Bon. p.* 6.

Certum est, quod si Sponsus alio transfert suum domicilium; vel si in longinquam Regionem abeat, etsi cum animo redeundi, poterit Sponsa statim ad alias nuptias transire; hoc est expressum in *c. De illis*, 5. *de spons.* ubi dicitur: *Qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea, eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes, liberum erit mulieribus se ad alia vota transferre.* Si vero sponsus discessit in propinquum locum cum animo redeundi, tunc si discessus fuerit ex causa necessaria, puta infirmitatis, aut alterius gravis negotii, statutum est in *lib. Sæpe de Sponsal.* exspectandum esse negotii finem; Si autem ex causa voluntaria, quando discessus fuerit intra Provinciam, dicitur in *l.* 2. *C. eod. tit.* exspectandum esse ad biennium; quando extra Provinciam, ad triennium ex *l.* 1. *C. de Repud.* Dicunt autem fere communiter *Sanch. l.* 1. *Dist.* 54. *n.* 6. *Bonac. part.* 6. *n.* 8. *Spor. n.* 244. *Viva q.* 2. *art.* 3. *n.* 2. *Ronc. p.* 137. *q.* 2. *Holzm. num.* 250. *Escob. n.* 270. *cum Soto, Nav. Armilla &c. ac Salm. c.* 2. *n.* 61. *cum Dic. Gonet, & Aversa*, Jus Civile in hoc correctum fuisse a Jure Canonico in *cit. cap. De illis*. Et hoc dicendum (ut ajunt *Sanch. n.* 6. *Ronc. & Viva ll. cc. cum Perez*, contra *Bonac.*) etiamsi discessus fuerit ex causa necessaria. Sed melius dicunt *Palaus p.* 23. *n.* 2. *Pontius l.* 12. *c.* 15. *n.* 4. *cum Canisio*, in hoc minime correctum fuisse Jus Civile a Canonico, nam in *dicto c. De illis* sermo fit tantum de eo qui domicilium mutavit, non autem de illo qui discessit reversurus. Verum recte addunt, neque in hoc standum esse Juri Civili, quia præfatæ leges terminum statuunt, non ut Sponsa possit sponsalia dissolvere, cum (ut diximus *n.* 853. *Qu. I.*) ex Jure Civili olim sufficiebat unius Sponsi voluntas ad solvenda sponsalia, sed ut possit Sponsa resilire, lucratis arrhis. Unde concludendum cum *S. Antonino* 3. *p. tit.* 1. *c.* 28. §. 1. *eod. Pont. l. c. Sanch. n.* 10. *& Salm. n.* 62. *cum Con. Reb. & Dic.* quod semper ac sponsus discessit in propinquum locum, exspectandum donec redeat; vel requiri debet Sponsus, ut intra certum tempus accedat ad contrahendum Matrimonium: Quod si ille requisitus reditum juxta ex causa differat, vel erit exspectandum ad prudentis arbitrium, ut dicunt *Ronc. Sporer l. c. Conc. p.* 374. *n.* 17. *& Salm. n.* 62. *cum Conc. Reb. & Dic.* Vel (quod securius est) causa est remittenda arbitrio Judicis, qui, inspectis circumstantiis, vel admonebit Sponsum; ut redeat infra certum tempus, vel terminum determinabit (præsertim si ille longe abierit) post quem sponsa libera remaneat, ut dicunt *Pontius & Ronc. ll. cc. Pal. n.* 3. *ac Salm. cum eisdem AA.* At idem docet Bened. XIV. *Notif.* 46. *n.* 5. *cum Anac. Cler. Perez, &c.* ac Declar. S. C. die 2. Octob. 1723. quæ pariter sic agendum respondit. Hæc autem procedunt, si in sponsalibus nullum fuerit tempus præfixum ad nuptias ineundas, nam si fuerit terminus assignatus, vide dicenda *n. seq.*

VII. Si sint inita cum conditione, *certo tempore contrahendi* matrimonium, liberatur obligatione is, per quem non stetit, quo minus sit contractum. *Laym. n.* 16. 867

Cum terminus sponsalibus apponitur, spectandum est, an apponatur ad sollicitandam sive ad non differendam obligationem contrahendi Matrimonium, vel an ad obligationem finiendam. Tunc apponitur ad sollicitandum, quando partes ideo præfigunt terminum, ut neutra ante illum possit alteram cogere ad implendum contractum. Tunc autem ad finiendum, quando terminus apponitur, ut eo elapso nulla remaneat obligatio. Et hæc ita servanda sunt, si expressis verbis partes ita conveniant. Sed

Dubit. 1. Si verba sint ambigua, quando terminus censeri debeat appositus ad sollicitandam obligationem, & quando ad finiendam? Respondetur cum communi sententia duas regulas in tali dubio assignari. *Prima:* Si terminus ab una tantum parte præfigitur, altera negative se habente, tunc censetur appositus ad sollicitandum; si vero ab utraque, ad finiendum. *Secunda:* Si terminus apponitur, antequam sponsalia contrahantur, censetur ad finiendum; secus si post sponsalia contracta; ita *Sanch. l.* 1. *D.* 53. *n.* 3. *Ronc. p.* 137. *q.* 3. *R.* 2. *Renzi p.* 435. *q.* 3. *& Salm. c.* 2. *n.* 51. *cum Con. Bec.*

Rec. Dic. &c. Quamvis *Pontius l.* 12. *c.* 16. *n.* 3. dicat præfatas duas regulas non esse generice veras. Casu autem quo terminus est appositus ad finiendam obligationem, elapso tempore ex culpa unius partis, altera innocens liberatur, etiamsi sponsalia fuerit jurata, ut commune est apud omnes eum *D. Th. in* 4. *D.* 27. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 2. & patet ex *c. Sicut* 22. *de Sponsal.* ubi Pontifex præcepit imponi pœnitentiam cuidam sponso qui recessit a sponsalibus cum quadam contractis, & nuptias cum alia inivit: *Nisi* (addidit) *juramento suo certum terminum præfixit, intra quem dictam P. duceret in uxorem, & per eum non stetit* (nota), *quin ad statutum terminum Matrimonium consummaverit*. Ergo si per eum non stetit, licite recessisset.

868 Dubit. 2. An elapso termino ex defectu v. g. Sponsi, possit sponsa resilire a sponsalibus, si inculpabiliter omiserit ille nuptias inire, justo detentus impedimento? *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Pontius l.* 12. *c.* 16. *n.* 4. *Bonac. p.* 6. *n.* 6. *cum Reg. Vivæ q.* 2. *ar.* 3. *n.* 3. *& Sanch. l.* 1. *D.* 53. *n.* 7. *cum Palud. Gomez &c. ibid. n.* 16. item *Guttier. ap. Pal. p.* 24. *n.* 7. *Trullenc. ap. Salm. c.* 2. *n.* 56. Ratio, quia non est æquum, ut privetur jure suo, qui ex justa causa impeditur a promissis adimplendis, ex *l.* 1. *C. de Annal. excep.* ubi: *Legitime impedito non currit tempus, ut jure privetur*. Id probant etiam ex citato *c. Sicut*; sed præfatus textus verius probat oppositum, ut mox videbimus. Notant vero *Bon. & Viva ll. cc. cum aliis*, quod, pars innocens liberetur a sponsalibus mora alterius debet esse tanta, ut, inspectis circumstantiis, prudenter ipsa censeatur rea culpæ mortalis. Item advertit *Pontius*, quod si ob tale impedimentum unius partis diutius differatur Matrimonium, bene poterit altera adire Judicem, ut, monita parte impedita, alium terminum præfigat, quo elapso ipsa omnino libera remaneat. *Secundæ* vero sententia communior & probabilior affirmat, & hanc tenent *Laym. c.* 2. *n.* 17. *Pal. p.* 24. *n.* 8. *Navar. c.* 22. *n.* 27. *casu* 11. *Coninck. D.* 27. *d.* 6. *n.* 47. *Salm. c.* 2. *n.* 57. *Conc. p.* 273. *n.* 16. *Bonc. p.* 773. *q.* 3. *R.* 2. Ratio, quia terminus ad hoc apponitur, ne pars parata diu maneat sine nuptiis, alias frustra tempus præfigeretur. Hæc autem sententia clare probatur ex prædicto textu *in c. Sicut*, quem perperam ad suam sententiam adversarii detorquent; Casus enim (ut diximus) ibi fuit; quod vir quidam post sponsalia contracta cum una; contraxerat Matrimonium cum alia; hinc Pontifex decrevit, quod si per ipsum stetit, quominus cum prima nuptiæ initæ fuissent intra terminum præfixum, debuisset agere pœnitentiam. Unde ex textu consequenter declaratum fuit, quod si per ipsum non stetit (intellige quidem culpabiliter, nam alias, si culpa defuisset, nulla ei fuisset imponenda pœnitentia) quin Matrimonium intra definitum tempus contractum fuisset, licite potuit elapso termino cum alia contrahere. Ergo, si licite ille potuit Matrimonium inire cum secunda, cum per ipsum culpabiliter non steterit, quin statuto tempore cum prima nuptiæ fuissent contractæ, supponit Pontifex quod ipse elapso termino liber omnino remansit ab obligatione sponsalium. Hinc concluditur, quod cum terminus præfixus elabitur, omnino cessat obligatio sponsalium ex parte illa quæ jam parata erat ad nuptias. Sed

Dubit. 3. An, elapso termino in sponsalibus apposito, remaneat libera ab eorum obligatione etiam pars quæ culpabilem apposuit dilationem? *Primæ* sententiæ communior negat, & dicit remanere liberam tantum partem per quam non stetit; ita *Pont. l.* 12. *c.* 16. *n.* 4. *Laym. c.* 2. *n.* 17. *Pal. p.* 24. *n.* 8. *Nav. c.* 22. *n.* 27. *Con. d.* 6. *n.* 47. *Salm. c.* 2. *n.* 55. *& Sanch. l.* 1. *D.* 53. *n.* 7. *cum Palud. Gom. &c.* Ratio, quia nemo debet ex suo crimine commodum reportare. Certum est autem apud omnes cum *Pont. l. c. & Sanch. n.* 6. quod si per utramque partem stetit, ne Matrimonium intra tempus præfixum celebratum esset, ex utraque parte sponsalia solvuntur. *Secunda* vero sententia affirmat, quod, elapso termino, utraque pars remanet libera, etiam illa quæ in culpa fuit: sic tenent *Ronc. p.* 237. *q.* 3. *R.* 3. *in fi., Conc. p.* 273. *n.* 16. & hanc expresse etiam tenet *D. Th. in* 4. *D.* 27. *q.* 2. *art.* 3. *ad* 2. ubi ait: *Si per eum stetit, quod Matrimonium non est completum, debet agere pœnitentiam de peccato fractæ promissionis, aut juramenti, & contrahere cum alia, si vult, judicio Ecclesiæ*. Ratio videtur esse, quia, cum terminus est appositus ad obligationem finiendam, illo elapso cessat obligatio; cum enim terminus sit conditio intrinsece apposita contractui, ea deficiente, esto per culpam unius contrahentis, ipse liber manet; nec obstat quod tunc ex sua culpa commodum reportet, quia lex contractus non culpam, sed conditionis defectum respicit, ex Reg. jur. in 6. ubi: *Contractus ex conditione legem accipere dignoscitur*. Prima sententia est quidem longe communior, & mihi longe probabilior; sed hæc secunda sua probabilitate non caret, maxime ex auctoritate *D. Thomæ*.

„ VIII. Solvuntur, licet sint jurata, per susce- 869
„ ptionem ordinis sacri, vel ingressum alterius in
„ religionem, aut votum eam ingrediendi. *Laym.*
„ *l. c. Bonac. p.* 5. Nec obstat, si hic postea ad
„ seculum redeat, ut docet *San. l.* 1. *d.* 24. *Præp.*
„ *Fill.* & alii putant, talem ex parte sua prioti-
„ bus sponsalibus teneri, uti etiam ad damna re-
„ sarcienda sponsæ, si quæ passa esset, unde non
„ posset ingredi religionem, si sponsam deflorasset,
„ nec aliter, quam per Matrimonium posset resarcire
„ damnum. V. *Diana p.* 3. *t.* 4. *R.* 207. *Bon. l. c.*
„ IX. Probabile est, solvi etiam per votum sim-
„ plex castitatis, ut docent *Suar., Azor.* aliique,
„ cum hoc sit de meliore bono; etsi contrarium
„ doceant *Fill. Sanch. Con.* & alii, eo quod Deus
„ non acceptet promissionem rei alteri promissæ,
„ & in alterius præjudicium. Unde etiam in foro
„ externo talis solet compelli, ut vel fidem ser-
„ vet, vel intret religionem. Interim post tale vo-
„ tum alteri parti datur jus sponsalia solvendi, eo
„ quod vovens resilierit, & censeatur juri suo re-
„ nuntiasse. Vide *Bon. p.* 6. *n.* 13.

Hinc distinguendum inter Professionem Religio- 870
sam, susceptionem Ordinum Sacrorum, & Votum Religionis, vel Ordinum, vel Castitatis. Et I. Quoad *Professionem Religiosam*, dubitatur 1. utrum per ingressum in Religionem unius Sponsi, solvantur sponsalia contracta ante Professionem?

Ad-

Adsunt tres sententiæ. *Prima* asserit per ingressum ex neutra parte dissolvi sponsalia, ita *Cov. Durand. Armili.* &c. apud *Salm. de Matr. c. 2. n.* 19. Ratio, quia sicut Matrimonium ratum non per ingressum, sed tantum per Professionem dissolvitur, ut ex *c. 1. de Convers. conjug.* ita dicendum est etiam de sponsalibus; sed hæc sententia non videtur satis probabilis. *Secunda* sententia communior cui adhæreo, & quam tenent *Laym. c. 2. n. 2. Spor. n.* 148. cum communi, ut asserit *Croix n.* 187. *Pal. p.* 81. *n.* 3. *Pontius l.* 22. *c.* 10. *n.* 4. *cum Reb. & Gabr. Viva q. 2. art. 4. n. 4. cum Con. Perez, & Henr. ac Salm. c. 2. n. 21. cum Gonet, Vill. & Led.* dicit, tunc dissolvi sponsalia tantum ex parte manentis in sæculo, tum quia alter ingrediendo Religionem censetur cessisse juri suo; tum quia ex ejus parte tunc accidit notabilis mutatio, cum dedecori æstimetur nubere eum qui Religionem deseruit; Non autem dissolvi ex parte ingredientis, si postea ad seculum redeat; quia per ingressum ipse non redditur inhabilis ad contrahendum Matrimonium, sicut redderetur per Professionem. *Tertia* sententia, quam tenent *Bus. n. ant. Sanch. l.* 1. *D.* 42. *n.* 2. *&* 5. *Tol. l.* 7. *c.* 21. *Bon. p.* 5. *n.* 2. *cum Con. Fill. Henr. &c.* item *Becan. & Dic. ap. Salm. c. 2. n.* 20. dicit dissolvi sponsalia ex parte utriusque. Ratio 1. est, quia sicut Novitiatus se habet ad Professionem, ita se habent sponsalia ad Matrimonium; quemadmodum igitur Matrimonium ratum dissolvitur ex parte utriusque per Professionem, ut declaratur in *c. 2. de Convers. Conjug.* ita sponsalia per ingressum. Sed huic rationi respondetur, quod tale privilegium ex jure Divino (ut declaratum est ab Ecclesia) conceditur tantum Professioni Religiosæ tanquam statui perfectionis; sed quod per ingressum sponsalia solvantur, nullo jure habetur: & revera æquum non esset, ut gauderet privilegio concesso statui Religioso, qui ab eo viliter retrocedit. Ratio 2. hujus sententiæ est, quia ingressus in Religionem cum animo perseverandi jam solvit voventem a voto Religionis, ita ut si postea egrediatur experiendo Religionem imparem suis viribus esse, jam liber manet a voto: ergo a fortiori solvit obligationem sponsalium, quæ sunt minoris obligationis voto Religionis. Sed hæc ratio neque suadet, nam vovens ideo per ingressum liberatur a voto, quia jam implet suam obligationem, votum enim intelligitur emissum sub conditione, si Religio sibi conveniat: Contra vero Sponsus per ingressum in Religionem nullo modo implet obligationem sponsalium, & ideo, si ab illa egreditur, merito manet eadem obligatione obstrictus. Hinc secunda sententia absolute probabilior mihi videtur.

Dubit. 2. an, si sponsalia sint juramento firmata, teneatur Sponsus ante ingressum in Religionem Matrimonium celebrare: *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Scot. Nav. & Led. ap. Pont. l.* 12. *c.* 10. *n.* 10. *ac Rebell. & Vega ap. Salm. c. 2. n.* 17. Id probant ex *c. Commissum.* 16. *de spons.* ubi dicitur tutius esse quod eo casu Sponsus prius nuptias ineat, & deinde ante consummationem ingrediatur Religionem, si velit; en verba textus: *Tutius est ei (Religione juramenti servata) prius contrahere, & postea, si elegerit, ad Religionem migrare. Secunda* tamen sententia communissima, & per se loquendo verior, negat, eamque tenent *Pontius n.* 13. *Sanch. l.* 1. *D.* 43. *n.* 3. *Pal. p.* 16. *n.* 3. *Bonac. p.* 5. *n.* 4. *Petrocor. t.* 4. *p.* 279. *Viva q.* 2. *art.* 4. *n.* 5. *Spor. n.* 246. *Holz. n.* 240. *& Salm. c.* 2. *n.* 18. *cum Dicast.* Ratio, tum quia juramentum semper censetur emissum sub conditione, nisi status perfectior eligatur; tum quia juramentum sequitur naturam contractus, ex *c. Quemadmodum* 25. *de Jurejurando*, ubi dicitur, quod qui juravit cum muliere contracturum; propter supervenientem fornicationem, vel deformitatem repellere potest; si ergo sponsalia nuda non obligant ad Matrimonium contrahendum ante ingressum in Religionem, nec etiam obligant jurata. Recte autem respondent præfati AA. ad textum oppositum, quod ibi, cum Sponsus non erat certo determinatus ad ingrediendum, sed tantum aspirabat, ut ibi exprimitur, ideo Pontifex, ne ille fieret reus perjurii non ingrediendo Religionem, nec celebrando Matrimonium tempore statuto, dixit tutius ei esse nuptias contrahere, & deinde si voluerit Religionem intrare; Unde si sponsus antequam terminasset tempus præfixum, Religionem ingressus esset, vel deliberate statuisset ingredi, utique non tenebatur, imo nec poterat Matrimonium sine gravi culpa inire, ut bene advertunt *Sanch. l.* 7. *Spor. l. c. Pont. l.* 12. *c.* 2. *n.* 2. *cum Sot. & Bon. p.* 5. *n.* 11. *cum Sylv. Con. Gutt. & Rodr.* contra *Cajet. & Led.* quia gravem injuriam irrogasset Sponsæ, eam cogendo per annum suam Professionem exspectare. Dixi *per se loquendo*, nam recte addunt *Bonac. Spor. & Holzm. ll. cc. ad Pont. d. c.* 10. *n.* 13. *cum Suar.* quod teneretur Sponsus ante ingressum nuptias celebrare, si hoc esset necessarium ad prolem legitimandam, scandalum reparandum, vel honori sponsæ providendum, si alio modo non posset occurri. Et hoc casu nec etiam permittitur sponso post celebrationem Matrimonii ingredi Religionem, illudque non consummatum relinquere; nequit enim tunc deserere Uxorem, quæ propter infamiam non posset alias Nuptias invenire, ut recte notavit *Busemb. t.* 1. *l.* 4. *n.* 65. *v. Unde.*

II. Per *Susceptionem Ordinum Sacrorum* certum est etiam dissolvi sponsalia, non autem Matrimonium ratum; ita omnes cum *Sanch. l.* 1. *Dist.* 47. *n.* 1. *Pont. l.* 1. *c.* 11. *n.* 2. *Conc. p.* 270. *n.* 6. & aliis passim; Et patet ex *Extrav. Antiquæ de Voto*, ubi dicitur; *Licet votum solemnizatum per sacri susceptionem Ordinis, quantum ad impediendum Matrimonium, sit efficax reputandum &c.* Sed dubitatur 1. utrum peccet qui Ordines Sacros suscipit, inscia vel invita Sponsa? *Prima* sententia affirmat peccare graviter, & hanc tenent *Sanch. l. c. n.* 3. *Pal. p.* 19. *n.* 2. *Ronc. p.* 137. *q.* 5. *R.* 2. *& Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 20. *cum Con. & Perez.* Ratio, quia nullo jure concessum est Ordini Sacro sponsalia dirimere, sicut est datum statui Religioso, imo ipsum jus prohibet ordinari in præjudicium alterius, ut habetur ex *c. un. de Oblig. ad ratioc. non ordinand. Secunda* vero sententia non minus probabilis negat, eamque tenent *Pont. l.* 12. *c.* 11. *n.* 3. *Nav. c.* 22. *n.* 25. *Con. d.* 260. *n.* 6. *Bon. p.* 5. *n.* 20. *cum Gutt. & Cord. Salm.*

Salm. c. 2. n. 26. cum Aversa, Diana, & Henr. ac Escob. n. 237. cum Soto, Sylv. & Vega. Ratio, quia in promissione sponsalium imbibita semper est conditio, nisi melior status eligatur, æquum enim non est, ut ad serviendum creaturæ impediatur status Creatori se dicandi. Nec obstat textus oppositus, nam ibi non tam consideratur præjudicium tertii, quam infamia Ecclesiæ, ut ibidem exprimitur, præterquamquod, in nostro casu nulli infertur præjudicium, cum Sponsus utatur jure suo. Idque videtur confirmari ex *eadem Extrav.* supra citata, ubi tantum prohibetur suscipere Ordines Sacros post Matrimonium contractum, non autem post sponsalia.

872 Dubit. 2. utrum per susceptionem Ordinum Minorum dissolvantur sponsalia? *Prima* sententia affirmat, quam tenent *Ronc. p. 138. q. 5. R. 1. Spor. n. 256. cum Tannar. & Gob.* tum quia talis est mutatio sponsi, dum Minoribus initiatur, ut merito judicetur noluisse Sponsa se obligare ad nuptias cum eo contrahendas; tum quia censetur sponsus cedere juri suo, cum suscipiat statum qui ordinatur ad Ordines Majores incompossibiles cum Matrimonio. *Secunda* tamen sententia communior & verior negat, & hanc tenent *Sanch. l. 1. Dist. 47. n. 1. cum Palud. Wigandt tr. 16. n. 29. Pont. l. 12. c. 11. n. 1. Salm. c. 2. n. 25. & Escob. n. 234.* Ratio, quia revera status Ordinum Minorum per se non est incompossibilis cum Matrimonio, cum quis bene possit fieri Clericus conjugatus, ut patet ex *c. 1. & de Cler. conjug.*

873 III. Quoad *Votum* ingrediendi Religionem, vel suscipiendi Ordines Sacros, vel Castitatis servandæ, certum est 1. quod vovens ingredi Religionem, licite vovet, & debet ingredi, nec tenetur stare sponsalibus, si vere vult fieri Religiosus; nam si egreditur, tenetur, ut diximus supra n. 870. Certum est 2. cum *Sanch. l. 1. D. 46. n. 5. & D. 47. n. 4. Pont. l. 12. c. 12. n. 4. Ronc. p. 138. q. 5. R. 3. 4. & 5. Viva q. 2. art. 4. n. 8. Salm. c. 2. n. 29. & 31.* ac aliis passim, quod per hujusmodi tria vota solvuntur sponsalia ex parte non voventis, cum merito judicetur per ipsa vovens sponsalibus renuntiare. Certum est 3. quod si quis post sponsalia emittit votum non solum ingrediendi, sed etiam profitendi Religionem, tunc sponsalia ex parte utriusque dissolvuntur; quia vovens tunc fit omnino inhabilis ad Matrimonium contrahendum, ut recte dicunt *Salm. d. n. 29. & Viva d. art. 4. in fine.* Sed

Dubit. 1. an per votum servandæ Castitatis, vel suscipiendi Ordines Sacros solvantur sponsalia etiam ex parte voventis? Si votum antecedat sponsalia, certum est ipsa esse irrita, quia ipsorum promissio, cum sit de re illicita, non obligat; Dubium igitur est, si subsequatur. *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Nav. c. 22. n. 27. Laym. c. 2. n. 6. Pal. pag. 20. n. 6. Cabassut. t. 1. l. 3. c. 17. n. 20. Ronc. p. 138. q. 5. R. 4. & 5. Holzm. n. 236. Spor. n. 258. Viva q. 2. art. 4. n. 8. & Sanch. l. 1. D. 46. n. 9. & D. 47. n. 3. cum S. Anton. Arm. Sylv. Cord. &c.* item *Tol. Con. Hurt. Fill. Bec. Reb. &c. ap. Escob. n. 232. & 235.* Ratio, quia Deus non acceptat promissionem rei alteri promissæ, & ab eo acceptatæ, nec ullo jure habetur, quod sponsalia per hæc vota dirimantur. Neque obstare ajunt textum in *c. Veniens. Qui Clerici vel Vov.* ubi casus fuit, quod quædam mulier sponsalia contraxit cum certo, cujus sævitia (ut narrabatur) postea deterrita, votum emisit castitatis; quo audito, vir Matrimonium cum alia inivit. Consultus autem Alexander III. respondit: *Mandamus, quatenus* (mulier quæ licentiam nubendi petierat) *si plus non processit, sibi de fide mentita, & voto violato congruam satisfactionem indices, & ei cui vult nubendi in Domino licentiam tribuere non postponas.* Hunc textum Doctores utriusque sententiæ pro se adducunt, sed revera ille pro neutra parte concludit. Auctores secundæ sententiæ, quos mox recensemus ex verbis illis, *de voto violato... & licentiam tribuere, &c.* inferunt prædictum votum validum fuisse, & proinde dispensatione indiguisse; ergo, ut dicunt, per simplex votum castitatis, cum sit validum, jam sponsalia dirimuntur. Sed huic recte respondent *Pal. Laym. & Holzm. cum Glossa ib. verb. Vota violata*, quod hoc nihil aliud probat, nisi quod votum satis erat validum respectu ad nuptias cum alio contrahendas, quas mulier intentabat; & ideo Pontifex ipsam declaravit ream de voto violato; sed minime probat validum fuisse respectu ad virum, cum quo prius sponsalia contraxerat.

Secunda vero sententia affirmat, & hanc tenent *Pontius l. 12. c. 21. n. 3. & c. 12. n. 4. Petrocor. t. 4. p. 280. v. Instabit. Suar. l. 2. de Voto c. 4. n. 13. Conc. p. 270. n. 7. & 9. cum Gonet & Led. Azor. l. 11. c. 21. q. 10. cum Rich. Ang. & Major. Escob. n. 233. & 237. cum Vasq. Diana, &c. Bon. p. 5. n. 13. cum Sot. Nald. Gutt. Henr. & Rodr.* item *Cajet. Turr. Præpos. Lop. Veracr. Manuel. &c. ap. Sanch. l. 1. D. 46. n. 7.* qui vocat probabilissimam, & communiter probabilem vocant, & tutam *Salm. c. 2. n. 33. Pal. p. 20. n. 3. & 6. Cabass. l. c. & Laym. n. 7.* Eamque absolute docet *D. Th. suppl. q. 53. art. 11. ad.* ibi: *Per votum simplex sunt sponsalia dirimenda.* Ratio S. Doctoris est, quia ubi duæ concurrunt obligationes, potior est præferenda. Ratio alia, quam communius tradunt, est quia promissio sponsalium censetur semper facta sub conditione, nisi melior status eligatur. Idque valere dicunt, etiamsi sponsalia fuerint jurata, quia (ut pluries supra dictum est) juramentum sequitur naturam contractus. Et adest etiam de hoc Decisio S. C. Conc. *ap. Pitton. de Matr. n. 2513.* edita 5. Martii an. 1701. ubi dictum fuit votum castitatis, aut suscipiendi Sacros Ordines, per electionem melioris status irritare sponsalia etiam juramento firmata. Nec officere ajunt præfatum textum in *cap. Veniens;* ubi dicitur *de fide mentita*, ex quo Adversarii arguunt illicite mulierem vovisse castitatem post sponsalia contracta; Nam probabiliter respondet *Pont. l. c. n. 5.* Papam sic dixisse, quia agebatur de foro externo; cum enim votum fuisset secretum, & sponsalia publica, de his quidem constabat, non autem de voto; unde de foro externo merito censendum erat fidem fuisse violatam. Item respondent *Petr. & Conc.* & forte melius, quod ideo Pontifex feminam ream dixit de fide mentita, non quia voverat in præjudicium sponsalium, sed quia in fraudem ipsorum,

nem-

nempe ut sponsum eluderet, & deinde nuberet alteri per dispensationem voti, quam jam petebat. Utraque sententia est probabilis. Recte autem inquit *Conc. n.* 10. quod si Sponsus votum ederet, ut sponsam eluderet, scil. petendo dispensationem post votum, ut alteri nuberet, tunc graviter peccaret, & priora sponsalia, deberet implere. Item probabilius dicunt *Salm. d. num.* 33. *cum Reb. & Aversa*, quod etiamsi sine animo eludendi sponsus voverit castitatem, si postea obtineat dispensationem voti, non poterit aliam ducere, quia prior obligatio non omnino extinguitur, sed tantum suspenditur, donec castitas servatur; Sed non omnino improbabiliter *Bon. n.* 16. & *San. D.* 56. *n.* 8. id negant, quia per votum priora sponsalia omnino solvuntur; unde, cum obligatio illa omnino sit extincta, per dispensationem voti non reviviscit; & huic consentit etiam *Conc. l. c.* quamvis addat teneri de honestate Sponsum ducere desponsatam; ut scandala, & murmura vitentur.

874 Dubit. 2. ad quid teneatur vir qui vovit Religionem, Ordines, vel Castitatem, & postea mulierem cognovit sub promissione Matrimonii? Vide dicta *T. I. l.* 3. *n.* 649. ubi tenuimus *cum Less. Sanchez, Lugo, Vasq. Con. &c.* (contra *Laym. Salm. &c.*) quod si mulier fuerit inscia voti, non obstante voto, ille tenetur ad Matrimonium, sive ejus promissio fuerit vera, sive ficta; imo etiamsi mulier fuerit conscia voti, probabiliter tenetur petere dispensationem. Utrum autem casu quo mulier fuerit inscia voti, possit Sponsus eam ducere sine dispensatione? Negant *Salm. de Rest. c.* 3. *n.* 3. *Lugo de Just. Dist.* 12. *n.* 41. & *Pont. l.* 6. *c.* 12. *n.* 8. quia, cum de facili possit, tenetur utrique obligationi satisfacere. Sed negant *Tamb. Dec. l.* 5. *n.* 36. & *Spor. de Matr. c.* 3. *num.* 601. item *Less. Trull. & Candido ap. Salm. l. c.* quia tunc cessat, sive omnino suspenditur obligatio voti, cum revera non possit tunc utrique obligationi satisfieri, & prævaleat (ut diximus) obligatio Matrimonii ineundi. Contracto tamen Matrimonio, eo casu non poterit vir petere debitum; & ideo recte subdit *Tamb. cum Less.* adeoque dispensationem obtinendam esse, ut etiam petere valeat.

873 „ X. Per *Matrimonium Validum* sponsalia dis-
„ solvuntur saltem quoad eum, qui non contraxit
„ matrimonium; quoad eum vero, qui contraxit,
„ non extingui obligationem, si alter exspectet, sed
„ suspendi, & matrimonio isto soluto, teneri ad
„ implenda sponsalia priora, docet *Pont.* contra
„ *Sanch.* qui vult omnino dissolvi. Vide *Dian.*
„ *p.* 3. *t.* 4. *R.* 209. "

Quæritur, an per Matrimonium subsequens omnino dissolvantur sponsalia antecedentia? Certum est, quod, durante Matrimonio post sponsalia cum alio contracta, cessat illorum obligatio, ex *c. Si inter, de spons. & c.* 1. *de spons. duor.* Dubium est, an, illo soluto per mortem conjugis, urgeat obligatio priorum sponsalium? *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Bon. p.* 2. *n.* 1. *Laym. c.* 2. *in fine, Wigandt tr.* 16. *n.* 25. *Conc. p.* 272. *n.* 13. (qui huic inclinat) *Escob. n.* 241. *cum Ben. Fill. Herr. Rodr. Vill. Machad. ac Sanch. l.* 1. *Dist.* 48. *r.* 3. *cum Palud. Manuel. Gabr. &c. cum S. Bonav.* qui sic ait: *Jurantem sponsalia, aliudque ineuntem Matrimonium amplius non obligari.* Ratio, quia obligatio semel extincta nunquam reviviscit ex *c. Quæris, de Consec. Dist.* 4. *Secunda* vero sententia mihi absolute probabilior affirmat, & hanc tenent *Pont. l.* 12. *c.* 13. *n.* 4. *Rom. p.* 138. *q.* 6. *R.* 1. *Pal. p.* 21. *n.* 4. *cum Conc. Led. Adriano &c. ac Salm. c.* 2. *n.* 39. qui, licet contrariam probabilem vocent, hanc tamen veriorem putant *cum Gonet, Sylvio, Leand. Vega*, & alii. Ratio, quia nullo jure probatur, quod sponsalia per Matrimonium subsequens omnino irritentur; non jure positivo, quia nullibi hoc habetur: non naturali, quia obligatio sponsalium, durante Matrimonio cum illa persona inito, utique pro illo tunc non obstringit, & ideo suspenditur quidem, sed non extinguitur; prout patet in eo qui post votum Religionis Matrimonium consummaret, hic enim mortuo conjuge teneretur quidem votum adimplere. Nec valet dicere cum *Sanch.* quod hoc procedit quando vinculum superveniens est diversæ rationis, non vero si vincula sint ejusdem, ut sunt Matrimonium, & sponsalia; Nam respondetur, nihil referre quod obligatio subsequens sit ejusdem vel diversæ rationis, semper ac possit primæ obligationi satisfieri; tantummodo attendenda est conditio vinculi subsequentis: si illud est perpetuum, utique extinguitur prima obligatio; si vero est temporale, illa suspenditur donec impleri possit vinculo cessante; prout si quis venderet equum uni, & deinde venderet, & traderet illum alteri, casu quo rediret equus in dominium ipsius, certe teneretur eum tradere primo emptori, ut colligitur ex *l.* 15. *Cod. de Rei vend.*

„ XI. Si Sponso *nova superveniat hæreditas*, 876
„ ita ut illi Sponsa jam sit inæqualis, non habet
„ ideo jus resiliendi; quia non est deceptus in
„ conditione Sponsæ, in qua nulla facta est muta-
„ tio. Idem est de sponsa, si ipsi hæreditas nova
„ superveniat. *Sanch. Conc. Regin. Dian. p.* 3. *t.*
„ 4. *R.* 286.

Ita cum *Busemb.* sentiunt communissime *Pal. p.* 28. *n.* 3. *Sanch. l.* 1. *D.* 59. *n.* 7. *Conc. p.* 276. *n.* 23. *Roncagl. p.* 139. *q.* 8. *v. aliqui*, & *Escob. n.* 306. *cum Gutt.* Sed contradicunt *Hurt. Trull. Leand. & Ochagav. apud. eumd. Escob. n.* 304. (qui probabile putat) eo quod in tali casu jam accedit notabilis rerum mutatio. Juxta autem primam sententiam dicit *Croix. n.* 160. quod si quis contraxit sponsalia cum una, & postea offeratur ei conjugium cum altera ditiore; non poterit primam relinquere, quia tunc nulla in ea facta est mutatio. Sed si qualitas secundæ Sponsæ esset excedenter melior, ego non auderem Sponsum omnino damnare, si cum illa contrahere vellet; licet enim in hoc casu non mutetur status Sponsæ, sive sponsalium, tamen (ut communiter dicunt DD.) sponsalia non obligant nisi rebus in eodem statu manentibus; unde sicut non teneretur Sponsus illa exequi cum magno suo damno, ita nec teneri, alicui videri posset, cum amissione magni lucri; talis enim amissio gravi damno æquiparatur, ex *l. un. C. de Sent. quæ pro eo &c.* juxta *dict. T. I. l.* 3. *n.* 301. Et sic invenio, in Vita S. Joannis a Capistrano *c.* 9. sensisse plures Theologos in hujusmodi casu, quamvis ipse S. Joannes contrariæ fuerit sententiæ, a qua revera abscedere nec unquam ego consulere auderem.

Quæ-

877 Quæritur pro complemento hujus puncti, an dissensus Parentum sit causa solvendi sponsalia? Affirmant *Menochius ap. Croix n.* 101. Et sic etiam sentire debent omnes illi qui dicunt, Trident. *sess.* 24. *c.* 1. jam declarasse quod hujusmodi Matrimonia sine consensu Parentum celebrata, ab Ecclesia sunt prohibita, ita enim dicunt *Petr. t.* 4. *p.* 413. *Ronc. p.* 269. *q.* 3. atque *Fagnan. Gonet Sayr. & Marchant. apud Episc. Muscettula in sua Dissert. de filiis &c. p.* 10. *n.* 11. qui proinde ex præfato textu (*p.* 224. *n.* 330. *ib.*) infert dissensum Parentum esse verum impedimentum impediens Matrimonium. Sed communiter id negant ipse *Croix l. c. cum Gab. Sanch. l.* 1. *D.* 14. *num.* 2. *Laym. c.* 1. *n.* 14. *Holzm. pag.* 167. & 287. cum communi, ut testatur *Elbel pag.* 368. *n.* 9. etiam cum communi, *Sporer n.* 202. & *Boss. c.* 11. *n.* 106. Hi dicunt, quod sponsalia filiorum ex hoc solo capite, quod sint inita sine consensu Parentum, nequeunt irritari, quia eorum consensus non de necessitate, sed tantum de honestate a Jure Canonico requiritur. Excipiunt tamen, nisi magnum scandalum ex tali Matrimonio timeatur, eo quod virtus justitiæ non potest obligare ad actum qui sine peccato impleri nequit; ita *Laym. l. cit. v. Enim vero*, *Nav. c.* 16. *n.* 18. *Holzm. n.* 167. & 266. *ac Sanch. l. c. n.* 3. *cum Cord. Gutt. & Lop.* Et hoc addit *Sanch. ib. cum Lopez* valere, etiamsi nulla sit disparitas inter contrahentes. Advertunt tamen ipse *Sanch. & Holzm.* caute considerandum esse hoc scandalum, sæpe enim (ut dicunt) minæ, & discordiarum pericula jactantur, quæ postea, teste experientia, ubi nuptiæ contractæ sunt, facile cessant, & animi conciliantur. Sed redeundo ad quæsitum, ego censeo dicendum cum *Ronc. p.* 140. *q.* 9. *R.* 1. qui citant *Laym. & Gutt.* quod si Pater injuste dissentiat a tali Matrimonio, filius non potest a sponsalibus recedere, & tam ipse quam Pater peccarent, si vellent ea dissolvere. Secus vero, si Pater juste contradicat, nempe si Matrimonium vergeret in dedecus Familiæ, tunc enim sponsalia illa non obligant, cum nemo possit obligari ad exequendam rem injustam. Et idem dicunt *Laym. & Sanch. l. c.* cum aliis communiter, si ex tali Matrimonio magna scandala sint oritura inter propinquos. Posse etiam (addit *Ronc. R.* 2. filium solvere sponsalia, si Pater juste minetur exheredationem: & ego subdo etiam injuste, quia omnia sponsalia intelliguntur contrahi (ut diximus *n.* 863.) sub hac conditione si non accedat talis mutatio, unde grave sit contrahere Matrimonium. Excipe, nisi hæc exheredatio jam fuerit prævisa, quia tunc contrahens merito censetur juri suo cessisse.

„ Resp. 2. In supradictis causis, quando manifestæ sunt, non requiritur auctoritas Judicis ad „ dissolvenda sponsalia, alioqui requiritur. Quod „ si sponsus, cognito suo jure resiliendi, nihilominus carnaliter cognovit sponsam, censetur tacite suo juri renuntiasse, & sponsalia ratificasse, „ *Laym. c.* 1. *n.* 23.

Dub. 1. An ad sponsalia solvenda semper requiratur auctoritas Judicis? Resp. Certum est 1. quod si sponsalia sunt publica, & causa publica ac certa, non requiritur auctoritas Judicis, & idem dicendum, si sponsalia sunt occulta, & causa occulta; ita *Sanchez l.* 1. *D.* 69. *n.* 3. *Pont. lib.* 12. *c.* 18. *in fin. Nav. c.* 22. *n.* 28. *Holzm. n.* 277. & *Pal. p.* 31. *num.* 1. *cum Sylv. Val. Guttierez* & *Rebell.* Certum est 2. quod si causa est dubia jure, vel facto, omnino requiritur auctoritas Judicis, *Sanch. n.* 8. *Holzm. & Palud. cum Gutt. l. cit.* Quando autem sponsalia sunt publica, & causa occulta, tunc etiam requiritur auctoritas Judicis, sed non sub culpa gravi, nisi inde grave scandalum timeatur; *Pontius c.* 18. *n.* 8. *Holzm. l. cit. Pal. n.* 2. *cum Nav. Lopez & Gutt. ac Sanchez n.* 6. *cum Sylv. An. & Vega.* Si vero causa illa non possit coram Judice probari, nec etiam sub levi auctoritas Judicis exigitur, ut ait *Sanch. n.* 7. *cum Palud. & Henr.* Casu autem quo defectus alterius partis jam probari possit, sed sit occultus, debet pars innocens alteram commonere, & minari quod manifestabit defectum, & si ipsa non acquiescit solutioni sponsalium, licite poterit defectum ad judicium deferre; ut ajunt *Laym. c.* 2. *n.* 12. *Pont. n.* 8. *Sanch. l.* 1. *D.* 70. *n.* 2. *& Pal. num.* 4. *Con. & Reb.*

Dubit. 2. quænam probatio requiratur ad solvenda sponsalia? Distinguendum: Si agitur de probando impedimento, sive dirimente sive impediente, tam in foro interno, quam externo sufficit unus testis juratus, ex *c. Super eod. de Test. & Attest.* etiamsi testis ille sit criminosus, & non citatus, sed a parte productus; & etiamsi clam deponat, & sine manifestatione sui nominis: Ita *Sanch. l.* 1. *D.* 81. *n.* 2. 3. *& 4. Holzm. n.* 277. *Viva q.* 2. *art.* 9. *n.* 1. *Croix n.* 215. *& 217. Pal. p.* 32. *n.* 3. *cum Gutt. & Salm. c.* 2. *n.* 110. *cum Aversa, & Conin.* Et hoc, etiamsi sponsalia fuerint jurata, ut verius tenent *Sanch. n.* 8. *Salm. n.* 111. *cum Cov. Gutt. Trull. Aversa, & Gabr. ac Pal. n.* 6. (contra *Palud. & Lop. ib. n.* 5.) quia testis oculatus, & juratus, magis probat quam fama, quæ certe sufficit ad solvenda sponsalia etiam jurata; vide dicenda *n.* 997. *Dub.* 2.

Si vero agitur de probanda alia causa, quæ non sit impedimentum, sed tantum quæ det alteri jus resiliendi, ut deformitas, fornicatio Sponsæ, &c. quoad forum externum requiruntur saltem duo testes fide digni deponentes sub juramento, ut alii dicunt & communius, prout *Sanch. n.* 7. *Pal. n.* 8. *Laym. c.* 2. *n.* 12. *& Salm. n.* 111. *cum Con. Gutt. Trull. & Gabr.* Quia (ut ajunt) in *c. Veniens, & c. In omni, de Testib.* dicitur duos testes requiri, ubi agitur de præjudicio tertii. Verum sufficere unum testem fide dignum dicunt *Palud. & Aversa ap. Salm. n.* 115. (qui cum *Trull.* horum sententiam probabilem putant), quia durum est compellere virum ad ducendam Sponsam, quam ab aliquo fide digno audit, & prudenter jam suspicari potest fuisse fornicatam. Et revera hæc sententia satis probabilis mihi videtur, loquendo de fornicatione Sponsæ, cum agatur de vinculo perpetuo Matrimonii, & ideo ob talem suspicionem viri prudenter Judex timere potest infelicem exitum ex hoc conjugio proventurum. Et huic sententiæ reipsa expresse consentiunt ipsi *Lay. & Pal. ll. cc.* dum ajunt, quod, stante probabili timore infelicis exitus, licite potest vir a sponsalibus recedere. Quoad forum autem internum, conveniunt DD. cum *Sanchez l.* 1. *D.* 73. *n.* 2. *Pal.*

n.

n. 8. *Croix n.* 215. *cum Gobat. & Salm. n.* 108. *cum Con. Aversa, & Dic.* sufficere ad solvenda sponsalia unum testem fide dignum, minime de mendacio suspectum, & testantem de certa scientia; vel etiam opinionem probabilem de causa sufficienti ad solutionem, ut idem *Sanch. lib.* 1. *D.* 69. *n.* 9. *Croix n.* 217. *& Viva q.* 2. *art.* 9. *n.* 1. Hinc subdunt *Viva, & Sanch. cum Lopez ibid.* quod si vir doctus affirmet causam esse sufficientem, licite poterit pars innocens resilire.

CAPUT II.

DE MATRIMONIO SECUNDUM SE.

DUBIUM I.

Quid sit, quæ ejus materia, forma, & minister:

879 *Quid est Matrimonium? Et in quo consistat ejus essentia?*
880 *Quæ sit Materia Sacramenti Matrimonii?*
881 *Ob quem finem liceat nubere?* 882. *Distinguuntur tres fines. Dub.* 1. *An liceat nubere principaliter in remedium concupiscentiæ?* 883. *Dub.* 2. *An ob fines extrinsecos?*
884 *Quomodo peccent contrahentes in mortali?*
885 *Quæ requirantur ad contrahendum Matrimonium per Procuratorem?* 886. *Quid si qui dedit mandatum sine animo contrahendi, antequam Matrimonium contrahatur, mandatum ratificaverit?*
887 *Qualis consensus sufficiat ad contrahendum? Quid si quis ficte contrahit? An verba sint necessaria ad valorem?* 888. *An sint necessaria de præcepto?* 889. *An sufficiat ad contrahendum donatio anuli, vel traductio Sponsæ?*
890 *An sufficiat consensus conditionatus?* 891. *Quid si conditio est necessaria, aut turpis contra substantiam Matrimonii?* 892. *Quid si apponatur conditio*, si Pater consenserit? *Dub.* 1. *Quid si pater taceat?* 893. *Dub.* 2. *Quid si pater primo dissentit, & postea consentit?* 894. *Dub.* 3. *Quid si tempore conditionis pater erat mortuus?* 895. *An impleta conditione requiratur novus consensus?* 896. *In quo differat conditio a Demonstratione, Causa, Modo, & Die.*
897 *DISSERTATIO de Ministro, & Forma Matrimonii.* 898. *Solvuntur objectiones.* 899. *Illationes ex nostra sententia.*

869 „ Respond. Est Sacramentum inter baptizatos, quo vir, & mulier sibi mutuo legitime corpora sua tradunt ad perpetuam vitæ societatem, usum prolis suscipiendæ, & remedium concupiscentiæ. Materia ex qua, & proxima, est mutuus consensus externis signis expressus, quatenus habet rationem traditionis. Forma autem est idem consensus, quatenus habet rationem acceptationis. *Suar. tr.* 3. *d.* 2. *s.* 1. *art.* 1. *Sanch. Vasq.* Minister non est Sacerdos, sed ipsi contrahentes, quia hi ponunt materiam, & formam. Porro Matrimonium dicitur ratum, quando contractus est factus, etsi non sit secuta copula carnalis; consummatum vero dicitur, quando ea secuta est.

Matrimonium dicitur a *Matris munere*, ut ait D. Thom. sive *ut Mater fiat*, ut D. August. Ante Christi adventum Matrimonium tantum habebat vim contractus, sed a Christo fuit postea evectum ad rationem Sacramenti. De Fide autem est Matrimonium esse Sacramentum, ut definivit Tridentinum *sess.* 24. *c.* 1. ex illo Apostoli (*Ad Ephes.* 5.): *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia*. Unde Matrimonium, ut Sacramentum, significat conjunctionem spiritualem inter Christum, & Ecclesiam.

In Matrimonio, ut habente rationem tam con- 880
tractus, quam Sacramenti, tria considerantur, nempe ratio contractus, vinculum perpetuum animorum cum obligatione reddendi debitum, & copula carnalis. Hoc vero tertium, licet alia duo ad ipsum ordinem ducant, tamen non est essentialis pars Matrimonii, nam sine copula Matrimonium bene consistere potest. Essentia igitur Matrimonii in ratione Sacramenti consistit in contractu inito per mutuum consensum, quia Sacramentum, cum contractus perficitur, tum Gratiam producit. In ratione vero Matrimonii proprie dicti; ejus essentia consistit in vinculo conjugali, quod numquam per se solvi potest.

Quæritur, quæ sit Materia, & Forma, & qui Minister Sacramenti Matrimonii? Communis est sententia, Ministros hujus Sacramenti esse ipsos contrahentes, & Formam ipsorum verba consensum exprimentia, ut probabimus in brevi Dissertatione, quam afferemus in fine hujus Dubii ex *n.* 897. Quo vero ad Materiam, magis DD. discrepant; sed sententias enumerat *Sanch. de Matr. l.* 2. 5. septem *Pont. eod. tit. l.* 1. *c.* 7. Duæ tamen sunt plus receptæ. *Prima*, quam tenent *Busemb. ut supra, & Sanch. l. cit. num.* 6. *Salm. tract.* 9. *c.* 3. *n.* 63. *Ronc. p.* 143. *q.* 4. *R.* 1. & alii plurimi apud ipsos, dicit verba Sponsorum, quatenus exprimunt traditionem corporum, sunt Materia; quatenus vero exprimunt acceptationem, sunt Forma. *Secunda* autem sententia, cui magis adhæreo, & quam tradunt *S. Antonin.* 3. *p. tit.* 1. *c.* 2. *ante* §. 1. *Petroc. t.* 4. *p.* 303. *q.* 2. *Frassen. t.* 12. *p.* 139. *Conc.* 1. *Abelly p.* 200. *q.* 1. *Holzm. t.* 2. *p.* 321. *n.* 316. *Laym. de Matr. c.* 2. *n.* 3. *cum Palud. & P. Soto, ac Pont. lib.* 1. *c.* 7. *cum S. Bonav. Gerson. Vasq. Adrian. Com. & aliis*, dicit Materiam remotam hujus Sacramenti esse corpora contrahentium mutuo tradenda, sive jus mutuum in corpus alterius; Materiam proximam esse ipsam traditionem juris in corpora, factam per verba seu signa consensum exprimentia; Formam vero esse mutuam acceptationem verbis aut signis expressam. De Forma infra loquemur, ut diximus supra. Quod autem Materia remota sint corpora contrahentium, & proxima sit ipsa mutua corporum traditio, sic probatur. Hoc Sacramentum juxta communem sententiam habet rationem contractus; sicut igitur in aliis contractibus res sunt materia remota, consensus expressus per verba est forma, &

tra-

traditio rei est materia proxima contractus, nempe applicatio formæ ad materiam remotam; ita in Matrimonio, corpora (sive jus in corpora), sunt materia remota: consensus expressus per verba, est forma: ipsa autem traditio juris in corpora, est materia proxima, quæ fit per applicationem formæ ad materiam remotam, nempe ad jus quod transfertur. Contractus, autem Matrimonii ad Sacramenti rationem elevatus id habet speciale, quod ad hoc, ut transferatur dominium juris in corpora contrahentium, non requiritur realis traditio rei, ut exigitur in aliis contractibus, sed sufficit sola voluntas externe expressa, ut docent S. Ambrosius *de Instit. Virg. c.* 6. ubi: *Non defloratio virginitatis facit conjugium, sed passio conjugalis*. Et S. Joannes Chrysost. *Hom.* 32. *in Matthæum: Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.*

Unde resolves.

881 „ Valde, & licite contrahi potest cum pacto „ continentiæ, sine intentione prolis, & remedio „ concupiscentiæ. Ratio est, quia non pugnat cum „ essentia Matrimonii. Et patet exemplo Beatæ „ Virginis, & Sancti Josephi.

„ 2. Non videtur licitum, contrahere tantum „ propter voluptatem carnis, vel vanitatem; quia „ finis debet esse saltem honestus. *Nav. c.* 22. *n.* „ 79. *Sanch. l.* 2. *d.* 29. *q.* 3.

„ 3. Licite contrahitur in remedium concupiscen„ tiæ, nihil aliud intendendo, modo proles posi„ tive non impediatur: hoc enim sub mortali non „ licet. *Con. d.* 25. *d.* 2. *n.* 16. *Pont. l.* 1. *c.* 21. „ *Hurt. Perez d.* 16. *s.* 7. *n.* 6. *ex* 2. *Cor.* 7. Hinc „ etiam conjuges, possunt abstinere ab usu conjugii, & optare, ne plures accipiant liberos, „ quam possint alere, dummodo, ut dixi, positive non impediant, nec abortum procurent. *Perez l. c. Bon. q.* 4. *p.* 1. *n.* 12. *Nav. c.* 16. &c.

„ 4. Licite etiam contrahitur ob fines honestos „ extrinsecos fini intrinseco Sacramenti (qui est „ mutua animorum conjunctio & conjugum sanctificatio), non contrarios, v. gr. ad pacem inter regna, vel illustres familias componendam, „ vel splendorem familiæ conservandum. Ita contra *Sanch. & Sylv.* docent *Præp. Pont. Gasp. Hurt. Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 219. V. *Per. dist.* 12. *s.* 6. *n.* 7. ubi cum *Dian. l. c.* etiam permittit, ob divitias, & nobilitatem.

„ 5. Valide, sed illicite contrahitur cum intentionem negandi debitum, vitandi prolem, vel etiam non educandi, mœchandi, &c. nisi tamen „ talis intentio in pactum deducatur, idest nisi adjiciatur tanquam conditio obligans ad aliquid „ contrarium essentiæ matrimonii. Unde invalide „ contrahit, qui vinculum matrimonii vult tantum durare per annum, vel reservat sibi potestatem adulterandi, vel non reddendi debitum debite exigenti. V. *Perez s.* 5. *&c. l. c.*

882 Tres fines in Matrimonio considerari possunt, fines intrinseci essentiales, intrinseci accidentales, & fines accidentales extrinseci. Fines *intrinseci essentiales* sunt duo, traditio mutua cum obligatione reddendi debitum, & vinculum indissolubile. Fines *intrinseci accidentales* pariter sunt duo, procreatio prolis, & remedium concupiscentiæ. Fines autem *acoidentales extrinseci* plurimi esse possunt, ut pax concilianda, voluptas captanda, &c. His positis certum est 1. quod si quis contraheret, positive excludendo fines intrinsecos substantiales Matrimonii, nempe animo non reddendi debitum, vel contrahendi ad tempus, non solum peccaret, sed nullum iniret Matrimonium; ita communiter omnes cum *D. Th. in* 4. *D.* 31. *q.* 1. *art.* 3. Certum est 2. quod si quis excluderet duos fines intrinsecos accidentales, non solum valide, sed etiam licite posset quandoque contrahere, prout si esset senex, & nuberet sine spe procreandi prolem, nec intenderet remedium concupiscentiæ; sufficit enim, ut salventur fines substantiales ut supra; & sic contraxerunt B. Virgo cum S. Joseph, qui utique non intenderunt procreationem prolis, nec remedium concupiscentiæ, & tamen validum quidem & licitum conjugium inierunt, ex *Matth. c.* 1. ubi: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.*

Dubitatur 1. An venialiter peccet, qui nubit principaliter ob remedium concupiscentiæ? *Prima* sententia affirmat & hanc tenet *S. Th. Suppl. q.* 49. *art.* 5. *ad* 2. quem sequuntur *Nav. c.* 22. *n.* 9. *Natal. Alex. a.* 3. *reg.* 3. *Conc. t.* 10. *de Matr. pag.* 393. *n.* 5. *Bossius c.* 10. *n.* 263. *cum Sylv. Henr. & Lod. ac Sanch. l.* 1. *D.* 29. *n.* 26. Id probant ex auctoritate plurimorum SS. Patrum. Item probant ratione, quia, licet remedium concupiscentiæ sit etiam finis honestus Matrimonii, finis tamen primarius est procreatio prolis; unde contra rationis ordinem est, ut finis secundarius præ primario eligatur. *Secunda* vero rententia non minus communis, nec minus probabilis, negat ullo modo peccare, modo contrahens non excludat finem procreandæ prolis; ita tenent *Palaus p.* 10. *n.* 3. *Ronc. pag.* 144. *q.* 2. *R.* 2. *Croix l.* 6. *p.* 3. *num.* 236. *Holzm. n.* 180. *Boss. t.* 2. *c.* 7. *n.* 43. *Salm. c.* 3. *n.* 28. *cum Con. & Dic. Pont. l.* 1. *c.* 21. *n.* 4. *cum P. Soto, Gabr. Almain. Cov. &c.* item *Caj. Major., Durand. Ricch. Palac. Sa, Med. Philiarch. Angeles, Perez, Ugolin &c. ap. Sanch. l.* 9. *D.* 9. *n.* 3. Et id quod dicunt de Sponsis, idem asserunt de Conjugibus, qui copulam habent principaliter ad concupiscentiam sedandam. Ratio hujus sententiæ est, quia Matrimonium est a Deo institutum non solum ad prolem procreandam, sed etiam in remedium concupiscentiæ, ut probatur ex Apost. 1. *Cor.* 7. ubi: *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum.* Huic tamen textui respondet S. Th. *l. c.* sic dicens: *Si aliquis per actum Matrimonii intendat evitare fornicationem in Conjuge, non est aliquod peccatum, quia hæc est quædam redditio debiti; sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas: & secundum hoc est peccatum veniale; nec ad hoc est Matrimonium institutum nisi secundum indulgentiam; quæ est de peccatis venialibus.* Sed venia tanti Doctoris (cujus sententiis universe obsequi in ceteris ego studui) magis propria videtur interpretatio S. Joannis Chrysostomi, cujus verba mox infra afferam, & quem sunt sequuti *Estius, Salmeron, & Cornelius*, nempe quod illud *propter fornicationem*, non intelligitur de vitanda fornicatione Conjugis, sed propria: Idque videtur patere ex contextu ejusdem Apostoli in dicto *cap.*

7. ubi dicitur: *Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat.* En quomodo Apostolus viris consilium præbet, ut abstineant a tactu mulierem; si vero ipsi in periculo sint incontinentiæ, ne incidant in fornicationem, remedium non solum permittit, sed suadet, dicendo, *unusquisque suam uxorem habeat.* Et quamvis addat: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium:* Id tamen profert pro iis qui non sunt incontinentes, quibus tantum permittit nubere, sed suadet a nuptiis abstinere, dum ait: *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego.* Neque hic *indulgentia* importat permissionem culpæ venialis, verius enim (ut ait *Pont. cum Est., Salmeron., & Cornelio*) indulgere non est veniam dare ad leviter peccandum, sed permittere ut licitum. Cum autem D. Paulus sermonem revocet ad eos qui sunt in periculo incontinentiæ, non solum permittit, sed etiam ipsos ad nubendum absolute hortatur, dicens (*vers.* 9.): *Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.* To enim *nubant* verius hortationem, quam permissionem importat. Id bene confirmatur ab eo quod dicit Apostolus eodem loco (1. *Cor.* 7. 5.) ubi loquens de Conjugibus scribit: *Nolite fraudare invicem; nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Si licet ergo Conjugibus debitum petere, tantum ad vitandam incontinentiam, licebit etiam ob eundem finem Matrimonium inire. Hinc S. Joannes Chrysostomus explicans textum Apostoli, inquit, unam ex causis, cur Deus instituerit Matrimonium, esse, ut vitetur incontinentia, en ejus verba: *Quæ igitur fuit causa conjugii? Et cur illud datum est divinitus? Audi Paulum dicentem?* Ad vitandas scortationes quisque suam uxorem habeat &c. *Ut scortationem vitemus, ut moderemus concupiscentiam, contenti uxore propria, hoc nobis affert conjugium, hic ejus fructus, hoc inde lucrum est, in hoc quærendæ nuptiæ, ut ad vitam pudice degendam nos adjuvent.* Ita S. Doctor *Hom.* 9. *t.* 6. *col.* 19. Ad auctoritates SS. Patrum quæ opponuntur, respondet *Auctor Petrocorens. t.* 1. *p.* 142. *v. Sed quia*, quod ideo Patres Conjuges damnant, quia eos libidinis impetum sequi supponunt. Ad rationem autem contrariæ sententiæ, nempe quod sit deordinatio eligere finem secundarium præ primario; Respondetur, quod deordinatio quidem esset, si ordinaretur finis primarius ad secundarium, sed non si ex duobus finibus licitis secundarius præ primario eligatur. Hujusmodi tamen fines intrinseci accidentales vel procreandæ prolis, vel vitandæ incontinentiæ, ut honesti sint, oportet ut referantur ad Deum, si non actualiter, saltem virtualiter, aut habitualiter, ut communiter tradunt *Sanch. l.* 8. *D.* 9. *n.* 3. *Pont. l.* 10. *c.* 8. *n.* 2. *& Boss. t.* 2. *c.* 7. *n.* 17. *cum Reg. Vill. Fill.* &c.

883 Dubit. 2. An sit licitum contrahere Matrimonium principaliter ob fines accidentales extrinsecos, nempe ob voluptatem captandam, pacem familiarum conciliandam, & similia? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Pont. l.* 1. *c.* 21. *n.* 13. *Pal. p.* 10. *n.* 3. *& Salm. c.* 3. *n.* 29. *cum Cajet. Con. & Gabr.* ac probabilem putat *Sporer n.* 298. *cum Tamb.* modo non excludatur finis debitus intrinsecus ut supra. Ratio, quia semper ac finis debitus retinetur, non est illicitum nuptias ad fines indifferentes ordinare; tunc enim finis (v. gr. voluptatis) non est principalis, sed tantum impellens ad contrahendum Matrimonium, quo jam cohonestatur voluptas. *Secunda* sententia negat, & hanc tenent *D. Th. in* 4. *D.* 31. *q.* 2. *art.* 3. *Sporer n.* 297. *Tamb. tr.* 4. *c.* 2. §. 3. *n.* 11. *Ronc. p.* 144. *q.* 2. *R.* 2. *in fine, & Sanch. l.* 6. *D.* 11. *n.* 4. citans S. August. & S. Anselm. Ratio, quia non potest esse immune ab aliqua deordinatione, velle ordinare rem sacram ad profanam, & Matrimonium contrahere ob fines alienos ab illis per quos nuptiæ sunt licitæ. Ego puto distinguendum: Si finis sit per se honestus, nimirum pax populi, amor inter consanguineos, honoris familiæ conservatio, sanitatis tuendæ, & similia, tunc puto dicendum cum *Busemb. ut supra n.* 4. *Pont. l. c. Con. D.* 25. *dub.* 1. *n.* 14. *& Pal. d. n.* 3. (qui id habet ut certum, contra *Sanch.*) licite Matrimonium contrahi, quia hæc non est deordinatio, ut mox supra diximus, eligere aliquem ex finibus secundariis honestis præ fine primario, modo iste non excludatur. Secus vero, si finis non sit honestus, nempe si sit voluptatis, vel cupiditatis divitiarum, aut vani honoris, ut tenent *Busemb. n.* 2. *cum Nav. & Sanch. & Viva q.* 3. *ar.* 2. *n.* 4. cum communi.

„ 6. Contrahentes, ut non peccent, debent es- 884
„ se in gratia, etiam tunc, quando per procura-
„ torem contrahunt: quia verum Sacramentum su-
„ scipiunt, licet dormiant. Secus est de procura-
„ tore, per quem contrahunt, uti & de Sacerdote
„ copulante; quia nec suscipit, nec administrat Sa-
„ cramentum, sed tantum ut testis assistit. *Card.*
„ *de Lug. de Sacr. dub.* 6. *s.* 9. *n.* 155. * (*Ita*
„ *Salm. c.* 3. *n.* 89. *cum Sanch. & communi.*
„ *Peccaret autem mandans, si tunc esset in mor-*
„ *tali, eodem modo ac si per se contraheret;*
„ *Ronc. p.* 143. *q.* 6. *& Bon. p.* 5. *n.* 12. *cum Reb.*
„ *Con. Gutt. &c. Et peccaret quidem duplici pec-*
„ *cato sacrilegii: primo quia indigne susciperet*
„ *Sacramentum: secundo quia indigne ministra-*
„ *ret, ut dicemus n.* 897. *& seq. Sed hoc ulti-*
„ *mum probabiliter non est mortale juxta dicta*
„ *de Sacr. in gen. n.* 32. *cum Sponsi non sint*
„ *Ministri ad tale Sacram. consecrati.*) *

Notandum hic, quod, ut Procurator contrahat 885
Matrimonium nomine alterius, plura requiruntur; scil. I. Speciale mandatum; ad quod autem non requiruntur scriptura, sed sufficit si detur oretenus, ut dicunt *Sanch. l.* 2. *D.* 11. *n.* 5. *& 14. Salm. cap.* 3. *n.* 97. *in fin. & Pal. part.* 9. *n.* 7. *cum Gutt. et Perez.* Nec requiritur diversitas sexus, unde, bene hoc officium gerere possunt duo mares, vel duæ feminæ, ut *Sanch. n.* 15. *et Pal. ibid. cum Guttier.* II. Ut mandatum sit de contrahendo cum determinata persona; vide *Salm. l. c.* III. Ut Procurator per se contrahat; non potest enim ipse alium delegare, nisi habeat expressam & specialem a mandante licentiam. Et hæc tria habentur expresse in *c. final. de Procurat. in* 6. IV. Ut mandatum non sit revocatum

(nec

(nec etiam mentaliter) a mandante, antequam Matrimonium celebretur; *Sanch. n.* 6. *Pal. n.* 2. *& Salm. n.* 98. *cum Pont. & Bonac.* Et hoc currit, etiamsi revocatio fiat tacite, nempe si quis mandatum cederit contrahendi cum una, & postea celebret sponsalia cum alia; *Sanch. n.* 10. *& Pal. d. n.* 2. *cum Cov. Con. & Gutt.* V. Ut Procurator ostendat mandatum Parocho & testibus, & coram eis contrahat Matrimonium, juxta formam Tridentini. Non requiritur autem, ut coram eisdem tradatur mandatum Procuratoris ex parte mandantis; *Sanch. n.* 23. *& Salm. n.* 102. *cum Pontio, Bon. &c.* VI. Ut procurator limites mandati non excedat. In hoc tamen advertendum, quod si conditio sit requisita a mandante, scilicet ut contrahatur cum tali dote, tali tempore, &c. si non servatur conditio, Matrimonium erit nullum; *Sanch. n.* 17. *Ronc. pag.* 143. *q.* 6. *& Con. D.* 24. *dub.* 9. *n.* 67. Si vero conditio sit requisita a jure, nempe ut contrahatur præmissis Denunciationibus, obtenta licentia Episcopi, &c. tunc validum erit Matrimonium sine ipsis initum, ut communiter dicunt *Bon. p.* 5. *n.* 8. *Sanch. n.* 18. *Nav. c.* 17. *n.* 78. *& Salm. nu.* 101. *cum Pal. Trull. Reg. Diana*, &c. Quia Matrimonium sine illis per se est validum, quamvis illicitum; ergo sic etiam, cum celebratur per Procuratorem; talis enim forma apponitur ad rite faciendum actum, sed non ut conditio, sine qua mandatum sit invalidum.

886 Quæritur hic, an qui dederit mandatum sine animo contrahendi, sed ante celebrationem Matrimonii mandatum ratificavit, tunc valide Matrimonium contrahatur? Negant *Pal. p.* 8. *n.* 2. *& Coninck. D.* 27. *dub.* 7. *n.* 72. quia mandatum illud, deficiente animo contrahendi, fuit nullum, & ideo non potuit solo consensu reconvalidari, sed oportet ut denuo consensu expresso constituatur. Sed affirmant *Sanch. l.* 2. *D.* 11. *n.* 13. *Bonac. part.* 5. *n.* 6. *Roncag. pag.* 143. *qu.* 6. & *Sal. c.* 3. *n.* 104. *cum Trull.* Ratio, quia procurator ideo valide contrahit, in quantum suis verbis significat voluntatem non jam præteritam, sed præsentem mandantis; sufficit igitur, quod tempore quo contrahit, adsit voluntas mandantis, ut valeat actus. Hæc videtur probabilior, sed primam non censeo improbabilem. In talibus autem nuptiis Parochus interrogare debet procuratorem: *Vis in uxorem Luciam nomine N. N.?* Et feminam: *Vis in maritum Franciscum, mediante præsenti suo procuratore?* Vide *Salm. n.* 107. Matrimonium autem per epistolam contrahitur, quando unus, e. g. Sponsus scribit ad Sponsam, se illi tradere in maritum, & ex tunc eam acceptare in uxorem; & Sponsa idem rescribit viro, & uterque postea epistolas legit coram Parocho, & testibus. Sed quando vir scribit feminæ, se illi in virum tradere, & acceptare illius consensum ex tunc quo illa præstiterit, tunc, licet femina non rescribat, sufficit ut Matrimonium contrahatur, si femina coram Parocho, & testibus litera aperiat, & consensum præstet; ita *Sanch. l.* 2. *D.* 12. *n.* 3. *Salm. c.* 3. *n.* 108. *cum Diana, & Vill. ac Pal. p.* 9. *n.* 11. *cum Nav. Mol. Con. Henr. & Gutt.*

„ 7. Conjux habet potestatem in alterius cor-
„ pus, sed non ad exercendam libidinem generationi adversantem.

„ 8. Requiritur consensus de præsenti, verbo, 887
„ scripto, aut nutibus expressus. Sufficit tamen
„ exprimere per alium, ut si parentes pro filiis
„ contrahant, his tacentibus. Vid. *Dian. p.* 3. *t.*
„ 4. *R.* 272. * (*Id quod dictum est de sponsalibus filiorum, quæ ipsis tacentibus a parentibus*
„ *contrahuntur* (*vide ex n.* 838.) *idem dicitur*
„ *de ipsorum Matrimonio tali modo inito. Vide*
„ *Salm. c.* 6. *n.* 61. *cum D. Thom. Snnch. Bonac.*
„ *Con. &c.*). * Sufficit etiam 2. si alterius con-
„ sensui præcedenti, & non revocato, alterius ac-
„ cedat. Unde si quis coram Parocho non vere
„ consenserit, satisfacit consentiendo postea “.
Vid. *Dian. l. c. R.* 292. * (*Vir autem ficte Matrimonium contrahens tenetur ducere, ut docent Lugo de Just. D.* 12. *n.* 48. *& Croix l.* 6. *part.* 3. *n.* 258. *cum Sanch. lib.* 1. *Dub.* 11. *etiamsi adsit disparitas, quæ* (*ut ait Lugo*) *raro excusat. Excipitur tantum* 1. *Si fraus mulieris intercesserit, ut declaravit S. C. Vide P. Zach. ap. Croix l. c. Excipitur* 2. *Si nullum damnum sit puellæ obventurum, ut ajunt Sanch. l. c. n.* 5. *& Croix dicto n.* 258. *cum Palao, & Krimer.* *

Certum est apud omnes (exceptis paucis quos refert *Bossius c.* 3. *n.* 41.), ad contrahendum valide Matrimonium verba non esse necessaria, ut docent *D. Th. in* 4. *D.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *qu.* 2. *ad* 2. *& Bellarm. de Matr. c.* 8. *Sanch. l.* 2. *D.* 31. *n.* 5. *Roncag. p.* 144. *qu.* 1. *& Bossius n.* 44. *cum Panorm. Navar. Cov.* & alii passim. Probatur ex *cap.* 23. *de Sponsal.* ubi muti & surdi valide quidem nubunt; & ex *c. un.* §. *Fin. de Despons. impub. in* 6. ubi dicitur ad Matrimonium filiæ sufficere consensum Parentum, si ipsa taceat; item ex *c. Is qui fidem de Sponsal.* ubi olim Sponsalia per copulam in Matrimonium transibant. Ex quibus Canonibus infertur, verba non esse necessaria, cum ibi sufficiat ad contrahendum consensus signis tantum expressus, & etiam præsumptus. Clarius id probatur ex *c. Tuæ fraternitati* 25. *de Spons.* ubi ad quæstium: *Utrum ex solis verbis Matrimonium contrahatur?* Innocentius III. sic respondit: *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum, sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia de præsenti; nam surdi & muti possunt contrahere Matrimonium per consensum sine verbis.*

An autem verba sint necessaria de præcepto; 888
Alii affirmant ut *Aversa, Cornejo, & Rodrig. ap. Salm. c.* 6. *n.* 52. Et probant ex verbis mox supra relatis (in *cit. c. Tuæ fraternitati*): Sunt necessaria, *quantum ad Ecclesiam, verba, &c.* Et ideo sentiunt peccare graviter Sponsos, qui signis tantum consensum exprimunt, cum possint verbis. Alii autem negant verba esse de præcepto: ita *Pontius l.* 2. *c.* 7. *n.* 14. *Pal. p.* 7. *n.* 7. *Viva qu.* 4. *ar.* 2. *n.* 1. *& Diana p.* 3. *tr.* 4. *R.* 248. Quia (ut ajunt) nullibi patet tale adesse præceptum. Respondent ad præfatum textum, Pontificem ibi minime intendisse excludere alia signa consensum exprimentia, & dixisse necessaria esse verba *quantum ad Ecclesiam*, non quoad substantiam actus, sed quoad faciliorem conjugii probationem. Et sic sen-

sentit etiam *Glossa ib. v. Verba*; dicens: *Non contrahitur sine verbis, vel per aliquod aliud, per quod intelliguntur consentire*. Ac ideo ait *Pontius*, Tridentinum *sess. 24. c. 1.* nihil aliud requirere, nisi quod *Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat, Ego vos conjungo, &c.* Alii vero probabilius dicunt verba requiri; sed tantum sub culpa veniali, ita *Sanch. l. 2. D. 31. n. 10. Ronc. p. 144. q. 1. R. 2. & Boss. c. 3. n. 48. cum Con. Fill. & Henr.* quia alias ageretur contra consuetudinem Ecclesiæ. Sed a tali culpa bene excusaret verecundia, aut alia rationabilis causa.

889 Certum est, quod donatio anuli, vel traductio Sponsæ in domum Sponsi de se non sunt signa sufficientia ad contrahendum Matrimonium, nisi hæc ex consuetudine loci habeant consensum significare; ita communiter *Sunch. l. 1. D. 22. n. 1. & 3. Pon. l. 2. c. 1. n. 3. & Salm. c. 6. n. 60.* & alii passim. Sufficiens vero est signum si viro exprimenti consensum femina manum porrigat, ut communiter AA. citati. An autem sufficiat, si manum non retrahat a viro manum porrigente? Pariter affirmant *Pon. n. 8. & Viva q. 4. art 1. n. 1.* Sed verius huic contradicit *Sanch. l. c. n. 6. ex c. 1. de Sponsal. duor.* ubi sic dicitur: *Fides autem consensus est, quando, etsi non stringit manum, corde tamen & ore consentit ducere.* Unde non sufficit ad contrahendum, quod alter manum non retrahat, quando fides datur, sed insuper requiritur ut ille ore consensum exprimat; ita etiam *Glossa v. stringit.*

„ Quær., an sufficiat consensus conditionatus?

890 „ Resp. 1. Sufficit conditionatus, sub conditio-
„ ne de præterito, vel præsenti, stante conditio-
„ ne: quia tunc contractus non suspenditur. * (*Et*
„ *hoc currit etiam si conditio esset turpis, scili-*
„ *cet:* Te volo, si fornicasti; si odio habes inimicum meum. *Tunc enim non verificata con-*
„ *ditione, Matrimonium est nullum, quia omnino ibi deest consensus.*) *

„ Resp. 2. Sufficit sub conditione necessaria de
„ futuro, dummodo contrahentes non intendant
„ suspendere tantisper consensum, v. gr. *duco te,*
„ *si cras sol oriatur.* Item sub conditione de futuro impossibili, v. g. *si cælum tetigeris*, vel
„ de futuro turpi, modo non repugnet substantiæ
„ matrimonii, & consensus sit absolutus, v. g. *si*
„ *patrem occideris.* Ratio est, quia tales condi-
„ tiones habentur pro non adjectis. *Sanch. l. 5.*
„ *dub. 15. Mol. Fill. Less. l. 2. c. 18. dub. 15.*
„ *Laym. Bonac.*

„ Resp. 3. Non sufficit sub conditione de futu-
„ ro, quæ sit contra substantiam obligationis ma-
„ trimonialis, v. g. si prolis generationem impedi-
„ re velis maleficio, vel victum comparare adul-
„ terio. Patet ex *c. fin. de cond.* V. *Sanch. l. 5.*
„ *d. 10. Con. d. 29. dub. 3. Fill.* &c.

891 Si igitur conditio de futuro est necessaria, nempe *si pater tuus morietur; si cras sol occidet, &c.* de se non suspendit Matrimonium, ut communiter dicunt *S. Th. in 4. D. 29. qu. 2. art. 3. q. 3. Ronc. p. 145. q. 4. R. 1. Holzm. n. 341. & Salm. c. 7. n. 9. & 10.* cum aliis. Dicitur *de se*, nam si contrahens sic dicens intendit velle exspectare tempus talis conditionis, tunc Matrimonium suspenditur usque ad illius eventum; *Ronc. & Holzm. l. c. & Salm. n. 12. & Conc. p. 207. n. 30.* Si vero conditio esset turpis, tunc distinguendum: Si illa sit contra substantiam Matrimonii, nempe contra bonum Sacramenti, fidei, vel prolis, tunc utique nullum reddit Matrimonium. Secus vero si conditio esset alio modo turpis (vel si esset impossibilis); hæc enim, licet in aliis contractibus nullum contractum redderet, saltem ante impletionem ipsius, ut dicunt *Holzm. n. 444. & Viva qu. 4. art. 6. n. 5. ex Instit. §. 11. de Inu. stipul.* tamen in Matrimonio habetur pro non adjecta; ita expressum est in *c. finali de Condit. appos. &c.* ubi: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri:* Contraho tecum, si generationem prolis evites: vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem; aut si pro quæstu adulterandam te tradas; *matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Ratio est; quia, quando conditio est turpis, vel imposibilis, tunc præsumit Ecclesia adesse absolutum consensum contrahentium. Unde bene advertunt *Pont. l. 3. c. 4. n. 9. Boss. c. 10. n. 123. Salm. c. 7. n. 2. & Viva q. 4. art. 6. n. 5.* quod si partes nollent vere contrahere, nisi verificatis his conditionibus, tunc Matrimonium esset quidem invalidum. In dubio tamen præsumendum est illas appositas esse joco, & non animo suspendendi consensum, ut ajunt *Sanch. l. 5. D. 3. n. 15. Pont. d. n. 9. Ronc. p. 145. q. 5. R. 2. Holzm. & Viva l. c.* ex *c. fin. de Sentent. &c.* ubi in dubio semper judicandum pro valore Matrimonii.

Quær. autem hic, quid dicendum, cum Matri- 892
monium celebratur sub conditione, si *pater meus consenserit?* Resp. si conditio est de præsenti, vel præterito, stante consensu Patris, jam valet Matrimonium, etiamsi contrahentes illum ignorent. Quando vero conditio est de futuro, tunc omnino suspenditur Matrimonium usque ad eventum conditionis; hæc certa sunt apud omnes, vide *Sanch. l. 5. D. 7. n. 3. & Pont. l. 3. c. 13. num. 23.* Sed

Dubit. 1. Quid dicendum, si Pater taceat? Respondetur, tunc pensandæ sunt circumstantiæ; nam si conjectura sit talis quod Pater taceat quia dissentit, puta si Pater taceat ne forte Domino, vel Amico displiceat; tunc taciturnitas habenda est pro dissensu; Secus si conjectura sit, quod ideo tacet quia sibi placet; ita *Sanch. l. c. n. 11. & Conc. p. 210. n. 34.* In dubio autem de consensu vel dissensu Patris, standum est intentioni contrahentium, an ipsi contenti fuerint, vel ne, quod Pater positive non contradicat, ut ait *Bonac. q. 2. p. 10. n. 20.* Sed quid si dubium sit de hac intentione nubentium? *Angel., Led., & Dicast. ap. Salm. c. 7. n. 58.* dicunt tunc requiri positivum consensum Patris, & merito id probabile *Salm.* putant, quia conditio debet impleri in specifica forma, ex *l. Qui hæredi. §. 1. & l. Mævius, ff. de condit. & demonst.* At communius, & etiam probabiliter ajunt *Ronc. p. 147. q. 7. R. 1. Bon. l. c. Viva q. 4. ar. 6. n. 7.* cum communi,

ni, ut asserit, *Spor. n.* 326. *Sanch. l.* 5. *D.* 7. *n.* 12. *cum Adr. Præp. Nav. Lop. &c. ac Salm. n.* 59. *cum Henr. Sylvest. Cornejo, Leand. &c.* hujusmodi taciturnitatem habendam pro consensu, quia talis conditio, *si pater consentiet*, juxta communem sensum intelligitur, si positive non dissentiet. Idque tanto magis locum habebit, si Pater moriatur antequam dissentiat, ut recte inquit *Viva l. c.* contra *Pont. l.* 4. *c.* 17. *n.* 15. Bene autem advertit *Ronc. l. c. Reg. in prax.* 2. quod Parochi sine urgentissima causa nunquam admittere debent hæc Matrimonia conditionalia, propter plura inconvenientia & difficultates, quæ deinde occurrere possunt contra ipsorum validitatem.

893 Dubit. 2. Quid si Pater certior factus primo dissentit, & postea consentit, an tunc censeatur impleta conditio? Negant *Sanch. l.* 5. *D.* 7. *n.* 10. *Pont. l.* 4. *c.* 17. *n.* 15. *Ronc. p.* 146. *q.* 7. *R.* 1. *et Salm. c.* 7. *n.* 57. *cum Soto, Con. Per. Dic. etc.* quia, posito dissensu Patris, jam deficit conditio apposita pro Matrimonio, & ideo possunt contrahentes ab eo recedere, etiamsi Pater postea consentiat: obligatio enim semel extincta amplius non reviviscit. Oppositum vero tenent *Sylv., Lop., Tab., etc. ap. Sanch. n.* 9. quia (ut ajunt) tunc contrahentes adhuc perseverant in eodem proposito & animo se obligandi. Hæc ratio, per se loquendo, mihi non probatur; sed valde probabilis videtur hæc secunda sententia, si Pater post breve intervallum consentit, ut dicunt *Pal. p.* 11. §. 2. *n.* 7. *Nav. c.* 22. *n.* 61. *et Viva q.* 4. *ar.* 6. *n.* 7. *cum Hurt. et Con.* Ex communi enim intelligentia verba talis conditionis morali modo accipiuntur, idest si Pater acquiescat intra aliquod breve tempus juxta arbitrium prudentium. Sicut e converso Matrimonium probabilius dicendum est invalidum, si Pater post consensum mox dissentit: ut *Viva l. c. et Conc. p.* 210. *n.* 34. Et huic sententiæ adhæret *Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 86. recte dicens quod tum sponsalia dissolvuntur, cum Pater ita firmiter dissentit, ut nulla sit spes quod intra breve tempus consentiet.

894 Dubit. 3. Quid si tempore conditionis positæ de consensu Patris, Pater erat jam vita functus? Respondetur: Si contrahentes jam conscii erant de morte Patris, tunc conditio illa habetur ut non adjecta, tamqnam impossibilis; ita communiter *Pal. p.* 11. §. 2. *n.* 9. *Salm. c.* 7. *n.* 59. *cum Henr. Bonac. p.* 10. *n.* 20. *cum Con. Gutt. et Fill. ac Sanch. l.* 5. *D.* 7. *n.* 19. *cum Nav. Sylv. Lop. Led. et Præp.* Majus dubium est, si tunc inscii erant, an valeat Matrimonium? Negant *Nav. c.* 22. *n.* 64. *ac Sylv. Præp.* & alii *ap. Sanch.* quia conditio consensus, quæ possibilis reputabatur, non potest amplius verificari. Sed probabilius *Sanch. n.* 19. *Pal. l. c. cum Con. et Salm. d.* 59. *cum Henr.* affirmant; quia conditio illa intelligitur apposita, ne contra voluntatem Patris Matrimonium fieret; quæ ratio, Patre defuncto, jam cessat.

An autem valeat contractus Matrimonii aut sponsalium inter impeditos aliquo impedimento dirimente, initus sub conditione: *Si Papa dispensaverit?* Vide super hoc dicta *T. I. l.* 3. *n.* 650. & hoc *l.* 6. *n.* 859.

„ Resp. 4. Consensus sub conditione honesta de „ futuro est contractus sponsalium tantum, & non „ Matrimonii, quia hic debet esse de præsenti. „ Ob quam rationem non incipiet validari Matri- „ monium sine novo consensu, postquam conditio „ impleta fuerit, ut docet *S. Th.* cum aliis apud „ *Sanch.* Etsi *Fill. Laym.* & alii quidam putent „ contrarium esse probabile, eo quod contractus „ celebratus sub conditione honesta futura, hac „ impleta purificetur. Quod concedit *Bon. q.* 2. „ *p.* 10. *n.* 20. si contrahentes in eodem consensu „ manserint, saltem virtualiter.

Quær., an, impleta conditione in Matrimonio, 895
requiratur novus consensus? *Prima* sententia affirmat, quam tenent *Suar. de Rel. l.* 4. *c.* 12. *n.* 18. *Conc. p.* 208. *n.* 28. *Pont. l.* 3. *c.* 14. *n.* 5. *cum Soto, Val. Cov. et Led.* item *Trull. Villal. Con. etc. apud Salm. c.* 7. *num.* 66. qui cum *Sanch.* probabile vocat. Et huic videtur favere *D. Th. Suppl. q.* 47. *art.* 5. ubi ait: *Aut* (conditio) *est contingens, ut datio pecuniæ, vel acceptatio parentum, et tunc idem est judicium de tali consensu, qui est per verba de futuro, unde hoc non facit Matrimonium.* Ratio 1. est, quia, cum Matrimonium non solum sit contractus, sed etiam Sacramentum, non potest pendere a futura conditione, nam omnia Sacramenta statim aut valida, aut nulla esse debent. Ratio 2. quia, licet in aliis contractibus possit transferri dominium ad tempus, in Matrimonio tamen dominium corporum debet tradi in perpetuum; & ideo oportet, quod impleta conditione novus apponatur consensus. *Secunda* vero sententia negat, & hanc tenent *Laym. c.* 7. *n.* 2. *Bon. p.* 10. *n.* 20. *Pal. p.* 11. §. 2. *n.* 5. *Nav. c.* 22. *n.* 63. *Ronc. p.* 147. *q.* 7. *R.* 2. *Sanch. l.* 5. *D.* 8. *n.* 5. *cum Palud. P. Soto, et Henr. ac Salm. c.* 7. *n.* 67. *cum Con. Perez, Dic. Avers. Gabr. Reb. & Corn.* Ratio, quia Matrimonium, esto sit etiam Sacramentum, habet tamen rationem contractus; omnes autem contractus, impleta conditione, sine novo consensu perficiuntur ex *l. Hæc venditio.* 7. *ff. de Contrahenda emption.* Et sic respondetur 1. rationi. Respondetur ad 2. quod dominium non traditur pendente conditione, sed ea verificata; tunc enim, cum consensus præcedens virtualiter perseveret, Matrimonium de conditionato fit absolutum. Nec revera huic sententiæ contradicit *D. Th.* dum S. Doctor *l. c.* tantum loquitur independenter ab implemento conditionis, & ideo merito dicit quod pendente conditione non potest illud dici verum Matrimonium, sed quod interim æquiparatur sponsalibus, ita ut non liceat nuptias inire cum alio. Utraque sententia est probabilis, at hæc secunda videtur probabilior. Ceterum recte dicunt *Viva qu.* 4. *art.* 6. *n.* 4. *& Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 762. consultius esse eo casu iterum contrahi Matrimonium.

Quid si inter sponsos sit impedimentum contrahendi, & ipsi spoponderint sub conditione, *si cessabit impedimentum?* Sentiunt pariter *Sanch. de Matr. l.* 5. *D.* 8. *n.* 10. *& Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 83. *cum Ang. Cov. & Krimo*, nec requiri novum consensum; si impedimentum cessat. Attamen *Victoria ap. eund. Croix* censet requiri; hocque mihi videtur probabilius, dum consensus, tempore impedimenti præstitus, non videtur satis validus; & sic refert *P. Zacharia ap. Croix l. c.* in simili casu S. C. declarasse.

No-

896 Notandum hic, quod differt conditio a demonstratione, causa, modo, die; quia *demonstratio*, sive *causa* adjecta (puta, si quis dicat: *Duco te, quæ es virgo*, vel *quia es virgo*) non vitiat, nec suspendit Matrimonium (esto causa sit falsa, aut turpis, etiam contra substantiam Matrimonii, ut *Sanch. l.* 5. *D.* 19. *n.* 2.). Nam, licet ille non contraheret, si sciret eam non esse virginem, præbet tamen tunc absolute consensum, qui non impeditur, nisi ab errore circa substantiam, sive circa conditiones substantiales Matrimonii; sed vide *n.* 1012. Neque suspendit *modus*, si dicatur verb. gr. *duco te, ut mihi inservias*. Ita *Salm. c.* 7. *n.* 5. & *Viva q.* 4. *a.* 6. *n.* 2. Etiamsi modus sit de re turpi, aut impossibilis: *Duco, ut occidas*, &c. Ratio, quia consensus non pendet a modo, sicut pendet a conditione. Et etiamsi (ait *Viva cum Pal.*) modus sit contra substantiam Matrimonii, scil. *Duco te, ut adulterium facias*, &c. Sed probabilius contradicunt huic *Salm. n.* 7 *cum Sanch.* quia non videtur habere animum contrahendi, qui intentionem habet contractui oppositam.

Utrum *dies* appositus suspendat contractum, puta, si dicatur: *Duco te post tres dies?* Negat *Sanch. ib. n.* 11. Sed probabilius affirmant *Viva* cum *Con. Hurt. Perez* & *Salm. n.* 3. quia contrahens tunc non intendit ponere perfectum consensum, nisi post tertium diem.

DISSERTATIO.

De Ministro, & Forma Sacramenti Matrimonii.

897 Alii dicunt Ministrum Matrimonii esse Sacerdotem assistentem, & Formam ipsius verba: *Ego vos in Matrimonium conjungo, &c.* Ita *Canus de Locis Theol. l.* 8. *c.* 8. *Juenin Instit. Theol. de Matr. q.* 2. *c.* 2. *Conc. t.* 10. *p.* 191. *n.* 5. *Tournel. t.* 11. *p.* 58. Idque probabile putant *Estius l.* 4. *D.* 26. §. 10. & *Habert de Matr. c.* 4. citans pro hac sententia *Tolet. l.* 7. *de Matrim.* sed non bene; *Toletus* enim *ibi c.* 2. expresse dicit Formam Sacramenti Matrimonii esse consensum contrahentium; si igitur consensus nubentium est forma, ipsi necessario sunt Ministri; nam (ut recte ajunt *Bellarm. de Matr. c.* 7. *& Frassen q.* 3. *a.* 3.) qui in Sacramento Formam applicat materiæ, ille utique est Sacramenti Minister. Momenta autem hujus primæ sententiæ afferentur infra in objectionibus quibus respondebimus. *Secunda* vero sententia communis, quæ videtur moraliter certa, dicit ipsos contrahentes esse Ministros hujus Sacramenti, & formam esse verba, quibus ipsi consensum exprimunt; ita Bellarminus, qui vocat sententiam nostram communem in Scholis, (ut fatetur etiam ipse *Canus*) & contrariam novam ac falsam: *Gonet Man. de Matr. c.* 7. *Frassen eod. tit. qu.* 3. *a.* 1. *Cabas. T. I. l.* 3. *c.* 18. *n.* 1. cum communi omnium Theologorum: *Laym. c.* 2. *n.* 2. *Abelly p.* 200. *qu.* 1. *&* 2. *Wigandt tr.* 16. *n.* 10. *Holzm. p.* 322. *&* 320. *Barbos. Alleg.* 32. *n.* 169. *Suar. de Sacram. qu.* 64. *D.* 10. *Sect.* 1. *Bon. p.* 4. *n.* 5. *cum Con. Reb. Gutt. Fill. Reg. Rodr. &c. comm. Pontius l.* 1. *c.* 8. *n.* 3. *cum Vasq. & Led.* Sum. P. Bened. XIV. *de Synodo l.* 7. *c.* 26. *cum Gotti, Raynaud. & c. de Laurea*, Card. Bellarm. Controv. t. 3. de Sacr. Matrim. c. 7. & 8. ubi vocat falsam sententiam Cani, & nostram communem, *Fagnan. t.* 4. *in c. Quod nob. de Clandest. desp. n.* 51. ubi ait opinionem contrariam esse periculosam in Fide, *Sanch. l.* 2. *D.* 6. *cum Lop. Vega, Henr. & Manuel.* qui vocant oppositam temerariam, *Merbes. de Matr. qu.* 6. qui testatur omnes Theologos asserere opinionem *Cani* numquam fuisse probabilem, refertque *Vasq. & Led.* asserere eam non posse defendi sine nota, & *Sotum, ac Vivand.* vocare temerariam. Nostram sententiam tenent quoque expresse *D. Th. in* 4. *D.* 26. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 1. *& Dist.* 28. *q.* 1. *art.* 3. (cujus verba referemus in resp. ad 1. Object.) *& Scotus in* 4. *D.* 26. *q.* 4. *n.* 14.

Prob. 1. quia Trident. *Sess.* 24. *c.* 1. declaravit olim omnia conjugia clandestina, scil. sine assistentia Parochi celebrata, esse vera & rata, idque negantes anathemate damnavit. Matrimonia autem fidelium non possunt dici rata, nisi sint Sacramenta, ut mox infra probabitur. Si ergo Matrimonia clandestina olim fuerunt rata, ac propterea Sacramenta, dicendum quod non Parochus est Minister, sed ipsi contrahentes. Quod autem matrimonia ideo sint rata, quia sint Sacramenta, probatur ex D. Augustino *lib. de Bono conjug. n.* 24. ibi: *Bonum nuptiarum per omnes gentes in causa generandi est; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.* Item *c.* 8. *Sed in nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fecunditas uteri.* Et inde nascitur (ut dicit *c.* 7.) vinculum indissolubile: sine enim Sacramenti ratione, fidelium nuptiæ tantam firmitatem non haberent: *Quod nequaquam puto tantum valere potuisse, nisi quoddam Sacramentum adhiberetur. Nec tamen nisi in civitate Dei nostri ejus talis est causa cum uxore, scilicet indissolubilitatis Sacramenti.* Et clarius probatur ex *c. Quarto, de Divort.* ubi Innoc. III. sic ait: *Etsi Matrimonium Infidelium verum existat, non tamen est ratum. Inter fideles autem verum & ratum existit, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum* (nota), *ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.* Ergo, si ante Concilium matrimonium fidelium sine Parocho initum erat Sacramentum, necessario dicendum tunc sponsos Ministros tantum de illo fuisse. Nec dicas illud *conjugii Sacramentum* non intelligi de Sacramento Matrimonii, sed de ejus vinculo, utpote symbolice significante conjunctionem Christi cum Ecclesia, adeo ut Matrimonia per solum Baptismum (dictum *Sacramentum Fidei*) evadant rata, cum infideles convertuntur ad Fidem, esto non fiant Sacramenta. Nam respondetur non esse verum quod Matrimonia infidelium per solum Baptismum fiant rata, idest omnimode indissolubilia; licet enim conjugia infidelium natura sua etiam indissolubilia sint, tamen, accedente aliqua urgenti causa, adhuc post conversionem ad Fidem aliquando solvi possunt (modo non fuerint consummata post conversionem) prout refert *Cardenas in Prop. Innoc. XI. Diss.* 2. *n.* 550. Urbanum VIII. declarasse die 20. Octob. an. 1626. & rursus 7. Settemb. 1627. his verbis: *Nos atten-*

tendentes hujusmodi infidelium Matrimonia non ita censeri, quia suadente necessitate solvi possunt. Et Sum. P. Bened. XIV. *de Synodo l. Sexto cap. 4. n. 5.* defert Sanctum Pium V. & Greg. XIII. solvisse post conversionem ad Fidem quædam Matrimonia in infidelitate contracta. Si ergo Matrimonia clandestina fidelium ante Concilium, idest sine assistentia Parochi celebrata, ideo fuerunt rata, quia Sacramenta; erga non Parochus, sed ipsi contrahentes sunt hujus Sacramenti Ministri.

Prob. 2. ex Florentino, ubi: *Septimum est Sacramentum Matrimonii, ut quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ secundum Apostolum. Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Si igitur contrahentes per consensum verbis expressum sunt causa efficiens Matrimonii, ipsi ergo sunt Ministri, non solum contractus (ut aliqui perperam explicant), sed etiam Sacramenti; nam Concilium suscipit explicandum non quidem contractum, sed Sacramentum, dicens: *Septimum est Sacramentum Matrimonii.*

Prob. 3. ex eodem Trident. *d. Sess. 24. c. 1.* ubi in clausula irritante Matrimonium dicitur: *Qui aliter quam præsente Parocho ... contrahere attentabunt, inhabiles reddit, & hujusmodi contractus nullos esse decernit.* Non dicitur, qui aliter quam præsente Parocho; & verba proferente, sed tantum, *Qui aliter quam præsente Parocho;* si igitur non irritatur Matrimonium tacente Parocho, sed tantum absente, ergo verba Parochi non sunt de essentia Matrimonii, & consequenter ipse non est ejus Minister. Sed dices ex hoc inferri quidem quod absente Parocho Matrimonium est nullum, etiam quoad contractum, sed non deduci quod præsente Parocho, & tacente, validus sit non solum contractus, sed etiam Sacramentum. At respondetur, quod ratio Sacramenti non distinguitur a ratione contractus, dum communiter dicunt Theologi contractum Matrimonii fuisse a Christo evectum ad rationem Sacramenti. Et quod nostram sententiam tenuerint Patres Concilii, censendum est ex eo quod communiter Theologi (quorum judicium debet credi Patres Concilii sectatos fuisse) ante Concilium asserebant, Ministros Sacramenti Matrimonii esse ipsos contrahentes, ut testantur *Bellarm. d. c. 7. & Pont. l. c. n. 7.* atque fatetur ipse *Canus*, asserens (ut diximus) hanc sententiam esse communem Scholarum; & *Dom. Sotus in 4. D. 26. qu. 2. a. 3.* scripsit nullum suo tempore ausum fuisse oppositum scribere: & licet *Canus* citet pro se *Guillelmum Parisiensem*, tamen *Bellarm. & Petrocorens.* explicant illam nuptiarum benedictionem, quam requirit *Guillelmus*, esse conditionem, non tamen formam Sacramentum Matrimonii constituentem. Item *Bellarm.* ait alios AA. quos affert *Canus*, non loqui de benedictione, quam dat Sacerdos, dum assistit, & dicit, *Ego vos conjungo, &c.* sed de benedictione quam dat Sacerdos in Missa, de qua loqui ait idem *Bellarminus* pariter Pontifices a *Cano* adductos, & quæ (ut patet) non potest esse forma Sacramenti, cum ibi nulla sint verba, quæ forma Sacramenti videantur.

Prob. 4. ex eodem Trident. ex eo quod Concilium, dum Nuptiæ ineuntur, imponit Parocho, ut dicat. Ego vos in matrimonium conjungo &c. ac deinde subjungit, vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum. Si autem Concilium reputasset Parochum esse Matrimonii Ministrum, quomodo ei potuisset præscribere pro Forma quæcunque verba quæ sunt juxta ritum receptum uniuscujusque Provinciæ? Hoc argumentum Cardinali Pallavicinio (*Istor. del Concil. l. 23. c. 14.*) visum est evidens ad probandum, quod non Sacerdos, sed Sponsi Nuptiarum Ministri sunt.

Probatur 5. Bened. XIV. in laudato opere *de Syn. l. 8. c. 13. n. 8.* sic ratiocinatur: In locis ubi Tridentinum promulgatum est, non raro contingit, aliquos Matrimonium contrahere testibus fortuito astantibus, & Parocho reluctante, quin ipse verbum ullum proferat. Hujusmodi Conjugium in sententia Cani esset validum in ratione contractus, sed non Sacramentum, ob Sacerdotalis benedictionis defectum. Si Ecclesia sententiam Cani haberet pro vera (imo addo si haberet tantum pro probabili) deberet Ecclesia contrahentes compellere, aut saltem hortari ad suum contractum renovandum coram eodem Parocho, ut ejus verbis fiat Sacramentum, ne ejus gratia illi perpetuo carerent. Deinde subdit, quod ob eamdem rationem Ecclesia curare deberet instaurari clandestina conjugia inita in locis, ubi Trident. Decretum non est receptum. Sed cum in neutro casu renovationem ab Ecclesia urgeri videamus, conjiciendum, quod uterque contractus, licet Sacerdotis benedictione careat, ab Ecclesia pro Sacramento habeatur. Respondere possunt Adversarii, ideo Ecclesiam non curare de prædictis conjugiis instaurandis, quia contractus matrimonii semel valide initus nequit deinceps effici Sacramentum, ut tenent *Vasq. Durand. Pont.* & alii. Sed respondit Benedictus *l. c.* quod longe communior est sententia aliorum DD. quos sequitur *Sanch. de Matr. l. 2. disp. 9.* quæ docet bene posse Matrimonium, antea validum in sola ratione contractus, denique renovari, & assequi virtutem Sacramenti. Unde difficultas proposita non solvitur; in hoc enim dubio Ecclesia non negligeret urgere fideles, ut in illis casibus conjugia renovarent, ne carerent saltem spe consequendi gratiam, quam juxta communiorem sententiam ipsi ex iteratione contractus obtinerent. His tamen non obstantibus, laudatus Benedictus ait, sententiam Cani, tot Doctorum suffragiis communitam esse probabilem, ac cuique liberum eam amplecti, absque ulla erroris nota. Adde praxim Ecclesiæ in reconvalidandis Conjugiis jam coram Parocho, & testibus prius initis, sed invalide propter occultum impedimentum, in quibus S. Pœnitentiaria ex oraculo S. Pii V. dispensando minime requirit, imo expresse dicit illa reconvalidanda secreto, sine assistentia Parochi, & testium; & sic communiter docent contra paucos *Natal. Alex. Tournel. Hab.* & idem *Bened. XIV.* cum *Van-Espen*, *Pontas* & pluribus Declarationibus Sacr. Congreg. & Decisionibus Rotæ Romanæ, & aliis Auctoribus innumeris; vide dicenda *n. 1110.* His positis valde miror, quod laudatus Benedictus postquam contenderit rationibus tam urgentibus contra sententiam Cani, illam *n. 4.* appellet probabilem, quamvis non intrinsece, sed tantum

tum extrinsece eam probabilem censere videatur eo quod (ut ait) est ipsa *Doctorum saffragiis communita*. Verumtamen magis oportet attendere ea, quæ scribit Benedictus in Decretali sive Epistola ad Archiepiscopum Goanum, quæ incipit, *Paucis ab hinc hebdomadis* (vide in *Bullar. t. 4. p. 27. edit. Ven.*) ubi scribit ut Pontifex, quam ea quæ profert ut Doctor privatus in præfato opere *de Synodo;* in prædicta enim decretali expresse docet Ministros Sacramenti Matrimonii esse ipsos Contrahentes, non vero Sacerdotem, dum ait quod *materia est mutua corporum traditio, verbis ac nutibus assensum exprimentibus, & mutua corporum acceptatio forma.*

898 Objiciunt I. Solos Sacerdotes esse legitimos Sacramentorum Ministros, ex illo Apostoli (1. Cor. 4.) *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et ideo dicunt statutam esse formam, ut habetur ex Rituali, quam Parochus super nubentes proferre debet, dicens: *Ego conjungo vos in Matrimonium.* Ideoque addunt, aliquos SS. Patres (quos refert *Bellarm. c. 8.*) dixisse, quod Matrimonia per Sacerdotes sanctificantur. Sed respondetur cum *S. Th. Dist. 26. q. 2.* qui sic docet: *Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale. Sacramentale*, idest quædam solemnis cæremonia; quæ ex præcepto Ecclesiæ requiritur. Et hoc est, quod SS. Patres intelligere volunt. Id clarius patet ex eodem Trid. *cit. c. 6. sess. 14.* ubi non dicitur, quod Sacerdos absolute proferre debet formulam prædictam, *Ego conjungo &c.* sed quod *vel eam dicat, vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* Formula vero illa alium sensum non præsefert, quam si Sacerdos diceret (ut dicunt *Frassen, & Sanch.*): *Ego approbo, & benedico nuptias vestras in faciem Ecclesiæ.* Verum autem non est, quod omnia Sacramenta non per alios quam per Sacerdotes ministranda sint, cum laici etiam quandoque sint legitimi Ministri Sacramenti Baptismi; Christus enim constituit Ministros Sacramentorum, juxta uniuscujusque Sacramenti naturam; & quia contractuum natura est, ut per solum consensum nubentium ineantur, ideo in Matrimonio, quod consistit in contractu ad Sacramentum elevato, non alios Ministros Christus constituit, quam ipsos nubentes, qui per eorum consensus formam Sacramenti ministrarent.

Objiciunt II. Concil. Coloniense an. 1536. ubi *p. 7. c. 4.* sic habetur: *Quod Sacramentum* (scilicet Matrimoni) *si quis sicut decet acceperit, accedente Sacerdotali precatione, confert donum Spiritus, quo vir diligat uxorem, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Ex quo inferunt, quod si per benedictionem Sacerdotis donum Spiritus confertur; ergo per illam conficitur Sacramentum. Sed recte respondet *Frassen, & Bellarm. ll. cc.* quod ex verbis istius Concilii potius deducitur oppositum, nam illa ex suo sensu non significant, quod per precationem Sacerdotalem conficiatur Sacramentum, sed potius quod, Sacramento jam confecto, precatio illa accedat, qua donum conferatur Spiritus Sancti, preces Sacerdotis exaudientis. Tanto magis quod Enchiridion, ejusdem Concilii nomine deinde vulgatum, expresse dixit, *Verba conjugum, quibus ipsi mutuo dant sibi fidem, esse verbum* (idest formam) *quo fit Sacramentum.*

Objicit III. *Canus* testimonium Evaristi Papæ in *c. Aliter Caus. 30. q. 5.* ubi dicuntur Matrimonia contracta sine benedictione Sacerdotis præsumi adulteria vel fornicationes potius, quam legitima conjugia. Sed bene respondet *Bellarm. l. c. c. 8.* hic loqui Pontificem de probatione Matrimonii quoad forum externum, eo quod Ecclesia in foro externo non judicat legitima conjugia illa quæ non probantur per Sacerdotis testimonium, præsumendo tunc defuisse mutuum consensum; nisi (ut subditur in eodem textu) voluntas propria suffragaverit; ergo ubi adest voluntas contrahentium, legitimum initur Matrimonium, licet in foro externo aliud præsumatur. Quod autem Evaristus certe ibi loquatur de foro externo, sapienter ait *Bel.* ipsum Canum negare non posse, nam Trident. expresse declaravit conjugia clandestina esse vera Matrimonia, dum e converso Evaristus non jam dicit ea non esse Sacramenta, sed vocat adulteria, & fornicationes; unde, ne dicatur Tridentinum contradixisse testimonio Evaristi, id quod Evaristus dicit, necessario de foro externo intelligendum. Alia objicit *Canus*, quibus facilius respondetur, ut videre poteris apud *Ballarm. c. 8.*

Ex nostra autem sententia infertur 1. quod Ma- 899
trimonia quæ per Procuratorem celebrantur, quia sunt legitimi contractus, ideo vera etiam sunt Sacramenta, nec opus est, ut contrahentes postea coram Parocho se sistant ad Matrimonium ratificandum; *Sanch. l. 2. D. 11. n. 27. & Bellar. c. 7. & 8. cum Nav. Soto*, & alii, contra *Canum*. Infertur 2. quod conjugia malitiose contracta coram Parocho reluctante, & benedictionem denegante, sunt quidem graviter illicita, sed valida & vera Sacramenta, ut dicunt omnes pro nostra sententia allati; & hoc etiamsi Parochus affectet nolle intelligere, nempe oculos & aures claudendo, ut sentiunt *Pontius l. 5. c. 29. n. 22. & Salm. c. 8. n. 67. cum Led. & Leand.* (contra *Bonac. & Trull. ac Sanch. lib. 3. D. 39. n. 6.*) ex Decreto Sacr. Congr. Conc. apud *Farinac.* ubi ad quæsitum: *Et quid si Parochus adfuisset, nihil tamen eorum quæ agebantur vidit vel audivit, utrum tale Matrimonium sit nullum?* Sacr. Congr. Concil. respondit: *Matrimonium non valere, si non intellexisset; nisi ipse Parochus affectasset non intelligere.* Infertur 3. quod Matrimonia coram Parocho, & testibus semel celebrata cum occulto impedimento dirimente, sublato impedimento per dispensationem, vera evadunt Sacramenta per consensum absente Parocho præstitum; vide dicenda *n. 1110.* Et hoc argumentum; ut ait Benedictus XIV. loco citato valde probat Ministrum Matrimonii non esse Sacerdotem, sed ipsos Sponsos; alias recte dicit, quod Ecclesia, nisi id haberet pro certo, nunquam permitteret Sponsos relinqui in periculo, quod remaneant sine gratia Sacramenti. Adest tamen Decretum S. C. sub die 8. Junii anni 1619. apud *Ferrar. Bibliot. t. 5. v. Matrimonium n. 19.* quod si Matrimonium esset nullum ex causa publica; scilicet ob defectum ætatis, tunc reconvalidandum est ante Parochum & testes. Infertur

4.

4. quod Parochus, si assistat Matrimonio existens in mortali, non peccat graviter, quia non conficit, nec ministrat Sacramentum; ita *Sanchez l. 2. D. 5. n. 2. & Bonac. p. 4. n. 5. cum Suarez Coninck. Henr. Gutt. & Reg.* Utrum autem requirantur de præcepto gravi verba Parochi, *Ego conjungo vos, &c.* vel alia juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum, ut dicitur ex Trid. *cit. sess. 24. c. 1.?* Negant *Bonac. p. 8. n. 4.* qui citat *Sanch. Conc. Gutt.* & alios putantes earum omissionem esse tantum veniakm ob parvitatem materiæ; sed affirmant *Barb. de Potest. Episcop. Alleg. 32. 180. cum Reb. Henr. & Salsedo*, & hoc mihi magis placet.

Fit autem quæstio, an a Sponsis, qui Matrimonium ineunt, possit valide separari ratio contractus a ratione Sacramenti? Negant *Suar. in 3. p. de Matr. D. 7. sect. 1. Pont. l. 7. c. 9. n. 3.* & alii, dicentes non posse hominem separare quod Deus conjunxit. Sed affirmant *Vasq. Cajet. Durand. Victoria*, & alii apud *Spor. de Matr. c. 1. n. 585.* qui tenent bene posse contractum sine Sacramento validum remanere. Sed hic notandum omnes asserere, quod hoc agere non caret gravi culpa. Unde infertur, quod Ecclesia numquam permitteret reconvalidari Matrimonium sine assistentia Parochi (ut passim Ecclesia admittit) tollerando, quod Matrimonium persisteret tanquam contractus, & non Sacramentum, si non haberet pro certo, quod Sponsi sunt veri Sacramenti Ministri.

DUBIUM II.

DE USU MATRIMONII

ARTICULUS I.

An usus Matrimonii, sive actus conjugalis, sit licitus?

900 *Actus conjugalis illicitus est. I. Si matrimonium est nullum. II. Si Matrimonium est dubium.*

901 *Qu. I. An liceat contrahere cum dubio de Impedimento?*

902 *Qu. II. An cum opinione probabili de insussistentia impedimenti? Qu. III. An cum opinione probabili probabilitate facti?*

903 *Qu. II. An in dubio de valore Matrimonii jam contracti liceat petere & reddere? Et signanter an uxor non certa de morte primi viri teneatur reddere secundo?* 904. *Dub. 1. An, contracto Matrimonio bona fide, superveniente dubio, liceat petere post diligentiam?* 905. *D. 2. Quid si adsit opinio probabilis tantum pro nullitate Matrimonii?* 906. *D. 3. An, Nuptiis initis cum dubia fide, dubitans post diligentiam possit petere?* 907. *D. 4. An in dubio positivo judicandum sit in favorem Matrimonii contracti?* 908. *An conjux teneatur credere alteri asserenti se fiete consensisse? Quid si audiat impedimentum a testibus fide non dignis? Quid si audiat ab uno fide digno?*

909 *III. Illicita est copula, si fiat cum periculo sanitatis. D. 1. An liceat petere, si alteruter conjugum laborat lepra, morbo gallico, & simili?* 910. *An liceat petere post balnea aut sectionem venæ, vel cum febre? vel an statim post prandium?* 911. *D. 2. An tempore lactationis.*

912 *IV. Si fiat ob voluptatem.*

913 *V. Si fiat mente adultera. Quid si conjux ad se excitandum delectetur de pulchritudine alterius personæ?*

914 *Quid si delectetur de copula aliena?*

915 *Si fiat modo indebito.* 916. *Q. I. An sit mortale inchoare copulam in vase præpostero?* 917. *Q. II. An cohire situ innaturali?* 918. *Q. III. An cohibere seminationem post copulam inceptam?* 919. *An autem uxor, viro se retrahente post seminationem, possit ipsa statim tactibus se excitare ad seminationem?*

920 *VII. Si fiat in loco indebito.* (Remissive ad Tom. I. l. 3. *n.* 458.)

921 *VIII. Si fiat tempore indebito.* 922. *Q. I. An liceat conjugi coire die Communionis?* (Remiss. ad num. 273. & 274. in hoc lib. VI.) 923. *Qu. II. An in diebus festivis?* 924. *Qu. III. An tempore prægnationis? An autem, secluso periculo abortus, sit venialis coitus cum prægnante?* 925. *Q. IV. An liceat coire tempore menstrui?* 926. *Q. V. An tempore purgationis post partum?*

927 *Licitus est autem usus Matrimonii I. Propter prolem. II. Ad vitandam incontinentiam.* (Vide d. n. 892. D. 1.) *III. Propter alios fines honestos.* (Vide d. n. 883. D. 3.)

928 *Qu. I. An aliquando vir teneatur petere?* 929. *Q. II. An aliquando uxor?* 930. *Q. III. An conjux prohibitus petere ob votum, vel affinitatem contractam, possit aliquando petere?* 931. *Qu. IV. An liceat petere excommunicato, & an ab excommunicato?*

932 *An & quando liceant tactus, aspectus & verba turpia inter conjuges?* 933. *Q. I. An sint mortales inter ipsos tactus & aspectus turpes secluso periculo pollutionis?*

934 *Q. II. Quid si periculum pollutionis jam prævideatur.*

933 *Perpenduntur quidam tactus enormiter turpes.*

936 *Q. III. An peccet graviter conjux turpiter seipsum tangens altero absente?* 937. *Q. IV. An si morose delectetur de copula habita vel habenda?*

„ Resp. Per se est licitus & honestus. Quod 900
„ est de fide, & patet ex 1. *Corinth* 2. *Uxori*
„ *vir debitum reddat.* Per accidens est illicitus in
„ sequentibus, casibus

„ I. Si Matrimonium a parte rei sit nullum:
„ quod tamen, si uterque ignorat, non peccat,
„ nisi materialiter. Si uterque, vel alter id certo sciat, non potest, quocunque etiam periculo
„ proposito, uti matrimonio. Unde si non potest sine periculo vitæ, aut famæ detegere impedimentum, nec sperare dispensationem, debet

„ vel ingredi religionem (si necdum consumma-
„ vit), vel fugere, vel petere divortium (ob
„ conjugis sævitiam v. g. vel adulterium, si tale
„ sit) vel certe omnia incommoda patienter su-
„ stinere. *Bon. q.* 8. *n.* 10.

„ II. Si matrimonium sit dubium. Et quidem,
„ sit alter tantum dubitet, is non potest petere
„ debitum; reddere tamen tenetur, cum alter ha-
„ beat jus petendi. Si uterque dubia fide contra-
„ xit, vel dubitat de ejus valore, neutri petere,
„ aut reddere licet ante veritatis indagationem.
„ *Vasq. Sanc. Dian. Barb. d.* 6. *tr.* 11. *p.* 7. §.
„ 3. Secus post eam *Bonac. q.* 4. *p.* 4. v. supra *l.*
„ 1. *tr.* 1. *d.* 3.

Piget me de hac materia, quæ tantam præsefert fœditatem, ut castas mentes ipso solo nomine perturbet, longiorem habere sermonem; sed utinam non esset hæc materia tam frequens in Confessionibus excipiendis, ut non oporteret omnino Confessarium plena tractatione, sed sufficeret compendio instructum esse! Ignoscat mihi propterea castus lector, si fuse de ea hic loquar, & ad casus particulares, qui deformiorem exhibent turpitudinem, descendam. Quod si cui mirum videatur, Auctores ceteroqui prudentes ac pios de hac re fusius pertractasse, & minutas etiam variorum casuum circumstantias descripsisse; audiat clarissimum virum Ludovicum Bail, qui (*t.* 2. *Concilior. p.* 811.) ab hac censura doctissimi Thomæ *Sanch.* egregium opus de Matrimonio vindicat, his verbis: *Licet quædam de materia fœdorum actuum tangat, turpior est infernus; et si fœdus est sermo, fœdius est in peccato putrescere ut ait Petrus Blessensis. Illæ Auctor aliquas spurcitias movet, sed ad ægritantium curationem. Si Angeli essent homines, talibus non indigerent.*

901 Quær. I. An liceat Matrimonium contrahere cum dubio de impedimento dirimente? Antequam diligentia adhibeatur ad veritatem assequendam, certum est non licere: post vero diligentiam adhibitam, communiter docent DD. posse contrahi Matrimonium cum opinione probabili probabilitate juris de carentia impedimenti, modo opinio illa sit universe vel certe ab AA. recepta ut probabilis; ita *Sanch. de Matr. l.* 1. *D.* 6. *n.* 18. *Pal. tr.* 88. *D.* 3. *p.* 4. §. 9. *n.* 4. *Card. in Prop.* 1. *Innoc. XI. Diss.* 2. *n.* 525. & 528. *Viva in eand. Prop. n.* 29. *in fine*, *Suar.* 3. *p. t.* 3. *q.* 67. *ar.* 8. *Dub. ult. Cr. l.* 6. *p.* 1. *n.* 117. *&* *p.* 3. *n.* 527. *ac* 538. *&* *Boss. t.* 1. *Mor. t.* 1. §. 51. *ex n.* 1928. *&* *Mazz. t.* 4. *p.* 220. *&* *Holzm. t.* 2. *p.* 369. *n.* 491. cum communi: hancque sententiam vocant tutam & moraliter certam *Card. l. c. Holzm. n.* 492. *Viva d. n.* 26. *&* *Croix d. n.* 117. cum aliis. Nec obstat dicere, quod cum opinione probabili non liceat Sponsis administrare Sacramentum Matrimonii. Nam respondetur, quod eo casu non ministratur Sacramentum cum sola opinione probabili, sed cum morali certitudine; quando enim adest opinio probabilis de jure, quod non subsit impedimentum, tunc Ecclesia ex antiquissima consuetudine præsumitur contractum Matrimonii approbare, & omne approbare impedimentum, ut communiter dicunt probati AA. cum aliis, & fuse probant *Card. l. c. a n.* 542. pluribus Decisionibus Rotæ Romanæ, ac quædam Declarationes Urbani VIII.

Advertendum tamen 1. quod si dubium vertat circa mortem prioris conjugis, tunc sive sit negativum sive positivum non licet Matrimonium contrahere (quidquid dicat *Boss. t.* 2. *c.* 2. *n.* 41. *&* *Vidal. ad Wigandt tr.* 16. *Casu post n.* 52.) quia cum possideat prius conjugium, non potest secundum iniri cum præjudicio prioris, nisi constet (saltem moraliter) de morte prioris conjugis, ut expressum habetur in *c. Dominus, de Secund. nupt.* Advertendum 2. cum *Pal. p.* 4. §. 9. *n.* 4. Quod si constet de impedimento, & non constet de ipsius dispensatione, tunc non potest Matrimonium contrahi, neque post contractum peti debitum; tunc enim pariter possidet impedimentum. Secus vero si constet de dispensatione, & dubitetur de ejus valore, quia tunc possessio stat pro valore dispensationis. Hoc tamen valet, si impedimentum sit de jure Ecclesiastico. Sed

Quær. II. An, stante impedimento probabili de 902
jure naturali liceat contrahere Matrimonium cum opinione pariter probabili de insubsistentia impedimenti? Respondeo: per se loquendo non licet, quia illicitum est ministrare Sacramentum Matrimonii cum opinione tantum probabili de illius valore, ut patet ex Prop. 1. damnata ab Innoc. XI. quando contra etiam adsit probabilitas impedimenti etiam de jure naturali; nempe si dubium vertat de solutione prioris Matrimonii, tunc enim Ecclesia nequit dispensare, ut potest & præsumitur jam dispensare, cum adest dubium positivum (ut diximus) de impedimento juris tantum Ecclesiastici. Dixi *per se loquendo*; nam urgente gravissima causa poterit Matrimonium contrahi, modo accedat declaratio Summi Pontificis tanquam unici interpretis legis divinæ. Et sic refert *Cardenas in Prop.* 1. *Diss.* 2. *n.* 553. olim declarasse Urbanum VIII. Delato enim ad ipsum dubio per Joannem de Lugo, postmodum Cardinalem, an Matrimonia quorumdam infidelium Indorum in Regno Paraquariæ in infidelitate contracta essent valida? & an ipsi post Baptismum tenebantur accipere primam uxorem ex pluribus quas habuerant, vel an poterant eligere quam malebant? Pontifex indicto Consulto dixit, quod ubi doctorum sententiæ utrinque probabiles intercederent, sequeretur opiniones pro conditione locorum ac hominum barbaris favorabiliores. Vide dict. *num.* 897. *vid. Prob.* 1.

Quær. III. An liceat Matrimonium contrahere cum opinione probabili non solum juris, id est ex Doctorum auctoritate, sed etiam facti, nempe cum ex utraque parte adest facti probabilitas pro existentia & pro carentia impedimenti? Affirmant *Tamb. Dec. l.* 1. *c.* 3. §. 3. *n.* 27. *ac Bonac. &* *alii ap. Croix l.* 6. *p.* 1. *n.* 118. Sed recte negant *Cardenas in Prop.* 1. *Innoc. XI. Dist.* 2. *n.* 524. *&* 629. *Viva in eand. Prop. n.* 29. *&* *Croix l. c. cum Gormaz, ac Aversa.* Ratio, quia, licet Ecclesia præsumatur supplere sive dispensare in impedimento, quando adest probabilitas orta ex jure, ut mox supra diximus, attamen hoc non procedit, quando habetur probabilitas tantum orta ex facto, quæ non fundat nisi semiplenam probationem, ut explicat *Carden. n.* 629. Quo supposito, non licet in Matrimonio contrahendo uti prima sententia, nam quamvis probabilis esset prima

o-

opinio, quod cum sola probabilitate facti pro carentia impedimenti præsumatur Ecclesia etiam dispensare; tamen, cùm hæc opinio non sit communiter aut certe recepta tanquam probabilis (prout quidem esse debet ad præsumendum quod Ecclesia suppleat, ut recte dicunt *Carden. n.* 624. & *Croix l.* 6. *p.* 1. *n.* 117. cum *Avers.* & *Gorm.*), & eum agatur de valore Sacramenti, non possumus opinionem illam tuto sequi.

Dicunt autem *Sanch. l.* 8. *D.* 6. *n.* 18. *Carden. n.* 527. *Viva in d. prop.* 1. *n.* 31. & *Tamb. Dec. l.* 1. *c.* 3. *v. Matrimonium, n.* 1. *cum Merolla*, idque probabile putat *Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 533. *cum Spor. Gob. Krim. &c.* quod in quæstione facti, si adsint utrinque conjecturæ, istæ non constituunt nisi merum dubium negativum, & ideo si dubium de impedimento non possit vinci, licite contrahitur Matrimonium, quia tunc standum est pro libertate. Sed huic opinioni contradicunt *Pal. tr.* 1. *D.* 3. *p.* 8. *n.* 10. *Less. Auctar. v. Matr., Cas.* 10. *Contin. Tourn. t.* 2. *de Imped. p.* 245. *n.* 1. *Ronc. p.* 152. *q.* 5. *in fin. Renzi t.* 1. *p.* 45. *q.* 4. *cum Vidal.*, *et Laym. l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 23. *cum Hurt. et Veracr.* meritoque non approbant rationem ab adversariis adductam; quamvis enim in aliis contractibus, non obstante dubio negativo de inhonestate contractus, licitum sit illum inire, si dubium vinci non possit, quia tunc standum est pro libertate; Matrimonium tamen, quia non solum habet rationem contractus, sed etiam Sacramenti, non potest contrahi cum materia dubia; sicut & in aliis Sacramentis non licet uti materia dubia extra casum necessitatis, ne Sacramentum exponatur periculo frustrationis, juxta Prop. 1. damnatam ab Innoc. XI. Tantum igitur prima sententia posset dici probabilis, si probabilis esset opinio eorum quos retulimus *Tom. I. l.* 1. *n.* 23. dicentium præfatam Propositionem fuisse proscriptam non ratione periculi frustrationis Sacramenti, sed ratione charitatis erga suscipientem, ne privetur fructu Sacramenti, si forte opinio de ejus valore non sit vera. Et eo casu advertit *Croix d. n.* 533. cum aliis, partem dubitantem teneri ad monendam alteram de tali dubio, ne hæc exponatur periculo gravium incommodorum. Quod si vero (addunt *Sanch.* & *Card. n.* 528.) in tali dubio præsumptio urgeret pro impedimento, & nulla esset præsumptio pro illius carentia, v. gr. si vir coierit, & postea dubitet an seminarit, vel an intra vas aut extra, tunc præsumptio orta ex communiter contingentibus est pro impedimento, & impediendum est Matrimonium. Secus autem, si adsit præsumptio in contrarium, ut si vir seminaverit prope vas; tunc enim (ut ait *Sanch. d. n.* 18.) proculdubio Nuptiæ contrahi possunt.

Ceterum probabiliter dicunt *Emman. Sa v. Dispensatio n.* 1. *Merbes. t.* 1. *p.* 406. *n.* 8. *vers. Quartus*, *et Contin. Tournely t.* 2. *de Impot. p.* 245. *cum Pichler*, ac probabile putat *Diana p.* 4. *tr.* 3. *R.* 17. (contra *Sanch. d. n.* 28. quamvis in *Dec. l.* 4. *c.* 40. *n.* 29. videtur se retractasse) quod in impedimentis dubiis bene potest Episcopus dispensare. Et idem dicunt communissime DD. generice loquendo de omnibus casibus, sive impedimentis Pontifici reservatis, quando dubitatur, an indigeant dispensatione, ut *Pal. p.* 1. *tr.* 3. *D.* 6. *p.* 5. *n.* 10. *Cabassut. T. I. l.* 1. *c.* 8. *n.* 5. *Barb. Alleg.* 35. *n.* 19. *Ronc. p.* 56. *q.* 6. *Holzm. t.* 1. *p.* 99. *n.* 491. *Elbel t.* 1. *p.* 147. *n.* 442. *et Salm. de Leg. c.* 5. *n.* 45. ac probabile putat *Bonac. eod. tit. D.* 1. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 18. Ratio, quia ex una parte, licet dispensatio hujusmodi impedimentorum sit Papæ reservata, tamen, cum reservatio sit odiosa, stricte est interpretanda & restringenda tantum ad casus certos, prout diximus in simili n. 600. Ex alia parte sat probabiliter potest Episcopus dispensare in tali dubio, tum ex *c. Nuper.* 26. *de Sent. excomm.* ubi: *Quia tamen conditor Canonis ejus, absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Ibique sic addit Glossa; *Et hoc est argumentum, Episcopos posse dispensare ubi specialiter dispensatio non est inhibita, et concessum videtur, quod non est prohibitum.* (Vide dicta *T. I. l.* 1. *n.* 191. & infra hoc *l.* 6. *n.* 980. *v. Sed dub.*) Et hoc approbant etiam *Sporer p.* 4. *c.* 4. *n.* 22. *Elbel de Matr. n.* 474. *et Roncagl. de* 5. *Præc. c.* 2. *q.* 6. tum quia, cum in casibus, qui frequenter occurrunt, possit inferior dispensare in lege Superioris (ut diximus cum communi *l.* 1. *n.* 190.) bene, poterit Episcopus in impedimentis dubiis dispensare, eo quod in iis frequenter contingit dubitare de indigentia dispensationis.

Quær. IV. An matrimonio jam inito, liceat contrahentibus petere aut reddere in dubio de ejus valore; certum est quod durante dubio, sive dubium antecesserit Matrimonium, sive ei supervenerit, conjux dubitans ante diligentiam adhibendam ad dubium vincendum non potest repetere, sed potest, & tenetur reddere alteri petenti in bona fide; id patet ex *c. Dominus, de Sec. nupt.* ubi dicitur: *Sane super Matrimoniis, quæ quidam ex vobis (nondum habita obeuntis conjugis certitudine) contraxerunt; id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus. Si vero aliquis hoc non servavit, et de morte conjugis adhuc existimat sibi dubitandum, ei quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum.* Et hujus ratio patens est, quia in dubio nemo privandus est suo jure certo quod bona fide possidet, ut communiter docent DD. cum *Sanch. l.* 2. *D.* 42. *n.* 112. *Salm. c.* 15. *n.* 48. *Conc. p.* 383. *n.* 5. & alii passim. Idem ait *Pontius l.* 10. *c.* 15. *n.* 8. sed hic diversam assignat rationem, dicens ideo teneri dubitantem reddere debitum petenti, quia de duobus malis minus est eligendum, juxta *c. Duo mala. Dist.* 13. Minus autem malum est in dubio reddere quam non reddere, quia non reddendo, est periculum injustitiæ, reddendo vero, tantum fornicationis, quæ est minus malum quam injustitia. Sed hæc ratio non subsistit; nam si possessio secundi viri non præberet ipsi jus petendi, non evitaretur majus malum injustitiæ, quam *Pontius* supponit, dum adhuc mulier illa se committeret periculo injustitiæ, nempe irrogandi injuriam primo viro, si forte vivat. Unde necessario recurrendam ad primam rationem, nempe ad jus certum possessionis quod habet secundus vir, quod præferri debet juri incerto primi viri, cum de ejus morte dubitetur. 903

Sem-

Semper igitur ac mulier non est certa de vita primi viri, tenetur reddere secundo viro petenti; & hoc etiamsi adsit opinio probabilis pro invaliditate secundi Matrimonii, & nulla pro valore, quia secundus vir non potest exspoliari suo jure certo, nisi habeatur certitudo de vita primi viri, ut recte docent *S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 3. §. 3. Croix l. 6. part. 3. n. 200. cum Card. Merolla, & Brexero, ac Sanch. l. 2. D. 44. n. 3. cum Soto, Navar. Palud. Sylvest. Ang. Led. Conrad. Henr. Man. &c.* Idem clare probatur ex *cap. Inquisitioni, de Sent. excomm.* ubi sic habetur: *Inquisitioni tuæ respondentes credimus distinguendum, utrum alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, an non sciat pro certo, sed credat. In primo casu debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo distinguimus, utrum habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi & temeraria, an probabili & discreta. Et quidem ad sui Pastoris consilium (conscientia levis & temerariæ credulitatis explosa) licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. Verum, cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Nota illud *certo sciat*: ergo si certo non scit, tenetur reddere. Confirmatur ex *c. Si virgo. Caus. 34. qu. 2.* ibi: *Si virgo nupserit nesciens viro alieno, si semper nesciat, nunquam ex hoc adultera erit; si autem sciat* (nota), *jam adultera esse incipit.* Ubi recte notat *Sanch. l. c. cum Sylves.* to *sciat* sumi pro certitudine. Idem docet *D. Th. in 4. D. 41. q. unic. art. 5. q. 1. & 3.* ibi: *Aut habet certam scientiam de impedimento Matrimonii, aut opinionem; si primo modo, nec exigere nec reddere debet; si secundo, debet reddere, sed non exigere.* Item dicit *S. Bonav. in 4. D. 38.* sub finem: *Si certificatur de vita primi viri, nec petere debet, nec reddere.*

904 Sed dubit. 1. An contracto matrimonio in bona fide, si dubium superveniat, & adhibita diligentia illud vinci non possit, liceat dubitanti non solum reddere, sed etiam petere. *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Navar. c. 12. n. 54. Conc. p. 382. n. 3.* item *P. Soto, Medina, Sylv. & Conrad. ap. Sanch. l. 2. D. 42. n. 45.* Et hujus sententiæ videtur certo etiam esse *D. Th. in 4. D. 38. in expos. litteræ*, ibi: *Si oriatur dubitatio de vita prioris viri, ex aliqua causa quæ etiam certitudinem facere possit, non debet nec exigere debitum; si autem illa causa fecit probabilem dubitationem, debet reddere, sed non exigere.* Idem sentit *S. Bonav. in dict. D. 38.* sub finem dicens: *Si probabiliter dubitat, debet debitum reddere, sed non exigere.* Id probant ex dicto *c. Inquisitioni*, mox supra allato, ibi: *Verum, cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet. Secunda* vero sententia longe communior, & probabilior affirmat, & hanc tenent *Sotus de Just. l. 4. D. 5. art. ult. in fine, Lugo eod. tit. D. 17. n. 88. Pal. de Spons. D. 3. p. 4. §. 9. n. 6. Laym. de Conscient. c. 5. §. 3. n. 4. Wigandt tr. 6. n. 59. Conink. D. 34. dub. 10. n. 105. Holz. n. 465. Ronc. p. 185. q. 6. R. 2. Fill. tract. 10. c. 9. n. 343. Habert t. 7. p. 827. qu. 4. Diana p. 3. tr. 4. R. 295. cum Valent. et Vill. Salm. c. 15. n. 46. cum Reg. et Henr. Bon. p. 4. n. 5. cum Rodr. Croix l. 6. p. 3. n. 302. cum Suar. Less. et Boss. ac Sanch. l. 2. D. 41. n. 46. cum Led. Lop. Bann. Veracr.* & probabilem tenent *ib. Canus, Victor. et Manuel.* Ratio, quia qui Matrimonium bona fide contraxit, non est privandus suo jure, quod possidet petendi, donec constet de impedimento; licet enim, superveniente dubio suspendatur jus possessionis usquedum veritas inquiratur, dubio tamen remanente post diligentiam, cum ignorantia sit tunc invincibilis, manet possessio pro valore Matrimonii, & consequenter pro illius usu: possessor enim bonæ fidei sicut post diligentiam potest rem retinere, sic etiam potest illa uti. Hæcque ratio bene confirmatur ex *c. Laudabilem, de frigid. & malef.* ubi in dubio de valore Matrimonii, propter dubietatem impotentiæ Conjugum ad copulam, conceditur eis spatium triennii ad debitum petendum: in tantum igitur conceditur eis licentia petendi in tali dubio, in quantum Conjuges bona fide contraxerunt, & ideo possident jus petendi, donec per experimentum triennii fiat certum impedimentum impotentiæ. Ad textum autem citatum in *c. Inquisitioni*, præfati AA. multipliciter respondent: *Lugo de Just. D. 17. n. 88.* dicit quod Pontifex ibi loquitur de casu quo Conjux habeat probabilitatem tantum de invaliditate Matrimonii, & nullam pro valore. Alii vero communius & rectius, ut *Sotus l. c. Sanch. n. 53. & Pal. n. 6. cum Conink.* respondent, quod textus intelligitur vetare petitionem, antequam diligentia adhibeatur; secus vero post diligentiam; tunc enim (ut supra jam dictum est) Conjux manet in possessione sui juris, practice deposito dubio per principium illud reflexum, quod in dubio melior est conditio possidentis. Et revera textus, dicendo non posse Conjugem opinantem petere, supponit eum non adhuc sibi efformasse judicium practicum conscientiæ, dubium deponendo, cum subdat non posse petere: *Ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Hinc apparet quam necessarium sit in moralibus admittere quod liceat deponere dubia per principia reflexa; his enim negatis, nulla apparet ratio cur licitum sit (ut licitum jam ibi declarat Pontifex) Conjugi dubitanti de morte prioris Conjugis debitum reddere postulanti. Recte autem advertit *Sanch. n. 48.* non posse dubitantem reddere debitum in primo bimestri ante præmissam diligentiam, etiamsi petens sit in bona fide, quia eo tempore alter non habet jus petendi. Et idem dicendum, si alter petens per incestum, vel adulterium sit privatus jure petendi.

Dub. 2. An, contracto Matrimonio in bona fi- 905
de, Conjux habens rationem probabilem pro invaliditate Matrimonii, & nullam pro valore, possit petere post adhibitam diligentiam? *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Sanch. l. 2. D. 44. n. 2. & 4. Lugo de Just. D. 17. n. 88. Salm. c. 15.*

15. *n.* 49. *Sporer de Consc. n.* 77. *Bon. q.* 4. *p.* 5. *n.* 13. *Reg. et Gutt. ac Viva q.* 7. *art.* 3. *n.* 11. qui vocat eam communem. Hi dicunt conjugem taliter opinantem teneri ad reddendum alteri qui bona fide contraxit, sed petere non posse. Rario, quia possessio suffragatur dubitanti, non autem habenti assensum opinativum tantum pro nullitate Matrimonii, *Secunda* vero sententia satis probabilis affirmat, & hanc tenent *Pal. de Spons. D.* 3. *p.* 4. §. 9. *n.* 6. cum *Conink. et Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 302. Hi enim dicunt hunc Conjugem non interdici a petendo post diligentiam, dubium deponendo, & conscientiam sibi formando ex eadem regula dicta ut supra; nempe quod nemo est privandus jure suo certo quod possidet bona fide, nisi certo probetur quod nullum jus habeat, ut dicunt in terminis de Matrimonio *Anaclet. de Matr. D.* 15. *q.* 6. *n.* 85. *cum Henriq. ac Cardenas, Merola, et Bresser. apud Croix n.* 300. atque fatetur ipse *Sanch. l. c. n.* 3. In hoc enim differre videtur qui bona fide ab eo qui mala fide contraxit; nam possessor malæ fidei non potest petere, ut dicunt *Sanch. l.* 2. *D.* 42. *n.* 2. *Spor. d. n.* 77. *et Salm. c.* 15. *n.* 48. nisi habeat certitudinem, vel saltem probabilitatem pro valore Matrimonii (quamvis non desint DD. qui tuentur tunc etiam sufficere, si post diligentiam dubium deponatur ut videbimus in Dubio sequenti); possessor autem bonæ fidei post diligentiam factam petere potest, semper ac non constet de nullitate Matrimonii: quia possessio præbet ei jus certum petendi, quod prævalet cuicumque probabilitati oppositæ: probabilitas enim, cum sit opinativa, & consequenter semper includat formidinem in opinione contentam, auferre nequit legitimam præsumptionem validitatis Matrimonii, ortam ex ipsa possessione conjugii bona fide contracti. Vide quæ in simili casu diximus *T. I. l.* 1. *n.* 84. Id confirmatur ex *c. Laudabilem de Frigid. & malef.* ubi in dubio de impotentia conceditur Conjugibus usque ad triennium experiri; etenim peto, si post biennium Conjux non adhuc potuerit consummare, num est probabile Matrimonium esse validum? Certe quidem est improbabilissimum; & e converso probabilissimum est tunc esse nullum: & tamen, hoc non obstante, possunt Conjuges pergere ad experiendum usque ad finem triennii; rogo, qua ratione? non utique alia, nisi quia Matrimonium non est adhuc certe nullum, neque illi sua possessione adhuc sunt exspoliandi. Præterea, ipsimet adversarii concedunt Conjugem opinantem teneri ad reddendum, etiamsi adsit probabilitas tantum de nullitate Matrimonii; nec id negare possunt, cum id expressum sit in *c. Inquisitioni sup. citato*. Et ratio est quidem, quia nemo exspoliandus est sua legitima possessione, donec constet de nullitate sui juris. Sicut ergo, non obstante unico illo assensu opinativo pro nullitate, non potest Conjux dubitans alteri debitum negare, ne privet eum sua certa possessione; ita post diligentiam non tenetur ipse ex illa sua conscientia tantum opinativa se exspoliare certa sua possessione, nisi certus sit, quod nullum jus sibi competat. Dicitur autem ex *conscientia tantum opinativa*, quæ formidinem includat, & ad certitudinem non pertingat, nam si Conjux dubitans habeat rationes ita convincentes de nullitate Matrimonii, ut fundent de ea moralem certitudinem, tunc certe nec petere, nec reddere potest. Idem recte advertit *Croix n.* 391. *etc. cum Card.*, quod dubitans, si adhuc spem prudentem habet inveniendi majorem certitudinem, tunc nequit petere, quia, cum dubium adhuc est vincibile, non potest uti jure petendi.

Dubit. 3. An, contracto Matrimonio cum dubia fide de impedimento, possit dubitans post diligentiam petere debitum, dubio adhuc perseverante? *Prima* sententia communior negat, & hanc tenent *Pal. D.* 3. *p.* 4. *n.* 6. *Ronc. p.* 185. *q.* 6. *R.* 2. *Salm. c.* 15. *n.* 48. *Bon. p.* 4. *n.* 10. *cum Conink. Fill. etc. ac Sanch. l.* 2. *D.* 42. *n.* 2. *cum Nav. Sylvest. etc.* Probatur ex *c. Dominus, de Sec. nupt.* ubi dicitur contrahens in mala fide minime posse petere. Probatur 2. ratione, quia nemo potest uti re quam mala fide incœpit possidere; unde si non potest dubium deponere, nunquam petere potest. *Secunda* vero sententia satis probabilis affirmat, eamque tenent *Holzm. p.* 355. *n.* 466. *Elb. p.* 404. *n.* 146. Ratio, quia esto dubitans non possit deponere dubium ex titulo possessionis, potest tamen deponere ex aliis principiis, nempe primo, quia in dubio standum est pro valore actus, ut habetur in *l. Quoties, ff. de reb. dub.* Secundo, quia, cum Matrimonium sit causa favorabilis, in dubio standum pro ejus valore, ut probat ipse *Sanch. l.* 1. *D.* 18. *n.* 6. *cum Cov. Lopez, et Menoch.* eo quod sicut in foro externo in dubio judicandum est pro valore Matrimonii, juxta communem sententiam ibi ex *c. fin. de Sentent. et re judic.* ita etiam judicandum in foro interno, qui conformari debet externo, quando hoc non innititur falsa præsumptione. Nec obstat textus oppositus in *d. c. Dominus*, quia ibi sermo fit de contrahente cum dubio de morte prioris Conjugis, quo casu certum est dubitantem non posse petere, donec constet de illius morte; nam alias potius est jus prioris Matrimonii. Hoc tamen procedit respectu ad Conjugem, qui contraxit cum dubia fide; secus vero quoad Conjugem qui contraxit cum bona fide, ut diximus *n.* 904. Communiter autem dicunt *Sanch. l.* 1. *D.* 42. *n.* 8. *Bon. p.* 4. *n.* 10. *Boss. t.* 2. *c.* 2. *n.* 41. *Spor. de Consc. n.* 77. *Ronc. l. c. et Salm. c.* 15. *n.* 48. *cum Dic. et Croix n.* 299. *cum Schilder. Aversa, etc.* quod etiam contracto Matrimonio cum dubia fide possit dubitans petere, si Matrimonium reputetur probabiliter validum, etiamsi probabilius sit esse nullum, ut dicunt *Sanch. et Sporer*. At hoc minime admittendum, nam in dubio de morte prioris Conjugis, sive Nuptiæ sint initæ cum bona fide, sive cum dubia fide, nunquam Conjux dubitans petere poterit, nisi de Morte prioris Conjugis habeatur certitudo, aut saltem tanta præsumptio, quæ moralem certitudinem statuat. Alias, si tantum probabilitas de morte habeatur, nequit unquam Conjux ille dubitans petere, tum quia tunc remanet probabile periculum injuriæ prioris Conjugis, juxta dicta Tom. I. in Tractatu de Conscientia, quem ipse condidi; tum quia eo casu possidet prius matrimonium, donec constet fuisse solutum. 906

Dubit. 4. An in dubio positivo de valore Matrimonii, puta si dubitetur de impedimento, vel 907

de

de consensu præstito, & simili, judicandum sit in favorem Matrimonii contracti? In foro externo proculdubio affirmandum, ut communiter docent DD. Vide *Sanch. lib.* 1. *Disp.* 18. *n.* 5. Sed in foro conscientiæ negant aliqui, eo quod in dubio possidet libertas ab onere Matrimonii. Sed verius est oppositum, ut tenent *Sanch. n.* 6. *Pontius lib.* 8. *c.* 2. *n.* 16. *Elbel n.* 146. *et Tamb. Dec. l.* 1. *c.* 3. *v. Matr. n.* 7. *cum Covar. Monoch.* & communi. Ratio, quia, licet Matrimonium sit tantum probabiliter validum, tamen certa est ejus possessio; donec non constet de nullitate, cum in dubio (ut diximus) semper judicandum sit pro validitate actus ut dicunt *Palaus tr.* 28. *D.* 3. *p.* 4. §. 9. *n.* 4. *Busemb. Elbel l. c. et Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 298. ex *l. quoties ff. de reb. dub.*

908 Ad dignoscendum autem, quomodo quis possit esse certus, vel probabiliter dubitare de nullitate Matrimonii, tres regulæ dantur; Prima est, quod ordinarie loquendo, non tenetur Conjux credere alteri asserenti se ficte consensisse, etiamsi id affirmet cum juramento, ex *c. Per tuas, de Probationib.* & *c. Cum a nobis, de Testib. et attest.* ubi: *Nimis indignum est, ut quod quisque sua voce protestatus est, valeat proprio testimonio infirmare.* Dicitur, *ordinarie loquendo:* nam aliter dicendum, si ex circumstantiis aliter censendum esset, puta si Conjux ille sit in articulo mortis, si non soleat pejerare, vel si sit persona pia, & vellet separari, aut Religionem ingredi, &c. tunc enim alter habet sufficiens motivum prudenter dubitandi; ita *Bonac. p.* 4. *n.* 19. *Diana* 3. *p. tr.* 4. *R.* 2. *Sanch. l.* 2. *D.* 45. *n.* 3. *cum Soto, Adriano, Palud. Sylvest. Nav. Ang. etc. ac Salm. c.* 15. *n.* 52. *cum Val. Dic. Verner. et Led.*

Secunda regula est, quod si quis audiat a personis non fide dignis, vel ex fama a nullo auctore certo exorta, adesse impedimentum, licite potest Matrimonium contrahere, aut post contractum reddere, & petere debitum; quia talis fama, aut dictum non habetur ut ratio prudens dubitandi; *Sanch. n.* 29. *et* 32. *ex c. Si duo* 35. *qu.* 6. *item Salm. n.* 52. cum *Sylv.* & *Bonac. l. c. n.* 20.

Tertia regula est, quod dictum unius testis fide digni de impedimento, aut fama publica ex certo authore (ut dicunt *Sanch. n.* 25. *Dic. Sylv.* & *Salm. n.* 54.) sufficit, ut quis teneatur veritatem inquirere, & interim abstinere a petendo debito; quia, cum talis ignorantia tunc sit vincibilis, in dubio non potest operari. Non sufficit tamen hoc, ut teneatur debitum negare? Quia licet possit, nemo tamen tenetur credere uni testi, quantumvis fide digno, qui non inducit necessitatem credendi, maxime in sui præjudicium, ex *c. Cum a nobis de Testib. etc. Salm. d. n.* 54. Post autem adhibitam diligentiam bene potest reddere & petere, ut dicunt iidem *Salm. n.* 28. *cum Nav. Sylvest. Ang. et Lopez.*

909 „ III. Si fiat cum gravi periculo vitæ, aut sa-
„ nitatis: Nisi tamen sit causa gravis, cui damnum
„ corporale videatur postponendum, v. gr. pericu-
„ lum incontinentiæ in se, vel comparte. *Bon. p.*
„ 6. *n.* 8. *Perez d.* 30. *s.* 4. *n.* 5.

Dubit. 1. An liceat petere cum periculo sanitatis, nempe si alteruter Conjugum laboret lepra, morbo gallico, phthisi, aut alio morbo contagioso? Per se loquendo non licet, cum nemo sit dominus suæ vitæ, aut salutis; Attamen probabiliter *Busemb. ut supra cum Bonac. et Perez, ac Sanch. l.* 9. *D.* 24. *n.* 23. *cum Cajet. P. Soto, Graff.* item *Boss. c.* 1. *n.* 195. *et* 209. *cum Pont. Laym. et Reg.* dicunt, quod si morbus esset diuturnus, & non proxime tendens ad mortem, nempe quod non soleat de brevi & facili mortem inferre, ut esset pestis, aut lepra leonina (qua frustatim membra decidunt), tunc non erit illicitum sano petere, si aderit juxta causa, nimirum fovendi amorem conjugalem, aut vitandi incontinentiam in se vel in altero, quia alias esset valde onerosum tamdiu abstinere ab usu conjugii, quod vix poterit esse sine periculo incontinentiæ. Advertendum tamen quod Conjux infectus morbo gallico, aut simili contagioso, non poterit petere ab altero inscio, nisi vitium suum illi manifestet, & manifestando possit alter remediis occurrere morbo; imo nec etiam poterit reddere nisi certiore facto sano. Hinc bene ait *Bossius c.* 1. *n.* 180. quod dupliciter peccaret, qui laborans morbo gallico fornicationem committeret; & insuper teneretur compensare expensas pro curatione: Probabiliter tamen ab hac compensatione excusat feminas, nisi ipsæ requisitæ fraudulenter suum morbum tegerent. Non potest igitur Conjux infectus tunc reddere, nisi morbum manifestet. Ceterum vero non tenetur manifestare, quia non tenetur cum tanto detrimento suæ famæ conjugale debitum præstare: In omnibus enim contractibus gravissimum incommodum in solutione excusat a debito reddendo, ut ait *Tamb. l.* 7. *Dicision. c.* 3. §. 5. *n.* 13. *cum Soto*, juxta dicenda in simili casu *n.* 491.

Non licet autem petere statim a balneis, vel a 910
sectione venæ, nam, ut dicunt *Sanch. l.* 9. *d.* 24. *n.* 5. *Bon. q.* 4. *p.* 1. *n.* 4. *& Boss. c.* 1. *n.* 171. *cum S. Anton. & Fill.* coitus eo tempore est notabiliter periculosus. Idem dicunt *Bon. l. c. Pont. l.* 10. *c.* 14. *n.* 3. *Sanch. n.* 3. *& Boss. n.* 170. cum aliis de laborante febri. Idem ait *Croix* de viro coeunte cum uxore laborante gonorrhœa, scilicet profluvio seminis, dicto *fluxu albo;* sed quidam Medicus mihi asseruit minime nocere talem copulam neque viro, neque mulieri. Præterquamquod non videtur copula tunc prohiberi, cum hujusmodi fluxus soleant esse fere perpetui, unde grave incommodum esset Conjugibus tandiu abstinere ab usu Matrimonii, prout dictum est de muliere laborante menstruo innaturali; vide dicenda *n.* 925. Excipiendum tamen, nisi fluxus sit maleficus; & tunc etiam excusatur coitus, si adsit periculum incontinentiæ tam in petente, quam in reddente, juxta mox dicta *n. præced.* Vir autem laborans fluxu seminis semper licite potest petere, quia coitus nullum affert damnum nec ipsi, nec uxori, nec proli, ita *Sanch. l.* 9. *D.* 11. *n.* 9.

Videtur etiam non licere petere statim post prandium, dum inquiunt *Pontius lib.* 11. *c.* 14. *n.* 3. *Bonac. qu.* 4. *p.* 1. *n.* 6. *Boss. c.* 1. *n.* 171. *cum Palud. & Sanch. l.* 9. *d.* 24. *n.* 4. *cum Vega.* Conjuges sæpe excusari reddendo in tali tempore, eo quod coitus soleat tunc afferre grave damnum, ob ciborum cruditatem, vel corruptionem, quam causat. Refertque *S. Anton. p.* 1. *tit.* 1. *l.* 16. §. 10. quemdam propter hoc in phthisim incidisse. Sed di-

dico quod si hoc esset verum, omnes fere Conjuges phthisici evaderent. Medici autem, quos consului, & experientia negant in hoc grave damnum adesse. Hinc non auderem damnare Conjugem post prandium petentem, cum isti communiter post prandium vel cœnam soleant coire. Neque contra excusarem hac ratione Conjugem a reddendo, nisi experientia constaret, quod tali coitu ipsi, vel alteri notabile damnum provenerit; Alias certum est ipsos teneri ad reddendum etiam cum aliquali seu levi impedimento, juxta dicenda *n.* 950. *v. Quæritur*.

911 Dubitatur 2. An liceat debitum petere tempore lactationis? Alii negant, *ut Butrius*, *& Alex. de Nevo ap. Boss. c.* 1. *n.* 213. Imo *Tiraq.* & alius Auctor *ap. Sanch. l.* 9. *D.* 22. *n.* 13. dicunt esse mortale; tum quia in *c. fin. Dict.* 5. D. Gregor. dicit: *Ad ejus vero concubitum vir accedere non debet* (*debet*, non autem *decet*, ut refert *Sanch.*) *quousque qui gignitur ablactetur*; tum quia in tali coitu est timor nocumenti prolis, si uxor concipiat. Communissime vero affirmant licere *Pal. p.* 4. *n.* 14. *Bon. p.* 1. *n.* 11. *Pont. l.* 10. *c.* 14. *n.* 9. *Salm. c.* 15. *n.* 69. *Croix n.* 326. *Holz. n.* 465. *Elbel n.* 390. *Sanch. l. c. v.* 14. *cum Ricch. Turrecr. Rosell. &c. ac Boss. c.* 1. *n.* 214. *cum Con. Fill. Hurt. Leand. Vill. &c.* Ratio, quia non extat lex prohibens, textum exim D. Gregorii, ajunt *Sanch. n.* 16. *Holm. l. c. & Boss. n.* 125. esse solum de consilio; item, quia periculum inficiendi lac, teste experientia, rarum est; saltem non tantum, ut teneantur Conjuges tanto tempore abstinere ab usu conjugii, cum continuo periculo peccandi. Excipiunt tamen *Pontius l. c.* & *Bossius n.* 215. si Conjuges sint valde pauperes, & prudens adsit timor de gravi damno prolis; tunc enim (ut dicunt) neuter tenetur reddere, imo nec potest petere, etiam si sit periculum incontinentiæ, quia non licet sibi consulere cum damno innocentis, cum alia suppetant media ad incontinentiam sedandam; Verum *Sanc. n.* 15. eo casu excusat quidem Conjuges a reddendo (ut excusat etiam *Bonac. d. n.* 11.), sed non audet damnare exigentes, dicens quod tunc vel alia via ipse poterit prolis consulere, vel erit justa causa ipsam periculo exponendi, ne tandiu Conjuges cogantur abstinere cum tanta difficultate. An autem Conjuges peccent, respectu prolis, petendo tempore prægnationis, vel menstrui aut purgationis post partum? Vide dicenda *n.* 924. 925. & 926. Et quid si Conjuges laborant lepra? Vide *n.* 951. An autem liceat coire tempore menstrui? Vide *nu.* 925.

912 „ IV. Si fiat pravo fine, v. g. tantum voluptatis causa, quod tamen Doct. communiter, ut *Sanch. l.* 9. *n.* 11. *Bonac. qu.* 4. *p.* 6. censent esse tantum veniale, contra *Pontium*, qui vult esse nullum, nullum autem erit, si delectatio non quæsita sentiatur, vel ad eam se excitent, quando copula debita redditur. *Sanchez l.* 9. *d.* 11. *&c.* Vide etiam *Diana p.* 3. *t.* 4. *R.* 216. *Bon. p.* 6. *M. Perez d.* 46. *s.* 2. *n.* 6.

Certum est esse illicitum habere copulam propter solam voluptatem, ut patet ex Prop. 9. damnata ab Innoc. XI. quæ dicebat: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali*. Commune tamen est apud omnes, id non esse mortale, sed tamen veniale peccatum: ita *Sanch. l.* 9. *D.* 11. *num.* 4. *Pont. l.* 1. *c.* 21. *n.* 6. *&* 11. *Boss. c.* 7. *n.* 63. & alii passim, ex *D. Th. Suppl. qu.* 64. *art.* 6. ubi expresse id docet. Et ratio, cur non sit mortale, est, quia delectatio de aliquo objecto ex duplici tantum capite potest esse mortalis, vel quia objectum ipsum est graviter vetitum, vel quia homo delectatur de illo tanquam ultimo fine, sed in hac delectatione neutrum intervenit; non primum ut patet, non secundum ut supponitur. Non excusatur autem a veniali, quia est perversio quædam ordinis, cum delectatio quæ intenta est a natura ut medium ad generationem, fit finis habendæ copulæ. Nullum autem erit peccatum, ut recte ajunt *Croix n.* 296. *& Viva de Matr. q.* 3. *a.* 2. *n.* 4. si Conjux principaliter intendat procreationem prolis, & utatur voluptate (eam moderate intendens), ut se excitet ad copulam; Sicut pariter minime peccat, qui intendit moderatam delectationem in comedendo, ad præstandum corporis conveniens alimentum.

„ V. Si exerceatur mente adultera, ut si, dum 913
„ accedit ad suam, imaginetur aliam, ut animum
„ pascat, quod est mortale. *Sanchez Bon. p.* 6.
„ *n.* 7.

Excusant autem a mortali *Sanch. l.* 9. *D.* 16. *n.* 6. *& Spor. n.* 505. Conjugem qui se excitaret ad copulam, delectando de pulchritudine alterius personæ, sed absque affectu turpi; at merito dicunt hoc esse valde periculosum, & non permittendum. Sicut nec etiam permittendum puto cum *Diana apud Spor. l. c.* se excitare ad coitum, respiciendo ad imagines diversi sexus: maxime si essent sacræ, quod recte ajunt *Croix num.* 329. *& Spor.* esse mortale, propter gravem irreverentiam.

An autem liceat Marito delectari de copula aliena cogitata, ut se excitet ad coitum cum uxore? Ex una parte videtur negandum, cum objectum, de quo delectatur, sit per se turpe. Ex alia non videtur damnandum talem Conjugem, cum ideo solutis est illicita spectatio concubitus humani, sive delectatio de visu cogitato talis concubitus, quia in tali visu vel delectatione adest proximum periculum commotionis spirituum generationi deservientium; & cum ipsi copula sit prohibita, consequenter etiam est vetita commotio spirituum; Conjugatis autem, cum eis jam permissa sit copula, non videtur vetita saltem sub gravi talis commotio spirituum, quamvis ipsa ex delectatione illa oriatur. Hæc tamen cogitatio, si esset de copula inter personas determinatas, non excusarem a mortali, ob facile periculum consentiendi in delectationem de copula cum conjuge aliena. Ceterum, quia hoc dubium apud nullum inveni discussum, Sapientibus remitto decernendum. Illud autem, quod probabile putat *Arriaga de Peccat. D.* 47. *n.* 16. nempe licitum esse Marito se delectari de copula cogitata inter ipsum, & alienam, dico cum *Croix n.* 331. omnino rejiciendum, cum talis delectatio sit de objecto intrinsece malo, & ipsi Conjugi omnino vetito.

VI. Si fiat modo indebito, verbi gratia 1. Si 915
„ non servetur vas naturale: quod multi docent
„ esse veram sodomiam, alii esse grave peccatum
„ contra naturam; V. 6. Præcep. 2. Si sine justa
„ cau-

„ causa situs sit innaturalis, præposterus &c. quod „ aliqui dicunt esse mortale, alii, secluso periculo „ effusionis seminis, veniale tantum, etsi grave, „ & graviter increpandum. *Dian. part.* 3. *tom.* 4. „ *Res.* 204. 3. Si alter conjugum ex morositate, „ vel alia ratione seminationem cohibeat: quod „ quidam generatim dicunt esse mortale, quia fi- „ nis actus conjugalis scilicet generatio, impeditur; „ quidam tamen, ut *Præp.* & *Sanchez*, dicunt, „ in femina nullum esse. V. *Bon. p.* 6. *n.* 14. & „ *pag.* 3.

916 Quær. I. An peccet mortaliter vir inchoando Copulam in vase præpostero, ut postea in vase debito eam consummet? Negant *Nav. l.* 5. *consil. de Pœnit. Cons.* 7. *ac Ang. Zerolla*, *Graff. Zanard. & Gambac. ap. Dian. p.* 2. *tr.* 17. *R.* 37. modo absit periculum pollutionis; quia alias (ut ajunt) omnes tactus etiam venerei non sunt graviter illiciti inter conjugatos. Sed communiter & verius affirmant *Sanch. l.* 1. *D.* 17. *n.* 5. *Pont. l.* 10. *c.* 11. *n.* 5. *Pal. p.* 4. §. 2. *n.* 6. *Bon. pag.* 11. *n.* 12. *Sporer n.* 497. *Tamb. l.* 7. *c.* 3. §. 5. *num.* 31. *& Boss. c.* 7. *n.* 174. *cum Fill. Perez*, *Aversa*, *Fagund. & Leand.* Ratio, quia ipse hujusmodi coitus (etsi absque seminatione) est vera sodomia, quamvis non consummata, sicut ipsa copula in vase naturali mulieris alienæ est vera fornicatio, licet non adsit seminatio. An autem sit mortale viro perfricare virilia circa vas præposterum uxoris? Negant *Sanchez n.* 5. *& Boss. n.* 173. *cum Fill. & Perez*, quia tangere os vasis præposteri non est ordinatum ad copulam sodomiticam. Sed verius pariter affirmant *Pontius l. c. Pal. n.* 6. *Diana p.* 4. *tract.* 4. *R.* 104. *& p.* 5. *tract.* 7. *R.* 7. item *Fagund. Leand. &c. ap. Boss. loc. c. atque Tamb. n.* 32. (qui testatur ab aliquibus codicibus sententiam *Thomæ Sanchez* esse deletam: imo *Moya* asserit ipsum *Sanch.* se retractasse in editione Antuerpiensi anno 1614.) Ratio est quia saltem talis tactus non potest moraliter fieri sine affectu sodomitico.

917 Quær. II. An & quomodo peccent Conjuges coeundo situ innaturali? Situs naturalis est, ut mulier sit succuba, & vir incubus; hic enim modus aptior est effusionis seminis virilis, & receptioni in vas femineum ad prolem procreandam. Situs autem innaturalis est, si coitus aliter fiat, nempe sedendo, stando, de latere, vel præpostero more pecudum, vel si vir sit succubus, & mulier incuba. Coitum hunc, præter situm naturalem, alii apud *Sanchez l.* 9. *D.* 16. *n.* 2. generice damnant de mortali; alii vero dicunt esse mortale ultimos duos modos, dicentes ab his ipsam naturam abhorrere. Sed communiter dicunt alii, omnes istos modos non excedere culpam venialem. Ratio, quia ex una parte, licet adsit aliqua inordinatio, ipsa tamen non est tanta, ut pertingat ad mortale, cum solum versetur circa accidentalia copulæ; ex alia parte, mutatio situs generationem non impedit, cum semen viri non recipiatur in matricem mulieris per infusionem, seu descensum, sed per attractionem, dum matrix ex se naturaliter virile semen attrahit; ita *S. Anton.* 3. *p. tit.* 1. *c.* 2. §. 3. *in fine cum Alb. M. Nav. c.* 16. *n.* 42. *Pont. l.* 10. *c.* 11. *n.* 1. *Petroc. t.* 4. *p.* 445. *v. Tertius casus. Salm. c.* 7. *n.* 71. *Boss. c.* 7. *n.* 68. *Holzm. n.* 458. *Spor. n.* 493. *Ronc. p.* 184. *q.* 4. *Croix n.* 552. *Pal. de Sponsal. D.* 3. *p.* 4. §. 3. *n.* 1. *cum Sa*, *Tolet. Hurt. Coninch. & Henr. ac Sanch. l.* 9. *D.* 16. *n.* 3. *cum Gerson. Caj. P. Soto*, *Dom. Soto*, *Sylv. Arm. Vict. &c.* Et aperte favet *D. Th. in* 4. *D.* 31. *in fin. in exp. litt.* ubi sic ait: *Sed in secundo modo* (nempe mutando situm naturalem) *non semper est peccatum mortale*, *ut quidam dicunt*, *sed potest esse signum mortalis concupiscentiæ*. Ergo ex D. Thoma mutatio situs per se non est mortalis, sed potest esse mortalis ex prava *concupiscentia*, puta ex affectu bestialitatis, vel sodomiæ, vel si hujusmodi voluptas habeatur, ut finis ultimus. Hinc communiter dicunt præfati AA. cum *Concina pag.* 403. *n.* 2. Conjuges minime peccare, si mutent situm ex justa causa, nempe ob ægritudinem, vel pinguedinem viri, vel ob periculum abortus, aut scandali aliorum, idque expresse dicit Angelicus *l. c.* ubi subdit; *Quandoque sine peccato esse potest*, *quando dispositio corporis alium modum non patitur*; *alias tanto est gravius*, *quanto magis a naturali modo receditur*. E converso conveniunt omnes (ut asserunt *Sanch. num.* 5. *Pal. loc. cit. Boss. n.* 171. *&c.*) quod si experientia constaret, quod mutato naturali situ nihil seminis femina retineret ob nimiam vasis laxitatem, vel humiditatem, vel propter aliquam infirmitatem naturalem, ut ait *Palaus*, tunc esset mortale: secus vero dicit *Sanchez*, si non ex situ, sed ex aliquo morbo mulieris talis effusio provenit.

Dicunt autem *Sanch. d. n.* 5. *Pont. d. c.* 11. *n.* 3. *Pal. d. n.* 1. *& Boss. n.* 171. *cum Perez*, *Hurt. & Aversa*, non esse mortale, si ob variationem situs pars tantum seminis decidat, reliquo intra vas retento sufficient ad generationem; quod dicunt *Sanch.*, *& Bossius* aliquando evenire; imo fere semper evenire ajunt *Pal. & Pontius*, qui testatur sic Medicos asserere. Verum *Salm. c.* 15. *n.* 74. hanc opinionem vocant nimis laxam, quia (ut inquiunt) prodigere semen humanum sine rationabili causa non potest excusari a mortali; ceterum dicunt ipsi *Salm. l. c. ac Sanch. num.* 5. *& Spor. n.* 493. *cum Aversa*, non teneri confessarium interrogare Conjugem de hoc se accusantem, an semem effusum sit, vel non, quia raro (ut ajunt) accidit semen effundi; & sic etiam ego pluries audivi ab eis qui apud me in Confessione se accusabant præpostere coivisse. Eos vero qui coeunt stando, vel sedendo, vel mulier incuba, puto esse in majori periculo semen effundendi. Sed per hoc non audeo damnare sententiam *Sanchez*, *Pontii*, *Palai*, & aliorum ut supra; nam possent ipsi *Salmantic.* respondere, quod sine justa causa prodigere semen, sive (ut melius *Salmantic.* dicere debebant) permittere, ut semen prodigatur nunquam licet, quando semen extra vas uxoris effunditur, non vero quando intra immittitur, & per accidens, non autem ex ipso actu prodigitur; quia tunc matrix ut dicunt AA. præfati, jam attrahit quod est sufficiens ad generationem, & reliquum tanquam superfluum expellit. Utrum autem teneatur Conjux reddere alteri petenti debitum situ innaturali sine juxta causa? vide dicenda *n.* 946.

Quær. III. An peccent mortaliter Conjuges, si incepta copula cohibeant seminationem? Respon- 918

de-

detur: si Conjuges ambo in hoc consentiunt, nec adsit periculum seminandi extra vas, id per se loquendo non est mortale; illa enim penetratio vasis feminei tunc reputatur instar tactus verendorum, qui inter Conjuges permittitur, vel saltem non est mortalis, secluso periculo pollutionis; ita commun. *S. Antonin.* 3. *p. tit.* 1. *c.* 20. §. 6. *Pont. l.* 10. *c.* 11. *n.* 9. *Pal. p.* 4. §. 3. *n.* 3. *Laym. l.* 6. *sect.* 14. *n.* 19. *Bonac. q.* 4. *p.* 6. *n.* 15. *Less. l.* 4. *c.* 3. *n.* 55. *Sporer n.* 490. *Salm. c.* 15. *n.* 82. *cum Aversa*, *& Dic. Boss. c.* 9. *num.* 58. *cum Filliuc. Hurt. & Perez*, *ac Sanch. l.* 9. *D.* 19. *n.* 3. *cum Palud. Cajet. Ang. Sa*, *Arm. Tab.*, *&c.* Dixi 1. *si ambo consentiunt;* nam si alter se retrahit sine alterius consensu, certe graviter peccat, ut dicunt omnes AA. præfati. Dixi 2. *Per se*, *loquendo*, nam sapienter advertit *Sanch. l. c. cum Veracrux*, id ordinarie esse mortale, quia ordinarie adest periculum ex tali retractione effundendi semen, nisi Conjuges experti sint oppositum: quo casu tamen puto nullo modo posse eos excusari saltem a veniali, quicquid dicat *Sanch. ib. cum aliis*.

Si vero femina jam seminaverit, vel sit in probabili periculo seminandi, non potest quidem vir data opera a seminatione se retrahere, sine gravi culpa, quia tunc ipse est causa, ut semen uxoris prodigatur, ut communiter dicunt *S. Anton. l. c. Salm. n.* 81. *Holzm. n.* 451. *& Sanch. n.* 4. *cum Palud. Caj. Ang. Sa*, & alii passim. Hoc tamen non erit ita intrinsece malum, ut aliquo casu permitti non possit, puta si vir desisteret a copula ob periculum mortis, vel scandali aliorum; tunc enim licite potest se retrahere etiam cum periculo pollutionis, quia hæc per accidens, & præter intentionem eveniret, & contra non tenetur cum periculo tanti damni generationem procurare: ita communiter *Sanchez d. n.* 4. *Pal. n.* 5. *Dian.* 3. *p. tr.* 4. *R.* 204. *Boss. n.* 60. *cum Less. Aversa*, *& Perez*, *ac Salm. n.* 81. *cum Caj. Dicast. Henr. &c.* Hæc sunt certa apud omnes.

Si autem vir jam seminaverit, dubium fit, an femina lethaliter peccet, si se retrahat a seminando? aut peccet lethaliter vir non expectando seminationem uxoris? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Aversa*, *Hurt.* & *Ochagav. ap. Boss. c.* 9. *n.* 51. & probabiliter putat *Dian. p.* 5. *tr.* 14. *R.* 37. atque videntur cohærere *Tab. & Arm. ap. Sanch. l.* 9. *D.* 19. *n.* 5. dum indistincte dicunt esse mortale, si altero seminante Conjux a seminatione se retrahit. Ratio, quia (ut ajunt) etiam semen mulieris active concurrit ad generationem, prout censent ex Medicis *Hippocrates*, *Galenus*, *Valesius*, *& Petrus Matha ap. Sanch. l.* 2. *D.* 21. *n.* 11. & ex Theologis *Suar. t.* 2. *in* 3. *p. D.* 10. *sect.* 1. *v. Secundo infertur*, ubi ait: *Semen maternum simpliciter necessarium est ad concipiendum filium*. Item *D. Bonav. & Major. ap. Boss. d. n.* 60. *ac Caj. Abul.* & plures alii *ap. Sanch. l. c.* & ipsi *Sanch. & Boss.* hanc opinionem satis probabilem putant; saltem (ait *Boss.*) semen mulieris juxta omnes valde confert prolis perfectioni, cum ad hoc fuerit saltem a natura institutum. *Secunda* vero sententia communior negat, & hanc tenent *Sanch. l.* 9. *D.* 19. *n.* 9. *Pont. l.* 19. *c.* 11. *n.* 3. *Bon. p.* 6. *n.* 16. *& Salm. c.* 15. *n.* 80. *cum Caj. Henr. Dic. Veracr. &c.*

Hi contrario nituntur fundamento, nempe quod semen mulieris non est necessarium ad generationem, ut asserunt *Aristoteles*, *Avicenna*, *Galenus* sibi contrarius, ac *Hugo Senensis*, *& Alb. M. ap. Sanch. l.* 9. *D.* 17. *n.* 9. qui ait hanc esse sententiam communem Theologorum, exceptis Scotistis. Nec obstare dicunt AA. hujus secundæ sententiæ, quod semen fœminæ conferat perfectioni prolis; nam respondent, quod non tenentur Conjuges ad convenientiorem modum generandi, sed satis est si generationi non obstent. Quamvis autem dicant præfati AA. non teneri virum exspectare seminationem mulieris, si ipse jam seminaverit: concedunt tamen ei posse continuare copulam, usque dum seminet femina, quia hoc pertinet ad complementum copulæ uxoris, ut censent *Pons. & Dian. ll. cc. Bon. n.* 14. *cum Caj. & Sanch. D.* 17. *n.* 11. *cum Tab. & Graff.* contra *Henr.* (*ap. Bon. l. c.*) qui sentit virum non teneri exspectare seminationem fœminæ, quia periculum est, ut hoc pacto impediatur generatio, quod non videtur satis probabile, nec cohærens; nam si adesset tale periculum, non debuisset dicere non teneri, sed non posse, quod nemo asserit, nemo enim hoc periculum supponit.

Sed redeundo ad primam quæstionem, esto secunda sententia sit quidem communior, & probabilior, ut videtur, censeo tamen cum *Boss. l. c. n.* 52. primam sententiam esse satis probabilem, & ideo in praxi tenendam. Ratio, quia non licet sequi opinionem probabilem cum damno tertii; cum autem hic agatur de damno prolis sive generationis adversus naturam, quæ jus habet, ut non impediatur generatio, cum ad hoc instituerit actum conjugalem; propterea ubi est periculum impediendi generationem, non licet uti opinione probabili, ubi enim (ut diximus *l.* 1. *n.* 33.) agitur non de honestate actionis, sed de veritate rei, illicitum est sequi (ut omnes fatentur) opinionem probabilem pro libertate, adversus aliam stantem pro lege. Hinc neque practice probabile puto id quod dicunt *Sanch. n.* 5. *& Spor. n.* 491. *cum Perez*, *Escob. Dic.* & *Gob.* nimirum posse mulierem in actu coitus animum ad alia divertere, ne concitetur ad seminationem.

An autem, si vir se retrahat post seminationem, 919
sed ante seminationem mulieris, possit ipsa statim tactibus se excitare, ut seminet? Negant Auctor *Addit. ad Wigandt tr.* 16. *post n.* 106. *ac Dian. & Rodr. ap. Boss. l.* 9. *n.* 54. adhæretque *Pal. p.* 4. §. 3. *n.* 6. (dicens id non esse licitum, si mulier posset se continere). Ratio, quia semen mulieris non est necessarium ad generationem; item quia effusio illa mulieris, utpote separata, non fit una caro cum viro. Communius vero affirmant *Wigandt tr.* 16. *n.* 103. *v. Solve. Less. l.* 4. *c.* 3. *n.* 94. *Bon. q.* 4. *p.* 6. *n.* 15. *in fin. cum Sanc. l.* 9. *D.* 17. *n.* 10. *Pot. t.* 1. *c.* 4. *n.* 44. 10. *Tamb. Dec. l.* 1. *c.* 3. §. 5. *n.* 18. *Salm. c.* 15. *n.* 80. *in fin. cum Dic. Fill. tr.* 10. *n.* 330. *Spor. n.* 491. *Boss. c.* 9. *n.* 55. *cum Aversa*, *Perez*, *Fag. et Leand. ac Elbel p.* 479. *n.* 425. *cum Cleric. Homob. Dian. Gob. et Bosco*, & non reprobat *Conc. p.* 406. *n.* 11. Ratio, tum quia seminatio mulieris pertinet ad complendum actum conjugalem, qui consistit in seminatione utriusque Conjugis; unde

sicut potest uxor tactibus se præparare ad copulam, ita etiam potest actum copulæ perficere: tum quia, si mulieres post talem irritationem tenerentur naturam compescere, essent ipsæ jugiter magno periculo expositæ mortaliter peccandi, cum frequentius viri quia calidiores prius seminent (sed hæc ratio non suadet, nam si hoc permitteretur uxoribus, deberet permitti etiam viris, casu quo mulier post suam seminationem se retraheret, & vir maneret irritatus; at DD. communiter dicunt id vetitum esse viris, ut *Sanch. n.* 10. *Wigandt et Bon. l. c.*); tum quia, ut plures sentiunt, seminatio mulieris est necessaria, vel saltem multum confert ad generationem nihil enim a natura frustraneum agitur. Omnes autem concedunt uxoribus, quæ frigidioris sunt naturæ, posse tactibus se excitare ante copulam, ut seminent in congressu maritali statim habendo; vide *Conc. n.* 13.

920 „ VII. Si in loco indebito, v. g. Sacro, qui inde „ violetur, vel in loco publico * (*Vide dicta de* „ *hoc puncto T.* 1. *l.* 3. *n.* 485. *ubi diximus cum* „ *Nav. Vasq. Tol. Azor. Con. Pont. &c. quod* „ *licet probabile sit per copulam conjugalem oc-* „ *cultam in Ecclesia non committi sacrilegium,* „ *neque Ecclesiam pollui, probabilius tamen est* „ *oppositum, nisi adsit necessitas, cum Suar.* „ *Sanch. Less. Bon. Holzm. Croix, Salm. &c.* „ *Etsi eo casu non tenentur Clerici ibi abstinere* „ *a divinis officiis celebrandis, nisi concubitus il-* „ *le habitus publicetur, ut dicunt iidem AA. et* „ *probatur in hoc l.* 6. *n.* 364. *quia Ecclesia non* „ *censetur polluta quoad celebrationem Officiorum,* „ *nisi crimen sit notorium notorietate facti*) *.

921 „ VIII. Si absque urgente causa fiat tempore „ indebito, 1. in magna solemnitate, ut Paschæ, „ vel pridie communionis. *V. Per. d.* 49. *s.* 3. 2. „ Quando uxor est gravida, saltem si sit periculum „ abortus. *Nav. Sylv. Sanc. Conc. Fill. n.* 337. „ Hoc enim si non sit, non erit saltem mortale: „ quod enim tunc fine suo frustretur semen, non „ sequitur per se ex actu. Unde *Dian. p.* 3. *tr.* 1. „ *R.* 204. & *Con. d.* 34. *dub.* 9. nullum peccatum „ agnoscunt. 3. Quando uxor laborat fluxu men- „ struo. Quod tamen non esse mortale, contra „ *Azor.* docet *Sanch. l.* 9. *d.* 21. *n.* 2. Imo aliqui „ apud *Dian. l. c. ut Pont. l.* 10. *c.* 11. *et c.* 14. „ *n.* 5. *et* 6. docent, nec veniale esse, si pericu- „ lum urgeat, quod *Sanch. l. c.* docet esse pro- „ babile; additque *M. Perez*, si ob finem hone- „ stum fiat, nullum esse; & teneri reddere debi- „ tum uxorem, si maritus exigat. Vide *dist.* 49. „ *sess.* 3.

922 Quær. I. An liceat Conjugi coire die Communionis? Vide quæ fusius diximus hoc *l.* 6. *n.* 273. *et* 274. ubi tenuimus esse veniale accedere ad Eucharistiam die copulæ habitæ ob voluptatem, nisi excuset aliqua rationabilis causa. Si vero copula est habita causa procreandæ prolis, vel etiam incontinentiæ vitandæ, tunc est solum consilii a Communione abstinere, ex *c. Si vir* 7. *Canus* 33. *q.* 7. Et sic pariter est consilii abstinere die quo Conjux reddit debitum; a quo autem reddendo ordinarie loquendo propter Communionem non potest eximi; nam aliquando potest honestis precibus resistere. Quid autem debeat Confessarius respondere Conjugi interroganti, an teneatur reddere die Communionis? Vide *d. n.* 274. *v. Quid*. Post vero Communionem sumptam nullum est peccatum reddere. An autem petere? Alii dicunt esse veniale; alii nullum; vide *ib. v. Die autem*.

Quær. II. An in diebus festivis, vel jejunii, aut 923
Rogationum sit illicitus actus conjugalis? Commune est non esse vetitum tunc debitum reddere cum *D. Th. suppl. q.* 64. *art.* 7. ubi dicit: *Cum mulier habeat potestatem in corpore viri, et e converso, tenetur unus alteri debitum reddere quocumque tempore, et quacumque hora*. An autem sit vetitum petere. *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *D. Th. l. c. a.* 1. *S. Anton.* 3. *p. t.* 1. *c.* 20. §. 11. *Conc. t.* 10. *p.* 395. *n.* 10. item *Mag. Sent. Alb. M. Palud. Gers. Sylv. Tab. etc. ap. Sanch. l.* 9. *d.* 12. *n.* 3. Hoc tamen sub culpa veniali, ut ait *D. Th.* cum aliis; non vero sub mortali, ut aliqui improbabiliter tenent *apud Sanch.* quia tempus sacrum *non est circumstantia* (ratio *S. D.*) *trahens in aliam speciem peccati, unde non potest in infinitum aggravare*. Rationem autem, cur sit veniale, assignat idem Angelicus dicens: *Actus matrimonialis, quamvis culpa careat: tamen, quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad spiritualia. Et ideo in diebus in quibus spiritualibus præcipue est vacandum, non licet petere debitum. Secunda* vero communior negat esse illicitum, & hanc tenent *Sanc. l.* 9. *d.* 12. *n.* 5. *cum S. Bon. Scoto, Cajet. Arm. Soto, Ang. Valent. etc.* item *Pont. l.* 10. *c.* 9. *per totum. Pal. p.* 4. §. 4. *n.* 5. *Bon. p.* 4. *p.* 6. *n.* 28. *Salm. c.* 15. *n.* 58. *cum Henr. Dic. Con. Aversa, Led. etc. ac Boss. c.* 7. *n.* 84. *cum Azor. Reg. Fill. Perex, etc.* Ratio, quia id non habetur vetitum ullo jure: non divino, quia in festis sola opera servilia prohibentur, non ecclesiastico, quia diebus festivis & jejunii, non obstante congressu maritali, bene possunt Conjuges servare ea quæ sunt de præcepto. Quod si Canones & SS. Patres videntur iis diebus expresse prohibere usum conjugii, dicunt præfati AA. id intelligi de consilio, non de præcepto, ut multis nititur probare *Sanc. cum Gloss.* in Canones, & aliis Interpretibus.

Quær. III. An liceat coire Conjugibus tempore 924
prægnationis? Commune est id non esse mortale, nisi adsit periculum abortus; ita omnes cum *Sanch. l.* 9. *d.* 22. *n.* 3. *Pont. l.* 10. *c.* 14. *n.* 7. *Pal. p.* 4. §. 4. *n.* 12. *Salm. c.* 15. *n.* 78. *Ronc. p.* 184. *q.* 3. *R.* 2. *et Boss. c.* 9. *n.* 33. ex D. Augustino *de Bono Conj. c.* 6. ubi: *Conjugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum Conjuge, propter fidem tori, venialem habet culpam*. Idem docet D. Ambrosius in *Luc. c.* 1. ibi: *At vero homines nec conceptis ipsis, nec Deo parent; illos contaminant, hanc exasperant*. Notato *contaminant*; ergo supponit S. Doctor periculum abortus. Item D. Hieron. in *c. Origo*, 32. *q.* 4. *Postquam venter intumuerit, non perdant filios*. Item D. Th. *in* 4. *dist.* 81. *in fin. in expos. litt.* ibi: *Ideo Hieronymus vituperat accessum viri ad uxorem imprægnatam, non tamen ita quod semper sit peccatum mortale, nisi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus*.

Censent autem *Sylvest. Ang. & Tab. apud Sanch.*

Sanch. l. c. n. 1. adesse periculum abortus, si copula habetur circa initium conceptionis, quia ex novo coitu materia illa nondum plene formata, facile dispergitur: nam licet matrix post conceptionem statim claudatur, tamen (ut ait Avicenna) ex vehementi delectatione coitus irritata, aliquando aperitur, & materia effunditur. Hoc tamen non obstante, dicunt *Pontius dict. n.* 7. *Pal. n.* 11. *Sanch. dict. n.* 1. *cum Ang. et Sylvest.* (contra *Tabien.*) *ac Boss. n.* 18. *cum Fill. Hurt. Perez, et Raynaud.* quod coire cum tali periculo non reputantur mortale, quia (ut ajunt *Sanch. et Bossius*) cum materia non sit adhuc formata, & conjuges dent operam rei licitæ, utendo jure suo, modo abortum non intendant, damnum illud non est tantum, ut lethalem constituat culpam. Sed hæc ratio mihi non probatur, quia cum per copulam noceatur vitæ, vel formationi prolis, Conjux tunc non habet jus ad copulam. Potius videtur dicendum non adesse tale periculum; quia (ut dicunt idem *Sanch. n.* 7. *Pal. d. n.* 11. *Boss. d. n.* 18. *Holzm. p.* 463. *cum Illsug. et Bon. q.* 6. *part.* 6. *n.* 12. *cum Con. et Reg.*) communiter non adest tale periculum, dum matrix recepto semine arctissime constringitur, nec ordinarie reseratur per coitum, ut tradunt ipse Avicenna & Valverdus apud *Boss. l. c.* cum Conjuges indiscriminatim accedant, & tamen abortus non succedunt; unde ait *Boss.* quod usquedum non constet experientia, aliquam uxorem ex coitu pluries fœtum emisisse, non est præsumendum periculum abortus. Tanto minus autem aderit tale periculum, si habeatur copula tempore proximo partui, ut perperam aliqui dixerunt, putantes tunc exponi prolem discrimini suffocationis; nam verius (ut ait *Boss. n.* 30. *cum Raynaudo*) fœtus humanus ita secundinis involvitur, ut eum non possit semen contingere. Hinc ait *Petr. t.* 4. *p.* 447. periculum abortus non ita facile præsumendum; & ideo non esse vexandos Conjuges importunis interrogationibus, ut abstineant tempore prægnationis: *Quæ enim* (ait) *spes eos a concubitu avocandi? et quale non timendum periculum, si a sua bona fide perturbentur?*

Utrum autem, secluso periculo abortus, sit culpa venialis habere coitum cum prægnante? Affirmant *D. Antonin.* 3. *p. tit.* 1. *c.* 20. §. 4. item *Sotus, Palud. Alens. Palac. et ap. Sanch. d. D.* 22. *n.* 4. quia stante fœtu concepto, frustratur semen suo fine generationis. Idque confirmant ex auctoritate plurium SS. Patrum. Negant vero *Sanch. l. c. n.* 6. *cum Gabr. & Henr. Bon. p.* 6. *n.* 11. *cum Fill. Pal. p.* 4. §. 4. *n.* 12. *Ronc. p.* 154. *q.* 3. *R.* 2. *Holzm. n.* 463. *Elbel n.* 390. *et Salm. c.* 15. *n.* 78. *cum Dic. Aversa, et Diana*, tum quia nullibi habetur id per se esse vetitum; tum quia esset onus gravissimum, & res exposita innumeris periculis peccandi venialiter, si Conjuges tenerentur tandiu abstinere ab usu conjugii, manendo in eodem toro. Respondent autem ad rationem oppositam, quod ut coitus sit licitus in Matrimonio, sufficit, ut per se actus sit ad generationem idoneus; quod autem ipsa non eveniat, per accidens se habet. Ceterum mihi arridet sententia, quam tenent *Pont. l.* 10. *c.* 14. *n.* 7. *Azor. t.* 3. *c.* 31. *q.* 14. *Boss. c.* 9. *n.* 36. *cum Guil. Paris. Perez, Con. Barb. Fill. Hurt. Avers. etc.* & huic se adnectunt etiam *Pal. et Ronc. ll. cit.* nempe quod coitus cum prægnante non potest excusari a culpa veniali, nisi adsit periculum incontinentiæ, vel alia honesta causa, juxta dicta *num.* 882. *Dub.* 1. *etc.*

Quær. IV. An licitum sit Conjugibus coire tempore menstrui? Hic prænotandum, quod fluxus mulieris alius est naturalis & ordinarius, & iste proprie dicitur menstruus, quia communiter singulis mensibus solet in feminis accidere & durat ut plurimum per duos vel tres dies. Alius extraordinarius, proveniens ex aliquo morbo diuturno, qui aliquando durat usque ad 12. dies & ultra. Tempore fluxus extraordinarii certum est licere tam reddere quam petere: ita communiter *Sanch. l.* 9. *D.* 21. *n.* 1. *Pont. l.* 10. *c.* 14. *n.* 5. *Holzm. n.* 462. *Salm. c.* 14. *n.* 76. *et Boss. c.* 9. *n.* 13. *cum Azor. Reb. Fill. Hurt. etc.* ex *D. Th.* in 4. *D.* 32. *q. un. art.* 2. *q.* 2. ubi expresse hoc docet, & rationem adducit, dicens: *In fluxu menstruorum innaturali non est prohibitum ad menstruatam accedere in lege nova, tum propter infirmitatem, quia mulier in tali statu concipere non potest; tum quia talis fluxus est perpetuus et diuturnus, unde oportet, quod vir perpetuo abstineret.* Tempore autem fluxus naturalis adsunt tres sententiæ. *Prima* damnat coitum de mortali, & hanc tenent idem *D. Th. l. c. q.* 3. *ad* 1. ubi dicit tempore hujus menstrui peccare mortaliter tam virum voluntarie petentem, quam uxorem voluntarie reddentem; excipit si mulier quasi coacta debitum redderet. Eandem sententiam tuentur *S. Bonav. Alens. Scotus, Tab. Palac. etc. ap. Boss. c.* 9. *num.* 16. Probatur 1. ex *Levit. c.* 20. *v.* 18. ubi dicitur: *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo: et revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo.* Objiciunt huic *Sanch. l. c. num.* 2. *et Boss. n.* 16. quod lex illa fuit cæremonialis, & ideo non obligat in Lege Evangelica. Sed respondet *D. Th. dict. qu.* 2. quod licet illud præceptum fuerit cæremoniale quoad immunditiam, fuit tamen morale quantum ad *nocumentum* (verba S. D.) *quod in prole ex hujusmodi commixtione frequenter sequebatur.* Probat. 2. ex *Can. fin. Dist.* 5. ubi Gregor. Papa: *Cum et sine partus causa, cum* (uxores) *in consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur.* Probatur 3. ratione, tum quia proles eo tempore nascitura exponitur periculo nascendi leprosa, & monstruosa; tum quia adest periculum semen frustra effundendi, cum raro vel nunquam eo tempore Mater sit apta conceptioni. 925

Secunda sententia totaliter opposita dicit accessum ad menstruatam omni culpa carere; hanc tenent *Glossa in Can. Si Caus.* v. *Conceptus.* 33. *q.* 14. item *Perez, Fill. et Hurt. ap. Boss. n.* 20. eamque *Sanch. l.* 9. *D.* 21. *n.* 7. putat æque probabilem ac tertiam, quam mox referemus. Ratio, quia hodie id nullo jure prohibetur; non Divino, cum lex Levitici, adveniente lege nova, jam cessaverit. Nec obstare dicunt, quod prohibitio illa non cessavit, quatenus fuit moralis propter vitandum damnum prolis, nam respondent, quod testatur S. Hier. in 18. *Ezech.* rationem prohibitionis

nis in Levitico fuisse, quia illo tempore, ob sanguinem femineum infectum ex coitu fœtus leprosi, & elephantiaci nascebantur; sed hodie incertum est adesse damnum, & multo certius est mulierem tempore menstrui non concipere, ut dicunt *Sanch. Pal. Boss. et Salm. ll. cc.* ac demum, etiamsi concipiat cum aliquo damno prolis, dicunt *Sanch. l.* 9. *D.* 21. *n.* 7. *et Boss. c.* 9. *n.* 22. id non obstare, quia melius est prolem sic nasci, quam non nasci; forte enim postmodum non gigneretur, vel non esset eadem proles, unde proles beneficium recipit, non damnum; nec valet dicere, quod si non proli, saltem sic infertur damnum naturæ quæ postulat, ut proles modo convenientiori generetur: nam respondent, quod si non infertur damnum proli, neque infertur naturæ. Non prohibetur igitur jure Divino; non jure Ecclesiastico, nam ad textum Gregorii respondet *Pontius l.* 10. *c.* 14. *n.* 6. prohibitionem illam Ecclesiasticam hodie exolevisse; imo verbum illum Pontificis, *prohibeantur*, explicatur ab aliis, ut dicit ibi *Glossa: prohibeantur, idest sub forma prohibitionis dissuadeantur*. Nec jure naturali, quia liceat sit facile periculum eo tempore frustrandi semen, tamen ad coitum cohonestandum non requiritur, ut ex eo sequatur generatio, sed sufficit quod coitus ille per se sit aptus generationi, esto per accidens semen dispergatur, ut accidit in accessu ad mulierem prægnantem, aut sterilem. Neque (ajunt) in tali coitu adest indecentia culpabilis, nam (ut dicit *Perez*) illa est potius materialis. Hinc concludunt nullo modo peccare Conjuges, si eo tempore coeant, non jam ex affectu libidinis (quod non posset excusari a veniali,) sed ut utantur jure suo cum moderata delectatione.

Tertia demum sententia communissima & probabilior dicit, coitum tempore menstrui non esse mortale, sed non excusari a veniali; ita *S. Antonin.* 3. *part. tit.* 1. *c.* 20. §. 3. *Nav. c.* 16. *n.* 32. *Conc. p.* 398. *n.* 20. *Pont. l.* 10. *c.* 14. *n.* 6. *Pal. p.* 4. §. 4. *n.* 8. *Ronc. p.* 184. *q.* 3. *R.* 3. *Holzm. n.* 462. *Bonac. p.* 6. *n.* 9. *cum Henr. Led. & Rodr. Salm. c.* 15. *n.* 76. *cum Aversa. Vivald. Cornejo, & Soto, Boss. c.* 9. *n.* 22. *cum Sa, Con. Palud. Reg. Vill. Vega, Graff. &c. ac Sanch. Dict. D.* 21. *n.* 5. *& cum Cajet. Abul. Arm. Vict. & Lopez*. Quod non sit mortale, probat ratio adducta mox supra pro secunda sententia. Quod autem sit veniale probatur, quia talis concubitus, nolendo Conjuges exspectare tempus generationi aptius, & jam brevi adventurum, involvit quandam turpitudinem, & deordinationem, cum femina tunc sit inepta commodæ receptioni & retentioni seminis, & ideo coitus tunc minus convenit fini generationis. Conveniunt autem *Nav. Pal. anch. Salm. ll. cc. & Boss. n.* 15. *cum Hurt.* quod nullum sit peccatum coire tali tempore, si adsit uliqua causa turpitudinem illam cohonestans, nempe ad vitanda dissidia, aut incontinentiam in se vel in altero, aut alia similia.

An autem casu quo nulla adsit causa, uxor menstruata possit, & teneatur debitum reddere, si maritus monitus nolit desistere? Affirmant *Pal. p.* 4. §. 4. *n.* 9. *cum Con. Salm. c.* 15. *n.* 77. *et Sanch. D.* 21. *n.* 96. *cum Palud. Soto, Led. etc.* qui citat pro se etiam *D. Th. D.* 32. *a.* 2. *qu.* 3. sed non bene, ut mox videbimus. Verum probabilius negandum cum *Pont. c.* 14. *n.* 5. *et Bon. p.* 6. *n.* 10. qui citat *Sylv. Reb. et Henr.* Ratio, quia cum culpa, etiam venialis, se teneat ex parte actus, probabilius non tenetur conjux, neque potest licite debitum reddere: vide dicenda *n.* 946. Nec contrarius est nostræ sententiæ D. Th., nam *l. c. in Resp. ad* 3. dicit tunc uxorem posse & teneri ad reddendum, *quando majus periculum timeretur in non reddendo*. Sed hoc non supponitur in nostro casu.

Quær. V. An sit illicitum coire tempore purga- 926
tionis post partum? Certum est non teneri Conjuges hodie observare tempus purgationis præscriptum in *Lev.* 12. ubi, cum mulier arcebatur ab ingressu Templi per 40. dies in partu masculi, & 80. feminæ, videtur eo tempore fuisse ei etiam interdictus Conjugii usus. Sed hoc præceptum jam cessavit, & sicut hodie puerperæ non tenentur abstinere ab ingressu Ecclesiæ, ut dicitur in *c. unde Purific. post part.* ita nec a Conjugii usu, ut communiter dicunt *Sanch. l.* 9. *d.* 22. *n.* 8. *Boss. c.* 7. *n.* 130. & alii passim cum *S. Anton.* 3. *part. tit.* 1. *c.* 20. §. 4. *in fin.* qui tamen addit, hoc non obstante, bene posse mulierem abstinere ab Ecclesia, & omittere audire Missam, ubi talis est consuetudo, toto eo tempore, vel saltem per sex hebdomadas, ut testantur esse communem usum, *Sporer, et Elbel;* vide dicta *l.* 3. *n.* 330. *ver. Bene*. Circa autem quæsitum triplex adest sententia. *Prima* dicit esse mortale, & hanc tenent *Butrius, et Alexander de Nevo, ap. Sanch. l. c. D.* 22. *n.* 9. Ratio, tum quia in *cit. c. fin. Dist.* 5. D. Gregorius id expresse vetitum declaravit, dicens: *Nisi purgationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri*. Tum quia damnum infertur proli, si eo tempore concipiatur; ut ait *Galenus ap. Pontium l.* 10. *c.* 14. *n.* 8. *Secunda* sententia dicit nullum esse peccatum: ita *Sanch. n.* 11. *cum Ang. Henr. Palac. Turrecr. Holzm. n.* 464. *ac Fill. Perez, Vill. et Hurt. ap. Boss. c.* 9. *n.* 42. Quia (ut ajunt) hujusmodi immunditia est tantum materialis, non moralis. *Tertia* sententia probabilior, & communior, quam tenet *S. Antonin. l. c. cum Ricch. et Pet. de Palud., Pont. d. n.* 8. *Pal. p.* 4. §. 4. *n.* 17. *Ronc. p.* 184. *q.* 3. *R.* 3. *Boss. n.* 44. *cum Azor. Ochag. et Led.* item *Sot. Palud. Tab. Lop. etc. ap. Sanch. n.* 10. dicit esse veniale, non autem per se mortale. Est veniale, quia talis coitus continet aliquam indecentiam; Unde nisi excuset causa honesta, nempe periculum incontinentiæ, vel dissidii, vel alia similis, nequit ab omni culpa excusari. Non autem est mortale per se loquendo, quia talis indecentia non videtur tanta, ut mortalem culpam inducat. Ad prohibitionem vero D. Gregorii respondet *Pontius* illam hodie exolevisse; At *D. Antonin. cum Guil.* respondet eam fuisse de congruitate, non de præcepto. Ad rationem autem nocumenti prolis respondetur, quod tale damnum vel non accidet, cum difficile sit eo tempore mulierem concipere; vel non erit grave. Dicitur autem *per se loquendo*, nam poterit aliquando esse mortale, si ex concubitu gravis morbus, vel notabilis aggravatio morbi immineret, ut dicunt *S. Anton. et Sanch. n.* 11. *cum Palud. Sylves. Ang. etc.* Hu-

ju-

jusmodi periculum etiam prudenter timeri potest, ut ait *Ronch.* si coitus habeatur statim post partum; nempe eodem die vel sequenti, ut Medicus valde peritus mihi asserit.

927 „ Ex dictis casibus consequenter resolvitur, li-
„ citum esse uti Matrimonio I. Prolis causa, etsi
„ hæc non necessario debeat intendi, dum exer-
„ cetur, dummodo positive non impediatur. Imo
„ etiam aliquando simplici affectu licite excluda-
„ tur, v. g. a paupere, ne nimium prolibus gra-
„ vetur. II. ad vitandum periculum incontinen-
„ tiæ in se, vel comparte, *Mart. Perez d.* 40. *s.*
„ 2. *ex Conin. Pont. Hurt.* &c. contra *Sanch.*
„ qui vult esse veniale, nisi tamen stimuli carnis
„ aliter sedari non possint. * (*Vide dicta n.* 882.
„ *D.* 1. *iidem enim fines, quos habere licet ad*
„ *Matrimonium contrahendum, cohonestant etiam*
„ *petitionem copulæ.*) * III. Valetudinis causa,
„ vel propter alios fines extrinsecos: quia hone-
„ stum ex natura sua, & relatum ad unum fi-
„ nem, licite refertur ad alium isti non repugnan-
„ tem, ut docent *Sa*, *Conin. Laym. l.* 5. *t.* 70.
„ *c.* 3. *Mart. Perez d.* 49. *sect.* 2. *n.* 4. Vid. *Dia-*
„ *na p.* 2. *t.* 4. *R.* 219. Solius tamen sanitatis cau-
„ sa uti, probabile est esse veniale, ut docent *S.*
„ *Th. Hen. Laym. l. c.* contra *Mart. Per. &c.*
„ *ll. cc.* * (*V. n.* 883. *Dub.* 2.) *

928 Hic quæritur I. An aliquando vir teneatur petere? Per se loquendo non tenetur petere; tenetur vero per accidens, nimirum si uxor tacite exigat; puta si ostendat aliquod indicium, quo tacitam petitionem significet; quia in mulieribus ob innatam etiam verecundiam talia signa habentur pro vera petitione, ita communiter *Sanch. l.* 9. *D.* 2. *n.* 3. & alii universe ex *D. Th. Suppl.* 3. *p. q.* 44. *art.* 2. ubi: *Quando vir percipit per aliqua signa, quod uxor vellet sibi debitum reddi, sed propter verecundiam tacet, tenetur reddere.* E converso recte dicit *Sanch. n.* 5. *cum Soto, & Palac.* ex eodem *D. Th. in* 4. *D.* 32. *qu. un. art.* 3. *ad* 2. non teneri mulierem reddere viro, nisi hic expresse petat, cum enim non pudeat viros expresse exigere, bene possunt uxores præsumere, quod viri expresse non petentes nolint ipsas obligare ad petendum; imo ego sentio nec posse, quia nequit maritus obstringere mulierem, ut cum tanta sua erubescentia debitum petat. Recte tamen excipit *Sanch. l. c. cum S. Anton. Nav. Sylv. & Manuel*, nisi talis erubescentia potius præsumatur aliquando (quod ceterum raro accidit) esse ex parte viri, quam feminæ, puta si illa esset maximæ auctoritatis, aut feræ conditionis, & vir valde pusillanimis ac verecundus. Regulariter tamen (bene subdit *Sanchez*) non tenetur uxor reddere, nisi evidenter ei constet de hac pusillanimitate & pudore mariti.

929 Quær. II. An uxor teneatur aliquando petere debitum? Certum est primo, ordinarie non teneri Uxorem ad petendum, quia hoc est mulieribus notabiliter inverecundum. Certum secundo, quod cum alter Conjux est in periculo incontinentiæ, tam vir quam uxor tenetur petere, ad liberandum alterum a periculo; ita communiter *Pontius l.* 10. *c.* 2. *n.* 3. *Sanch. l.* 9. *D.* 2. *n.* 9. *cum Soto, Adr. &c. ac Boss. c.* 1. *n.* 17. *cum Fill. Henr. &c.* Sed dubium fit, an teneatur uxor tunc petere ex charitate, vel ex justitia? *Prima* sententia, quam tenent *Pontius l. c. & Boss. n.* 21. *cum Led. Henr. Diana, & P. Soto*, dicit teneri ex justitia. Ratio, quia, cum teneantur Conjuges servare bonum fidei, quando alter est in periculo incontinentiæ, tunc esto non petat alter, ipsa tamen necessitas petit, ut bonum fidei servetur vitando alterius incontinentiam; ideoque tunc potius est redditio, quam petitio debiti. Confirmatur exemplo, si enim Medicus teneatur ex contractu mederi ægroto, tenetur ex justitia exhibere ei medicinam, quamvis ille non petat. Et huic sententiæ videtur adhærere *D. Th. Supplem. qu.* 49. *a.* 5. *ad* 2. ubi dixit; *Si aliquis per actum Matrimonii intendat vitare fornicationem in Conjuge, non est aliquod peccatum, quia hæc est quædam redditio debiti, quæ ad bonum fidei pertinet. Secunda* vero sententia quæ videtur probabilior, & quam tenent *Sanch. dict. D.* 2. *n.* 7. *cum Palud. & Durando, ac Conin. ap. Boss. n.* 22. dicit teneri tantum ex charitate. Ratio, quia ubi nulla est petitio alterius Conjugis expressa vel tacita, nulla adest obligatio justitiæ ad reddendum. Ad bonum autem fidei Matrimonii spectat quidem, ut Conjux non adulteretur, non vero ut avertat alterum ab adulterio; licet enim hoc etiam quodammodo pertineat ad bonum fidei, non tamen ita pertinet, ut stricte obliget ex justitia ad petendum; ideo a *D. Th.* hujusmodi petitio non dicitur absolute redditio, sed *quædam redditio debiti;* & hoc adducit S. Doctor tantum ad excusandum petentem, si petat ad vitandam incontinentiam in altero, non vero ad obligandum ut petat. Nec obstat exemplum Medici: Medicus enim tenetur utique præbere medicinam infirmo non petenti, quia ex contractu se obligavit ad eum curandum; Conjux autem se obligavit ad non frangendam fidem, non vero ad impediendum alterum, quominus fidem frangat. Ex hac sententia infertur, quod Conjux cum non teneatur ex justitia, sed tantum ex charitate eo casu ad petendum, non tenetur petere cum magno incommodo; hinc probabiliter tunc excusatur uxor a petendo, si in hoc magnam verecundiam subire deberet.

Quær. III. An Conjux prohibitus a petendo ra- 930
tione voti, vel affinitatis aut cognationis spiritualis post Matrimonium contractæ, possit quandoque licite exigere debitum? Id admittunt communiter DD. cum *Sanch. l.* 9. *D.* 7. *n.* 5. (qui citat *Jo. Andr. Præpos. Adrian. Victor. &c.*) si adsit periculum incontinentiæ in altero Conjuge: Imo dicunt *Boss. c.* 1. *n.* 261. & idem *Sanch. n.* 11. *cum Pe. Sot. Henr. Palac. Angles, &c.* tunc teneri petere, quia hæc obligatio oritur ex ipsa institutione Matrimonii. Item admittunt etiam communiter *S. Th. in* 4. *D.* 38. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 2. *ad* 4. *Boss. c.* 1. *n.* 261. *& Sanch. D.* 8. *n.* 1. *cum Sa Sylv. Ang. Turrecr. Henr. Led. &c.* posse Conjugem impeditum petere, si alter interpretative exigat, nempe quando *mulier* (ut ait *D. Th.*) *verecunda est, & vir sentit ejus voluntatem de debiti redditione.* Tunc enim potest Conjux impeditus se offerre, quia tunc potius est reddere, quam petere, Quoties autem liceat ei se offerre? *Led. apud Sanch.* dicit hoc licere quater in Mense; sed melius *Boss. n.* 260. & idem *Sanch. cum*

Vi-

Victoria, dicunt id ex circumstantiis esse pensandum, nempe ex majori vel minori propensione alterius ad venerem. Censent autem idem *Boss. n.* 263. *& Sanch. n.* 2. *cum Aug.* non licere marito voto impedito se ad coitum offerre, quando uxor ei concessit libertatem vovendi castitatem, quia tunc censetur ipsa cessisse juri suo, nempe quod vir in ejus gratiam debitum petat; Nisi (*excipiunt Sanch., & Bossius, contra Coninch. & Pal.*) uxor esset in periculo incontinentiæ, quo casu dicunt, quod vovens tenetur petere ex obligatione orta, ut supra dictum est, ex ipsa institutione Matrimonii.

An autem liceat petere Conjugi impedito, si ipse sit in periculo incontinentiæ? Affirmant *Viguerius, & Quintanad. ap. Boss. n.* 262. maxime si ille esset impeditus ratione affinitatis, vel cognationis spiritualis, & commode non posset haberi dispensatio, essetque periculum in mora, quia lex Ecclesiastica in tanto discrimine non obligat. Negant vero *Sanch. n.* 7. *cum Guttier & Cov. Boss. n.* 262. *cum Coninc. &c.* quia periculum incontinentiæ est quidem justa causa dispensandi, non autem coeundi. Sed prima sententia respectu ad impedimentum ab Ecclesia impositum, mihi non videtur improbabilis, si revera dispensatio brevi obtineri nequeat, & magnum periculum sit in mora; idque magis firmatur ex quæst. seq.

931 Quær. IV. An liceat Conjugi excommunicato petere debitum? & an petere ab excommunicato? Quod liceat Conjugi petere ab excommunicato, certum est ex *c. Quoniam multos Caus.* 11. *q.* 3. ubi D. Gregorius VII. expresse id concedit. An autem liceat excommunicato etiam petere? Negant *Gloss. in c. cit. v. Uxores*; & aperte videntur consentire *Archid. Sylv. Lop. & Tab. apud Sanch. l.* 9. *D.* 14. *n.* 19. quia in Bulla Martini V. *Ad evitanda*, excommunicatis, quoad communicationem cum Fidelibus, nullum privilegium conceditur. Sed communiter & verius affirmant *Suar. de Censur. D.* 15. *Sess.* 4. *n.* 9. *Bon. eod. tit.* 2. *D.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 20. *Sanch. n.* 20. *cum Henriq. & Ugol. ac Boss. c.* 1. *n.* 282. *cum Palud. Sayr. Con. Avila, Fill. Bordon. &c.* Ratio, quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto periculo, in quo esset quidem excommunicatus, si ipse non posset separari ab altero Conjuge (ut revera non potest), & non posset petere.

932 „ Quæres, an, & quando liceant tactus, aspe-
„ ctus, & verba turpia inter conjuges?
„ Resp. Tales actus per se iis licent; quia cui
„ licitus est finis, etiam licent media, & cui li-
„ cet consummatio, etiam licet inchoatio. Unde
„ licite talibus naturam excitant ad copulam. Quod
„ si vero separatim, & sine ordine ad copulam,
„ verbi gratia, voluptatis causa tantum fiant, sunt
„ peccata venialia, eo quod ratione status, qui il-
„ los actus cohonestat, habeant jus ad illos: Nisi
„ tamen, ut sæpe contingit, sint conjuncti cum
„ periculo pollutionis, aut conjuges habeant vo-
„ tum castitatis, tunc enim sunt mortalia, ut di-
„ ctum supra *l.* 3. *t.* 4. *l.* 2. *d.* 4. *Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 204. & 216.

Unde resolves.

„ 1. Conjux venialiter tantum peccat 1. Tan-
„ gendo seipsum ex voluptate, & tactum non ita
„ expresse referendo ad copulam, ut contra *Vasq.*
„ & alios probabiliter docet *Sanch. l.* 9. *d.* 44.
„ 2. Oblectando se veneree, sine periculo pollu-
„ tionis de actu conjugali cogitato, dum abest com-
„ pars, vel actus exerceri non potest. *Fill. Laym.*
„ *Tann. Malder* cum *Dian. p.* 3. *t.* 4. *Res.* 224.
„ contra *Nav. Azor*, &c.

„ 2. Peccat graviter, 1. Vidua, quæ se veneree 933
„ oblectat de copula olim habita: quia est illicita
„ per statum. 2. Bigamus, qui in actu conjugali
„ cum secunda exercito, repræsentat sibi priorem,
„ & de ea carnaliter delectatur, quia est premix-
„ tio cum aliena. *Laym. l.* 1. *t.* 9. *c.* 6. vide supra
„ *l.* 3. *t.* 4. *c.* 2. *& l.* 5. *c.* 1. *d.* 2. *a.* 1. * (*Et*
„ *idem diximus Tom. II. l.* 5. *n.* 24. *de Sponsis*,
„ *quibus illicitum est delectari de futura, etiam*
„ *ex apetitu rationali, etsi non carnali.*) *

Quær. I. An sint mortales tactus & aspectus turpes inter Conjuges propter solam voluptatem, sine ordine ad copulam, si non adsit periculum pollutionis? Affirmant *S. Anton. Sylv. Margar. etc. ap. Sanch. l.* 9. *D.* 44. *n.* 11. (ut dicunt) omnis actus venereus, non relatus ad copulam conjugalem est mortalis. Negat vero sententia communis & verior, eamque tenent *Laym. l.* 3. *s.* 4. *n.* 12. *Pal. p.* 4. §. 2. *Less. l.* 4. *c.* 3. *n.* 125. *Benac. q.* 4. p. 8. *n.* 12. *Sporer n.* 502. *Sanch. dict. D.* 44. *n.* 12. *cum Abul. Vict. Ang. Arm. Sa, Med. Led. etc. Salm. c.* 15. *n.* 84. *cum Henr. Aversa, Perez, et Diana, Boss. c.* 7. *n.* 157. *cum Vasq. Fagn. Vill. et Hurt. ac Croix n.* 341. *cum Soto, Tol. Cajet. Con. Fill.* & pluribus aliis. Ratio, quia status conjugalis sicut cohonestat copulam, ita etiam hujusmodi tactus & aspectus; alias enim, cum sit tanta inter Conjuges societas, & ipsi multoties non possint coire, jugibus periculis essent expositi, si tales actus essent eis graviter illiciti. Sicut autem delectatio quæsita in copula culpam venialem non excedit, ita etiam in his tactibus & aspectibus. Et hoc etiamsi copula tunc ipsis esset vetita ob morbum, vel esset impossibilis ob impotentiam quæ supervenisset, ut dicunt *Sanch. n.* 20. *et* 22. *Croix n.* 319. *et Boss.* 190. *cum Con. Fag. Avers. Fill. Vill. etc.* quia, cum copula sit licita inter Conjuges, tactus inter ipsos non possunt esse graviter illiciti. Secus vero dicendum, si Conjux esset ligatus voto castitatis, quia tale votum excludit omnem voluptatem veneream voluntarie captam; ita communiter *Sanch. d. D.* 44. *n.* 26. *et Boss. c.* 7. *n.* 201. *cum Vasq. Fil. Con.* & aliis. An autem idem procedat, si Conjux sit impeditus a copula ob affinitatem vel cognationem spiritualem contractam? Affirmat *Avers. ap. Boss. n.* 20. quia cui vetita est copula, vetiti etiam sunt tactus qui sunt dispositiones ad copulam. Sed negat *Bossius ibi cum Fag. Fill. et Perez*, quia lex prohibens copulam, cum sit pœnalis, aut inhibitiva, non est extendenda ad tactus. Ceterum in praxi impeditus ordinarie se debet abstinere ab hujusmodi tactibus, præsertim turpibus, ob periculum proximum vel pollutionis,

nis, vel petitionis copulæ, contra prohibitionem petendo.

934 Quær. II. Quid si Conjuges ex his turpibus actibus prævideant pollutionem secuturam in se vel in altero. Plures adsunt sententiæ. *Prima* sententia, quam tenent *Sanch. l.* 9. *D.* 45. *ex n.* 34. *Fill. tr.* 3. *c.* 9. *n.* 356. *Viva q.* 7. *art.* 4. *n.* 4. *Escob. l.* 26. *num.* 207. *Elbel n.* 393. *cum Herinex et Spor. n.* 500. *cum Perez, et Gob.* id excusat ab omni culpa etiam in petente, si pollutio non intendatur, nec adsit periculum consensus in eam, & modo tactus non sit adeo turpis, ut judicetur inchoata pollutio (prout esse digitum morose admovere intra vas femineum); ac præterea adsit aliqua gravis causa talem tactum adhibendi, nempe ad se præparandum ad copulam, vel ad fovendum mutuum amorem. Ratio, quia tunc justa illa causa tales actus cohonestat, qui alioquin non sunt illiciti inter Conjuges; & si pollutio obvenit, hoc erit per accidens. Dicitur *si adsit gravis causa*, nam si non adsit, prædicti actus non excusantur a mortali. *Secunda* sententia, quam tenet *Pal. p.* 4. §. 2. *n.* 2. *Boss. c.* 7. *n.* 213. *et Salm. c.* 15. *n.* 86. *cum Soto, Cajet. Dec. Led. Hurt. Aversa*, & communi ut asserit, distinguit & dicit esse mortalia tactus impudicos, si prævideatur pollutio ex eis provenienda; quia, cum hi proxime influant ad pollutionem, & non sint per se instituti ad fovendum affectum conjugalem, censentur voluntarii in causa; secus si sint pudici, ut oscula & amplexus, quia actus isti per se inter Conjuges sunt liciti, cum per se apti sint ad fovendum conjugalem amorem. *Tertia* sententia, quam tenet *Diana p.* 6. *tr.* 7. *R.* 65. *cum Præpos. et Vill.* dicit tactus tam impudicos quam pudicos esse mortalia, si prævideatur periculum pollutionis. Ratio, quia ideo tactus licent inter Conjuges, in quantum quæruntur intra limites Matrimonii, in quantum nihil sequitur repugnans fini & institutioni seminis; cum autem prævidetur seminis dispersio, licet non intendatur, qualescunque tactus sunt illiciti.

His sententiis positis, puto probabilius dicendum, quod actus turpes inter Conjuges cum periculo pollutionis, tam in petente quam in reddente sunt mortalia: nisi habeantur, ut Conjuges se excitent ad copulam proxime secuturam, quia cum ipsi ad copulam jus habeant, habent etiam jus ad tales actus, tametsi pollutio per accidens copulam præveniat. Actus vero pudicos etiam censeo esse mortalia, si fiant cum periculo pollutionis in se vel in altero, casu quo habeantur ob solam voluptatem, vel etiam ob levem causam; secus si ob causam gravem, puta si aliquando adsit urgens causa ostendendi indicia affectus ad fovendum mutuum amorem, vel ut Conjux avertat suspicionem ab altero, quod ipse sit erga aliam personam propensus. Probabiliter dicunt *Sanch. d. D.* 45. *n.* 34. *Boss. d. n.* 203. *et Escob. n.* 207. in reddente tactus etiam impudicos, nisi sint tales ut videantur inchoata pollutio, esse licitos, quamvis adsit periculum pollutionis in alterutro, quia tunc reddens dat operam rei licitæ, ad quam obligatur propter jus petentis, qui tametsi peccet, non tamen jus amittit, cum culpa se teneat ex parte personæ, juxta dicenda *ex n.* 944.

An autem sit semper mortale, si vir immittat 935
pudenda in os uxoris? Negant *Sanch. l.* 9. *D.* 17. *n.* 5. *et Boss. cap.* 7. *n.* 175. *et* 193. *cum Fill. ac Perez*, modo absit periculum pollutionis. Sed verius affirmant *Sporer de Matrim. n.* 498. *Tamb. lib.* 7. *c.* 3. §. 5. *n.* 33. *et Diana p.* 6. *tract.* 7. *R.* 7. *cum Fagund.* tum quia in hoc actu ob calorem oris adest proximum periculum pollutionis, tum quia hæc per se videtur nova species luxuriæ contra naturam (dicta ab aliquibus *irrumatio*); Semper enim ac quæritur a viro aliud vas, præter vas naturale ad copulam institutum, videtur nova species luxuriæ. Excipit tamen *Sporer l. c. cum Fill. et Marchant.* si id obiter fiat; Et hoc revera sentire videtur etiam *Sanch.* dum excusat actum illum a mortali, si cesset omne periculum pollutionis. Excipit etiam *Pal. p.* 4. §. 2. *n.* 6. si vir hoc faceret, ut se excitet ad copulam naturalem; Sed ex prædictis neutrum admittendum puto. Eodem autem modo *Sanch. l. c. n.* 32. *in fin.* damnat virum de mortali, qui in actu copulæ immitteret digitum in vas præposterum uxoris, quia (ut ait) in hoc actu adest affectus ad sodomiam. Ego autem censeo posse quidem reperiri talem affectum in actu, sed per se loquendo hunc affectum non agnosco in tali actu insitum. Ceterum graviter semper increpandos dico Conjuges hujusmodi fœdum actum exercentes.

Quær. III. An sint mortalia tactus turpes quos 936
Conjux habet cum seipso, altero absente, & secluso periculo pollutionis? *Prima* sententia negat, quam tenent *Pal. p.* 4. §. 2. *n.* 5. *Escob. n.* 201. *Boss. c.* 7. *n.* 205. *et* 297. *cum Perez, Hurt. et Ochag. ad Sanch. lib.* 9. *D.* 44. *n.* 15. *cum Palud.* & *Lopez*, & pro hac sententia *alm. c.* 15. *n.* 87. citant etiam *D. Th. qu.* 6. *de Bon. Matr. dub.* 26. *n.* 88. Ratio, quia hujusmodi tactus ab ipso statu conjugali cohonestantur, cum de natura sua ordinentur ad copulam; & ideo, secluso periculo pollutionis, non possunt esse in Conjuge graviter illiciti, etsi copulam de presenti ipse non posset consummare. *Secunda* vero sententia probabilior, & in praxi omnino suadenda affirmat, & hanc tenent *Laym. tr.* 3. *c.* 6. *n.* 12. *in fine, Diana p.* 3. *tr.* 4. *R.* 215. (quamvis hic Auctor sit valde benignus) *Spor. n.* 503. *cum Arm. & Vasq. ac Salm. cum Avers. Sanctio, Salas, Montesin. Dic. & Ant. a Sp. S.* Ratio, tum quia Conjux non habet jus per se in proprium corpus, sed tantum per accidens, nempe tantum, ut possit se disponere ad copulam; unde cum copula tunc non sit possibilis, tactus cum seipso omnino ei sunt illiciti; tum quia tactus pudendorum, quando fiunt morose, & cum commotione spirituum, per se tendunt ad pollutionem, suntque proxime connexi cum ejus periculo.

Quær. IV. An sit mortalis delectatio morosa in 937
Conjuge de copula habita vel habenda, quæ tamen non possit haberi de præsenti? Adsunt tres sententiæ. *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Pont. l.* 10. *c.* 16. *n.* 11. *Wigandt tr.* 4. *n.* 59. *Sylv. ac Vega, Rodr. & Dic. ap. Salm. c.* 15. *n.* 88. qui probabilem vocant. Ratio, quia talis delectatio, est quasi inchoata pollutio, quæ cum eo tempore non possit haberi modo debito, omnino fit illicita. *Secunda* vero sententia communior ne-

negat, eamque tenent *Pont. p. 4. q. 8. n. 12. Escob. n. 204. Spor. n. 505. Croix n. 337. cum Suar. & Gers. Boss. c. 1. n. 215. cum Fill. & Perez, & Sanch. l. 9. D. 44. n. 3. cum S. Anton. Palud. Arm. Cajet. Met. Viguer. Tab.* & communi ut asserit, usque fatetur etiam *Pontius*, item *Conin. Avers. Gabr. & Dian. ap. Salm. c. 15. n.* 89. qui etiam probabilem putant. Hæc sententia dicit talem delectationem non esse mortalem, si absit periculum pollutionis, sed tantum venialem. Est venialis, quia ipsa caret debito fine, cum non possit ordinari ad copulam præsentem. Non autem est mortalis, quia delectatio sumit suam bonitatem vel malitiam ab objecto; & cum copula sit licita Conjugatis, non potest esse eis graviter illicita illius delectatio. Et huic expresse favet id quod ait D. Th. *de Malo q. 12. art. 2. ad 17.* ubi: *Sicut carnalis commixtio non est peccatum mortale conjugato, non potest esse gravius peccatum consensus in delectationem quam consensus in actum.* Idque admittit *Spor.* etiamsi habeatur delectatio venerea orta ex commotione spirituum. *Tertia* demum sententia, quam tenet *Salm. d. c. 15. n. 90.* distinguit & dicit, quod si delectatio sit absque commotione spirituum, non erit mortalis; secus si cum commotione & titillatione partium.

Ego meum judicium proferam. Si delectatio habeatur non solum cum commotione spirituum, sed etiam cum titillatione seu voluptate venerea, sentio cum *Con. par. 408. n. 10.* (contra *Sporer* ut supra) eam non posse excusari a mortali, quia talis delectatio est proxime conjuncta cum periculo pollutionis. Secus vero puto dicendum, si absit illa voluptuosa titillatio, quia tunc non est delectationi proxime annexum periculum pollutionis, etiamsi adsit commotio spirituum; & sic revera sentit *Sanch. l. c. n. 4. cum Vasq.* cum ibi non excuset delectationem cum voluptate venerea, sed tantum (ut ait) cum commotione & alteratione partium absque pollutionis periculo. At quia talis commotio propinqua est illi titillationi voluptuosæ, ideo maxime hortandi sunt Conjuges, ut abstineant ab hujusmodi delectatione morosa. Item advertendum eam esse omnino illicitam in Conjuge, qui esset obstrictus voto castitatis, ut dicunt communiter *Sanch. d. D. 44. n. 26. & Boss. c. 7. n. 201. cum Vasq. Fill.* & aliis.

ARTICULUS II.

An Actus conjugalis sit præceptus, & debitus.

938 *Conjuges per se tenentur reddere, & quandoque etiam petere.*

939 *Tenentur etiam ad cohabitationem, nisi adsit justa causa excusans. Dub. 1. An possit Vir expellere uxorem ob dotem non solutam? Dub. 2. An teneatur eam alere, non soluta aote? Dub. 3. An si ipsa adulterium commiserit?*

940 *De obligatione reddendi debitum. Q. I. An sit mortale negare debitum semel, vel bis? Quid si alter remisse petat, vel si precibus cedat? Quid si immoderate petat? Quid si alter differat reddere ad breve tempus?*

941. *Qu. II. An multiplicitas filiorum possit esse causa justa negandi debitum?*

942 *Peccat Conjux reddens se impotentem.*

943 *Qu. I. An Conjux teneatur reddere alteri illicite petenti?* 944. *Dub. 1. Quid si culpa se tenet ex parte petentis, nempe si ille habeat votum castitatis, &c.?* 945. *Dub. 2. Quid si petens sit incestuosus?* 946. *Qu. II. An Conjux teneatur reddere petenti cum sola culpa veniali?* 947. *Qu. III. An liceat reddere vel petere a viro volente seminare extra vas post copulam incœptam?*

948 *An Conjux teneatur & possit reddere, si mutuo cum altero voverint castitatem? Quid si alter sit amens, vel ebrius?*

949 *Incestuosus, & vovens castitatem non potest petere, sed tenetur reddere.*

950 *Conjux non tenetur reddere cum gravi damno suo, vel prolis. An teneatur reddere alteri laboranti morbo contagioso? Quid si damnum sit leve, & alter sit leprosus? Quid si damnum sit grave? An tunc possit reddere? Ex quibus causis possit Conjux reddere cum gravi periculo salutis?* 951. *An Conjux possit reddere cum periculo prolis?*

952 *An teneatur reddere uxor laborans febri, vel tempore menstrui, aut prægnationis, aut si alter petat modo innaturali?*

953 *Quid si uxor experta sit in pariendo periculum mortis, vel filios parere mortuos?*

954 *An aliquando liceat impedire generationem? Quando peccet uxor surgens, aut mingens statim post copulam? Dub. 1. An puella oppressa possit statim expellere semen? Dub. 2. An liceat copulari senibus, vel infirmis, plerumque non valentibus seminare intra vas.*

„ Resp. I. Etsi conjuges nulla lege obligantur 938
„ ad usum Matrimonii, tenentur tamen per se ex
„ justitia sibi reddere debitum, si alter ab altero
„ expresse, vel tacite, verecundia scilicet obstan-
„ te, petat. Ratio prioris est, quia non tenetur
„ uti suo jure. Ratio posterioris sequitur ex natu-
„ ra contractus mutui. *S. Th. in 4. d. 32. q. 1.*
„ *art. 2. &c.* communiter ex *1. Cor. 7.*

Unde resolves.

„ 1. Neuter tenetur, per se loquendo, ad pe-
„ tendum debitum, etsi per accidens aliquando te-
„ neatur, vel ex charitate, v. g. ad avertendum
„ periculum incontinentiæ imminens conjugi: Vid.
„ *Perez d. 50. s. 2. n. 4. & 5.* * (*Vide dicta n.*
„ 928. & 929.) * vel ex justitia legali, eo quod
„ salus publica periclitetur, nisi proles nascatur.

„ 2. Conjuges tenentur ad cohabitationem, nec
„ potest alter ab altero invito diutius abesse, sine
„ necessitate; quia hæc obligatio sequitur ex ob-
„ ligatione reddendi debitum. *Sanch. l. 9. d. 4.*
„ *Conin. d. 34. d. 19. Perez d. 50. s. 3.*

Certum est Conjuges teneri ex obligatione justitiæ ad cohabitandum in eadem domo, mensa, ac toro; vide *Sanch. l. 9. D. 4. n. 2. & Boss. c. 6. §. 7. ex n. 2.* Hinc infert neminem conjugum pos-

posse alio discedere, altero invito, ad longum tempus, ut habetur ex *c. 1. de Conjug. lepros.* Nisi adsint justæ causæ, nempe ob bonum publicum, vel ad alendam aut tuendam familiam, vel ad vitandum damnum ab inimicis, ut dicunt *Sanch. n. 12. Laym. c. 1. n. 3. Pal. p. 3. §. 1. et Boss. n. 4. et 6. cum Aversa, Villal.* & aliis. Dixit autem *Boss. n. 12. cum Tolet. et Sayro*, quod si vir diu deberet alibi manere, teneretur, si commode potest, uxorem eo adducere, ut secum cohabitet. An autem uxor teneatur sequi virum propter cohabitationem. Vide dicenda *n.* 976.

Vir potest suscipere brevem peregrinationem devotionis causa, etiam invita uxore; hoc tamen non potest uxor sine consensu viri, cum ipsa sit subjecta illius voluntati, & non deceat statum mulierum peregrinari; ita *Sanch. n. 15. Pal. n. 3. et Boss. n. 8. cum Laym. Vill. Fag. et Perez ex D. Th. Quodlib. 4. art. 11.* Ex mutuo autem consensu bene possunt Conjuges invicem separari, modo absit periculum incontinentiæ, & nocumentum prolis educandæ: *Sanch. n. 5. et Boss. n. 18. cum Fill. Vill. Perez, Fag.* & aliis; ex illo Apostoli (1. *Cor. 7.*): *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas.*

Dubit. 1. an liceat viro non cohabitare cum uxore; eamque expellere a domo ob dotem promissam & non solutam? Affirmant *Panormit. Armilla, Tab. et Gomez ap. Boss. c. 6. n. 26.* quia vir non tenetur alere uxorem, si dos non sit soluta; ergo neque tenetur cohabitare, quamvis teneatur reddere debitum. Sed negant probabilius & communius *Sanch. l. 9. D. 5. n. 17. Pal. §. 2. n. 5. Mol. de Just. D. 245. §. Si marito, Boss. c. 6. n. 28. cum Reb. Henr. Reg. Vill. Fag. etc.* Ratio, quia obligatio cohabitandi non oritur ex solutione dotis, sed ex ipsa lege naturali & divina, qua vir tenetur debitum reddere uxori; & ideo cum ea habitare; unde dicunt AA. præfati (contra tamen *Mol. et Reb.*) quod etiamsi vir non adhuc uxorem traduxerit in domum suam, tenetur traducere, non obstante quod dos non fuerit soluta.

Sed hic dubit. 2. an vir teneatur alere uxorem, non soluta dote? Communiter negant DD. si culpa promittentis intervenit; ita *Sanch. l. 9. D. 5. n. 2. Bon. p. 7. n. 7. Boss. c. 6. n. 29. & Salm. de IV. Præc. c. un. n. 50. & 53. cum Fag. & Trull.* ac alii passim ex *l. Pro oneribus C. de jure dotis*, ubi dicitur ideo constitui dos, ut ex ea vir uxorem alat. Excipe tamen 1. Nisi vir duxerit sine promissione dotis *Sanch. num. 8. cum Host. Præp. & Sylv. ac Salm. l. c. cum Abb. Mol. Bon. &c.* Excipe 2. Si uxor sit in viri obsequio, tunc enim saltem ut famulam tenetur eam alere; *Salm. ib. cum Abb. Lupo, &c. ap. Sanch. n. 6.* qui tamen cum *Surdo*, & aliis id non admittit, quia (ut ait) uxor tenetur & dotem, & obsequia præstare viro; unde non necessario alenda est, tantum obsequia præstando. Sed magis adhæreo appositæ sententiæ, quia ipsum jus Naturæ dictat, ut alas qui ad tibi famulandum se occupat. Excipe 3. si uxor ex sua culpa cum viro non cohabitet; secus si ob justam causam, *Salm. n. 51. cum iisd.* Ceterum quando sive vir, sive uxor est vere pauper, puta si dos fortuito periit, tenetur alter alterum alere; *Sanch. n. 10. Bon. n. 8. Salm. n. 53. cum Mol. Trull. &c.* ex *l. Si maritus ff. Soluto Matr.* ibi, *Quid enim tam humanum est, quam fortuitis casibus, mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse?* Hic autem notandum 1. quod ob dotem non solutam nequit vir debitum negare uxori, *Sanch. l. c. n. 1. & Salm. n. 52. cum Mol. Sylv. &c.* Notandum 2. quod in extrema necessitate prius subveniendum est Parentibus, qui diligendi sunt ratione principii, quam Conjugi, ut *D. Th. 2. 2. q. 26. art. 11. & Salm. n. 51.* contra *Laym. Bon. Pal. &c. ap. Boss. c. 22. n. 1235.* Et prius etiam filiis, cum ipsi sint pars Parentis; *Salm. n. 51. cum aliis.* In necessitate vero gravi prius succurrendum Conjugi, quam Parentibus, & filiis, quia quoad domesticam administrationem major est conjunctio inter Conjuges, cum ipsi sint una caro; *Sanch. l. 9. D. 29. n. 4. Bon. p. 7. n. 19. & Salm. ibid. cum Tolet. Bann. Trull. & aliis.*

Dub. 3. an vir teneatur alimenta præstare uxori adulteræ? Alii affirmant, ut *Clarus, & Ant. Gabr. ap. Salm. de IV. Præc. n. 54.* quia uxor adultera non desinit esse uxor. Alii, ut *Sylvest. vers. Dos qu. 14. Dist. 9. & Ang. ac Surdus apud Salmantic. ibid.* negant, si adulterium est publicum, quia tunc potest vir uxorem e domo expellere, secus si occultum, tum enim expellere nequit. Alii vero communius & probabilius, ut *Sanch. l. 1. D. 8. n. 25. & Salm. n. 55. cum Soto, Man. Fag. & Trull.* negant teneri, sive adulterium fuerit publicum, sive occultum. Ratio, quia adhuc concesso quod ob adulterium occultum uxor non posset expelli, ne ejus crimen prodatur, utque scandalum vitetur (in quo tamen quæstio est; vide dicenda *n.* 968.); nihilominus ratio hæc non militat in negatione alimentorum, quæ sine scandalo & infamia uxoris negari possunt. Idque dicunt esse probabile *Salm. cum Lara, & Surdo*, etiamsi uxor admiserit tantum oscula ab alio, si sint notoria; vel si occulta, si sint nimis lasciva, aut si uxor sit nobilis.

„ 3. Peccat mortaliter, qui conjugi serio, & in- 940
„ stanter petenti debitum negat, quia est res gra-
„ vis, & debetur ex justitia: intellige, nisi petens
„ precibus, aut alia ratione honesta averti possit,
„ & petitio non sit immoderata (nam, si sæpe
„ petenti semel vel bis negetur, citra periculum in-
„ continentiæ, videtur esse tantum veniale, ob le-
„ vitatem materiæ: aliquando, si nimis immode-
„ rate, & justo sæpius petat, nullum, secundum
„ *Perez d. 50. s. 4.* nec sit alia justa causa ne-
„ gandi. *Bon. q. 4. p. 1. ex Sanch. Fill.* &c.)
„ Justam autem, secluso periculo incontinentiæ u-
„ triusque, esse censet *M. Perez l. c. n. 6.* si plu-
„ res nascantur filii, quam possint alere.

Quær. I. An peccet graviter Conjux negans debitum una vel altera vice? *Prima* sententia negat, modo absit periculum pollutionis, & hanc tenet *Pont. l. 10. c. 2. n. 5. cum Sa, Sanch. l. 9. D. 2. n. 11. cum Bon. p. 1. ac Avers. Hurt. Corn. & Ochag. ap. Boss. c. 1. n. 40.* quia id non videtur materia tam gravis, ut culpam lethalem constituat. *Secunda* veto sententia, quam tenent *Pal.*

p. 4. §. 1. *n.* 5. *Tamb. l.* 7. *c.* 3. §. 5. *n.* 20. *Boss. c.* 1. *n.* 41. *cum Tann. & Croix n.* 391. *cum Gob.* dicit etiam negare semel, vel differre debitum serio & instanter petenti, per se loquendo esse mortale, adhuc remoto periculo pollutionis. Ratio, quia hoc videtur materia satis gravis, tum ratione prolis quæ ex unica copula bene gigni potest; tum ratione discordiæ, & periculi incontinentiæ, quæ ex tali negatione potest sequi. His tamen non obstantibus, prima sententia non videtur improbabilis, cum gravitas materiæ pendeat ab hominum æstimatione, & tot graves DD. censeant hanc esse materiam levem: ipsimet autem id dicunt, supponendo quod absit periculum incontinentiæ, vel magni dissidii; ceterum procreatio prolis pro illa vice est valde incerta. Conveniunt autem communiter non peccare uxorem negando, si vir benevole, aut remisse petat; ita *Pont. l. c. n.* 4. *&* 5. *Bon. d. n.* 1. *Croix n.* 391. *Ronc. p.* 183. *q.* 2. *R.* 1. *Tamb. n.* 21. *cum Corn. & Ochag. Laym. c.* 1. *n.* 1. *ac Boss. c.* 1. *n.* 35. *cum Sot. Reb. Rodr. Henr. Reg. Lop. Fag. Hurt. Vill. Avers. & Dian.* Idem, si Conjux petens, adhuc instanter cedat precibus negantis, qui negat cum justa causa; alias etiam venialiter saltem peccaret; ita *Sanch. d. D.* 2. *n.* 13. *cum Nav. Sylv. Margar. Philiarch. &c.* Nisi preces essent ita importunæ, ut alter quasi coactus videretur cedere; Vel nisi adesset in altero periculum incontinentiæ; tunc enim nec etiam precibus, sine causa gravi, liceret eum avertere; ita *Sanch. l. c. cum Nav. Sylv. Lop. D. Th. in* 4. *D.* 32. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 4.

Præterea non peccat negans, quando alter immoderate petit, sine tamen periculo incontinentiæ; & in hoc etiam omnes conveniunt, vide *Boss. n.* 18. Hinc dicunt *Laym. c.* 1. *n.* 1. *Croix n.* 96. *Holzm. n.* 468. *Spor. n.* 513. *cum Rodr. & Gloss.* non esse mortale, post tertiam copulam in eadem nocte habitam, negare quartam. Imo addunt *Tamb. n.* 22. *Spor. l. c. & Sanch. n.* 11. *cum Led.* nec esse mortale petenti quinquies in mense negare semel; sed huic non acquiesco, cum ex una parte petere quinquies in mense sit valde moderatum, & ex altera negare semel in mense videtur materia sat gravis. Item non videtur peccare uxor, si differat reddere ad breve tempus, nempe usque ad noctem, ut *Pont. c.* 2. *n.* 5. *Sanch. d. n.* 11. *cum Vict. Ronc. l. c. Spor. n.* 513. cum communi, & *Croix n.* 391. *cum Perez, Gob. & Dian.* Vel si a nocte differat ad mane, ut *Boss. n.* 37. cum *Sanch. Pon. Vict. Hurt. Vill. Led. &c.* excluso tamen semper periculo incontinentiæ. Non potest autem post copulam habitam in die negare in nocte.

941 Quær. II. An sit justa causa negandi debitum, si plures nascantur filii quam Conjuges possint alere? *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Lay. tr.* 16. *c.* 1. *n.* 16. *Ronc. q.* 183. *q.* 2. *R.* 1. *Spor. n.* 516. (qui excipit solum casum, quo Conjuges multiplicata prole ad extremam necessitatem redigerentur) item *Pal. p.* 4. §. 10. *n.* 8. *cum Sylv. Con. Nav. Ang. Reb. Margar. Lop. & Graff.* Ratio, tum quia procreatio prolis spectat ad præcipuum finem Matrimonii, cui postponendum quodvis incommodum, melius enim est ut proles vivat inops, quam ut omnino non sit; tum quia aut Conjux negaret diu, aut aliquando: si diu, exponeret alterum periculo incontinentiæ: si aliquando, frustra negaret; nam Conjuges ratius coeundo facilius concipiunt. *Secunda* vero sententia affirmat, & hanc tenent *Sanch. l.* 9. *D.* 25. *n.* 3. *Pont. l.* 10. *cap.* 3. *n.* 7. *Dian. p.* 9. *tr.* 7. *R.* 3. *Bonac. p.* 1. *n.* 13. *cum Led. Rodr. & Sa, ac Boss. c.* 1. *n.* 220. *cum Sot. Comit. VIII. Peg. Hurt. & Fag.* & probabilem putant *Tamb. l.* 7. *c.* 3. §. 5. *n.* 3. *& Spor. l. c.* Ratio, tum quia multiplicitas prolium futurarum cederet in nocumentum filiorum jam genitorum, tum quia in omnibus debitis magna difficultas excusat a solutione. Conveniunt tamen omnes esse obligationem reddendi, si adsit in altero periculum incontinentiæ: quod revera (ut bene advertit *Conin.*) vix non aderit, si in eodem toro Conjux habitent, & alter debitum petat; & ideo prima sententia magis mihi arridet.

„ 4. Peccat graviter vir, vel mulier, si se im- 942
„ potentem reddat, etiam mediis alias licitis, v. g.
„ jejuniis, &c. invita comparte: imo si alter non
„ possit reddere debitum, licite non observat jeju-
„ nia Ecclesiæ *(*Vide dicta T. I. l.* 3. *n.* 1034. *v.* 3. *Excusandum; ubi diximus id procedere de viro; nam uxorem, difficile videtur, per jejunia fieri impotentem ad reddendum, ut Salm. de* 4. *Præc. n.* 49.*)*; sicut & uxor, si notabiliter iis fiat deformior. *Bon. l. c. Sanch. l.* 9. *d.* 3. *n.* 11. *Reg. Con. Fill. n.* 305. &c. *Perez d.* 50. *s.* 2.

„ 5. Conjux tenetur reddere debitum, quamvis 943
„ illicite petenti, si redditio hic, & nunc non sit
„ illicita, v. gr. petenti voluptatis causa, vel liga-
„ to castitatis voto, vel die festo, &c. V. *Sanch. l.* 9. *d.* 6. *Pont. l.* 9. *c.* 2. *Con. d.* 34. *c.* 6. *Perez d.* 50. *s.* 5. Quia malitia alterius non dat jus
„ negandi, quod suum est. Non tamen tenetur red-
„ dere petenti, sine gravi causa, modo innaturali,
„ vel in loco publico, vel sacro, &c.

Certum est Conjugem non teneri ad reddendum debitum cum peccato proprio, & etiam veniali, cum nemo possit esse obligatus ad peccandum; ita communiter *Pal. p.* 4. §. 11. *n.* 1. *Bon. p.* 3. *n.* 3. *& 4. Laym. c.* 1. *n.* 17. *Spor. n.* 517. *Boss. c.* 1. *n.* 226. & alii passim. Sed quær. I. Utrum liceat reddere illicite petenti cum peccato mortali? Si culpa se tenet ex parte actus, puta si alter petat in loco sacro, vel publico, vel si cum periculo abortus, vel sanitatis propriæ, aut alterius, omnes conveniunt non teneri Conjugem, nec posse reddere sine gravi culpa; tunc, cum actus sit per se malus, alter injuste petit, eo quod non habet jus petendi; ita *Sanch. l.* 9. *D.* 6. *n.* 16. *Pont. l.* 10. *c.* 3. *n.* 3. *Salm. c.* 15. *n.* 21. *cum D. Th. Con. Bon. Henr.* & alii passim. Sed

Dubit. 1. Si culpa se tenet ex parte personæ e- 944
xigentis, nempe si ille sit obstrictus voto castitatis, aut petat ob pravum finem, an alter possit reddere? *Prima* sententia communis dicit non solum posse, sed etiam teneri: & hanc sequuntur *Suar. de Censur. D.* 15. *sect.* 4. *n.* 9. *Lugo de Sacram. D.* 8. *n.* 182. *Contin. Tournel. t.* 3. *p.* 335. *v. Resp. Conc. p.* 369. *n.* 2. *Laym. l.* 3. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 17. *Bonac. qu.* 4. *p.* 3. *n.* 3. *Pal. p.* 4. §. 11. *n.* 3. *Spor. n.* 517. *Holzm. n.* 467. *v. Tertio;*

Elbel n. 416. *Escob. l.* 25. *n.* 91. *cum Sylv. Con. Cov. & Henr. Sanch. d.* 6. *n.* 7. *cum Ang. Led. Manuel. P. Soto, Veracr. & Met. Boss. c.* 1. *n.* 241. *cum Perez, Diana, Fill. & Vill. ac Salm. c.* 15. *n.* 18. *cum Avers. Reb. Dic. &c.* Ratio, quia Conjux ille per votum non amisit jus petendi, unde quamvis illicite, non tamen injuste debitum exigit. *Secunda* vero sententia, quam tenent *Pont. l.* 10. *c.* 3. *n.* 3. *& Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 353. *cum Sylv. Comit.* & *aliis paucis*, dicit, quod sive culpa se tenet ex parte actus, sive ex parte personæ petentis, non licet ei reddere (nisi sit in potestate petentis ab illa prava circumstantia se liberare, puta si exigeret ob malum finem). Ratio, quia; posito impedimento voti, actus conjugalis necessario est illicitus petenti, cui cooperari alteri non licet. Nec petens eo casu habet dominium in corpus alterius, tum quia dominium tunc est impedimentum a voto; tum quia Conjux non habet jus nisi ad usum licitum Matrimonii. Huic autem congruunt *dicta de Restit. n.* 697. ubi dicunt *Lugo de Just. D.* 21. *n.* 62. *& Croix, cum Less. Mol. Soto, Nav. &c.* quod debitor non tenetur restituere Domino rem, qua ille est abusurus ad peccandum; quod expresse etiam tradidit *D. Th.* 2. 2. *q.* 26. *art.* 5. *ad* 1. ubi. *Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda est, non ei debet tunc restitui, quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus cui restituitur.* Dicit tamen *Lugo l. c.* quod cum hæc obligatio sit tantum charitatis, non obligatur debitor ad negandum, si non possit negare sine gravi incommodo. Hæc sententia est quidem probabilis, sed prima videtur probabilior, saltem extrinsece; gravi utique nititur ratione, quia obstrictus voto adhuc retinet jus ad petendum, & consequenter tenetur alter ei reddere, prout si quis votum emitteret non exigendi a te pecuniam debitam, si ille postea petit, teneris tu reddere, quia per votum creditor non amisit jus suum, & eo casu tu reddendo minime cooperaris formaliter ejus peccato, cum non sis causa cur ille debitum exigat, sed tantum concurris ad materiale peccati, quod tu non potes impedire, cum debes rem suo domino reddere; ideo nec teneris impedire, quia impediendo actum injustitiæ committeres. Nec valet dicere, quod nemo habet jus ad actum illicitum; nam respondetur, quod esto Conjux ille petens non habeat jus ad petendum cum peccato, habet tamen jus ad actum conjugalem qui per se est honestus, unde alter reddendo non peccat, quia dat operam, non alterius peccato, sed actui licito, & ex justitia debito. Hinc dicunt *Sanch. l.* 9. *D.* 36. *n.* 11. *cum Palud. Henr. Man. & Led. ac Salm. c.* 15. *n.* 10. *cum Con. & Bon.* quod licet Conjux voverit ex consensu alterius, si tamen expresse non cessit juri suo petendi, etiam tenetur alterum debitum reddere. Imo etiamsi ad invicem voverint, non intendentes cedere juri suo, adhuc tenetur alter petenti reddere, ut dicunt idem *Salm. l. c. cum Sanch. Less. Bon. & Henriquez.*

Bene tamen advertunt *Sanch. l.* 9. *D.* 6. *n.* 5. *cum Cov. & Adrian. ac Boss. c.* 1. *n.* 248. *cum Con. Reb. & Vill.* quod eo casu tenetur Conjux monere petentem ligatum voto, ut a petitione desistat, modo possit monere sine timore magni dissidii, vel indignationis, aut incontinentiæ alterius: quæ incommoda, dicunt *Sanch.* & *Bossius*, ut plurimum adesse. Quando autem Conjux prævidet, quod alter impeditus voto vel alio impedimento illicite petet, tunc tutius erit ut ipse præveniat, & si ille jam petierit; ipse tunc etiam petat, dicens, *volo ut tu mihi reddas:* Sed ad hoc merito ait *Sanch. d. n.* 5. uxores raro obligari, quia magnum onus esset eis ob naturalem mulierum verecundiam teneri ad semper tenendum. Prætera advertendum cum *Boss. n.* 252. *&* 273. quod si Conjux impeditus petat infra primum bimestre, non tenetur, nec potest alter ei reddere; cum eo tempore ille non habeat jus ad petendum.

Dubit. 2. An Conjux possit & teneatur redde- 945
re debitum incestuoso petenti? Adsunt tres sententiæ. Alii ut *Hostiensis, & Lopez. ap. Boss. c.* 1. *n.* 249. dicunt teneri. Alii ut *Pontius l.* 10. *c.* 3. *n.* 3. *& Palac. ac P. Led. ap. Sanch. l.* 9. *D.* 6. *n.* 11. dicunt nec teneri, nec posse, quia cum incestuosus sit privatus jure petendi, alter reddendo illicite cooperaretur illius peccato. Alii vero communius, & probabilius dicunt non teneri, sed posse; ita *Sanch. n.* 12. *Pal. p.* 4. §. 6. *n.* 7. *Bon. q.* 4. *p.* 3. *n.* 3. *Salm. c.* 15. *n.* 15. *Boss. c.* 1. *n.* 250. *cum S. Anton. Palud. Sylv. Laym. Cov. Victor. Reg. Vill. &c.* Ratio, quia licet incestuosus sit privatus jure suo, Conjux tamen innocens cum habeat jus petendi, a fortiori habet jus reddendi, alioqui grave onus deberet subire (maxime uxor), si semper deberet petere; imo magnis scrupulis deberet angi, existimans ne forte moveatur ad reddendum ex tacita petitione alterius; hoc autem onus satis excusat a cooperatione ad materiale peccati quod committit incestuosus. Tutius autem erit (ut diximus), ut Conjux innocens tunc ipse petat.

Quær. II. An petenti cum sola culpa veniali te- 946
neatur alter reddere? Alii affirmant ut *Boss. c.* 1. *n.* 230. *Escob. l.* 25. *n.* 93. *Sporer n.* 518. *Sanch. l.* 9. *D.* 6. *n.* 6. *& D.* 16. *n.* 8. *cum Cajet. & P. Soto; Laym. c.* 1. *n.* 18. *cum Do. Soto, & Nav. ac Boss. c.* 1. *n.* 230. *cum Con. &c.* Ratio, tum quia vinculum justitiæ, quo Conjuges tenentur reddere, fortius stringit, quam vinculum charitatis quo tenentur vitare peccatum alterius; tum quia semper (ut ajunt) adest justa causa reddendi, scilicet ne exigenti displiceat, vel saltem (ut dicunt *Sanch.*) ne privetur jure suo reddendi. Alii tamen (ut *Bon. q.* 4. *p.* 3. *n.* 10. *cum Armilla*) dicunt non teneri, nisi adsit justa causa ex parte petentis. Ego dico omnino distinguendum: si actus est illicitus ex parte personæ petentis, puta si petat ob voluptatem, vel alium finem leviter malum, vel die quo vult Eucharistiam accipere, tunc tenetur reddere; quia, cum actus sit per se honestus, tenetur ex justitia ad redddendum, etiamsi exigens peccet graviter in petendo, ut diximus *n.* 944. *Dub.* 1. Si vero actus est venialiter illicitus ex parte ipsius actus seu copulæ, ut si petatur situ innaturali, vel tempore menstrui, aut puerperii, tunc quando adest justa causa, potest quidem reddere, cum quælibet justa causa excuset a veniali. Justa autem causa erit, v. g. ne incurrat indignationem alterius sive rancorem illius

lius quodammodo notabilem, & non possit eum commode avertere. Causa vero quam adducit *Sanch.*, nempe ne Conjux privetur suo jure reddendi, non videtur sufficiens, nam sicut petens tunc non habet jus ad sic petendum, ita nec alter jus habet ad sic reddendum. Dixi, *potest reddere*, sed non tenetur, quia licet vinculum justitiæ fortius sit vinculo charitatis, attamen cum actus sit tali modo per se illicitus, alter non habet jus ad illum, & sic respondetur ad rationem primæ sententiæ: ita *Busemb. ut supra num.* 934. *ac Less. l.* 3. *c.* 3. *n.* 89. item *Palac. & Led. ap. Sanch. d. D.* 16. *n.* 8. & probabilem putant *Croix n.* 356. *cum S. Antonin.* 3. *p. tit.* 1. *c.* 2. §. 7. ubi ait tunc teneri Conjugem ad reddendum, quando alter petit modo naturali, ergo, si innaturali, non tenetur. Sane vero teneretur reddere, si petens haberet justam causam etiam ex sua parte sic petendi, puta si peteret copulam situ innaturali, eo quod uxor sit prægnans, aut ipse sit pinguis, vel alioquin immineret periculum scandali; vide dicta *n.* 917. Vel si petat tempore menstrui, aut puerperii cum periculo incontinentiæ, juxta dicta *n.* 925. *circa fin.*

An autem Conjux teneatur reddere petenti statim post prandium? Vide dicta *n.* 910. *v. Videtur*. An petenti die Communionis? Vide *n.* 922. *ac in Tract. de Euch. n.* 274. An petenti in die festivo, jejunii, & Rogationum? Vide *n.* 923.

947 Quær. III. An liceat uxori reddere debitum, vel petere a viro volente seminare extra vas post copulam incœptam? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Pont. l.* 10. *c.* 11. *n.* 8. *Tamb. Dec. l.* 7. *c.* 4. §. 5. *n.* 4. *& Sporer p.* 356. *n.* 490. quia (ut ajunt) cum mulier reddit, aut petit, dat operam rei licitæ, nec ipsa propter malitiam viri debet suo jure privari. *Secunda* sententia, quam tenent *Rongagl. p.* 187. *q.* 10. *R.* 2. *& Elbel p.* 471. *n.* 394. dicit uxorem non posse nec petere nec reddere, nisi adsit gravis cuasa, quæ ipsam excuset in permittendo peccatum viri, & in cooperando ad materiale peccati illius, alias tenetur ex charitate, cum possit sine gravi incommodo viri peccatum impedire. Ego tamen distinguendum puto: Si agatur de reddendo debito, dico uxorem probabiliter posse & teneri negare debitum, si possit sine gravi incommodo, juxta secundam sententiam allatam *n.* 944. quia abusurus re sibi debita non habet jus ad rem sibi vindicandam; sed probabilius videtur uxor non solum posse reddere, ut dicit prima sententia, quam sequitur etiam *Sanch. l.* 9. *D.* 16. *n.* 3. sed etiam teneri. Ratio, quia (juxta dicta *cit. n.* 944.) quando culpa se tenet ex parte personæ petentis, cum ipse habeat jus ad copulam, nequit alter sine injustitia debitum negare, si non possit monendo a tali culpa illum avertere, & tunc patet quod reddens ne materialiter quidem cooperatur peccato illius, cum non cooperetur seminationi extra vas, sed tantum copulæ incœptæ, quæ per se omnino utrique est licita. Si vero agatur de petitione debiti, dico cum secunda sententia uxorem non posse petere, si non adsit justa & gravis causa; tunc enim revera tenetur ex charitate impedire peccatum viri. Justam autem causam habebit petendi, si ipsa esset in periculo incontinentiæ, vel si deberet alias privari suo jure petendi plusquam semel vel bis, cum perpetuo scrupulo an ei sit satis grave incommodum, vel ne, tunc se continere; Vide dicta in pari casu *T. I. l.* 2. *n.* 53. *v. Si vero*.

„ 6. Non tenetur reddere 1. Si alter alteri de- 948
„ bitum remiserit, v. g. si consensu mutuo voverint castitatem * (*Sed oppositum est probabile, si non intenderint cedere juri suo, juxta dicta n.* 944. *circa fin.*), * vel auctoritate publica celebrarint divortium. 2. Si petens sit amens; quia talis non est capax usus dominii, nec petit cum ratione, & humano modo. Quod etiam valet in ebrio. Simpliciter tamen uti petere, ita reddere licet tam ebrio, quam amenti: nisi esset periculum fœtus enecandi. *Nav. c.* 16. *Sylv. Laym. c.* 1. *n.* 3. Si alter mœchatus sit, quia *frangenti fidem fides frangatur eidem*; nisi tamen ipse quoque sit adulter, vel causa adulterii. * (*Vide dicenda n.* 956.) *.

Quær., an Conjux teneatur reddere debitum amenti, vel ebrio? Affirmant *Nav. c.* 16. *n.* 26. *& Sylv. Ang. Graff. Led. &c. ap. Boss. c.* 1. *n.* 293. quia Conjux ebrius, vel factus amens adhuc retinet dominium acquisitum in corpus alterius; nec officit amentia ad procurationem prolis. Negant vero communissime & probabilius cum *Busemb.* ut supra, *Laym. c.* 1. *n.* 9. *Pal. p.* 4. §. 4. *n.* 19. *Bon. p.* 1. *n.* 10. *Sanch. l.* 9. *D.* 22. *n.* 9. *Conc. p.* 402. *n.* 31. *Croix n.* 394. *& Boss. n.* 294. *cum Soto, Con. Fill. Vict. Lop. Henr. Reg. Aversa, Hurt.* &c. Ratio, quia licet isti dominium retineant, sunt tamen incapaces usus dominii. Excipe 1. si in eis sit periculum prodigendi semen, quia tametsi ipsi non peccent, est tamen impeditus actus materialiter malus. Excipe 2. si quis non esset universe amens, sed in una tantum vel altera materia; *Sanch. n.* 6. *Boss. n.* 297. Vel si ille esset tantum fatuus, non vero omnino mente captus; vel si petat, dum habet lucidum intervallum; *Boss. n.* 298. *&* 299. *cum Sanch. Ricc. & Con.*

Quamvis autem non sit obligatio reddendi Conjugi amenti, vel ebrio, licitum est tamen ei reddere, ut communiter dicunt præfati AA. cum usus Matrimonii per se sit licitus, & proles educari possit a Conjuge sanæ mentis. Modo (intelligendum) absit periculum scandali, vel abortus; Unde bene addunt *Sanch. n.* 7. *et Boss. n.* 302. quod non licet coire cum uxore amente furiosa, nisi ipsa experta sit sterilis. Peccaret etiam qui conjungeret ad copulam Conjuges ambos amentes, quia esset causa, ut filii carerent debita educatione; *Sanch. n.* 5. *cum Led. et Lop. et Boss. n.* 303. *cum Bonac. Con. Laym. P. Soto, Fill. etc.*

„ Etsi is, qui Matrimonio contracto sciens pru- 949
„ dens voluntarie cognovit consanguineam uxoris
„ in primo, vel secundo gradu, non possit petere
„ debitum * (*ex c.* 1. *de Eo qui cogn. etc.* Vid.
„ *dicenda ex n.* 1070.) * tenetur tamen reddere.
„ Idem est de eo qui, inscia comparte, vovit ca-
„ stitatem, post Matrimonium consummatum. Si
„ tamen ante vovisset, videtur obligari ad ingres-
„ sum religionis saltem primo bimestri (nisi tamen
„ Matrimonium consummaverit): imo etiam post,
„ si uxor consentiat, de quo plura vide apud *Laym.*
„ *c.* 11. *n.* 10.

„ Resp.

„ Resp. 2. Conjux non tenetur reddere debitum, „ si inde grave damnum; vel periculum sibi, vel „ proli merito timeat, *Perez dist.* 50. *sess.* 4. Un- „ de non tenetur sequentibus casibus.

950 „ 1. Si illud petat maritus morbo contagioso la- „ borans, v. g. gallico, peste, lepra, &c. (nisi „ tamen hæc ante Matrimonium fuerit cognita, & „ non sit nimis gravis) *Bon. q.* 4. *p.* 1. *n.* 8. *Pe- „ rez d.* 50. *Sanch. lib.* 9. *d.* 14. *Laym. lib.* 5. „ *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 2.

Quær. An Conjux teneatur reddere debitum alteri laboranti aliquo morbo contagioso, puta lepra, peste, phthisi, morbo gallico, & simili? Certum est 1. Conjuges teneri ad reddendum cum levi suo damno, huic enim præponderat lex justitiæ, obligans quidem sub gravi, cum redditio debiti gravis sit materia; ita communiter *Sanch. l.* 9. *D.* 24. *n.* 2. *cum Soto, Nav. &c. ac Boss. l.* 2. *c.* 1. *n.* 168. *in fine cum Bon. Reb. & Val.* Unde dicunt *D. Th.* 3. *p. q.* 64. *art.* 1. *ad* 4. *& D. Bonav. Ric.* & alii *ap. Sanch. l. c. n.* 15. uxorem teneri ad reddendum debitum viro leproso, ex *c.* 2. *de Conjug. lepror.* ubi: *Quod si virum, sive uxorem, leprosum fieri contigerit, & infirmus a sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur est solvendum; cui præcepto in hoc casu nulla exceptio invenitur.* Ratio, quia cum copula brevi fit, non imminet ex ea periculum infectionis: & ideo ait D. Thom. *Tenetur reddere, sed non cohabitare, l. c. quia non ita inficitur ex coitu, sicut ex frequenti cohabitatione.* Communiter tamen id limitant 1. DD. si ex tali coitu judicio Medicorum adsit periculum infectionis notabiliter noxiæ; ita *Boss. c.* 7. *n.* 181. *cum Laym. & Sanch. d. D.* 24. *n.* 17. *cum S. Anton. Nav. Soto, Palud. Caj. Vict.* & aliis. Limitant 2. si Conjux sanus tantum horroris habeat ad coeundum cum leproso, ut id sit moraliter impossibile; impossibilium enim nulla est obligatio ex *l. Impossibilium ff. de Reg. jur.* ita *Sanchez n.* 21. *& Boss. n.* 149. *cum Host. Panorm. Sylv. Pont. Soto, Barb. Laym. Reg. Vill. &c.*

Certum est 2. non teneri Conjugem reddere debitum cum gravi periculo propriæ vitæ, aut sanitatis; ita *D. Th.* 3. *p. q.* 65. *art.* 2. ubi: *Vir tenetur uxori debitum reddere, salva tamen prius personæ incolumitate.* Et ita communiter omnes (vide *Sanch. d. D.* 24. *n.* 2). Ratio, *quia* (ut ait D. Th.) *ordo naturalis est, ut prius aliquid in seipso perficiatur, & postmodum de perfectione sua communicet; & hoc etiam ordo charitatis habet, quæ naturam perficit.*

Certum est 3. Conjugem, non solum non teneri, sed nec etiam posse reddere cum gravi periculo suæ salutis, quia nemo est dominus vitæ suæ; ita communiter *Pal. p.* 4. §. 10. *n.* 4. *Pont. l.* 10. *c.* 14. *n.* 3. *Sanch. l.* 9. *D.* 24. *n.* 8. *cum Soto, Caj. Arm. Led. &c. ac Boss. c.* 1. *n.* 199. *cum Laym. Gon. Fill. &c.* Et hoc etiamsi illud grave damnum immineret solo petenti, ut dicunt *Sanch. n.* 9. *& Boss. n.* 209. *cum Soto, Arag. &c.* eo enim casu reddens tantum excusari posset, si ab altero timeretur proximum periculum occisionis. Limitant vero *Sanch. n.* 22. *cum Led. Palac. Vega, Man. &c. ac Laym. Azor. Fill. ap. Boss. c.* 1. *n.* 189. si Conjux sanus ante Matrimonium jam noverit alterius morbum contagiosum, quia (ut ajunt) in omnibus contractibus, quando detegitur vitium rei, non minus obligantur contrahentes, quam si res vitio careret. Sed merito hanc limitationem rejiciunt *Pal. l. c. & Ang. ac Vill. ap. Boss. n.* 189. quia emens rem, quam scit vitiosam, cedit juri suo, cui bene cedere potest; sed Conjux (ut diximus) non potest cedere juri servandæ suæ salutis.

Probabiliter tamen poterit Conjux reddere alteri infecto, etiam cum periculo gravi propriæ sanitatis. I. Si proles sit necessaria ad bonum commune; *Sanch. d. D.* 24. *n.* 11. *cum Ledesma*, nemine contradicente, ut asserit. II. Si Conjux infectus petens esset in probabili periculo incontinentiæ, nam licet sanus nec etiam eo casu teneatur reddere cum periculo suæ sanitatis, ut dicunt *Laym. c.* 1. *n.* 5. *Pont. l.* 10. *c.* 14. *n.* 2. *Sanch. D.* 24. *n.* 12. *Boss. n.* 204. *& 205. cum Major. Reg. Comit. & Vill. ac Pal. p.* 5. §. 10. *num.* 4. *cum Con.* (contra *Gabr. Led. & Rodr.*) tum quia alter non est in extrema necessitate, cum possit aliter sibi subvenire; attamen licite potest reddere, & tale periculum subire ex motivo charitatis; quia, esto homo non sit dominus suæ vitæ, potest tamen propter charitatem illam exponere, ut *Pont. l. c. num.* 4. *& c.* 2. *n.* 7. *Sanch. n.* 12. *Bon. q.* 4. *p.* 1. *n.* 3. *& 4. & Boss. n.* 294. *cum Major Vill. Con. Aversa, P. Soto, Laym. Hurt. Comit. & Reg.* III. Si redderet ad vitanda magna dissidia, vel ad fovendum amorem conjugalem; & etiam ad vitandum periculum incontinentiæ propriæ, & tunc potest etiam petere; quia vitatio incontinentiæ, aut conservatio pacis familiæ ac amoris conjugalis prævalet obligationi vitandi infectionis periculum. Hæc tamen omnia intelligenda (ut diximus *n.* 909.) si morbus sit diuturnus & quasi habitualis, ut lepra, morbus gallicus, phthisis, &c. non vero si sit de illis, qui de brevi & facili solent mortem afferre, ut est infectio pestis, aut lepræ leoninæ. IV. addo, si Conjux sanus possit præservativis facile vitare contagium sive ejus periculum.

Sicut autem non potest Conjux sanus reddere infirmo cum periculo propriæ salutis, sic etiam infectus nec potest reddere sano cum periculo salutis illius, etiamsi ille petat jam conscius sui periculi: prout non licet reddere gladium volenti se necare, cum nemo sit dominus suæ vitæ; ita *Sanch. l.* 9. *D.* 6. *n.* 17. *Pont. l.* 10. *n.* 2. *in fin. & Boss. c.* 1. *n.* 209. *cum Soto, Con. Azor. &c.* communiter. Probabiliter tamen excipiunt *Busemb. n.* 909. *cum Perez, Bon. p.* 6. *n.* 8. *Sanch. D.* 24. *n.* 23. *cum Cajet. P. Soto, & Crass. ac Boss. d. n.* 209. *in fin.* (se remittes ad *n.* 195.) *cum Laym. Pont. & Reg.* si reddat ad vitandum periculum incontinentiæ in se vel in altero, vel ad vitanda dissidia, aut ne diu privetur usu conjugii, quod vix esse potest sine periculo incontinentiæ. Hocque etiam intelligendum, si ejus morbus sit diuturnus & non proxime ad mortem tendens; itemque si alter sanus petens jam ejus morbi sit conscius, juxta dicta *n.* 909. *Dub.* 1.

An autem Conjux possit & teneantur reddere, 951
quando timetur damnum prolis nascituræ? Negant *Medina, & Palacius ap. Sanch. l.* 9. *D.* 24. *n.* 24.

24. quia nemo tenetur, nec potest reddere debitum cum damno innocentis. Sed communiter & verius affirmant *D. Th. in 4. D. 32. q. un. art. 1. ad 3. S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 20. §. 10. circa fin. Sanch. n. 25. cum S. Bonav. Palud. Sylv. Led. &c. ac Boss. c. 1. n. 136. cum Soto, Laym. Reb. Fill. Reg. Vill. &c.* Ratio assignatur a D. Th. *l. c.* ubi: *Uxor tenetur viro leproso reddere debitum; Et quamvis proles gigneretur infirma, tamen melius est ei sic esse, quam penitus non esse.* An vero liceat reddere tempore prægnationis, vel menstrui, aut purgationis post partum? Vide dicta *n.* 924. 925. & 926.

952 „ 2. Si petat ab uxore laborante febri, vel alio morbo cui copula noceret: *Bon. p. 4. p. 1. n. 4. ex Sanch.* &c. item *Per. l. c.* * (*Sive post balnea, aut sectionem venæ; vide dicta n.* 901.) Vel, ut quidam volunt, tempore menstrui: *Bon. q. 4. p. 3. n. 11. & p. 6. n. 10.* contra *Sanch. Hurt. Per. d. 49. s. 3.* (*Vide dicta n.* 925.) Aut cum uxor est gravida, & ex redditione periculum mortis (vel etiam abortus) probabile timetur proli jam conceptæ: Imo tunc nec petere, nec reddere licitum est, ut per se patet, ait *Laym. c. 1. n. 7.* & esse mortale dicit: *Perez dist. 47. s. 3.* (addens ex *Sanchez Conin.* & *Hurt.* cessante periculo prolis usum matrimonii licitum esse) *(*Vide dicta n.* 924.) * Aut si non possit uxor edere fœtum, nisi mortuum. *Ronc. q. 4. p. 1. & 2. n. 14.* (*Lay.* tamen *c. 7. n. 7.* dicit eo casu licere reddere, imo & petere; quod *Bon. l. c.* concedit, si fiat ob periculum incontinentiæ) aut non possit edere, nisi cum præsenti periculo vitæ. *Bon. l. c. n. 7. Laym. l. c. n.* 6. Quod tamen ad vitandam incontinentiam, aut alia gravi ex causa, eam posse permittere & debitum reddere, insinuat *Laym. l. c. ex Sanch. l. 7. d. 102. n. 11.* * (*Vide dicenda n. seq.* 953.) Denique propter grave periculum mortis (non tamen propter ordinarios dolores partus) potest Conjux negare debitum, etiamsi in altero esset periculum incontinentiæ. *Sanch. Præp. Pal. Dian. p. 6. t. 7. R. 64. & p. 9. t. 7. R. 4.* * (*Vide dicta mox sup. n. præc. vers. Probabiliter ad II.*

„ 3. Si alter debitum exigat innaturali modo, nisi tamen ex negatione timeantur graviora mala, v. g. rixæ, odium, incontinentia. * (*Vide dicta n.* 946.) *.

953 Commune est non teneri uxorem reddere debitum, si experta sit non posse parere sine probabili periculo mortis: ita *Laym. c. 1. n. 6. Bon. p. 1. n. 7. Sanch. l. 7. D. 102. n. 9. Boss. c. 1. n. 172. cum Con. Rec. Fill. & Rod.* quia solutio debiti non obligat cum tanto detrimento. Quid si mater experta sit filios parere mortuos? Hoc casu *Laym. n. 7.* dicit quod bene poterit uxor reddere, quia illa mors fœtus per accidens evenit; & præterea melius est puero esse cum culpa originali, quasi omnino non esse; Attamen *Boss. l. c. & Bon. n. 14. cum Rodr. Vict. Led. & Reg.* tenet eam non posse reddere, quia Mater ex morte prolis (ut ait etiam *Bossius*) exponitur magno periculo vitæ. Excipit tamen *Bon. l. c.* cum aliis, nisi adsit periculum incontinentiæ, & huic consentit *Sanch. l. 7. D. 102. n. 8.* addens, quod si perpetuo propter hanc causam deberent Conjuges ab usu Matrimonii abstinere, essent ipsi in maximo incontinentiæ periculo. An autem uxor, quæ non possit reddere propter arctitudinem vasis, teneatur pati incisionem? *Vide dicenda n.* 1099.

„ Quæres, an aliquando liceat impedire prolis 954
„ generationem?

„ Resp. Possunt quidem Conjuges ex gravi causa aliquid facere, ex quo per accidens sequatur „ effusio seminis: peccant tamen, si in usu Matrimonii, vel post usum faciant aliquid quo impediatur conceptio, aut semen conceptum rejiciatur. Ratio prioris est, quia non impeditur „ generatio, ne indirecte quidem, sed tantum permittitur, ut non fiat, quod licet ex causa rationabili. Ratio posterioris est, quia agunt contra „ fidem, & finem principalem matrimonii. Unde „ tales non excusat paupertas imminens, aut periculum ex partu. *Unde resolves.*

„ 1. Licite interrumpitur actus conjugalis; etsi „ ex naturæ concitatione secutura sit pollutio, dummodo sit justa causa interrumpendi, v. g. si ex „ continuatione immineat periculum morbi, vel „ mortis ab hoste, vel aliquis alius interveniat. „ Vid. *Per. d. 49. s. 9.* * (*Ita etiam Sanch. l. 9. D. 19. num. 4. Pal. p. 4. §. 3. n. 3. & Boss. c. 9. n. 60. cum Less. Perez, & Aversa, ac Salm. c. 15. n. 81. cum Dajet. Dic. &c.*) *.

„ Peccat probabiliter femina, quæ in usu matrimonii alio destrahit, ne natura excitetur, venialiter tamen, ut ex *Per. l. c. n. 7.* docet *Sanch.* * (*Sed verius est, id esse mortale, juxta dicta n.* 918. *v. Sed redeundo*) *.

Dicunt *Sanch. l. 9. D. 21. n. 3. Pont. l. 10. c. 13. n. 1. Salm. c. 15. n. 75. Bon. p. 6. n. 18. cum Reb. Hurt. & Reg. ac Boss. c. 9. n. 3. cum Fill. Fag. Diana, & Vill.* quod uxor peccabit mortaliter, si statim post copulam mingit, aut surgit, vel aliud aliquid facit, animo ut semen receptum expellat, quia frustrat finem ad quem semen est a natura institutum; ita præfati AA. contra *Tamb. Dec. l. 7. c. 3. §. 5. n. 14.* qui *cum Bellochio* id excusat a mortali, eo quod matrix mulieris, semine effuso, semper retinet id quod necessarium est ad generationem. Dictum est autem, si mulier id facit *statim*, & *animo expellendi semen*, nam, si id faceret ex aliqua necessitate, puta ad vitandum periculum mortis, aut scandalum aliorum, omnes dicunt non peccare; Sicut etiam conveniunt non opus esse, ut uxor post copulam diu immota & resupina maneat, eo quod brevi tempore matrix semen attrahit, & arctissime clauditur.

Dubitatur autem hic 1. an puella violenter oppressa, possit expellere incontinenti semen viri immissum ne concipiat? Affirmant *Sanch. l. 2. D. 22. n. 17. & Boss. c. 9. n. 5. cum Raynaud. Marchant. ac Diana*, & non improbabile putat *Escob. l. 25. n. 301.* quia (ut ajunt) tunc puella licite expellit semen tamquam sui honoris aggressorem, cum illud non adhuc sit in pacifica possessione uteri. Sed rectius id non admittunt *Pontius l. 9. c. 10. n. 4. Tamb. Dec. l. 7. c. 3. §. 5. n. 14.* & hanc tenent etiam ut veriorem *Escob. l. c. cum Leand.* Huic ego etiam adhæsi *T. I. l. 3. n. 394.*

v.

v. *Dicunt*, & hic quoque adhæreo, quamvis diversa ratione ductus. Ratio cur hæc sententia mihi probatur, est quia nunquam licet ejicere semen effusum, atque receptum in utero, ubi statim ac recipitur (quod puto quidem statim recipi) habet suam pacificam possessionem; unde non potest mulier ab eo expellere, quia injuriam irrogaret Naturæ, sive speciei humanæ, cujus propagatio impeditur. Merito tamen & communiter dicunt AA. tam primæ, quam secundæ sententiæ, quod mulier vi oppressa bene potest se vertere (imo dico tenetur), & coitum interrumpere, quamvis semen viri esset extra vas effundendum; tunc enim non expellitur semen immissum, sed impeditur ne immittatur, & ideo tunc licite illud repellitur tamquam violentus honoris aggressor.

Dubit. 2. an liceat Conjugibus copulari, si ob senectutem vel aliam dispositionem plerumque accidat, quod semen extra vas effundatur? Affirmant probabiliter *Boss. c. 7. n. 190. Bon. p. 6. n. 17. Spor. n. 212. Laym. l. 3. Sect. 4. n. 19. Sanch. l. 9. D. 17. n. 24. cum Henr. & Croix n. 318. cum Gab.* modo adsit spes probabilis seminandi intra vas, quia semper ac adest talis spes, jus habent ad copulam, & si semen effunditur, hoc per accidens evenit: vide dicenda *n. 1066. in fin.*

DUBIUM III.

An, & quibus ex causis possit fieri divortium?

955 *Fit divortium quoad* Vinculum. *I. si habentur sufficientia indicia de morte Conjugis. II. Si alter convertatur ad Fidem. III. Si fit Religiosus ante consummationem. IV. Si Papa dispenset in Matrimonio rato.*

956 *De indissolubilitate Matrimonii.* 957. *An si Infidelis nolit converti, liceat Fideli transire ad alias nuptias?* 958. *Inter fideles Matrimonium ratum solvitur tantum per professionem Religionis.* 959. *An solvatur etiam per dispensationem Papæ?*

960 *Permittitur autem divortium quoad* Torum, *1. ob adulterium Conjugis.* 961. *Qu. I. An ad divortium sufficiat suspicio de adulterio?* 962. *Qu. II. An liceat facere divortium ob sodomiam, vel bestialitatem commissam a Conjuge? Qu. III. An ob copulam sine seminatione?* 963. *Qu. IV. An vir cognito adulterio uxoris, teneatur eam dimittere?* 964. *Qu. V. An uxor teneatur divertere a viro adultero?* 965. *Et an Conjux innocens teneatur recipere alterum adulterum emendatum?*

956 *Qu. VI. In quibus casibus Conjux nequit divertere ab adultero? I. Casus, si uterque sit reus adulterii. II. Si Conjux consentiat in adulterium alterius. III. Si adulterium accidat sine culpa. IV. Si injuria remittatur.* 967. *Dub. 1. An facto divortio per sententiam Judicis, possit Conjux innocens Adulterum ad se revocare? Dub. 2. Quid si, facto divortio, innocens etiam adulteretur?* 968. *Dub. 3. An vir possit adulteram dimittere propria auctoritate?* 969. *Facta juridica separatione, vir potest ingredi Religionem, aut fieri Sacerdos, invita adultera, adultera vero id non potest nisi de licentia alterius.*

970 *Permittitur II. divortium ob sævitiam alterius.* 971. *Qu. 1. An ob hanc causam possit Conjux recedere propria auctoritate? Qu. 2. An possit fieri Religiosus altero invito? Qu. 3. Qualis timor sufficiat ad faciendum divortium ob sævitiam?* 972. *Qu. 4. An sola verbera sint juxta causa divortii?*

973 *Permittitur III. divortium Conjugi, si alter trahat eum in peccatum.*

974 *Permittitur IV. imo aliquando præcipitur divortium ob hæresim alterius.*

975 *Permittitur V. ob mutuum consensum.*

976 *Facto divortio, apud quem sint filii educandi? Et cujus conjugis expensis?*

977 *An uxor teneatur sequi virum ad cohabitationem?*

„ Resp. 1. Etsi Matrimonium consummatum 955
„ inter Christianos nullo casu solvi possit, quoad
„ vinculum, vivente utroque conjuge (*V. Sanch.*
„ *& Per. d. 25. s. 9. & d. 55. s. 4.*), divortium
„ tamen, seu potius separatio quoad torum *(*Hic*
„ *error irrepsit, nam pro verbo* torum, *debet dici* vinculum, *alias enim non congruunt ea quæ*
„ *sequuntur.*)* fit sequentibus casibus.

„ I. Si alter conjux moriatur. De quo si est
„ certum, rursus nubere potest; quod si interim
„ alter mortuus non sit, fama tamen, & indicia
„ sufficientia habeantur, excusatur nubens, neque
„ ex dubio superveniente, an prior vivat debent
„ separari, cum forte non vivat, ideoque Matri-
„ monium sit validum. *(*Vide dicta num. 206.*
„ *Dub. 3.*)*.

„ II. Si ex conjugibus infidelibus, altero ad fi-
„ dem converso, alter maneat infidelis (saltem nisi
„ pacifice cohabitare velit, sine contumelia Crea-
„ toris); idque ex dispensatione divina, in favo-
„ rem fidei, ut patet ex *1. Cor. 7. 15. Perez d.*
„ *26. s. 4. &c. commun.*

„ III. Si ante matrimonii consummationem (ad
„ quem intra primum bimestre, quod ad delibé-
„ rationem datur, non tenentur, nec cogi possunt
„ sine injuria) alter intret religionem, in eamque
„ profiteatur. *Perez l. c.* &c. communiter.

„ IV. Si Papa ex alia justa causa dispenset an-
„ te consummationem, sicuti eum posse probabi-
„ lior sententia affirmat. *Nav. Bell. Perez d. 20.*
„ *sect. 7.*

Certum est 1. quod inter Catholicos Matrimo- 956
nium est indissolubile, ut declaravit Trident. *sess. 24. in princ.* Et hoc per se verum est, non solum de Matrimonio consummato, sed etiam de tantum rato, vide *Salm. c. 4. ex n. 11.* Hæc autem indissolubilitas est ab ipso jure naturali, quia necessarium est ad prolis educationem, ut Parentes perpetuo ejus bono incumbant; ita communissime *D. Th. 3. p. q. 67. a. 1. Bell. de Matr. l. 1. c. 12. Pont. l. 1. c. 12. Bon. p. 11. n. 2. & Salm. c. 16. n. 16. cum pal. Becan. Led. &c.* Contra *Sanch. l. 2. D. 15. n. 7.* qui cum aliis tenet (sed mi-

minus probabiliter) ex se præcise Matrimonium non esse necessario indissolubile. Quamvis autem olim apud Judæos permissus erat Libellus repudii, ex *Deuter.* 24. in Lege tamen Nova interdictus fuit a Christo Domino, *Matth.* 19. ubi: *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur.* Ubi nota, quod To *nisi ob fornicationem* (ut communiter explicant Interpretes, vide *Corn. a Lap.*) non intelligitur quod, fornicatione interveniente, possit vir aliam ducere, sed tantum quod possit ab ea separari. Certum est 2. quod inter infideles validum est Matrimonium, si fuerit legitimum, idest juxta leges celebratum, ut patet ex *c. De Infidel. de Consanguin.* Certum est 3. quod si uterque Conjux ad Fidem convertitur, Matrimonium fit ratum, idest indissolubile ex *c. Quanto de divor.* Modo sit consummatum post conversionem, alias Papa in aliquo casu ex urgentissima causa bene potest in eo dispensare, ut diximus *n.* 897. *vers. Prob.* 1. ex Decr. Urbani VIII. & fuse defendit Bened. XIV. in quadam Dissert. quam innuit *de Synodo l.* 6. *c.* 4. *n.* 5. ubi asserit S. Pium V. & Gregor. XIII. id in praxim deduxisse. Certum est 4. quod si unus convertitur, & alter non vult cohabitare, nisi cum injuria Creatoris, sive cum blasphemia Divini Nominis, tunc Fidelis libere potest alias nuptias inire, ut expressum est *in eod. c. Quanto*, ubi dicitur ex triplici causa posse Fidelis transire ad alias nuptias, 1. si Infidelis renuat cum eo habitare, 2. si velit habitare, sed nonnisi cum injuria Creatoris, 3. si eum vult pertrahere ad peccatum mortale.

957 Quær., an si Infidelis nolit converti, sed tamen vult pacifice cohabitare, sine injuria Creatoris, liceat Fideli ab eo separari, non solum quoad torum, sed etiam quoad vinculum? Adsunt tres sententiæ. *Prima* absolute negat & hanc tenet *D. Th. in* 4. *D.* 36. *q. un. a.* 5. *Estius in* 4. *D.* 39. §. 6. *Petrocor. tom.* 4. *p.* 531. *Reg.* 4. item *S. Bonav. S. Anton. Palud. Gabr. etc. ap. Sanch. l.* 7. *D.* 74. *n.* 8. Idque probant ex Apost. 1. *Cor.* 7. ubi: *Si qui frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Secunda* sententia absolute affirmat, & hanc tenet *Bellarminus de Matr. c.* 12. Ratio hujus mox adducetur in tertia sententia: Dicit autem *Bellarm.* textum mox relatum D. Pauli non continere præceptum, sed tantum consilium, cum Apostolus statim ad prædicta verba subdiderit; *Cæteris ego, non Dominus. Tertia* demum sententia communior & probabilior, quam tenent *Sanch. l. c. n.* 9. *Conc. p.* 224. *n.* 5. *Pont. l.* 9. *c.* 4. *n.* 22. *Tourn. Prælect. Theol. t.* 11. *p.* 119. & alii *ap. Salm. c.* 4. *n.* 43. dicit olim, si nullum aderat periculum perversionis, non potuisse Fidelem transire ad alias nuptias, quia non aderat causa discedendi a Conjuge infideli, cum per miracula quæ frequentius tunc per Fideles fiebant, plures Infideles ad Fidem convertebantur; Sed hodie, cum cessaverint miracula tam frequentia, illicitum est cohabitare cum Conjuge Infideli ex recepta Ecclesiæ consuetudine, quæ introducta est ex eo quod experientia docuit non modicum perversionis periculum imminere ex consortio Infidelis; nisi (excipiunt *Tourn. l. c. et Sanch. D.* 75. *n.* 13.) Episcopus dispenset ad cohabitandum propter probabilem spem conversionis illius. Veruntamen advertendum 1. cum *D. Th. l. c. Conc. p.* 225. *n.* 7. *et Petrocor. d. p.* 431. *ex cit. cap. Quanto*, quod Matrimonium illud non solvitur, donec Fidelis ad alias nuptias transeat. Advertendum 2. quod antequam Fidelis cum alia Matrimonium contrahat, debet monere Infidelem, si velit ad Fidem converti, ex præcepto Greg. XIII. & S. Pii V. ut dicunt *Pont. l.* 7. *c.* 48. *n.* 23. *Sanch. D.* 74. *n.* 12. *et Croix n.* 409. Excipit tamen *Sanch. n.* 13. *et* 14. cum aliis, contra *Pont.* si constet Infidelem esse pertinacem, vel si multum distet. Notat autem *Croix l. c.* quod casu quo infidelis non possit moneri, ad contrahendas alias nuptias requiritur dispensatio Pontificis, ut asserit jam præscripsisse præfatum Greg. XIII.

Matrimonium autem inter Fideles numquam sol- 958
vitur, nisi alter Conjugum intra bimestre a Matrimonio contracto, & non consummato Religionem ingrediatur, ut habetur in *c. Si quis conjugatus.* 27. *q.* 7. *et in Trid. sess.* 4. *Can.* 6. Hoc tamen intelligitur, prout diximus *n.* 870. *in fine*, modo Matrimonium non esset necessarium ad legitimandam prolem, vel reparandum scandalum, aut honorem Sponsæ, tunc enim non posset vir fieri Religiosus, reliquendo Sponsam, quæ ob infamiam nequiret amplius Nuptias invenire. Dicunt autem *Sanch. l.* 2. *D.* 25. *n.* 27. *Pont. l.* 9. *c.* 9. *n.* 7. *et Salm. c.* 4. *n.* 90. *cum Corn. Trull. et Dic.* quod si transacto bimestri conjux ingreditur Religionem, illicite hic profiteretur, sed valide, quia Concil. in *d. Can.* 6. indistincte sic pronunciavit; *Si quis dixerit Matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis professionem alterius Conjugum non dirimi, anathema sit.* Ut dicatur autem Matrimonium consummatum, non sufficit penetratio vasis feminei, sed requiritur effusio seminis in illud; ita communiter DD. cum *Conc. p.* 252. *n.* 4. *et D. Th.* vide dicenda *n.* 1056. v. *Hic autem.* Quilibet vero Conjugum licite potest intra bimestre debitum negare, quamvis non habeat animum intrandi Religionem, quia utitur jure suo; ita communiter *Pal. p.* 2. §. 5. *n.* 7. *et Sal. n.* 91. *cum Soto Con. Led. Henriq. Dic. et Trull.* Peccaret tamen (ut diximus *n.* 870. *D.* 2. *in fine*) Sponsus qui Matrimonium contraheret animo intrandi Religionem.

An vero possit Papa ex dispensatione solvere 959
Matrimonium ratum, & non consummatum? Adest duplex sententia probabilis. *Prima* negat, & hanc tenet *Pont. l.* 9. *c.* 3. *n.* 3. *Pal. D.* 3. *p.* 2. §. 2. *n.* 3. *Gonet. D.* 5. *n.* 13. item *S. Bonav. Scot. Val. Soto, Led. etc. ap. Salm. c.* 5. *n.* 58. Ratio, quia Matrimonium ratum ejusdem est naturæ quam consummatum, cujus indissolubilitas (ut declaravit *Trid. Sess.* 24. *in princ.*) est de jure Divino, in quo nihil potest Pontifex. *Secunda* vero sententia affirmat, & hanc tenent cum *Bus. Sanch. l.* 2. *D.* 14. *n.* 2. *Bellar. l.* 2. *de Monach. c.* 8. *Navar. c.* 22. *n.* 21. *et Salm. cap.* 5. *n.* 61. *cum Cajet. Vasq. Con. Bon. Reb. Bec. etc.* Ratio, tum quia Pontifices pluries hoc in usum deduxerunt dispensando in Matrimonio rato, ut referunt de propria scientia *Navarr. Cajetan.* tum quia summus Pontifex tanquam Christi Vicarius,

cui

cui regimen Ecclesiæ est commissum, bene potest cum justa causa dispensare in aliquibus quæ sunt de jure Divino, & humanos actus concernunt. Causa autem justa (ut dicunt præfati AA.) esset vel impotentia superveniens, aut scandalum imminens, vel sterilitas de novo cognita, quando opus esset ad bonum publicum ut proles gigneretur. Addunt etiam, si adsint disparitas conditionis, morbus contagiosus, dissensiones prævisæ, mutuus Conjugum consensus; Sed has quatuor causas non admittit *Conc. p.* 247. *ex n.* 20. & merito, saltem nisi urgeat necessitas boni publici; nam alias, istis admissis, pauca Matrimonia rata & firma stare possent.

960 „ Resp. 2. Manente vinculo Matrimonii, licite „ fit divortium, & separatio quoad torum, & co„ habitationem, ad tempus, vel in perpetuum, ob „ gravem, & justam causam, qualis est:

„ I. Alterius conjugis culpabile adulterium (per „ quod hic etiam intelligitur omnis species luxuriæ, „ in qua caro cum alia dividitur, qualis est be„ stialitas, sodomia etiam intra eundem sexum. „ *Bon. q.* 4. *p.* 5. *n.* 2. contra *Fill. Sanch. Perez* „ *d.* 56. *s.* 1. *&* 2. ex *Matt.* 5. & ex *c. Gaude„ mus c. Ex literis*. Non tamen mollities, vel „ pollutio, oscula, tactus, vel amplexus impudi„ ci. *Bon. Sanch. Per l. cit.* licet propter similia „ ad tempus possit aliquando fieri separatio, ut „ nocens emendetur) * (*ut Salm. c.* 16. *n.* 14. „ *cum Sanch. Trull. & com.*) *; tunc enim in„ nocens Religionem ingredi, aut Sacros etiam Or„ dines suscipere potest: nocens vero non, nisi „ cum innocentis consensu. Excipitur tamen ab „ hoc casu 1. Si uterque conjux particeps sit ejus„ dem criminis, vel æqualis. *Sanch.* 19. *dist.* 6. „ *Bon. l. c.* Nisi innocens alteri condonarit. Quod „ aliqui eum fecisse censent, si eam post adulte„ rium intellectum rursus cognoverit. *Bonac. ex* „ *Conc. Henr. Fill. Per. s.* 5. ubi vide plures ca„ sus exceptos.

Certum est virum posse dimittere uxorem adulteram, ut docuit Christus Dom. *Matth.* 5. 19. & expressum habetur in *c. Gaudemus c. Ex literis &c. Significasti de Divort.* Idem communiter dicunt DD. de vire adultero, quem uxor possit relinquere; ita *Sanch. l.* 10. *D.* 3. *n.* 6. *Pont. l.* 9. *c.* 16. *& Salm. c.* 16. *n.* 2. *cum Con. Bon. Trull. ex c. Præterea* 32. *q.* 5. *& c. Idololatria* 37. *q.* 1.

961 Quær. I. An ad divortium faciendum sufficiat suspicio de Conjugis adulterio? Quod sola suspicio sufficiat, habetur expressum in *c. Dicit Dominus.* 32. *qu.* 1. ubi D. Hieronymus dixit: *Ubicumque est fornicatio, vel fornicationis suspicio, libere dimittitur uxor.* Communiter tamen advertunt *D. Th. in* 4. *D.* 35. *q. un. a.* 3. *ad* 4. *Viva q.* 8. *a.* 2. *n.* 4. *Sanch. l.* 10. *D.* 12. *n.* 41. *cum S. Bonav. S. Antonin. Palud. Soto, Innoc. Hostiens. Abb. & aliis*, non sufficere quamcumque probabilem suspicionem, sed requiri violentam, quæ moralem certitudinem fundet, prout si probetur visus fuisse solus cum sola, & nudus cum nuda, ut dicitur in *c. ceteris* 12. *de Præsumptionib.* Dicit autem *Pal. p.* 6. §. 4. *n.* 8. *cum Farinac. Gutt. &c.* hoc requiri ad divortium faciendum auctoritate Ecclesiæ, nam quoad forum internum ait sufficere suspicionem probabilem, modo sit vehemens. Sed hoc intelligendum, quod licet in foro interno non requiratur tanta certitudo quanta in externo, semper tam requiritur talis suspicio, ut habeatur non sola probabilitas, sed moralis etiam certitudo de adulterio patrato; alias (bene ait *Viva l. c.*) per solam probabilem nequit alter privari sua certa possessione. Hinc, nisi aliæ adsint circumstantiæ, non sufficiunt amplexus, tactus, & oscula ad faciendum divortium; ita *Pontius l.* 9. *c.* 16. *n.* 5. *Viva l. c. Sanch. n.* 47. *cum Nav. Palud. Perez, Barb. & Lop.* & ipse *Pal. p.* 6. §. 1. *n.* 2. *cum Con. Hurt. &c.* Item non sufficit, quod inveniatur solus cum sola in loco secreto, ut *Sanch. n.* 45. *cum Nav.* contra *Menoch.* sufficit vero in foro conscientiæ, si vir fide dignissimus testetur de adulterio, vel de violento indicio; ut *Sanchez n.* 51. *Viva l. c. & Pal. p.* 6. §. 4. *n.* 8. *cum Gutt. Menoch. &c.* sufficiunt etiam, ut ait *Pal.* §. 4. *n.* 8. *cum Menoch.* literæ amatoriæ uxoris, quibus adulterium præteritum fatetur. Et sic puto etiam sufficere, si aspiciatur aliquis solus cum sola in eodem lecto.

Quær. II. An liceat facere divortium ob sodo- 962
miam, aut bestialitatem commissam a Conjuge? *Prima* sententia negat, quam tenet *Innoc. Abul. & Palat. ap. Sanch. l.* 16. *D.* 4. *num.* 2. hanc sequitur, speculative loquendo, etiam *Pont. l.* 9. *c.* 16. *n.* 5. Ratio, tum quia per solam fornicationem caro dividitur; tum quia lex pœnalis, qualis hæc est, non debet extendi de casu ad casum; textus autem in *c. Gaudemus, & c. Litteris de Divort.* ut supra, de sola fornicatione loquuntur. *Secunda* vero sententia communior & probabilior (saltem extrinsece) affirmat, & hanc tenent *D. Th. Suppl. q.* 62. *a.* 1. *ad* 4. *Sanch. l. c. n.* 3. *Pal. p.* 7. §. 1. *n.* 2. *Conc. p.* 255. *n.* 7. *Salm. c.* 16. *n.* 9. *cum Soto, &c.* Ratio, quia ex jure naturali uterque Conjux tenetur fidem servare non dividendi carnem suam cum alia, quæ vere dividitur, cum habetur concubitus sodomiæ, vel bestialitatis. Nec obstat, quod lex pœnalis non est extendenda, nam jus discedendi ab adultero, qui cum alia carnem suam dividit, non oritur ex lege positiva, sed ex ipso jure naturali, quod prohibet ne conjux cum alia carnem dividat. Sed AA. primæ sententiæ semper replicare possent, vere non dividi carnem sine copula naturali. Ceterum bene ait *Pont. l. c.* ab hac sententia non recedendum, cum sit communis, sed revera eam non probari.

Quær. III. An copula habita cum aliena sine se- 963
minis effusione, sit causa sufficiens ad divortium. *Prima* sententia affirmat, & hanc tenet *Conc. p.* 255. *n.* 9. citans *S. Bonav. Sotum, Sylv. Palud. Vega & Henr.* Rationem non assignat, sed ratio videtur esse, quia fornicatio sine seminatione vera fornicatio est, licet non consummata, qua vere dividitur caro; Citat etiam *D. Th. & Bonac.* sine locis, sed *Bonac.* (ut infra) expresse oppositum tenet, & locum D. Th. ubi id tradit, non potui invenire. *Secunda* vero sententia probabilior negat, eamque tenet *Sanch. l.* 10. *D.* 4. *n.* 13. *Bonac. q.* 4. *p.* 5. *n.* 2. *Escob. l.* 25. *n.* 131. *& Salm. c.* 16. *n.* 10. *cum Fill. Trull. & Led.* Ratio, quia nomine fornicationis intelligenda est fornicatio in suo genere perfecta, nempe consummata per seminationem, alias non adest vera divisio carnis, sed po-

potius divisio attentata, per solam enim seminationem fornicantes fiunt una caro.

Quær. IV. An vir, cognito adulterio uxoris, teneatur eam dimittere? Ratione adulterii certe non tenetur, dum hæc dimissio a Christo Dom. tantum sit permissa, non præcepta, ita *D. Thom. Suppl. q.* 62. *a.* 2. & alii omnes ex c. *Idololatr.* 27. *q.* 1. ubi D. Aug. sic dixit: *Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti, sed quia permisit, non jussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit, non dimittat uxorem infidelem.* Ratio patet, quia divortium introductum est in favorem innocentis, unde non debet in ejus pœnam verti. Tantum vero potest vir teneri ad dimittendam adulteram ratione correptionis fraternæ, aut scandali vitandi, ut docent *S. Th. l. cit. Pal. p.* 6. §. 3. *n.* 3. *Bon. p.* 5. *n.* 15. *Salm. c.* 16. *n.* 5. & alii ex *c. Si vir de Adul.* ubi dicitur: *Si vir, sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus peccati particeps.* Sed quoad obligationem correptionis pertinet, communiter dicunt DD. non teneri virum dimittere uxorem, si alia via, nempe verbis, aut verberibus possit eam corrigere: ita *D. Th. l. cit. ad* 1. *Salm. num.* 7. *ac S. Bonav. Cajet. Sylvest. Arm. Covar. Barb. Manuel. &c. ap. Sanch. l.* 10. *D.* 13. *n.* 9. Item nec tenetur, si ex tali dimissione timet gravia incommoda, nimirum periculum propriæ incontinentiæ, vel rixas cum propinquis uxoris, vel infamiam, aut jacturam gubernationis domesticæ, & similia, quia præceptum correptionis non obligat, cum gravi incommodo, ita *S. Anton. 3. p. tit.* 2. *c.* 20. §. 9. *Pontius l.* 9. *c.* 17. *n.* 4. *Pal. n.* 3. *Escob. n.* 136. *Nav. c.* 16. *n.* 28. *Bon. d. n.* 13. *Salm. n.* 7. *& Sanch. n.* 8. *cum Soto, Palud. Led. &c.* Cæterum bene ajunt *Laym. c.* 7. *n.* 15. *Viva qu.* 8. *a.* 2. *n.* 5. quod si putet vir hac sola via adulteram corrigendam esse, eo casu tenetur ex charitate (intellige si possit absque gravi incommodo) ad tempus eam dimittere.

Quod ad scandalum autem pertinet, tenetur etiam vir uxorem dimittere, ne videatur ipse peccato uxoris consentire, ut docent *D. Th. loc. cit. Sanch. n.* 10. *Pont. n.* 3. *& Salm. n.* 7. *cum aliis*, ex *cit. c. Si vir*, ubi maritus retinens uxorem pertinacem declaratur *reus, & ejus peccati particeps.* Et idem dicitur in *c. Non solum*, 6. *Caus.* 28. *q.* 1. ibi: *Quod si in his factis perseverat, recede ab illa. Sin autem, & tu particeps peccati illius eris.* Hoc tamen intelligitur 1. ut dicunt *S. Anton. l. c. Sanchez n.* 21. *Pontius, & Salm. l. c.* si adulterium sit notorium, non vero si occultum. Intelligitur 2. ut dicunt *Laym. d. n.* 5. *Pal. n.* 3. *Pont. n.* 3. *Salm. n.* 7. *cum Dic. & Perez ac Bonac. n.* 13. *cum Syl. Tol. Con. Caj. Reg. Gutt. Reb. Fill. & Led.* si vir aliquo modo nequeat scandalo occurrere; secus vero si posset alia via, nempe uxoris reprehensione, reclusione, verberatione, aut alia moderata coercitione. Quod si, his mediis adhibitis, scandalum perseverat, erit vir excusatus, si uxorem non dimittit ex justa causa, nempe ratione periculi suæ incontinentiæ, vel si laboret inopia, aut morbo, & ideo indigeat ope uxoris; vel si alias deberet grave damnum subire; vel si alias uxor deterior evaderet, aut illi immineret notabile detrimentum sanitatis, aut si adsit probabilis spes ut brevi uxor resipiscat, prout docent *S. Antonin. 3. p. tit.* 1. *c.* 20. §. 9. *Pal. n.* 3. *Salm. n.* 7. *& Sanch. a. D.* 13. *ex n.* 19. *cum Soto, Nav. Palud. Major. Tab. Led. Palac. Philiarc. Gabr. Ang. Sylv. Lop. Arm. Ricc. & Abul.* etsi non omnes AA. citati omnes præfatas causas excusantes proponant. Addunt *Salm. l. c.* sufficere insuper causam, si plures expensæ essent impendendæ, ut divortium fieret auctoritate Judicis; vel si ex divortio contentiones timeantur. Demum *D. Anton. l. c.* sic concludit: *Ergo vir cum detrimento juris sui, & periculo non tenetur* (uxorem) *expellere.* Ita præfati AA. sed alii probabiliter dicunt, quod si vir jam præbuerit sufficientia indicia, quod ipse ægre ferat uxoris adulterium, non tenetur eam dimittere ratione scandali; quia si nihilominus alii scandalizantur, scandalum ipsorum erit pharisaicum, quod non tenetur ipse vitare; ita *Pal. n.* 3. cui consentit etiam *Laym. d. n.* 17. *cum Palud.* qui ait: *Si explicet Maritus, quod non foveat illam in crimine, sed juxta se retineat, ut cohibeat a peccato. Quod si nihilominus aliquis scandalizatur, scandalum est ex malitia, quod contemnitur.* Idem sentit *Glossa in c. Non solum*, supra citato, ubi ad verba, *sin autem, & tu particeps peccati illius eris*, explicat: *Idest, si non revocas eam a proposito.* Ergo vir qui revocat adulteram a proposito, non est reputandus particeps peccati illius. Clarius id docet *D. Anton. l. c.* dicens: *Propter scandalum pharisæorum non tenetur homo dimittere jus suum; prius debet* (Maritus) *exponere quod non foveat illam in crimine, sed magis, ut eam melius cohibeat a peccato, juxta se retinet; & cum hoc sit verisimile, si qui ex hoc scandalizatur, non erit scandalum pusillorum, & cum non potest dimittere sine periculo suo, licite potest retinere.* Hinc ex omnibus prædictis bene inferunt *Pal. l. c. Sanch. n.* 26. *cum Led. & Abb. & Salm. n.* 7. *cum Soto, Pont. Dec. Perez, Trull. &c.* quod propter hanc causam scandali raro tenetur vir uxorem adulteram dimittere.

Quær. V. An uxor teneatur divortium facere 964
a viro adultero? *Prima* sententia, quam tenent *S. Anton. 3. p. tit.* 1. *c.* 20. §. 9. *in fin. & Sanch. l.* 10. *D.* 14. *n.* 29. *cum Palud. Sylv. Soto, Tab. Arm. Sa, Led. &c.* dicit nunquam teneri, non ratione scandali, quia nunquam præsumitur uxor consentire in viri adulterium; non ratione correptionis, quia tantum Superioris est corrigere facto; uxor autem est subdita viro, unde *ipsa* (ait D. Antoninus) *non habet virum corrigere facto, sed verbo. Secunda* tamen sententia mihi verior, quam tenet *Bon. p.* 5. *n.* 13. *Can. p.* 256. *n.* 16. *Nav. c.* 22. *n.* 21. *Antoine p.* 587. *q.* 9. *Salm. c.* 16. *n.* 7. *cum Dic. & Perez*, item *Pet. Soto, Palao, Gabr. Led. etc. apud Sanch. n.* 27. dicit etiam teneri aliquando divertere a viro adultero, quia aliquando tenetur etiam subditus, si potest sine gravi incommodo, corrigere Superiorem modo quo potest; & a fortiori ad id tenetur uxor, cui jam concessum est relinquere virum adulterum; Dummodo tamen (*ait Antoine*) ipsa sciat virum hoc medio certo emendandum: sed melius

di-

dicit *Conc.* si probabilis sit spes emendationis, quia correctio bene debet fieri ubi spes probabilis intervenit ut dicunt *Salm. in tr. 21. de Corrept. frat. c. 7. n. 66. cum Suar. Pal. Diana, etc.* Merito vero dicunt præfati AA. ad hoc raro sive rarissime teneri uxorem, tum quia rarissime uxor potest corripere virum; tum quia rarissime poterit uxor a viro discedere sine gravi incommodo. Et ideo nec etiam tenetur ei debitum negare: tanto magis quia negando vir deterior fieret, ut docent *S. Anton. et Boxac. l. c. cum Sanch. Fill. et aliis*.

965 Utrum autem teneatur Conjux innocens recipere alterum ex adulterio emendatum? Affirmant *Conc. 2.* ac *Bus. infra n. 5. cum Laym. et Perez* ad hoc teneri ex charitate, si alias ille sit in periculo relabendi. Sed ego minime auderem innocentem ad hoc obstringere sub culpa, cum ex una parte Christus Dom. eum perpetuo liberaverit ab obligatione cohabitandi cum adultero, & ex alia non videtur charitas ad tantum onus obligare, ut Conjux recipiat alterum qui fregit sibi fidem. Unde merito dicunt *Salm. c. 16. n. 21.* tantum ex honestate & decentia debere innocentem sibi reconciliare emendatum, si commode potest. Nec obstat quod in *c. Si vir Adult.* dicatur; *Debet, sed non sæpe recipere peccatricem:* nam Glossa To *debet* explicat: *Debet debito honestatis, non necessitatis*.

966 Quær. VI. In quibus casibus illicitum sit Conjugi divortium facere ab altero in adulterium lapso? Primus est, si uterque reus sit adulterii, tunc enim neuter jus habet ad divortium, etsi unus semel peccaverit & occulte, alter vero centies & publice; ita *Sanch. l. 19. D. 6. n. 8. Pont. l. 9. & Salm. c. 16. n. 12. cum Soto, Con. Trull. Dic.* & aliis passim, ex *D. Th. in 4. D. 35. qu. un. a. 6. ad 5.* Dubitatur autem hic, an in tali casu Conjux emendatus possit divortium facere ab altero in adulterio perseverante? Adest duplex sententia probabilis. *Prima* negat, nisi condonationem sui criminis jam obtinuerit: Quia emendatio illius, ut dicunt, injuriam alteri (vel semel factam) non extingit. Ita *Pont. l. 9. c. 28. in fin. Dic. Led. Hurt. Bus.* apud *Salm. c. 16. n. 13. Secunda* autem sat probabilis sententia, quam tenent *Sanch. l. 10. D. 7. num. 4. Viva qu. 8. ar. 1. n. 6. Avers. Trull. Con. Bon. Reg. Henr.* &c. *ac Salm. n. 14.* dicit, quod emendatus possit separari ab altero, qui post correctionem non resipiscit. Ratio, quia (ut dicunt) si post crimina ambo Conjuges se reconciliarent, tunc, uno relabente, posset alter certe recedere: Ita pariter in præsenti casu, nam emendatus per ipsam correptionem jam virtualiter offert reconciliationem, quam alter admittere tenetur, & sic terminus jam imponitur compensationi: ita ut alter non amplius habeat jus in posterum compensandi novum peccatum cum præterito Conjugis emendati: & ideo ob novum adulterium juste tribuitur emendato jus recedendi.

Secundus casus est, si Conjux consentiat in adulterium alterius: tunc enim amittit jus recedendi ex *c. Discretionem de Eo, qui cogn. &c.* Et est communis sententia cum *Sanch. lib. 10. D. 5. n. 4. Bon. p. 5. n. 14. & Salm. c. 16. n. 15. Bon. Con. Trull. Per.* &c. *D. Th. Suppl. qu. 62. ar. 1.* Notandum tamen hic uniformiter, quod non sufficit ad præsumendum consensum viri, si ille prudenter dissimularit, vel non averterit adulterium uxoris: eo quod non potuit sine magno incommodo: Vel si causam tantum remotam præbuit, ut si male eam tractavit; in allatis enim textibus statuit non excusari feminam adulterantem, etiamsi a viro sit injuste dimissa.

Tertius casus est, si Conjux sine culpa formali adulteretur, puta, ob errorem inculpabilem, vel si violenter cognita sit; ita communiter *S. Th. l. c. ac Sanch. Con.* &c. cum *Salm. n. 17.* Secus vero, ut notat *Sanch. n. 15.* si per metum consentiret, quia propter metum non excusatur a culpa. Notat etiam *Dic.* ap. *Sanch. ib.* quod, si uxor putans virum esse mortuum, extra Matrimonium fornicetur, etiam vir potest eam dimittere; Secus si vir fornicetur putans mortuam uxorem.

Quartus casus est, si injuria sit remissa, sive ante, sive post divortium. Si autem post remissionem relabatur vel reconciliatus, vel reconcilians, alter jam dimittendi jus habet. *Sanch. D. 6. n. 7. Salm. n. 8. & alii.* Præsumitur autem facta remissio vel ex verbis, vel factis, ut si Conjux innocens, conscius & memor adulterii, omnino sponte coeat cum adultero, ut docent *S. Th. in 4. D. 35. q. un. ar. 1. Sanch. D. 6. n. 19. & D. 14. n. 6. Salm. n. 19.* cum *Dic. Trull. Avers. & aliis* apud *Bus.* Signa pariter sunt remissionis, si maneant in eadem domo, mensa, lecto, maxime si interveniant oscula, tactus, amplexus. Notandum tamen, quod si Conjux innocens per hæc vere animum non habeat remittendi, in conscientia semper recedere potest, quamvis in foro exteriori divortium ei negetur; ita *Sanch. D. 14. n. 21. & Fill. Avers. Trull. Fill.* cum *Salm. d. n. 19.*

Sed dubitatur hic 1. An facto divortio per sen- 967
tentiam Judicis, possit innocens adhuc adulteram cogere, ut ad se redeat? Duplex est sententia. *Prima*, quam tenent *Soto, & Led.* apud *Sanch. lib. 10. D. 10. n. 2.* qui probabilem vocat, dicit, quod per sententiam etiam adultera remanet soluta ab obligatione cohabitandi, & reddendi debitum. *Secunda* vero sententia, & communis, quam tenent *Sanch. n. 3.* cum *Sylv. Henr. Led. Sa, & pluribus aliis*, item *Pal. p. 6. §. 7. n. 1. Pont. l. 9. c. 19. Bon. p. 5. n. 16. & Salm. c. 16. n. 22. cum Con. Gutt. Reg. Aversa &c.* docet, quod semper ac status utriusque Conjugis non sit mutatus, nempe si neuter voverit castitatem, &c. tenetur adultera redire, quia innocens suum jus non amittit per sententiam, quæ tantum in pœnam adulteræ, non in favorem emanatur; ita expresse docet *D. Th. in 4. Dist. 35. qu. unic. art. 6. ad 3.* ubi: *Cum divortium sit inductum in favorem viri, non aufert ei jus revocandi uxorem; unde uxor tenetur ei reddere, et ad eum redire, si fuerit revocata, nisi de licentia ejus votum continentiæ emiserit.* Et ad hoc, ut adultera teneatur redire, recte dicit *Sanch. n. 24.* (contra *Palac.*) non requiri novam sententiam Judicis. Merito vero ait *Pal. p. 6. §. 7. n. 3. cum Gutt.* raro posse compelli uxorem adulteram redire ad virum, propter prudentem timorem mortis, aut sævitiæ facile ab illo inferendæ.

Dubit. 2. Si Conjux innocens, facto divortio 968
per

per sententiam, labitur in adulterium, utrum is amittat jus ad divortium, ita ut, altero petente, teneatur ad eum redire. *Prima* sententia affirmat, quia injuria jam est compensata, nec sententia ita abstulit adultero jus, ut innocens post divortium possit adulterari; ita *Pont. l.* 9. *c.* 20. *n.* 6. item *ap. Salm. c.* 16. *n.* 23. *S. Anton, S. Bonav. Per. Dic. Con. Avers. Sot. Dian. Leand.* & probabilem vocant *Salm. c.* 10. *n.* 23. *Secunda* tamen sententia, quam longe probabiliorem censeo, & tenent *S. Th. in* 4. *D.* 35. *q. un. a.* 6. *ad* 4. *Sanch. l.* 10. *D.* 10. *n.* 30. & *Salm. n.* 25. *Fill. Reg. Bon. Led. & alii*, dicit non teneri: Quia per sententiam absolute latam jam innocens absolutus mansit a servitute, & adulter jure suo privatur. Hoc tamen non obstante, *D. Th. l. c. ad* 5. sic advertit: *Secundum æquitatem Judex ex officio suo debet eum cogere, ut caveat periculo animæ ejus, & scandalo aliorum, quamvis non possit revocationem petere.* Et in hoc omnes conveniunt, ut dicunt *Salm. n.* 14.

969 Dubit. 3. An Conjux possit adulteram dimittere propria auctoritate? Adsunt tres sententiæ satis probabiles. *Prima* sententia absolute negat, & hanc tenent *D. Th. in* 4. *D.* 35. *q. un. ar.* 3. ubi: *Divortium non potest celebrari, nisi judicio Ecclesiæ. Conc. p.* 256. *n.* 14. *ac Bellarm. Aversa ap. Salm. c.* 16. *n.* 46. Ratio, quia separatio Conjugum est actio publici pertinens ad externam gubernationem; unde non potest fieri privata auctoritate sine perturbatione. *Secunda* sententia, quam tenent *Laym. c.* 7. *n.* 8. & 9. *Pont. c.* 18. *n.* 2. & 6. & *Salm. n.* 47. *cum S. Ant. Soto, Con. Henr. Vill. &c.* distinguit, & affirmat, si adulterium est notorium; negat vero, si occultum, quia tunc fama Conjugis adulteri injuste proderetur. Idque confirmant ex *c. Significasti* 4. *de Divort.* ubi dicitur: *Si notorium est mulierem adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse.* Item ex *c. Ex parte* 9. *de Spons.* ibi: *Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere. Tertia* demum sententia absolute affirmat posse fieri divortium sine sententia, sive adulterium sit publicum, sive occultum, modo sit certum, & ex separatione non interveniat scandalum, quod non possit aliter reparari: ita *Sanch. l.* 10. *D.* 12. *n.* 31. *et* 32. *cum Soto, Palac. Henr. Abb. etc. ac Bon. p.* 5. *n.* 10. *cum Sa, Led. Reg. Con. et Fill.* Probatur 1. ex *c. Dixit Dominus* 32. *q.* 1. ibi: *Ubicumque fornicatio est, vel fornicationis suspicio, libere dimittitur uxor.* Nota To *libere*, quod denotat nullam requiri sententiam, aut licentiam. Et ratio est, quia absolute concessum est a Christo Domino dimittere Conjugem adulterantem. Hæc sententia mihi probabilior est, saltem si adulterium sit ex parte feminæ; durum enim esset cogere virum certum de adulterio uxoris, ut publicum faciat illius crimen in judicio cum suo perpetuo dedecore. Bene tamen advertit *Bon. l. cit.* quod si post divortium Judex cogat Conjugem ad cohabitandum, tenetur obedire; sed juxta hanc sententiam non tenetur reddere.

Notandum autem hic, quod, facta juridica separatione, vir innocens potest ingredi Religionem, etiam invita adultera, *c. Agatosa* 27. *qu.* 2. Potestque etiam Ordines Sacros suscipere, ut *Salm. c.* 16. *n.* 50. *cum communi*, manente tamen vinculo Matrimonii; Quare, si is, suscepta Religione, vel Ordinibus Sacris, cum alia coiret, licet tunc non detur amplius criminis compensatio, attamen verum adulterium committeret. Item, si uxorem cognosceret, peccaret quidem peccato sacrilegii, sed non fornicationis. Hoc autem esset, si Matrimonium jam consummatum fuerit, nam alias Matrimonium per Professionem Religiosam (non autem per Ordines Sacros) etiam quoad vinculum dissolvitur; *Salm. c.* 16. *n.* 50. *et* 51. *et commun.* Recte autem advertunt *Salm. n.* 23. quod, si conjux innocens absque sententia judicis separetur ab adultera, vix unquam posset, etiam juxta primam opinionem ut supra, Sacerdotium suscipere: quia difficulter hoc fieri posset absque scandalo.

E converso adulter, nec etiam facto divortio juridico, potest Religionem ingredi, aut Sacerdotium suscipere, nisi de licentia alterius; vel nisi alter jam statum irrevocabilem assumpserit. Alias, si Religionem aut Sacerdotium suscipere velit, esto jam assumpserit, potest ab illo repeti, & tenetur reddere. Sed sufficit ad hoc licentia tacita, ut si alter sciens hunc velle mutare statum, non impediat, cum commode possit. Et sufficit etiam, si alter requisitus neget reconciliationem, ut dicunt *Sanch. l.* 10. *n.* 15. *et* 19. *et Salm. c.* 16. *n.* 14. cum *Con. Avers. Dic. Dian. Bon. Led. ex c. Gaudemus de Conversione Conjug.* Addunt *Pont. l.* 9. *c.* 6. *n.* 3. *Sanch. n.* 8. cum aliis, *et Pal. p.* 6. §. 7. *n.* 2. quod si post biennium adulter non vocatur, potest libere Religionem ingredi, vel sacris initiari, quia tunc censetur alter in hoc ei consentire, jure sic disponente in *Authentica, Sed hodie. C. ad l. Jul. de Adult.*

„ II. Sævitia mariti, vel uxoris. Ex qua, si 970
„ grave periculum comparti immineat, potest se-
„ paratio peti a judice, imo, si mortem minetur,
„ vel venenum patet, potest divertere ante judi-
„ cis consensum. Vide *Bonac. loc. cit. Layman*
„ *Per. se.* 3.

Constat ex *c. ex transmissa, de Rest. Spol.* ob sævitiam Conjugis posse alterum separari, quamvis iste ob aliquod suum crimen fuerit causa sævitiæ illius, *c. de Bend.* 32. *qu.* 1. Non tamen sine sententia Judicis, & postquam crimen sit plene probatum, ut ex Conc. Carthag. in *c. Seculare* 33. qu. 2.

Sed quæritur 1. an tunc possit recedere propria 971
auctoritate? affirma, si periculum sit in mora (ut ait hic *Busemb.*) vel si non posset litigare, aut Judicem adire, vel facile sævitiam probare; ita *Sanch. l.* 10. *D.* 18. *n.* 3. *Anacl. p.* 667. *n.* 110. & *Salm. c.* 16. *n.* 18. cum *Aversa, Trull. Vill.* Si vero possit Judicem adire, & sævitiam probare, tenetur exspectare sententiam, ut dicunt *Sanch. loc. cit. Pal.* §. 4. *n.* 7. *Pont. l.* 9. *c.* 23. *n.* 7. *et Salm. d. n.* 38. *c. Significasti, de Divort.* contr. *Frull. et Hurt.* Ratio, tum quia exigitur sententia, ne passim divortia fiant; tum quia causa hæc sævitiæ introducta est auctoritate Ecclesiæ; & ideo æquum est, ut nemo ea utatur ad discedendum sine Ecclesiæ auctoritate.

Quær.

Quær. 2. an talis juste recedens possit, invito Conjuge, Religiosus fieri? Negatur, nisi timor de damno gravi sit talis, ut nunquam deponi possit, ex *c. Litteras, de Rest. spoliat.* Alias divortium tantum ad tempus erit, donec cesset periculum, data cautione in judicio; ita *Sanch. l.* 10. *D.* 18. *nu.* 3. *Salm. nu.* 37. cum *Bas. Trull. Fill. Dic.* Notant autem *Salm. n.* 40. cum *Dic.* in praxi vix credi posse, quod cesset unquam periculum, si Conjux fuerit amens & furiosus, vel ita pronus ad iram, ut sæpe intervenerit periculum damni, & aliquando uxorem vulneraverit; vel si dederit venenum, etiam semel.

Quær. 3. qualis timor sufficit ad divortium ratione sævitiæ? Resp. Sufficit, ut prudenter timeri possint quæcumque mala gravia a Conjuge, vel ab ejus propinquis; ut si adessent comminatio mortis, verba injusta, frequentia convicia, & jurgia, ex quibus nimis molesta redderetur cohabitatio, vel esset periculum abortus intentati, vel mali gravis in aliis filiis, aut consanguineis, &c. Ita *Sanch. l.* 10. *D.* 18. *n.* 11. *et* 12. *ac Salm. c.* 16. *n.* 41. cum communi. Recte tamen advertunt *Salm. ib.* quod aliqua ex his, quæ respectu feminæ nobilis essent gravia, respectu alterius humilis conditionis levia erunt. Item advertunt *Sanch. num.* 13. *& Ronc. p.* 180. *q.* 5. *R.* 1. non sufficere solas minas, nisi Conjux solitus sit illas exequi; Quapropter Judex bene perpendere debet minantis conditionem, & modum, ex *l. Hæc autem* 5. *ff. Si cui plus &c.*

972 Quær. 4. an sola verbera sint causa justa divortii? Alii affirmant, *Bart. Bald. Lupus, Graff. &c. ap. Sanch. D.* 18. *n.* 14. Alii negant, nisi ex verberibus probabiliter timeatur periculum mortis, ut *Cujac. &c. ib. n.* 5. Alii vero communissime, ut *Pont. l.* 9. *c.* 25. *n.* 5. *Ronc. p.* 180. *q.* 5. *R.* 1. *& Sanch. num.* 16. *cum Host. Abb. Ang. Sylv. Henr. Arm. Tab. &c.* dicunt licitum esse viro verberare uxorem, modo non fiat frequenter, nec ex levi causa, nec acriter, quamvis causa sit magna, sed raro, & mediocriter. Unde probabiliter ait *Sanch.* non posse uxorem discedere, si verberatio est levis, etiamsi sine causa verberata fuerit (excipiunt *Salm. c.* 16. *n.* 41. nisi mulier esset nobilis). Item addunt *Ronc. l. c. Bon. p.* 5. *n.* 5. *Pal. pag.* 6. §. *n.* 8. *& Sanch. n.* 16. *cum Rol. & Rimin.* non licere uxori divortium facere ex una verberatione, etsi gravi, sed requiri saltem binam, nisi probabiliter timeatur, ne maritus verberationes replicet, attenta illius natura, & circumstantiis, puta si ipse domi vel etiam extra domum detineat concubinam.

973 „ III. Si conjux compartem trahat in peccatum, „ v. gr. ad hæresim, veneficium, &c. * (*Adde „ si vir alios in domum introducat cum periculo, „ quod tentent ad adulterium. Vel si vir velit „ exercere sodomiam cum uxore, etsi ipsa consentire renuerit, ut Salm. n.* 35. *cum Sanch. „ Bas. Soto.*) * tunc enim innocens potest se separare, imo tenetur, si periculum sit grave. „ *Laym. l.* 5. *t.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 16.

„ IV. Morbus contagiosus, v. g. lepra * (*Ut „ D. Th. suppl. q.* 46. *a.* 1. *ad* 4. *ubi*. Uxor viro „ leproso tenetur reddere debitum, non tamen ei „ cohabitare. *Hoc autem recte ait Sanch. l.* 9. „ *D.* 24. *n.* 29. *cum S. Anton. & aliis intelligi, „ si ex cohabitatione probabiliter immineat periculum infectionis. Item justa erit causa discedendi, si alter Conjux sit furiosus, aut malefícus, aut energumenus, ut Salm. c.* 16. *n.* 35. *„ cum communi.*) Quod si tamen sine gravi detrimento possit cohabitare, ad id tenetur, aut „ saltem adhabitare, & ministrare, nisi alter remittat.

„ V. Hæresis, vel apostasia superveniens ma- 974
„ trimonio. Quo casu, si separatio facta sit judicio Ecclesiæ, non tenetur conjugem conversum „ recipere, saltem ex justitia: nam ex charitate „ aliquando tenetur, ut si sit periculum incontinentiæ. *Bonac. Laym. l. c. Per. d.* 57. *s.* 1. * „ (*Nota hic, quod non ob quæcumque crimina „ Conjugis potest alter separari, sed tantum ob „ perniciosa. Potest autem ab hæretico discedere, „ etsi hæresis sit occulta: imo tenetur, si sit in „ periculo perversionis; vide Salm. c.* 16. *ex n.* „ 26. *Et si crimen sit declaratum, potest alter „ etiam fieri Religiosus, ut Salm. n.* 34. *modo „ judicio Ecclesiæ discesserit, ut patet ex c. de „ illa, de Divort. ubi hoc divortium declaratur „ esse perpetuum.*)*.

„ VII. Mutuus consensus. Ex quo licite se se- 975
„ parant vel toro, sive ad tempus, sive in perpetuum, ob finem spiritualem, vel etiam habitatione. Quod tamen non solet permitti, nisi „ uterque ingrediatur religionem, vel uxore ad religionem transeunte (aut si vetula sit, id est „ sexagenaria, *Azor.* &c. *Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 73. „ manente in sæculo, in voto continentiæ) maritus suscipiat sacros Ordines. * (*Si autem Con„ jux remanens in seculo nesciebat teneri eo casu „ ad emittendum votum castitatis, dicunt Sanch. „ Fagn. etc.* (*contra Anacletum*) *ap. P. Ferraris Bibl. verb. Conjux n.* 23. quod ille, adhuc „ præstito consensu, potest ad se revocare Conjugem etiam in Religione professum.)* Porro, „ apud quem, & cujus expensis, facto divortio, „ liberi sint educandi? Vide *Laym. hic l.* 1. & „ *Sanch.* Vid. *Per. d.* 58. *et* 59. *Bon. q.* 3. *p.* 5. „ *n.* 11.

Conveniunt DD. quod, facto divortio juridico, 976
filii sunt educandi apud Conjugem innocentem. Quod vero ad expensas, si divortium fit culpa Patris, ejus expensis educanda est proles ex *Authent. Si Pater. C. Divortio facto*, ubi: *Si Pater causam divortii præstiterit, apud Matrem, ad secundas nuptias non venientem, liberi nutriantur Patris expensis.* Et contra expensis Matris, si divortium fit culpa Matris; ita *Glossa in dicta Authent. Pal. p.* 6. §. 10. *n.* 5. *Laym. c.* 7. *in fin. et Sanch. l.* 10. *D.* 20. *n.* 7. *cum Bart. Palud. Hist. Sylv. Henr. Gut. etc. ex ead. Authent.* ubi legitur; *Si vero contra, tunc apud Patrem, Matris locupletis expensis; nisi Pater minus idoneus sit, tunc enim apud Matrem locupletem nutriantur.* Sed negant *Salicet. Boerius, et Alex. ap. Sanch. l. c. n.* 5. quod asserunt prædicta verba non esse in textu originario (ut fatetur ipsa *Glossa*) sed inserta fuisse ab *Irnerio*. At hoc non obstante, non discedendum a sententia communi, ut ait eadem *Glossa*, quia cum Matri adulteræ dos, facto divortio, restituatur, jus natura-

rale postulat, ut ipsa Matrimonii onera sustineat; alias commodum ex suo crimine reportaret. Ad hoc tamen bene advertit *Sanch. n.* 8. cum communi omnium, omnino requiri sententiam Judicis. Quando autem alter Conjugum esset infidelis, vel hæreticus; proles semper apud fidelem educanda est, quamvis fidelis fuerit in culpa, ut *Sanch. n.* 3. *Pal. l. c. cum aliis.*

977 „ Quæres, an uxor teneatur sequi virum ad co„ habitationem?

„ Resp. Teneri, quia vir est caput familiæ, & „ uxoris.

Excipiuntur tamen sequentes Casus.

„ 1. Si ex sequela timeatur grave onus, vel pe„ riculum, v. g. vitæ, pudicitiæ, vel salutis; vel „ uxor a viro peregre non alatur.

„ 2. Si vir post matrimonium factus sit vagus, „ nec facile sit sequi; secus tamen, si ante fuit „ vagus; idque ipsa scivit.

„ 3. Si in contractu Matrimonii additum fuit „ pactum de non mutando domicilio, & nulla „ gravis necessitas urgeat.

Reguraliter uxor tenetur sequi virum mutantem domicilium, etiamsi mutet sine justa causa; modo causa non sit turpis, *Sanch. l.* 1. *D.* 40. *n.* 2. *et* 6. Et hoc etiamsi alicubi adsit contraria consuetudo, quæ non potest derogare juri Divino, quod constituit virum caput uxoris, ut in 1. *Cor.* 13. 3. Item etiamsi vir longe discedat, & ibi per longum tempus sit moraturus; secus vero si brevi inde reversurus sit; ita *Sanch. l. c. D.* 41. *n.* 11. *cum Panorm. et Alex. de Nevo, ac Boss. c.* 6. *n.* 34. *cum Suar. Barb. et Farin.* tunc enim nec uxor tenetur sequi virum, nec vir secum ducere uxorem, ut dicunt *Salm. de* 2. *Præc. c. un. n.* 48. *cum Sanch. Tol. Bon. Sayr. Fill. etc.* Prout neque tenetur vir eam secum ducere, etiamsi longe discedat, si magnæ expensæ requirerentur ad eam illuc transvehendam: *Salm. ib.* cum AA. citatis. E converso uxor non tenetur sequi virum, si ille velit eam pertrahere ad peccatum, vel uxor per discessum exponeretur gravi periculo vitæ, ut *Sanch. l.* 1. *D.* 41. *n.* 5. *cum Sylv. Nav. Arm. Ang. etc.* aut periculo gravis detrimenti, ut *Boss. c.* 6. *n.* 38. *cum Laym.* & aliis communiter. Sic pariter non tenetur uxor sequi virum vagantem, nisi uxor ante Matrimonium id sciverit, ut *Sanch. l. c. n.* 7. *cum Sylv. Ang. Nav. Lopez, Man. et Boss. n.* 48. cum aliis communiter. An autem uxor teneatur sequi virum in exilium condemnatum? Probabilius affirmandum cum *Sanch. l.* 1. *D.* 41. *n.* 13. *Boss. c.* 6. *n.* 46. *et alii.* Vide dicta *l.* 3. *n.* 353.

CAPUT III.

De Impedimentis Matrimonii.

978 *Impedimenta alia sunt Impedientia, alia Dirimentia.*

979 *An Ecclesia possit constituere impedimenta dirimentia?*

980 *Quis possit ea constituere? Dub.* 1. *An Episcopi?* 981. *Dub.* 2. *An impedimenta dirimentia apposita ab Ecclesia obligent Infideles?*

„ Duplicis generis sunt impedimenta: quædam „ illicitum tantum, alia insuper irritum Matrimo„ nium reddunt. Priora dicuntur impedientia, po„ steriora dirimentia.

Non dubitant Hæretici nostri temporis posse Ec- 979
clesiam constituere impedimenta Matrimonium impedientia; negant tamen posse constituere dirimentia. Sed Conc. Trid. *sess.* 24. *Can.* 4. sic statuit: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse instituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in his constituendis errasse, anathema sit.* Nec obstat dicere, quod Ecclesia nequit invalida reddere Sacramenta instituta a Christo Domino, quando celebrentur cum debita materia, & forma. Nam resp. quod Sacramentum Matrimonii subsistit in illius contractu; quare, etsi Ecclesia Sacramentum invalidare non possit, potest tamen ob bonum commune spirituale, ratione cujus supremam habet potestatem super populum Christianum, invalidare contractum, sine quo Sacramentum minime conficitur.

Hanc autem facultatem indicendi impedimenta 980
dirimentia, certum est habere Summum Pontificem, & Concilium Generale auctoritate illius confirmatum.

Sed dubitatur 1. an habeant illam etiam Episcopi ex potestate ordinaria in suis Diœcesibus? Attento jure naturæ, affirmant *Sanch. l.* 7. *D.* 1. *n.* 9. *Pont. l.* 6. *c.* 1. *n.* 12. item *Sot. Trull. Bonac. & alii ap. Salm. c.* 11. *n.* 9. Ratio, quia Episcopi possunt in suis Diœcesibus, quod Papa potest in Ecclesia universali, nisi aliquid Pontifex sibi expresse reservet, ut sentiunt *Sotus de Just. l.* 10. *q.* 1. *a.* 3. *in fin. ad* 2. *Pont. l.* 6. *c.* 1. *n.* 12. *Cabass. T. L. l.* 1. *c.* 8. *n.* 6. *cum Panorm. & Jo. Andr. ac Sanch. de Matr. l.* 1. *D.* 62. *n.* 3. *cum Abul. Arag. Victor. Cov. Perez, Hurt. Henr. Majol. Veracr.* & aliis; exceptis tamen iis quæ pertinent ad statum universæ Ecclesiæ, prout est res Fidei definire. Negant vero *Suar. t.* 5. *D.* 7. *Se.* 4. *n.* 5. *Lug. R. mor. l.* 1. *D.* 45. *& Salm. n.* 9. *cum Con. Dian. Perez, & Dic.* quia res maximi momenti non sunt decernendæ, nisi a Suprema Sede. Ceterum ipsi *Sanch. & Pont.* fatentur, quod, esto nulla sit lex prohibens Episcopis inducere impedimenta dirimentia, id tamen vetitum est ex inveterata consuetudine. Sed præter hanc consuetudinem, refert Bened. XIV. *de Syn. l.* 7. *c.* 68. *n.* 7. Urb. VIII. suo Decreto approbasse Declarationem S. C. ubi id expresse vetitum fuit, ac insuper Pontificem præcepisse, ne in posterum hoc in dubium revocaretur.

Dubit. 2. An impedimenta dirimentia ab Eccle- 981
sia assignata obligent Infideles? Resp. cum *Sanch. ibid. n.* 3. *Salm. n.* 10. *Bec. Avers.* &c. tantum obligare infideles viventes in locis Summo Pontifici temporaliter subjectis, cum ibi universaliter adstringantur legibus contractuum; secus, si alibi degant.

DU-

DUBIUM I.

Quæ sint impedimenta impedientia tantum?

982 *Quæ reddant Matrimonium illicitum? I. Ecclesiæ vetitum, scil. prohibitio Episcopi, &c.*

983 *II. Tempus feriarum, quo prohibentur solemnitates, Benedictio, &c.* 984. *Dub.* 1. *An tunc liceat consummare? Dub.* 2. *An liceat consummare ante Benedictionem?*

985 *III. Catechismus. IV. Crimen scil. incestus, raptus, uxoricidium, &c. V. Sponsalia.*

986 *VI. Votum castitatis, aut Religionis. Dub.* 1. *An Episcopus possit dispensare in voto castitatis emisso post Matrimonium?* 987. *Dub.* 2. *An in voto ante Matrimonium ad debitum petendum? an id possit Mendicantes? Dub.* 3. *An aliquando Episcopi etiam ad Matrimonium contrahendum?*

988 *Impedit etiam Matrimonium. I. Clandestinitas. II. Omissio Benedictionis.*

989 *III. Omissio Denunciationum.* 990. *Dub.* 1. *An peccet graviter Parochus eas omittens, si aliunde sciat non esse impedimentum? Et quod dicitur de obligatione Denunciationum ante Matrimonium, idem dicitur post illud. Quid si una tantum Denunciatio omittatur?* 991. *Dub.* 2. *An Denunciationes faciendæ in Ecclesia, & in Missa? Dub.* 3. *In qua Parochia debent fieri?* 992. *Dub.* 4. *in quibus diebus festivis? Et an aliquando possint fieri in diebus ferialibus?*

993 *Quando sint repetendæ?*

994 *De obligatione denunciandi impedimenta,* 995. *Dub.* 1. *An teneatur denunciare impedimentum qui illud probare nequit?* 996. *Dub.* 2. *An unus testis de impedimento impediat.* 998. *Dub.* 3. *An sufficiat unus testis, si sponsalia fuerint jurata?* 999. *An fama impediat matrimonium? Quid si Judex privatam habuerit notitiam famæ, aut ipsius impedimenti?*

1000 *An contrahens teneatur impedimentum fateri?*

1001 *Quid debeat agere Parochus cognito impedimento?* 1002. *Dub.* 1. *An Parochus teneatur impedire Matrimonium, si ipse solus noverit impedimentum? Dub.* 2. *Quid si Ordinarius solus sit impedimenti conscius?*

1003 *Qui possit dispensare in Denunciationibus?* 1004. *An Episcopus, & ob quam causam?* 1005. *Causæ ob quas Episcopus teneatur dispensare.* 1006. *Causæ ob quas non teneatur, sed potest dispensare.* 1007. *Dub.* 1. *An possit dispensare Vicarius Generalis? Dub.* 2. *An aliquando Parochus possit dispensare, aut saltem declarare?*

982 „ Resp. Præter peccatum mortale, & excommunicationem, sex potissimum reddunt Matrimonium mortaliter illicitum, scilicet

„ I. *Ecclesiæ vetitum*, II. *nec non Tempus feriatum*.

„ III. *Atque Catechismus*, IV. *Crimen*, V. *Sponsalia*, VI. *Votum*.

„ *Impediunt fieri, permittunt facta teneri*.

„ Dicitur I. *Vetitum*, id est prohibitio Ecclesiæ, quæ fit ab Episcopo, vel Parocho, ob dubium impedimenti alicujus, vel inhabilitatis inter copulandos. Vide *Bon. q.* 1. *p.* 14. *n.* 1. * (*Et tunc Sponsi contrahendo graviter peccarent; leviter tamen, si prohibitio sit ob venerationem alicujus festi, Salm. c.* 14. *n.* 1.). *

„ Dicitur II. *Tempus feriatum*, quod secundum 983
„ *Trid. sess.* 14. *c.* 10. *de reform.* incipit nunc ab
„ Adventu Domini usque ad Epiphaniam inclusive: & a die Cinerum usque ad octavam Paschæ
„ inclusive. Quo tempore non prohibetur ipse
„ contractus, aut ejus consummatio, sed tantum
„ nuptiarum solemnitates, ut est benedictio nuptiarum, solemnis sponsæ in domum sponsi traductio, solemniora convivia, & tripudia, &c.
„ * (*Sed hæc non sub gravi, nisi excessus sit magnus: imo, si fiant moderate, nulla erit culpa, ut ait Sanch. l.* 7. *D.* 7. *n.* 18.) * Neque
„ *Trid. sess.* 24. *c.* 1. prohibet matrimonium consummari ante benedictionem, sed tantum hortatur, ne fiat. Vide *Bon. l. c. Sanch. l.* 6. *d.* 7.
„ *Con. d.* 30. *Fill. t.* 10. *p.* 2. *c.* 9. *M. Per. d.* 43.
„ *s.* 10. *n.* 7. ".

Dubit. 1. an liceat consummare Matrimonium 984
tempore feriarum? Negant *D. Th. in* 4. *D.* 32. *art.* 7. *q.* 4. *Fagn. in c. Capellanus de Feriis n.* 6. item *S. Anton.* & plures Canonistæ *ap. Sanch. l.* 7. *D.* 7. *n.* 21. & probant ex *c. Nec uxorem q.* 4. ubi eo tempore interdicitur uxoris traductio; ex quo inferunt interdici etiam usum conjugii, quia propter hunc traductio prohibetur. Sed verius affirmant *Sanch. l. c. n.* 23. *Pont. l.* 6. *c.* 8. *n.* 9. *Bellarm. l.* 1. *de Matr. c.* 31. *circa fin.* & fuse N. SS. P. Bened. XIV. *Notif.* 80. *n.* 17. *cum Diana, Croix, Bon. Pignat. Perez, Fill. Monac. & aliis;* idque confirmat ex quadam Declarat. S. C. edita die 10. Jun. 1684. ubi dictum fuit permissam esse temporibus vetitis traductionem Sponsæ ad domum Sponsi, modo fiat absque solemnitatibus. Et ratio est, ut ait præfatus Benedictus, quia non sunt imponenda certa onera, ubi manifesta lex non adest illa præscribens. Ad Canones autem qui opponuntur, respondet idem Pontifex eos consilii esse, non præcepti; Hinc refert Van-Espen reprehendentem Canonistas, qui nimis addicti rigorosis antiquorum Canonum expressionibus in præceptum reduxerunt, quod potius erat consilii.

Dubit. 2. an liceat consummare Matrimonium ante Benedictionem sacerdotalem? Negant plures, quorum alii dicunt esse tantum veniale, ut *Caj. Soto, Covarr. Led. Henr. &c. ap. Boss. de Matr. t.* 1. *c.* 9. *n.* 11. Alii tenent esse mortale, ut *Conc. p.* 302. *n.* 16. *ac Palud. Guglielm. & Rosell. ap. Escob. l.* 25. *n.* 238. *& S. Ant.* 3. *p. tit.* 1. *c.* 16. §. 1. qui putat Conjuges toties peccare tunc mortaliter, quoties coeunt. Id probant ex pluribus Canonibus, quos affert *Sanch. l.* 3. *D.* 12. *n.* 1. Probabilius tamen, & communius dicunt nullum esse peccatum *Nav. Man. c.* 22. *n.* 83. *Pont. l.* 5. *c.* 2.

n.

n. 3. *Laym. c. 4. n.* 12. *Salm. c.* 8. *n.* 8. *Viva q.* 4. *art.* 4. *n.* 6. *Pal. p.* 13. §. 5. *n.* 8. *cum Con. & Led. Escob. n.* 945. *cum Vill. Ochag. Sanch. l. c. n.* 7. *cum Palac. Veracrux, Philiarch. &c. Boss. l. c. n.* 12. *cum Bellar. Barb. Gutt. Fill. &c.* Idemque docet Bened. XIV. *eadem Notif.* 80. *n.* 17. Probatur 1. ex *c. Nostrates.* 30. *q.* 5. ubi expresse dicitur id nullum esse peccatum his verbis: *Sicque demum benedictionem, & velamen cæleste suscipiunt. Peccatum autem esse, si hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus.* Probatur 2. Trident. *sess.* 24. *c.* 1. ubi: *Præterea eadem S. Synodus hortatur, ut Conjuges, ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent.* Per *To hortatur* clare denotat Concilium id esse consilii, non præcepti. Et idem habetur ex Rituali Rom. *de Sacr. Matr.* ibi: *Moneat Parochus Conjuges, ut ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, neque Matrim. consumment.* Cuique patet, monitionem non importare præceptum. Conveniunt tamen omnes, quod omissio absoluta Benedictionis non excusetur saltem a veniali: vide dicenda *n.* 988. *v.* Secundum.

985 „ Dicitur III. *Catechismus*: Quod impedimentum contrahitur ab eo, qui respondet pro infante, quando supplentur cæremoniæ post baptismum collatum in necessitate * (*Dicunt tamen Salm. c.* 23. *n.* 3. *Catechismum esse illam professionem Fidei, quæ ante Baptismum fit nomine baptizandi. Sed hoc impedimentum probabilius est sublatum per Trident. ut Salm. l. c. cum Pal. &c. Et sic decisum a S. C. refert Diana* 3. *p. de Sacram. R.* 2.) * Sed videtur sublatum per *Trid.* secundum *Sanch. Fag. Conin. Fill.* &c. qui ideo monent Parochos, ut in libro distinguant patrinos Catechismi a patrinis Baptismi. Vide *Bon. l. c.*

„ Dicitur IV. *Crimen*, ut 1. Incestus cum consanguinea conjugis in primo, vel secundo gradu, scienter admissus (qui impedit matrimonium cum quacunque alia persona: vide *Perez d.* 23. *s.* 5.) vel cum propria matre, vel filia. 2. Raptus alienæ sponsæ. 3. Uxoricidium. 4. Presbytericidium. 5. Susceptio propriæ prolis ex Baptismo, ad impediendam redditionem debiti. 6. Publica pœnitentia, quandiu durat. 7. Matrimonium cum Moniali. Verum hæc per non usum sunt sublata. Vide *Laym. hic c.* 15. *ex Nav. Sanch. l.* 7. *d.* 16. *Con. d.* 30. *d.* 3. * *Sic etiam Conc. p.* 342. *n.* 15. *& Salm. c.* 13. *nu.* 15. *cum Sanch. et communi: excepto voto, interdicto, et sponsalibus. Episcopus autem tantum in interdicto potest dispensare, Salm. ib. n.* 16.) *

„ Dicitur V. *Sponsalia*, sc. cum una contracta, & non dissoluta. *Con. d.* 30. *dub.* 3. *Sanch. Fill. Bon. l. c. n.* 5.

986 „ Dicitur VI. *Votum*, scilicet simplex; sive castitatis, sive religionis, sive non nubendi. Vide *Sanch. l.* 5. *d.* 15. *Regin. l.* 31. *c.* 24. *n.* 184. *Bon. l. c. n.* 7. ”

Notandum hic, quod votum Religionis; aut castitatis absolutum non potest ab Episcopo dispensari ante Matrimonium; secus si fuerit conditionale, aut pœnale, ut dictum est *de v. l.* 3. *n.* 260. *Q.* 3.

Sed dubitatur 1. an possit Episcopus dispensare in voto castitatis a Conjugibus emisso post consummatum Matrimonium? Resp. Affirmative cum *S. Ant.* 3. *p. tit.* 1. *c.* 24. §. 2. *in fin. Pal. p.* 1. *n.* 16. *Bon. p.* 15. *n.* 5. *Sanch. l.* 8. *D.* 11. *n.* 3. *et* 4. & ibi *Arag. Man. et Gutt. ac Salm. c.* 14. *n.* 13. & ibi *Aversa*, & *Cornejo*, contra *Lopez, et alios.* Ratio, quia votum hoc non est omnimodæ castitatis, cum nequeat obligare ad non reddendum debitum, nisi (bene advertit *Sanch. n.* 4.) emittatur ante consummationem, cum animo ingrediendi Religionem. Censent autem *Salm. d. n.* 13. etiam Vicarium Generalem Episcopi posse dispensare in hujusmodi voto ex concessione generali, quam ipse habet ad omnes casus episcopales. In voto tamen castitatis Conjugum de mutuo consensu emisso solus Papa dispensare valet, ut communiter docent *Sanch. Spor. Anacl. etc. ap. Ferraris Bibl. v. Debitum Conj. num.* 4.

Dubit. 2. an possit Episcopus dispensare in voto castitatis emisso ante Matrimonium, ad petendum debitum? Negant *Less. l. c. c.* 40. *n.* 126. *et Cajet. Sylv. Tol. ac Led. ap. Sanch. l.* 8. *D.* 12. *n.* 2. nisi adsit necessitas, puta periculum incontinentiæ. Sed communius, & valde probabiliter affirmant *Sanch. n.* 4. *cum S. Ant. Soto, Val. Sa, Vega, Henr.* & pluribus aliis, item *Elbel p.* 382. *n.* 71. *Tamb. de Voto c.* 17. §. 4. *n.* 54. Auctor libri (*Istruz. per i Nov. Conf.*) *p.* 2. *c.* 15. *n.* 31. *Barb. All.* 37. *n.* 9. *cum Sayr. Gutt. et Sylv. ex D. Th. ac Conc. t.* 10. *p.* 344. *in princ. cum Nav. et Henr.* Ratio, tum quia lex reservationum est in ædificationem, esset autem in destructionem, si Pontifex vellet sibi reservare talem dispensationem cum tanto periculo quod communiter adest: tum quia (ut ait *Sanch.*) hæc facultas dispensandi conceditur Episcopis ex consuetudine, quæ jurisdictionem præbet ex *c. Cum contingat de Foro compet.* 987

An autem in hoc voto possint dispensare Confessarii Mendicantes? Communiter affirmant *Pal. D.* 4. *p. ult.* §. 1. *n.* 18. *Wigandt. tr.* 16. *n.* 160. *Resp.* 3. *Sanch. l.* 8. *D.* 16. *n.* 3. *cum Cordub. Veracr. Palac. Manuel., et Henr. Cont. Tourn. t.* 2. *p.* 244. *cum Suar.* & *Laym. ac Salm. c.* 14. *n.* 14. *cum Gutt. Candido, Diana, & Aversa.* Et hoc virtute Privilegiorum plurimum Pontificum, quæ referemus infra *n.* 1128. & signanter vi Privilegii S. Pii V. vivæ vocis oraculo. Id admittit etiam *Pontius l.* 8. *c.* 20. *n.* 12. quando scilicet votum castitatis est emissum ante Matrimonium, negat vero, si post Matrimonium contractum, quia, ut ait (& idem dicunt *Manuel, et Veg., ap. Sanch. n.* 5.) Privilegium S. Pii loquitur tantum de dispensatione voti emissi ante Matrimonium. Sed verius *Sanch. et Salm. l. c.* admittunt pariter de voto emisso post Matrimonium, quia, licet virtute Privilegii S. Pii non possint Regulares dispensare, possunt tamen virtute aliorum Privilegiorum, vi quorum valent ipsi dispensare in omnibus votis, in quibus Episcopi dispensare possunt jure ordinario, ut proculdubio Episcopi jure ordinario in eo voto dispensant, cum tale votum non sit omnimodæ castitatis; vide dicenda *dict.*

dict. n. 1128. An autem Regulares possint dispensare in impedimento affinitatis in ordine ad petendum debitum? Vide dicenda *n.* 1706. *vers. Insuper*.

Dubit. 3. an Episcopus, urgente necessitate & periculo incontinentiæ, possit dispensare in Voto Castitatis ad Matrimonium contrahendum? Resp. affirmative; vide dicta *l.* 3. *de Voto n.* 258. *v. Notandum II.* Et ita tenent *Sanch. Dec. l.* 4. *c.* 40. *n.* 34. cum *Suar. Led. &c.* item *Salm. de Voto c.* 3. *n.* 97. *& Less. l.* 2. *c.* 40. *n.* 127. *cum Nav. Sot.* & *Sylv.* dummodo periculum sit in mora, & non sit facilis aditus ad Papam. Ceterum ante Matrimonium Episcopus, excepto voto castitatis, & sponsalibus cum altero initis, potest universe in aliis impedimentis impedientibus dispensare, sicut etiam in omnibus Matrimonio supervenientibus; *Croix*, & *Salm. c.* 1. *n.* 12. *cum Pal. Bon. &c.* vide dicenda *n.* 1127.

988 „ Dixi in Responsione, *potissimum:* quia præ„ ter supra dicta, alia tria impedimenta numeran„ tur.

„ Primum est clandestinitas: Etsi enim valeat „ matrimonium clandestine contractum, ubi Tri„ dentinum non est receptum, non licet tamen „ sub mortali. Ubi autem Trid. est receptum, sal„ tem quoad punctum matrimonii, est irritum, de „ quo sequenti dubio.

„ Secundum omissio benedictionis: quia sine hac, „ etsi valide, illicite tamen contrahitur matrimo„ nium, sultem primum, ut ex *c. Nostras*, *&* „ *c. Sponsus q.* 5. docent *Bon. q.* 4. *p.* 6. *n.* 2. „ *Sanch. l.* 7. *d.* 82. *Sa*, *Henriq. Fill.* &c. qui „ tamen concedunt non esse mortale * (*Ut comm.* „ *docent Sanch. lib.* 7. *D.* 82. *n.* 9. *Boss. t.* 1. *l.* „ 9. *c.* 9. *n.* 9. *cum Mazz. t.* 4. *p.* 195. *n.* 3. *cum* „ *communi & Escob. n.* 649. *cum Soto*, *Sa*, „ *Hurt. &c.*) *, intellige, per se loquendo, nam „ per accidens ratione præcepti particularis, scan„ dali, vel contemptus, ut si omittant nihili fa„ ciendo, ac si esset res vana, vel vile, ac pue„ rile haberent ei se subjicere, docet *Per. d.* 43. „ *s.* 10. *n.* 4. posse esse mortale: Dixi *primum:* „ nam secundæ nuptiæ non benedicuntur, nisi pri„ mæ non fuissent benedictæ. Quod si autem al„ ter conjugum sit viduus, alter vero primas nup„ tias celebret, aut saltem numquam fuerit bene„ dictus; etsi jure antiquo non licuerit, nunc ta„ men quibusdam locis consuetudo habet, ut be„ nedicantur; ut vid. *Bon. l. c.* Et patet ex *A„ genda*. Debet autem fieri in templo a proprio „ Parocho, sine cujus licentia si quis faciat, ma„ net ipso facto suspensus, donec absolvatur ab „ Ordinario Parochi, a quo benedictio erat acci„ pienda.

989 „ Tertium, si contrahatur Matrimonium sine „ præviis proclamationibus, sine quibus etsi va„ leat, non licet tamen sub mortali, ut habet „ communis (quamquam *Sanch. l.* 3. *d.* 5. *n.* 7. „ & *Gasp. Hurt. d.* 5. *n.* 59. putent, non esse „ mortale unam omittere, quando certum est mo„ raliter, nullum subesse impedimentum; Sed con„ trarium docet *Per. d.* 41. *s.* 1. *n.* 9. *ex Con.* & „ *Pontio*) nisi Episcopus, vel ejus Vicarius dispen„ set, ut patet ex *Trid. s.* 24. *c.* 1. quod circa eas „ præcipit sequentia: 1. Ut fiant in Ecclesia, in„ ter Missarum solemnia. Possunt tamen fieri in „ Oratorio; vel juxta Ecclesiam, aliove loco, con„ fluente magno populo. 2. Ut fiant a proprio Pa„ rocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia. Ut „ fiant in Parochia propria, & quidem utriusque „ contrahentis, uti declaravit Congregatio. 3. Ut „ fiant tribus diebus festivis, non immediatis, con„ tinuis tamen, id est, qui feriatis quidem diebus, „ nullo tamen festo interpolentur. V. *Bon. p.* 2. „ *q.* 6. ”

Plura dubia hic discutienda. Dubitatur 1. an 990 peccet mortaliter Parochus, si assistat Matrimonio, omissis Denunciationibus, sine dispensatione Episcopi, quando jam per diligentiam certus factus fuerit nullum subesse impedimentum? Negant *Sotus*, *Machad. & Led. ap. Sanch. l.* 3. *D.* 5. *n.* 3. quia (ut ajunt), cessante adæquate fine legis, cessat lex. Sed communissime & verius affirmant *Sanch. n.* 6. *Pont. l.* 5. *c.* 30. *n.* 3. *Bon. p.* 6. *n.* 7. *Escob. n.* 547. *Boss. t.* 1. *c.* 8. *n.* 3. *&* 14. *Barb. All.* 32. *n.* 2. *Roncagl. p.* 153. *q.* 1. *R.* 1. *& Salm. c.* 8. *n.* 77. cum aliis pluribus. Ratio, tum quia esto per diligentiam Parochus impleat finem Tridentini, transgreditur tamen diligentiæ formam, quam Concilium præscribit; quod cum sit in re gravissima, non excusatur a mortali, nisi urgens adsit necessitas, quæ moram non patiatur; tum quia alias non adæquate satisfit fini præcepti Denunciationum, nam diligentia Parochi non satis supplet effectum Denunciationum ad impedienda mala, quæ alioquin evenire possunt, eo quod, neglectis Denunciationibus, si supervenit impedimentum, filii reputantur illegitimi, etiamsi contrahentes impedimentum ignoraverint, ut habetur ex *c. fin.* §. *Si quis de Clandest. despons.* quando contra legitimi habiti fuissent, si præcessissent Denunciationes, ut in *c. Ex tenore*. *Qui filii sint legit.* Præterea in Trident. *Sess.* 24. *c.* 5. contrahentibus sine Denunciationibus adimitur spes de obtinenda dispensatione impedimenti, scilicet consanguinitatis, vel affinitatis (non autem publice honestatis, ut declaravit S. C. *ap. Farinac.* prout refert *Bossius n.* 27.) Hoc autem quod dicitur de Denunciationibus faciendis ante Matrimonium; idem dicendum de obligatione eas faciendi post nuptias contractas ante consummationem; ita recte docent *Sanch. l.* 3. *D.* 11. *n.* 3. *Pont. l.* 10. *c.* 4. *n.* 2. *Salm. c.* 8. *n.* 94. *Pal. p.* 3. §. 5. *n.* 6. *Escob. n.* 612. *cum Palud. Tull. & Vill. ac Boss. c.* 8. *n.* 6. *cum Nav. Laym. Con. Bon. Reg. Diana*, *&c.* (contra *Dic. Lop. & Led.*) Quia Concilium, juxta textum mox supra allatum, æque præcipit fieri Denunciationes ante Matrimonium, quam postea ante ejus consummationem. Et bene addunt *Pontius*, *ac Pal. l. c. Boss. n.* 7. *Sanch. n.* 5. *cum Nav. & Man. ac Escob. n.* 614. *cum Con. Trull. & Leand.* (contra *Henriq.*) Conjuges consummantes ante Denunciationes toties peccare graviter, quoties copulantur, quia toties copulantur cum eodem periculo fornicationis; Unde oppositum mihi videtur dicendum, si ipsi certi essent nullum subesse impedimentum, quia violato jam præcepto Tridentini, per consummationem, illud amplius non urget.

An autem omittere unam denunciationem sit mortale? Pariter affirmant *Pont. loc. cit. ac Pal. Con.*

Con. & Leand. ap. Escob. n. 549. Sed probabiliter negant *Sanch. n.* 7. *Boss. loc. cit. & Escob. n.* 550. *cum Fill. Barb. Gutt. Led. Diana, Veracr. & Villal.* quia respectu ad totum præceptum non videtur gravis materia. Imo *Salm. cap.* 8. *n.* 78. *cum Trull. Reb. & aliis*, putant nec esse mortale, si etiam duæ Denunciationes omittantur; Sed huic probabilius contradicit *P. Conc. p.* 298. *n.* 4.

991 Dubit. 2. an Denunciationes debeant fieri in Ecclesia, & inter Missarum solemnia? Revera sic præscribitur in Trid. *Sess.* 24. *c.* 1. & in Missa Parochiali, vel Conventuali, arbitrio Parochi, etiam contradicente Capitulo, ut declaravit S. C. Vide *Zachar. apud Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 474. Sed probabiliter dicunt *Sanch. l.* 3. *D.* 3. *n.* 9 *Barb. All.* 42. *a n.* 15. *et Ronc. p.* 163. *q.* 1. *R.* 2. posse etiam fieri in Ecclesia tempore Concionis, vel Processionis. Imo *Wigandt tr.* 16. *n.* 96. *v. Quid, Sanch. l. c. Laym. c.* 4. *n.* 20. *Barb. in c. l. Trid. n.* 21. *Boss. c.* 7. *n.* 13. *Escob. n.* 558. *cum Fill. Vill. Dian. Trull. etc.* (contra *Pont. l.* 5. *n.* 6. *et Hurt. Led. Possev.*) ajunt posse fieri extra Ecclesiam in loco magni concursus, quia sic jam obtinetur finis Concilii. Idque probabile videtur, saltem sine mortali, & si adsit aliqua causa, sine ulla culpa.

Notat autem *Boss. c.* 7. *n.* 99. *cum Marchino*, quod tempore pestis, si nequeant fieri Denunciationes in Ecclesia, & non possent induci Sponsi ad Matrimonium differendum, tunc Episcopus potest vel permittere ut fiant Denunciationes per vocem præconis, aut per Edicta loco publico affixa, & hoc in quocunque die; vel eas remittere, & ad id etiam tenetur, si urgat necessitas, juxta dicenda *n.* 1005. Quod si nequeat adiri Episcopus, Parochus bene potest, & justa urgente causa etiam tenetur Sponsos conjungere, postquam sit certior factus nullum subesse impedimentum.

Dubit. 3. in qua Parochia debeant fieri denunciationes? Certum est faciendas esse in Parochia utriusque contrahentis, ut dicunt communiter cum *Busemb. Sanch. l.* 3. *D.* 6. *n.* 4. *Laym. c.* 4. *n.* 9. *Pal. n.* 10. §. 3. *n.* 2. & alii passim; quia sic fert consuetudo. Excipiunt *Laym. c.* 4. *n.* 10. *Boss. c.* 7. *n.* 18. *et Salm. c.* 8. *n.* 72. *cum Dicast.* nisi Parochiæ essent valde propinquæ. Sed dubium fit, ubinam, faciendæ Denunciationes, si alter Sponsorum de brevi moratur in aliquo loco? *Pont. l.* 5. *c.* 30. *n.* 5. putat sufficere, si fiant in loco ubi ille actu degit. Sed longe probabilius *Sanch. n.* 6. *Con. D.* 2. *n.* 60. *Barb. All.* 32. *n.* 11. *Ronc. p.* 153. *q.* 1. *R.* 3. *et Escob. num.* 556. *cum Gutt. Henriq. Reg. Ochag. etc.* ex Declar. S. C. dicunt omnino fieri debere in Parochia unde discessit, quia Denunciationes ideo fiunt, ut impedimenta manifestentur, ac propterea oportet eas fieri, ubi Sponsi diutius sunt commorati. Et hic notandum, quod si alter Sponsorum sit externus, Parochus non debet facere Denunciationes, nisi postquam ipse per fidem authenticam probaverit Statum liberum coram Ordinario, ut habetur ex Instructione S. C. S. Officii, quæ observatur *ap. Genet. ad calcem in Tract. de Matr. t.* 5. *et apud Pitton. de Matr. n.* 1734. Et pluries declaravit S. C. Denunciationes necessario faciendas in loco originis, ut refert *P. Zacharia ap. Croix l.* 6. *p.* 2. *n.* 477. Quoad Vagos autem Tridentinum *sess.* 24. *c.* 7. præcipit Parochis non assistere eorum Matrimoniis, nisi post diligentem inquisitionem adhibitam & nisi prius ab Ordinario licentiam assistendi obtinuerint. Hinc recte ait *Ronc. p.* 168. *q.* 4. in fine, quod graviter peccaret Parochus, si tale præceptum non servaret; esto alioquin Matrimonium esset validum, cum Concilium nullam irritantem clausulam apposuerit. Vide alia dicenda circa Vagos *n.* 1089.

Dubit. 4. in quibus diebus possint fieri denunciationes? In Trid. *sess.* 24. *c.* 1. præscribitur, ut fiant *tribus continuis diebus festis*. Praxis fert (prout ait *Ronc. p.* 153. *qu.* 1. *R.* 2.) ut Denunciationes fiant tribus diebus festivis *continuis*, ita tamen ut non intercedant alii dies festivi, sed non immediatis (nempe tribus Festis Paschatis), ut sentiunt ipse *Ronc. et Barb. All.* 32. *Sanch. l.* 3. *D.* 6. *n.* 8. *Pont. l.* 5. *c.* 39. *n.* 8. *et alii*, quia tempore tam brevi non satis obtineretur finis Concilii. At probabiliter dicunt *Salm. c.* 8. *n.* 75. *cum Trull. Hurt. Reg. Leand. etc.* posse fieri etiam in tribus festis immediatis, quia in Concilio dicitur *continuis diebus festivit*, nec ibi excipitur, quod non sint immediati. Et sic pariter dicunt *Salm. l. c. cum Trull. Aversa, et Leand.* (citant etiam *Bon. Con. et Dian.* sed non bene, ut mox videbimus posse fieri Denunciationes tribus diebus festivis discontinuis, modo plures dies festi non intercedant, quia sic sufficienter jam satisfit intento Concilii. Sed verius *Sanch. l.* 3. *D.* 5. *n.* 8. *Pal. p.* 13. §. 3. *n.* 4. *Bon. p.* 6. *n.* 19. *et Escob. n.* 568. *cum Con. Vill. Dian. Machad. et Reg.* censent id non esse quidem mortale (contra *Henriq.*), quia non videtur gravis trangressio; sed non excusari a veniali, quia jam transgreditur præscriptum Concilii. 992

An autem possint fieri Denunciationes diebus ferialibus, si ex aliqua causa fieret magnus concursus in Ecclesia? Negant *Pont. l.* 5. *c.* 30. *n.* 7. *et Fill. Leand. Hurt. etc. ap. Escob. n.* 560. *ex Decl.* S. C. Sed probabiliter affirmant *Sanch. l.* 3. *D.* 6. *n.* 10. *Bonac. p.* 6. *n.* 10. *Barbos. Alleg.* 32. *n.* 15. *Boss. c.* 7. *n.* 6. *cum Laym. Reg. et Possev. et Escob. n.* 562. *cum Ochag. Reg. et Gutt.* ex alia contraria Declar. S. C. *ap. Ochavag.* quia sic jam satis impletur finis Concilii. Saltem probabile est id posse fieri sine culpa gravi, ut diximus *n.* 991. de Denunciationibus factis extra Ecclesiam in loco magni concursus.

„ 1. Licet statim post ultimam proclamationem 993
„ contrahere, etiam eadem die: non licet autem
„ differre ultra 4. menses, intra quos si non con-
„ trahant, repetendas esse denunciationes declara-
„ vit Congreg. *in sess.* 24. *c.* 1. *de Reform.* * (*Et*
„ *Salm. c.* 8. *n.* 75. *cum Pontio, et Leand.*) *
„ Imo Rituale Romanum duos tantum menses per-
„ mittit; intra quos si non contrahatur, jubet
„ repetere denunciationes, nisi videatur aliud E-
„ piscopo.

„ 2. Post proclamationes tenetur sub mortali, 994
„ qui novit impedimentum, illico denunciare, quan-
„ tumvis secretum esset, ad impedienda gravia
„ mala, v. gr. incestum, sacrilegium, &c. Si ta-
„ men inde alteri periculum infamiæ nasceretur,

„ is

„ is ex charitate prius esset monendus, ut a Ma-
„ trimonio desisteret. *Sanch. l. 3. d. 13. Fag. p.*
„ *2. t. 6. c. 5. Henr. Laym. l. 3. tr. 3. p. 1. c. 4.*
„ *n. 8. &c. commun.* contra *Pontium, d. 5. q. 6.*
„ qui negat teneri denuntiare, si sit occultum.
„ Idem tenent *Mart. Perez d. 43. s. 6. n. 1. &*
„ *seq.* sed cum hac limitatione, si tantum audi-
„ verit, & nesciat a quo, vel si pro foro interno
„ sit dispensatum, vel si metuat magnum scan-
„ dalum, aut periculum, vel si sciat contrahen-
„ tes esse in bona fide.

Certum est 1. quod si impedimentum possit per testes probari, quilibet illud sciens denunciare tenetur, sive impedimentum sit dirimens, sive impediens, esto sit occultum, & infamatorium, nempe quod ortum habuerit ex peccato; ita *Pal. p. 12. §. 6. n. 1. Pont. l. 5. c. 34. n. 3. Boss. t. 1. c. 7. n. 158. & Salm. c. 8. n. 95. cum Trull. Aversa, Dic.* & communi. Quivis enim tenetur manifestare peccatum occultum alterius, quod est tertio nocivum, quando Prælatus legitime id præcipit, prout præcipit Episcopus imponens (dum fiunt Proclamationes) omnibus consciis alicujus impedimenti, ut revelent. Et tenentur revelare etiam ii qui noverint impedimentum sub secreto naturali, & adhuc cum juramento non propalandi, ut dicunt *Sanch. l. 3. D. 16. n. 6. Escob. n. 622. cum Palud. & Card. Boss. n. 167. cum Barb. & Fag. ac Salm. cum aliis*, ex *D. Th. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.* ubi docet promissionem & juramentum non obligare, quando imminet damnum Communitati, vel tertiæ personæ, prout in nostro casu utrique damnum imminet. Advertunt tamen præfati AA. antequam fiat denunciatio, præmittendam esse correptionem fraternam, & etiam pluries, nisi probabiliter sit profutura; modo periculum non sit in mora. Certum est 2. quod si impedimentum est occultum, & jam fuerit pro eo obtenta dispensatio quoad forum internum, illud sciens non tenetur denuntiare: secus si adesset publica fama de impedimento, & dispensatio esset occulta, ut *Sanch. l. 3. D. 14. n. 4. Boss. n. 167. & Pal. l. c. n. 2.* Certum est 3. quod si noveris impedimentum ex auditu, sed non recordaris a quo, vel si accepisti a persona non fide digna, non teneris denunciare; *Sanch. n. 7. Pont. n. 1. Pal. n. 3. cum Gutt. & Farinac. ac Boss. n. 164. & 166. cum Nav. Con. Bon. Fill. Cord. & Hurtad.*

995 Sed dubitatur 1. An si tu solus impedimentum noveris, nec possis probare, tenearis illud denunciare? *Prima* sententia, quam tenent *Pontius l. 5. c. 34. a nu. 6. Dian. 3. p. tr. 4. R. 231. ac Sa, Major & Gabr. ap. Salm. c. 8. n. 97.* negant, quia nemo tenetur denunciare impedimentum quod probare non potest; unde sic arguunt: Aut sponsi sunt in bona, vel in mala fide; Si in bona, non peccant contrahendo Matrimonium; Si in mala, nihil proficies, cum testimonium unius non sufficiat ad nuptias impediendas. *Secunda* vero sententia communissima & verior affirmat teneri, si commode potes, eamque tenent *Sanch. l. 1. D. 13. n. 2. Pal. p. 12. §. 6. n. 5. cum Hurt. Con. Henr. Cov. & Hurt. Escob. l. 25. n. 625. cum Laym. Bon. Barb. Fag. Arag. & Lop. Boss. n. 173. cum Fill. & Reg. ac Salm. n. 100. cum Dic. Trull. Leand. &c.* Ratio, quia, si Sponsi sunt in mala fide, bene proficiet revelatio ad vitandum peccatum, cum testimonium unius de impedimento satis est ad Matrimonium impediendum, ut diximus *n. 878. Dub. 1.* & mox fusius probabimus in *Dub. seq.* Si vero in bona fide, proficiet saltem ad reparandam injuriam materialem Sacramenti. Diximus, *si commode potes*, nam cum tuo gravi damno, aut aliorum scandalo, non teneris denunciare, cum neque lex Ecclesiastica, neque præceptum correctionis obliget cum gravi incommodo, aut scandalo aliorum.

Dub. 2. An sufficiat unus testis de impedimento, ut Episcopus prohibeat contrahi Matrimonium? 996
Adsunt quatuor sententiæ. *Prima* sententia, quam tenent *Pont. l. 5. c. 34. n. 8. & 9.* atque *c. 36. n. 2. & Diana p. 3. tr. 4. R. 12.* dicit sufficere, si impedimentum ortum habeat ex crimine; si vero non provenerit ex peccato, sed ex cognatione carnali, aut spirituali, requiri duos testes fide dignos, nisi adsint alia adminicula, quæ plenam faciant probationem. *Secunda* sententia omnino opposita, quam tenet *La-Croix l. 6. p. 3. n. 215.* dicit, quod si impedimentum non sit ob crimen, sufficit ad impediendum unus testis fide dignus, si vero ob crimen, requiruntur saltem duo, quia tunc agitur de præjudicio tertii, adversus quem nequit ferri judicium sine plena probatione. *Tertia* sententia, quam tenent *Con. p. 201. n. 12. & Salm. c. 8. n. 106. cum Trull. Dic. Aversa, &c.* dicit sufficere unum testem, qualecumque sit impedimentum, modo testis ille sit omni exceptione major, & deponat ex certa scientia. *Quarta* demum sententia communissima, & verior, quam tenent *Sanch. t. 1. D. 71. Panorm. in c. Super eo de Test. Nav. Man. c. 2. n. 83. Ronc. p. 154. q. 7. R. 1. Pal. p. 32. n. 3. Con. Covarr. & Mascard. ac Boss. tom. 1. c. 7. n. 153. cum Host. Sylvest. Gutt. Farinac. Barb. Piasec. Comit. Hurt. &c.* absolute docet, sufficere unum testem ad impediendum Matrimonium, etiamsi non sit omni exceptione major; modo habeat qualitates infra explicandas. Id probatur 1. ex *c. Super eo 22. de Test. & attest.* ubi sic habetur. *Matre asseverante* (intellige alterius Sponsorum) *ipsos esse consanguineos, non debent conjungi, quia præsumptio est non modica, quod se linea consanguinitatis attingant. Si vero Matrimonium est firmatum, non debet sine plurium juramento dissolvi.* Probatur 2. ex *c. Præterea. 12. de Spons.* ubi, cum quidam vir cupiebat contrahere Matrimonium, ejus consanguineus asserebat cum Sponsa coiisse; respondit Papa: *Ut matrimonium ipsum fieri, nisi juramentum intervenisset, districte prohibeas, ne deterius inde contingat.* Ex quo textu recte infeiunt *Sanch. n. 3. & 4. cum Mascard. & Alex. de Nevo; ac Boss. n. 142. cum Panorm. Gutt. & aliis supra citatis*, hoc procedere, etiamsi testis sit accusator, vel denunciator, & etiamsi sit criminosus, suamque turpitudinem alleget. Ratio nostræ sententiæ est, quia, licet quando agitur de præjudicio tertii, plena requiratur probatio, attamen cum hic agatur de vitando periculo Animæ, nempe si forte Matrimonium contraheretur cum impedimento, minori probatione jus contentum est. Secus vero dicendum, ut bene ajunt *Sanch. n. 8. cum Panorm. & Boss. n. 155. cum Gutt.* contra *Palud.* si agatur de præ-

ju-

judicio tertii, & non agitur de peccato vitando, puta si testis allegaret fornicationem Sponsæ, vel quid simile, tunc enim bene requiritur plena probatio ex *c. Licet cap. Veniens & c. Omni de Testam.*

997 Quamvis autem (ut diximus) ad impediendum matrimonium non requiratur, ut testis sit omnino integer, requiritur tamen I. ut ipse non tantum denunciet, sed etiam deponat, esto sponte se offerat ad deponendum, ut dicunt *Sanch. dict. D. 71. n. 10. cum Alex. de Nevo, & Boss. n. 146. cum Gutt.* Nisi talis testis denunciando probaret de fama impedimenti, ut ajunt iidem AA. ex *c. Non in duo de Spons.* quia tunc sufficit, ut tantum denunciet, quin deponat. II. ut deponat cum juramento; *Ronc. l. c. Sanch. n. 12. cum Host. Panorm. Palud. Præp. Lop. &c. Pal. p. 32. n. 4. cum Covar. & Gutt. ac Boss. n. 147. cum Conin. Barbos. & Hurt.* quia in iis quæ sunt in præjudicium tertii, non creditur testi nisi jurato, ex *c. Tua. de Cohabitat. Cleric.* III. ut deponat non ex auditu, sed ex certa scientia, ut *Roncag. ibid. Sanch. n. 12. cum Abb. Cov. Præp. &c. Pal. d. n. 4. cum Con. & Gutt. ac Boss. n. 284. cum Navar. & Riccio.* Excipiunt tamen AA. citati, & *Salm. c. 8. n. 106. ex c. Licet. de Testib.* nisi impedimentum sit consanguinitatis, vel affinitatis, tunc enim sufficit, ut testis deponat illud audisse a duobus fide dignis, & maxime a consanguineis Sponsorum, qui magis sunt idonei ad probandam vel negandam consanguinitatem, ut *Boss. n. 152.* cum aliis. IV. demum requiritur ut testis ille non sit persona vilis, dummodo factum non sit ita occultum, ut nequeat probari nisi per vilem personam, quia ubi deest facultas probandi, admittitur probatio etiam per se non sufficiens; ita *Pal. l. c. cum Menoch. Boss. n. 145. cum Gutt. & Sanch. n. 13. cum Panorm.* & communi, contra *Goffred.*

998 Dubit. 3. An si sponsalia fuerint jurata, sufficiat unicus testis deponens impedimentum ad impediendum Matrimonium? Negant *Glossa in c. Præterea de Sponsal. v. Nisi, ac Palud. Henr. Lop. &c. ap. Sanch. l. 1. D. 71. n. 9.* quia in præfato textu *Præterea* supra allato expresse dicitur non sufficere unum testem, si sponsalia sint jurata. Sed probabilius affirmant *Sanch. l. c. cum Cov. & Veracr. Pal. p. 32. n. 6. cum Gutt. & Masch. ac Boss. c. 7. n. 144. cum Host. Præp. Hurt. &c.* modo testis ille sit fide dignus, & deponat ex certa scientia. Ratio, quia, si fama impedimenti bene sufficit ad dissolvenda sponsalia, ut habetur ex *c. Super eod. de Consanguin.* tanto fortius debet sufficere testis integer, qui efficacius probat, quam sola fama; idque certum esse apud omnes, testantur *Pal. n. 6. & Sanch. l. 2. D. 45. n. 27.* Ad textum autem oppositum in *cit. c. Præterea*, recte respondet *Panorm. in d. c. Super eo, atque Sanch. Pal., & Boss. ll. cc.* quod in casu textus præfati non erat testis ille omnino integer, tum quia allegabat turpitudinem suam, tum quia non deponebat in forma testimonii.

999 Notandum autem hic, quod fama impedimenti satis est ad impediendum Matrimonium, ut expressum habetur *in c. Super eo, de Consang.* Nisi fama infirmetur juramento Consanguineorum, ut excipiunt *Sanch. l. 1. D. 71. n. 18. et Pal. p. 32. n. 7. cum Abb. Gutt. etc.* ex *c. Cum in tua, de Spons.* Immo addit *Sanch. l. c.* quod juramentum ipsorum contrahentium etiam valet adversus famam arbitrio Judicis. Probabilius autem censet *Pal. dict. n. 7. cum Gutt.* (contra *Palaum*) in probatione famæ oportere, ut testis denunciet cum juramento, cum ipse *Sanch.* fateatur (ut supra dictum est *n. 997.* ad II.) in judicio non credi testi non jurato, ubi agitur de præjudicio tertii. Præterea notandum, quod notitia privata famæ non sufficit Judici, ut possit nuptias impedire, sed tantum ut possit inquirere de impedimento; ita communiter *Sanch. num. 15. Pal. l. c. cum Gutt. et Boss. c. 7. n. 128. cum Innoc. Barb. et aliis.* An autem possit Judex impedire Matrimonium, si sciat privatim impedimentum esse notorium? Negat *Pal. ib. cum Gutt.* dicens requiri, ut talis notorietas sit probata in judicio, nam alias notitia esset privata, ex qua Judex nequit ferre judicium. Hæc opinio probabilis videri posset alicui ex eo quod Judex debet judicare secundum allegata & probata, juxa dicta *Tom. I. l. 3. n. 208.* Sed probabilior est mihi sententia affirmans, quam tenent *Sanch. num. 16. cum Glossa in l. 1. C. Qui adv. quos, etc. ac Boss. n. 127. cum Barb.*; quia alias Judex, pronunciando sententiam de Matrimonio contrahendo, cooperaretur ad ineundum Matrim. nullum, quod esset intrinsece malum.

„ 3. Contrahens ipse, legitime interrogatus de 1000
„ impedimento occulto, tenetur illud fateri, vel
„ Matrimonio abstinere, nisi dispensationem pro
„ foro conscientiæ acceperit: tunc enim fateri non
„ tenetur, nisi Judex aliunde habeat sufficientem
„ probationem. *Sanch. Sylv. Laym. l. c. n. 10.*
„ Vide *Bon. l. c. Perez d. 43. s. 7. num. 2.* * (*Ita*
„ *communiter Sanch. l. 3. D. 14. n. 2. Pont. l. 5.*
„ *c. 33. n. 1. et Boss. c. 7. n. 182. et 188. cum*
„ *Laym. Con. Fill. etc. An autem sponsi teneantur fateri copulam incestuosam, si in Dispen-*
„ *satione adsit clausula:* Nisi copula fuerit habita? *Vide dicenda n. 1235.*) *

„ 4. Parochus, cognito impedimento, tenetur 1001
„ prohibere Matrimonium, & remittere ad Epi-
„ scopum, vel ejus Officialem, neque potest as-
„ sistere, *Sanch. l. 3. d. 15. Mart. Perez d. 45.*
„ *s. 7. n. 9. etc.* * (*cum Salm. c. 8. n. 103. et*
„ *communi*) contra *Pontium*. Nisi tamen ex so-
„ la confessione nosset; tunc enim nullo modo
„ posset negare Matrimonium, sive publice sive
„ privatim petenti, neque illum admonere officii
„ extra confessionem: licet in confessione posset,
„ ac deberet: Et tunc, si quidem sine magno
„ scandalo a Matrimonio non possent desistere,
„ nec vellent, suadere, ut contrahant communi
„ consensu, sub conditione, si Papa dispenset, a-
„ nimo tantisper cohabitandi ut fratres (non au-
„ tem quoad torum) donec accedat dispensatio,
„ & iterum contrahant. Ita ex *Beja, et Pont.*
„ *l. 5. c. 35. Per. l. c.* qui addit, si id omnino
„ nolint, persistantque petere, debere Parochum
„ assistere.

Dubit. 1. an Parochus, si ipse solus noverit im- 1002
pedimentum, teneatur impedire Matrimonium publice petitum? Si impedimentum denunciatur ab aliis, certum est ex *c. fin. de Cland. desp.* teneri Pa-

Parochum interdicere nuptias, & rem ad Ordinarium deferre, ut ille cognoscat. Dubium fit, si solus Parochus impedimentum sciat extra Confessionem, an possit, & teneatur nuptias impedire? Negat *Pont. l. 5. c. 35. n. 5. & 6.* eadem ratione ductus, ut dixi supra in Dub. 1. *n.* 995. quia nemo tenetur denunciare quod probare non potest. Affirmant tamen verius *Sanch. l. 3. D. 15. n. 11. Boss. c. 7. n. 193. Ronc. p. 154. p. 7. R. 2. Pal. p. 2. §. 7. n. 3. Cov. & Gutt. ac Escob. n. 628. cum Henr. Hurt. &c.* Ratio, quia si quilibet tenetur (ut diximus *d. n.* 995.) impedimentum revelare, etiamsi ipse solus illud sciat, a fortiori tenetur Parochus, cui ex officio incumbit consulere saluti suarum ovium. Nec obstat, quod peccatori occulto, publice petenti Sacramentum, illud non est denegandum; nam respondetur cum *AA. cit.* quod hoc procedit, quando impedimentum dumtaxat reddit illicitam Sacramenti susceptionem; secus vero, si impedimentum (præter susceptionem) præbet occasionem aliorum damnorum & culparum.

Dubit. 2. an Ordinarius qui solus conscius sit impedimenti, teneatur Matrimonium impedire? *Sanch. l. 3. D. 15. n. 11. Pont. l. 5. c. 35. n. 5. & Pal. p. 12. §. 7. n. 7. cum Hurt. Con. & aliis*, sentiunt eum nec teneri, nec posse, quia nemo potest esse Judex, & testis. Sed probabilius affirmant *Bon. p. 301. n. 11. Escob. n. 634. cum Leand. Bon. c. 7. n. 205. cum Con. & Hurt. & Salm. c. 8. n. 104. cum Avers. Trull. Dic. &c. Ratio*, tum quia bene potest esse aliquis Judex & testis, quando agitur de peccato impediendo, tum quia eo casu saltem potest ipse Ordinarius deferre impedimentum ad Judicem Superiorem, & etiam ad suum Vicarium, (ut ajunt *Salm. cum AA. cit. d. n.* 104.), ut ille judicium proferat; Et ad hoc ipse Episcopus tenetur, ut impediat peccata quæ ex Matrimonio invalido orirentur.

1003 „ 5. Potest Episcopus, vel ejus Vicarius, non „ autem Decanus Ruralis dispensare, vel ut una „ tantum fiat proclamatio; vel ut fiant post con„ tractum subito factum coram Parocho, & testi„ bus, ante consummationem; vel etiam ut ple„ ne omittantur, si justa causa subsit, v. g. ti„ mor, ne alioqui malitiose impediatur Matrimo„ nium, pudor contrahentium, senium, inconstan„ tia, status disparitas, metus scandali, infamiæ, „ incontinentiæ, &c. *Bon. l. c.*

„ 6. Etsi, quando per dispensationem contra„ ctum est Matrimonium, ante proclamationes „ postea faciendas, conjux non teneatur, nec de„ beat alteri reddere debitum, priusquam factæ „ fuerint; quando tamen certi sunt nullum subes„ se impedimentum, non peccare mortaliter con„ summando, tenet *Sot. Led. Texed.* contra *San„ ch.* apud *Dian. p. 9. t. 8. R. 19.*

„ 7. Etsi Parochus dispensare non possit, pot„ est tamen in casu necessitatis per epikejam de„ clarare, præceptum hoc hic & nunc non obli„ gare. v. gr. si moriturus concubinam velit du„ cere, ob prolis legitimationem. *Bon. l. c. ex „ Sylv. Sanch.* &c.

1004 Quoad dispensationem Denunciationum, observa quæ habentur in Trid. *sess. 24. c. 1.* ubi: *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio Matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint Denunciationes, tunc vel una tantum Denunciatio fiat, vel saltem, Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus, Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem Denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ Denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ & judicio S. Synod. relinquit.*

Quamvis autem a Concilio *l. c.* concedatur E- 1005
piscopo facultas dispensandi in Denunciationibus, ob solam causam si timeatur quod Matrimonium injuste impediatur, tamen communiter dicunt DD. quod etiam ob alias justas causas Episcopus potest, & quandoque tenetur in Denunciationibus dispensare; licet enim Concilium unicam dumtaxat assignasset, eam tamen exemplificative, non taxative proposuit; præterquamquod rem hanc statim postea prudentiæ Ordinarii reliquit; ita *Sanch. l. 3. D. 7. n. 1. Pont. l. 5. c. 32. n. 1. Cabass. l. 3. c. 20. n. 2. Pal. p. 13. §. 4. n. 8. Barb. All. 32. n. 27. Ronc. p. 154. q. 4. R. 2. Conc. p. 300. n. 7. Wigandt tr. 16. n. 96. v. Dico, Escob. l. 25. n. 587. Salm. c. 8. n. 89. & Boss. t. 1. c. 7. n. 34.* cum aliis (contra *Cefal. & Borell.*) & ita pluries declaravit S. C. Concilii, ut referunt *Escob. n. 586. & Boss. l. c.* qui præsertim ex *Bellarm. in d. c. 1. Trid.* has Declarationes affert: *Denunciationes possunt omitti non solum ex causis hic expressis, sed ex aliis bene visis Episcopo, qui has Denunciationes potest remittere etiam post Matrimonium contractum, & ante consummationem.* Item in alia Declaratione: *Episcopus potest has omnes Denunciationes remittere, etiamsi non sit rationabilis suspicio, quod possit Matrimonium impediri, quia relinquitur suæ prudentiæ.*

Docent etiam communiter DD. quod, si oportet ad vitandum grave damnum commune vel privatum, spirituale aut temporale, & adhuc si expedit ad notabile bonum spirituale aut temporale Communitatis, vel alterius privati, Episcopus non solum potest, sed etiam tenetur dispensare; ita *Sanch. l. 2. D. 10. n. 5. Pont. n. 6. Barb. n. 51. Pal. §. 5. n. 1. Ronc. l. c. R. 1. cum Gutt. Boss. n. 103. cum Con. Bon. Fill. & Hurt.* Hujusmodi igitur causæ ob quas Episcopus tenetur dispensare, sunt I. Si adsit probabilis timor, ne Matrimonium malitiose impediatur juxta sensus Tridentini. II. Si Matrimonium sit necessarium ad vitandum damnum, sive infamiam contrahentium, vel prolis, nempe si concubinarii reputabantur conjuges, vel si præcesserit defloratio, & timeatur ne vir mutet voluntatem; item si alter Sponsorum esset in articulo mortis, & esset proles legitimanda; *Sanch. n. 6. Boss. n. 103. Ronc. l. c. cum Barb.* III. Si immineat periculum Animæ, corporis, aut fortunæ, *Sanch. & Ronc. ll. cc. Boss. n. 93.* IV. Si Sponsus statim sit longe profecturus, & urgeat necessitas contrahendi ob unam ex causis supra descriptis; *Boss. n. 90.* V. Si Parentes, vel Tutor prætendant, ut virgo nubat indigno; *Escob. n. 587. cum Cajet.* VI. Addit *Ronc. l. c.* si immineat tempus Adventus, vel Quadragesimæ, & alias urgeat periculum incontinentiæ, vel gravis præjudicii. Ratio hujus videtur esse, quia non licet

con-

consummare Matrimonium ante Benedictionem nuptialem; Verum (juxta nostram sententiam allatam *n.* 984. *Dub.* 2.), cum nulla sit culpa ante Benedictionem consummare, melius dicendum est, posse propter hanc causam Episcopum dispensare, sed non teneri, ut dicunt *Barb. All.* 32. *n.* 48. *cum Con. Reg. Ugol. &c. & Boss. num.* 87. *cum Sanch. Pont. Salsedo, & Hurt.* Certum bene ait *Ronc.* teneri Episcopum dispensare ob quamcumque aliam causam, quæ prudentis judicio urgens videatur.

1007 Causæ vero ob quas Episcopus non tenetur, sed potest dispensare, sunt I. Si nuptiæ sint contrahendæ inter Magnates, quia horum conjugia non fiunt nisi magna præcedente consideratione. II. Si Sponsi sint valde senes, aut valde dispares in conditione, ætate, divitiis, aut qualitate. III. Si certo moraliter constet nullum adesse impedimentum; ita *Sanch. l.* 3. *D.* 9. *ex n.* 3. *Barb. All.* 32. *n.* 41. *Bon. q.* 2. *p.* 6. *Boss. ex n.* 79. *Pal.* §. 5. *n.* 8. *Pont. l.* 5. *c.* 32. *n.* 6. *Cabass. l.* 3. *c.* 20. *n. Fill. tr.* 10. *c.* 5. *Salm. c.* 8. *n.* 89. licet non omnes hi AA. omnes dictas causas exprimant. Præterea notant hic *Ronc. & Barb. ll. cc.* cum aliis, quod Episcopus potest in Denunciationibus dispensare etiam cum altero Sponsorum non sibi subdito, sicut enim potest eum cum subdito conjungere, ita etiam dispensare. Et hanc esse consuetudinem testatur *Ronc.* qui addit *q.* 3. eandem facultatem dispensandi habere Prælatos, qui jurisdictionem quasi Episcopalem habent. Hic autem notandum, quod Episcopus dispensando in Denunciationibus semper tenetur diligenter aliunde inquirere de impedimentis, nisi communiter constaret non adesse.

Dubit. 1. an Vicarius Generalis Episcopi possit in Denunciationibus dispensare? Negant *Pont. l.* 5. *c.* 31. *n.* 5. *Dian. p.* 5. *tr.* 4. *R.* 263. *& Gomez, Menoc. & Henr. ap. Escob. n.* 570. ex Concilio Toletano, & Concil. Mediol. ac Declar. S. C. an. 1591. *ap. Henr.* Sed affirmant communius & probabilius *Sanch. l.* 3. *D.* 7. *n.* 10. *Pal. p.* 13. §. 4. *n.* 2. *Bon. p.* 6. *n.* 7. *Wigandt tr.* 16. *num.* 96. *v. Dico, Elb. p.* 386. *n.* 81. *Barb. All.* 32. *n.* 29. *Ronc. p.* 153. *q.* 3. *R.* 1. (qui asserit cum *Gutt. & Sperelli*, ex antiqua consuetudine Vicarios semper in hoc dispensasse) *& Escob. n.* 572. *cum Nav. Con. Fill. Bord. & Hurt.* quia Vicarius facit unum tribunal cum Episcopo. *Boss.* autem & *Escob.* dubitant de authenticitate oppositæ Declar. S. C.

Dubit. 2. an Parochus possit aliquando dispensare in Denunciationibus? Affirmant *Vega, Marchant. Vivald. Led.* & *Veracr. ap. Escob. n.* 603. & alii *ap. Salm. c.* 8. *n.* 84. qui *n.* 86. satis probabile putant, casu quo (ut ajunt) urgeat necessitas, & non possit adiri Episcopus, qui alias teneretur tunc dispensare ob aliquam ex causis descriptis *n.* 1006. Verius tamen, & communiter negant posse Parochum dispensare *Sanch. l.* 3. *D.* 7. *n.* 17. *Pal. p.* 13. §. 4. *n.* 3. *Pont. l.* 5. *c.* 1. *n.* 2. *& Escob. n.* 605. *cum Nav. Laym. Con. Vill. &c.* Ratio, quia revera Parochus nullam habet jurisdictionem in foro externo. Valde probabiliter tamen dicunt *Sanch. l.* 3. *D.* 10. *a n.* 15. *Laym. c.* 4. *n.* 11. *Croix l.* 3. *p.* 6. *n.* 494. *Elbel p.* 586. *n.* 82. *& Ronc. p.* 153. *q.* 3. *R.* 2. *cum Gob.* quod esto Parochus non possit dispensare, tamen in casibus, in quibus Episcopus dispensare tenetur, & adiri non possit, periculumque sit in mora, poterit declarare preceptum proclamationum non obligare, modo certus sit nullum adesse impedimentum. Imo in hujusmodi casibus censent *Bus.* supra *n.* 1003. ad *n.* 7. *Pont. l.* 5. *c.* 32. *n.* 8. *Boss. n.* 108. *cum Hurt. Salm. c.* 8. *n.* 91. *cum Pal. Trull. Dic. Sanch. Con. Gutt. ac Escob. n.* 608. *cum Sot. Lop. Led. &c.* posse ipsos Sponsos, si certi sint non esse impeditos, nuptias inire sine Denunciationibus. Dicit autem *Boss. n.* 115. quod si in talibus casibus Episcopus injuste neget dispensationem tenentur Sponsi recurrere ad Judicem superiorem, alias non possunt contrahere; nisi forte periculum sit in mora; & ad Superiorem non pateat aditus. Notandum hic denique, quod si quis præsumit adsistere Matrimonio sine proclamationibus, ex *cap. Cum inhibitio*, §. *Sane, de Clandest. desp.* incurrit suspensionem ab officio per triennium, sed ferendæ sententiæ.

DUBIUM II.

Quæ sint impedimenta dirimentia Matrimonium?

1008 *Impedimenta dirimentia sunt quindecim, videlicet:*
I. Error, II. Conditio, III. Votum, IV. Cognatio, V. Crimen,
VI. Cultus disparitas, VII. Vis, VIII. Ordo, IX. Ligamen, X. Honestas,
XI. Ætas, XII. Affinis, XIII. Si Clandestinus, XIV. & Impos,
XV. Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.

1009 I. Erros personæ.

1010 *De errore circa personam.*

1011 *De errore circa qualitates personæ.*

1012 *An irritet Matrimonium error circa qualitatem, si dederit causam contractui?*

1013 *Dantur tres regulæ ad dignoscendum, quando error qualitatis redundat in substantiam.*

1014 *Prima, si quis actualiter contrahit sub conditione qualitatis.*

1015 *Secunda, si qualitas est propria cujusdam personæ.*

1016 *Tertia, si consensus fertur directe in qualitatem.*

1017 II. Conditio, *scilicet servilis. Plura notanda usque ad* n. 1023.

1024 III. Votum solemne. 1025. *Dub.* 1. *An hoc dirimat Matrimonium jure divino, vel Ecclesiastico?*

1026 *Dub.* 2. *An Papa possit dispensare in solemni?*

1027 IV. Cognatio. *Et* 1. *de Cognatione* Legali. 1028. 2. *De Cognatione* Spirituali (*de qua vide dicta de Bapt. ex n.* 140.) 1029. 3. *De Cognatione* Carnali, & *de regulis pro distinguendis gradibus.* 1030. *Arbor Consanguinitatis.*

1031 V. Crimen. *Primum* Homicidium. *Secundum* Adulterium. 1032. *Tertium* Raptus. 1033.

As-

Assignatur regula: I. Utroque patrante, *scil. si adsit solum Homicidium.* 1034. *An requiratur, quod intentio Matrimonii alteri sit manifestata.*

1035 II. Uno patrante, *scil. si adsit Homicidium cum adulterio.* 1036. *Requisita ad hoc impedimentum incurrendum.*

1037 III. Neutro patrante, *scil. si adsit adulterium sine homicidio. Requisita ad hoc impedimentum.*

1038 *Dub.* 1. *An taciturnitas Adulteræ sufficiat pro consensu?*

1039 *Dub.* 2. *An promissio ficta inducat impedimentum?*

1040 *Dub.* 3. *An promissio conditionata inducat impedimentum?*

1041 *Dub.* 4. *An ad incurrendum impedimentum requiratur, ut promissio fuerit mutua?*

1042 *Oritur etiam impedimentum ex adulterio cum Matrimonio attentato vivente Conjuge.*

1043 *Peccat qui vivente Conjuge promittit alteri Matrimonium.*

1044 VI. Disparitas cultus. *Quid de Matrimonio cum Hæreticis?*

1045 VII. Vis, *sive metus gravis, & injuste incussus ad extorquendum Matrimonium.*

1046 *In quo vis differat a metu? Et quid sit metus ab intrinseco, & metus ab extrinseco?*

1047 *Quæ requirantur ad metum gravem?*

1048 *Quæ mala constituant metum gravem?*

1049 *Quæ requirantur, ut metus irritet Matrimonium?*

1050 *Dub.* 1. *Quid si Judex injuste aliquem damnet, & promittat liberationem, si ducat filiam?*

1051 *Dub.* 2. *Quid si Reus juste damnetur?*

1052 *Dub.* 3. *Quid si quis esset innocens, sed juste damnaretur secundum allegata?*

1053 *Dub.* 4. *quid si Medicus neget mederi, nisi ducas filiam?*

1054 *Dub.* 5. *An metus irritet Matrimonium de jure Naturæ, aut Ecclesiastico?* 1055. *Dub.* 6. *An irritet metus levis?*

1056 *Dub.* 7. *An metus reverentialis?*

1057 *Dub.* 8. *An possit resilire, qui metum incussit?*

1058 VIII. Ordo. 1059. *An Ordo sacer dirimat Matrimonium de jure Divino?*

1060 IX. Ligamen.

1061 X. Honestas. *Non oritur hoc impedimentum ex Sponsalibus incertis, neque ex conditionatis.* 1062. *Q.* 1. *An ex Matrimonio nullo?* 1063. *Q.* 2. *An ex sponsalibus juste dissolutis?* 1064. *Q.* 3. *An ex Matrimonio clandestino?*

1065 XI. Ætas. *Vide plura de Matrimonio impuberum.* 1066. *An sit nullum Matrimonium contractum, si puer ætate completa nequeat coire? Quid de Matrimonio senum?*

1067 XII. Affinis. 1068. *et* 1069. *De impedimento affinitatis ante Matrimonium contractum.* 1070. *De impedimento non petendi.* 1071. *Qu. I. An uxor cognita per metum a consanguineo viri privetur jure petendi?* 1072. *Qu.* 2. *An ignorantia excuset ab hoc impedimento contrahendo? Et primo; si ignorantia sit juris.* 1073. *Secundo, si ignorantia sit facti.* 1074. *Tertio si ignorantia sit pœnæ.* 1075. *Qu. III. An ad contrahendam affinitatem requiratur, ut copula ex utraque parte sit consummata?* 1076. *Qu. IV. Quis possit dispensare in hoc?* 1077. *Pœna contrahentium cum impedimento affinitatis.*

1078 XIII. Clandestinitas. 1079. *Quid si alicubi non possit haberi Parochus?* 1080. *An Peregrini valide contrahant sine Parocho?* 1081. *Quis intelligatur nomine Parochi?* 1082. *An parochus excommunicatus, aut irregularis, &c.* 1083. *Dub.* 1. *An excommunicatus assistens peccet graviter?* 1084. *D.* 2. *An talis Parochus possit alteri dare licentiam?* 1085. *Quales testes sufficiant?* 1086. *Quid si sint duo Parochi? Vel si Sponsi habeant duo domicilia?* 1087. *An sufficiat Parochus alterutrius Sponsi?* 1088. *Sufficit licentia præsumpta de præsenti, & oretenus.* 1089. *De Vagabundis.* 1090. *De Militibus.* 1091. *De Peregrinis, carcere detentis, ægris, puellis in Conservatoriis detentis, &c.* 1092. *An valide nubant Sponsi coram Parocho nolente?* 1093. *An licite?* 1094. *Quomodo peccet Parochus non interrogans de consensu, vel non dicens* Ego vos conjungo &c.?

1195 XIV. Impotentia. *Vide plura apud Busemb. Qualis impotentia dirimat Matrimonium?* 1096. *I. De impotentia ex maleficio. II. ex frigiditate. III. ex improportione corporum?* 1097. *Dub. I. An valeat Matrimonium, si femina possit incidi cum periculo gravis morbi, sed non mortis?* 1098. *Dub. II. An, soluto Matrimonio per arctitudinem feminæ, si postea per copulam cum secundo viro fiat apta primo, teneatur ad primum redire?* 1099. *Dub. III. An femina arcta teneatur pati incisionem?* 1100. *Dub. II. An teneatur pati incisionem claustri virginalis, si &c.?* 1101. *Quid agendum, si impotentia est certa?* 1102. *Quid si dubia, & dubium antecedat Matrimonium?* 1103. *Quid si dubium superveniat?* 1104. *Quid in dubio an Matrimonium sit consumatum, vel an impotentia præcesserit?*

1105 *Quid censendum de Matrimoniis in partibus Hæreticorum.*

1106 XV. Raptus. 1107. *Ad incurrendum impedimentum raptus requiritur, ut mulier rapiatur I. de loco ad locum; II. causa Matrimonii; III. invita.* 1108. *Quid si vir rapiat eam cum qua sponsalia contraxerat?*

„ Resp. præter defectum consensus, de *quo* 1008
„ *supra c.* 2. *d.* 1. sunt quæ sequentibus versibus
„ comprehenduntur:
„ *I. Error, II. Conditio, III. Votum, IV.*
„ *Cognatio, V. Crimen,*
„ *VI. Cultus disparitas, VII. Vis, VIII. Or-*
„ *do. IX. Ligamen, X. Honestas,*
„ *XI.*

„ *XI. Ætas*, *XII. Affinis*, *XIII. si Clandestinus*, *XIV. & Impos*,
„ *XV. Raptave sit mulier*, *nec parti reddita*
„ *tutæ*;
„ *Hæc socianda vetant connubia*, *facta retractant*.

1009 „ Dicitur I. *Error*, scilicet personæ, qui dirimit „ jure naturæ, v. g. si Cajo volenti ducere Annam, „ offerat se Maria, cum qua, putans esse Annam, „ contrahat: quia error aufert libertatem, & „ consensum requisitum jure naturæ ad contractum.

„ Dixi *Personæ*, quia error qualitatis, seu conditionis personæ (excipio servitutem) non irritat Matrimonium, ut v. g. si putetur esse nubilis, „ virgo, dives, &c. quam quis vult ducere, nec sit „ talis, quia hic error non tollit consensum in personam, & materiam contractus. Aliud tamen esset, si absolute nollet consentire in personam, „ nisi tali conditione affectam, aut si conditio, „ juxta intentionem contrahentis, transiret in conditionem personæ, ut si quis vellet ducere primogenitam Regis nec aliam, & tamen alia substitueretur, non subsisteret contractus. *Bon. qu. 3. p. 2. Sanch. l. 7. d. 18. Con. d. 31. Fill. &c.*

1010 Certum est 1. apud omnes, quod error circa personam de jure naturæ dirimit Matrimonium, quia contrahentium personæ sunt substantiale Matrimonii objectum; ergo si variatur persona, erratur circa substantiam contractus, dum qui intendit contrahere cum una, non consentit contrahere cum alia; ita *D. Th. Suppl. qu. 51. art. 1. Sanch. l. 7. D. 18. n. 11. Pont. l. 4. c. 20. n. 3. & 7. Salm. c. 10. n. 4. cum Soto, Bonac. Pal.* & aliis passim. Et hoc etiamsi error sit vincibilis & crassissimus, ut *Sanch. c. 7. Ronc. pag. 155. q. 2. & Salm. n. 5. cum Con. Avers. Trull. &c.* Item, etiamsi error sit concomitans, seu non dans causam contractui, nimirum si, cognito errore, adhuc fuisset initum Matrimonium, *Sanch. n. 6. Ronc. l. cit. Bon. qu. 3. p. 2. n. 4. & Salm. n. 6. cum Con. Avers. &c.*

1011 Certum est 2. quod error circa qualitatem personæ concomitans, seu non dans causam contractui, non irritat Matrimonium; unde si quis contraheret cum corrupta, aut paupere, aut ignobili, quam putabat virginem, aut divitem, aut nobilem, non principaliter motus ex his qualitatibus, sed aliunde, valet proculdubio Matrimonium, quia tunc jam adest voluntarium ad illud requisitum; *Sanch. n. 21. Pont. l. 4. c. 21. n. 5. Bon. p. 2. n. 6. & Salm. n. 9. cum Con. Trull. Pal. Avers. Dic.* & aliis communiter.

1012 Sed magna quæstio fit, an irritet Matrimonium error circa qualitatem dans causam contractui, nempe si, cognito orrore, Matrimonium non fuisset contractum? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenet *Pontius l. 4. c. 21. n. 7.* citans *Arag. & Ledesm.*: citat etiam *Sanch.*, sed non bene, ut mox videbimus. Ratio, quia, dum Sponsus contrahit, credens Sponsam habere aliquam qualitatem nobilitatis, aut pulchritudinis, &c. tunc præstat consensum virtualiter conditionatum, nempe si Sponsa habeat illam qualitatem; qualitate igitur deficiente, deficit consensus. *Secunda* vero sententia communis & verior negat, & hanc tuentur *Sanch. l. 8. D. 17. n. 18.* qui eam verissimam vocat *cum Abb. Mol. Lop. &c. Laym. c. 2. n. 2. Conc. p. 310. n. 4. Nav. c. 22. n. 32. Ronc. p. 155. q. 2. Habert. t. 7. p. 797. Holzm. p. 374. n. 511. Pal. p. 4. n. 3. cum Valent. Escob. lib. 26. n. 9. cum Tol. Gutt. & Fill. & Salm. c. 10. n. 14. cum Gonet, Less. Bon. Trull. Candido, Avers. Dic. &c. ex D. Th. Suppl. q. 51. art. 2. in corp. & ad 3.* Ratio, tum quia tunc jam adest simpliciter voluntarium circa substantiam Matrimonii, nempe circa personam, quamvis deficiat voluntarium secundum quid circa accidentia, quæ sunt personæ qualitates; tum quia alias innumera conjugia evaderent dubia, & litibus exposita. Nec valet dicere cum *Pontio*, quod cum consensus sit actus indivisibilis, & feratur in objectum tali qualitate vestitum, deficiente qualitate, deficit consensus, alias dici deberet quod contrahens duos actus eliceret, unum consentiendo in objecti sive personæ substantiam, alterum in qualitatem, quod ait *Pontius* non posse dici, cum actus voluntatis sit unus indivisibilis. Sed recte respondent *Salm. n. 11.* quod licet actus voluntatis formaliter sit in se indivisibilis, virtualiter tamen respectu ad objectum sive personam bene potest esse divisibilis; unico enim illo actu voluntas fertur æquivalenter circa substantiam, & circa qualitatem, ac si duos actus eliceret; & ideo, deficiente consensu minus principali circa qualitatem, remanet consensus principaliter movens circa substantiam.

Communiter tamen & recte docent DD. quod 1013 error circa qualitatem personæ bene irritaret Matrimonium, si qualitas redundaret in substantiam. Sed magna difficultas est ad dignoscendum, quandonam error qualitatis redundet in substantiam, sive in personam? Tres attende regulas.

Prima: tunc qualitas redundat in substantiam, 1014 cum quis actualiter intendit contrahere sub conditione talis qualitatis; tunc enim verificatur quod, deficiente conditione, omnino deficit consensus. Hoc certum est cum *Sanch. lib. 7. D. 18. n. 21. Pal. p. 4. n. 5. Pont. l. 4. c. 21. n. 5. & Salm. c. 10. n. 9.* & alii passim. Et idem est cum iisdem AA. (vide *Salm. n. 11.*) si contrahens ante Matrimonium espressam habuerit intentionem, & eam non retractavit, non contrahendi nisi sub tali conditione, quia tunc consensus ille, si non actualiter, est saltem virtualiter conditionatus.

Secunda regula est: quando qualitas non est 1015 communis aliis, sed propria & individualis alicujus determinatæ personæ, puta si quis crederet contrahere cum primogenita Regis Hispaniæ; tunc qualitas redundat in personam; unde errando in qualitate, erratur in persona, & proinde nullum est Matrimonium, etiamsi ille non habuerit expressam intentionem non contrahendi, ita *Pal. p. 4. n. 5. Petrocor. t. 4. p. 367. in fin. Habert. t. 7. p. 796. Holzm. n. 512. v. Tertius casus: Laym. c. 2. n. 2. & Spor. p. 287. n. 7.* Non autem acquiesco doctrinæ *Bon. p. 3. n. 7. Sanch. n. 27. & Escob. n. 10.* qui dicunt idem esse, cum quis putaret contrahere cum filia Regis Hispaniæ, quia cum qualitas filiæ sit communis aliis filiabus Regis Hispaniæ, qualitas illa non est individualis, unde non redundat in personam; & tanto minus

ap-

approbo id quod dicunt *Salm. n.* 17. *cum Aversa*, nempe quod qualitas etiam transit in personam, si sit individui vagi, puta si quis crederet contrahere cum filia Regis, cujuscunque Regis filia sit, & citat *D. Th. suppl. q.* 51. *a.* 2. *ad* 5. sed non bene, nam ibi S. Doctor non loquitur de eo, qui in contrahendo credit illam esse filiam Regis; sed de eo qui antea directe & principaliter intendit qualitatem personæ, nempe contrahendi cum filia Regis, tunc enim dicit Angelicus quod, si alia præsentetur ei, error redundat in personam; en ejus verba: *Si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error nobilitatis ipsius non impediet Matrimonium; si autem directe intendit consentire in filium Regis, quicunque sit ille, tunc si alius præsentetur ei, quam filius Regis, est error personæ, & impedietur Matrimonium.* Ubi observa, quod hic clare loquitur D. Th. non de muliere quæ erravit in credendo, sed de illa quæ ante Matrimonium directam habuit intentionem contrahendi cum filio Regis, & ideo nullum dicit esse Matrimonium cum alio celebratum.

1016 Tertia igitur regula quam tradit *D. Thom.* & sequuntur *Sotus*, *Abul. Sylv. Tamb. Led. Man. Lop. Rosell. Philiarch. &c. apud Sanch. n.* 25. item *Holzm. n.* 515. *& Tamb. de Matr. l.* 8. *c.* 2. §. 2. *ex n.* 1. est quod si consensus fertur directe & principaliter in qualitatem, & minus principaliter in personam, tunc error in qualitate redundat in substantiam; secus si consensus principaliter fertur in personam, & secundario in qualitatem: v. g. si quis dixerit, *volo ducere Titiam, quam puto esse nobilem*, tunc error non redundat in substantiam, & ideo non invalidat Matrimonium. Secus si dixerit, *volo ducere nobilem*, qualem puto esse Titiam; tunc enim error redundat in substantiam, quia directe & principaliter intenditur qualitas, & minus principaliter persona. Hinc ad casum relatum a *Sanch. l.* 7. *D.* 18. *n.* 55. scilicet cum quidam adolescens petierit in conjugem filiam cujusdam secundogenitam valde pulchram, Pater negavit illam, & obtinuit primogenitam juveni ignotam, quam hic postulavit prius ostendi cuidam suo amico; Pater isti Amico pro primogenita, quæ turpis erat, ostendit secundogenitam, quam cum audisset juvenis etiam esse pulchram, contraxit, sed visa deinde illius deformitate contendebat Matrimonium esse nullum: Sentit *Sanch. l. c. cum Tab.* valuisse Matrimonium, quia error fuit qualitatis non personæ; Sed probabilius contradicunt *Pont. l.* 4. *c.* 21. *n.* 3. *Spor. p.* 287. *n.* 8. *& Tamb. l. c. n.* 2. Ratio, quia verius est eo casu qualitatem pulchritudinis fuisse (ut mox supra diximus) principalius intentam, quam personam, cum ideo juvenis petierit ostendi Amico; item quia voluntas ejus revera non fuit determinata ad accipiendam oblatam a Patre, sed ostensam Amico.

1017 „ Dicitur II. *Conditio*, scilicet servilis, ut si „ homo liber ignoranter contrahat cum serva, vel „ servus cum serva; nullum est Matrimonium. „ Idque secundum sententiam communiorem, ju„ re tantum Ecclesiastico * (*Et sic probabilius* „ *tenent D. Thom. suppl. q.* 52. *a.* 1. *ad* 3. *&* „ *Salm. c.* 10. *n.* 25. *cum communi*) *, fundato „ tamen in jure naturali, cui est valde conforme. „ Ratio est, quia talis contractus adversatur 1. „ Bono Sacramenti, cum servus invito domino „ nequeat cohabitare conjugi. 2. Bono fidei con„ jugalis, cum non possit solvere debitum ad li„ bitum alterius. 5. Bono prolis, cum servus o„ mnia acquirat domino. Ubi tamen notandum, „ non esse proprie servos qui sunt coloni originarii, vel adscititii vulgo dicti *Leibeigene*. V. *Laym.* „ *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 2.

Certum est, quod si liber scienter contrahat 1018 cum ancilla, Matrimonium est validum; Et si forte jus Civile aliud statuerit in *l. Cum Ancillis*, *C. de incestis nuptiis*, in hoc correctum est a jure Canonico. Nec talis contrahens graviter peccaret, quamvis efficeretur irregularis, ex *c. Si quis Dist.* 34. V. *Salm. c.* 10. *n.* 20.

Si vero ignoranter quis contrahat cum ancilla, nullum est Matrimonium, sive contrahens sit liber, sive servus, ut sentit *Bus.* Sed hoc probabilius negandum; nam si servus contrahit cum serva, valet Matrimonium, ut absolute docent *S. Th. suppl. q.* 52. *a.* 1. *ad* 1. *Sanch. l.* 7. *D.* 19. *n.* 23. & *Salm. c.* 10. *n.* 23. *cum Bon. Con.* &c. Quia Ecclesia irritans talia Matrimonia attendit conditionis inæqualitatem, quæ solum adest, quando liber contrahit cum serva.

Dubit. I. utrum, si error liberi sit crassus, irritet Matrimonium? Negant *Sot. Led. Vill.* &c. apud *Salm. c.* 10. *n.* 27. quia in errore crasso videtur esse voluntaria deceptio. Sed probabilius affirmant *Sanch. n.* 20. *& Salm. n.* 28. *cum Con. Dic. Avers. Trull.* &c. Quia quæcunque ignorantia efficit actum saltem non perfecte voluntarium.

Dubit. 2. an tunc utraque pars possit propria 1020 auctoritate a Matrimonio resilire? Deceptus certe potest, nisi adsit scandalum; & ita pariter serva. Sed utrum, hæc, si liber factus conscius ejus servitutis vellet revalidare Matrimonium, teneatur consentire? Probabiliter opinantur *Salm. n.* 21. *cum Sot.* &c. quod si serva bona fide contraxit, non tenetur ratione injuriæ.

Dub. 3. Cuinam incumbit onus probandi igno- 1021 rantiam servitutis? *Henriq.* censet libero. Sed communius & probabilius *Sanch. n.* 8. *Salm. n.* 31. *cum Pal.* &c. tenent incumbere ancillæ probare scientiam, nisi ipsa communiter ut talis sit nota.

Dub. 4. An validum sit Matrimonium cum ser- 1022 va ignorata, si per Matrimonium illa fiat libera? Tres sunt casus in quibus per Matrimonium acquiritur libertas. I. Si Dominus dotale instrumentum conferat ancillæ contrahenti, ut ex *l. un. C. de Latin. libert.* II. Quando Dominus accipit ancillam in conjugem: ut dicunt *Salm. n.* 35. *cum Pont. Pal. Vasq. &c.* contra *Sanch. Gutt. &c.* III. Quando Dominus servam Matrimonio tradit libere alteri, illius servitutem ignoranti, ut ex *Auth. Ad hæc*, *C. de Lat. Libert.* In his autem casibus fit dubium, an Matrimonium sit validum? Negat *Pal. D.* 4. *p.* 5. §. 1. *n.* 4. *cum Covar.* Affirmant vero communius & probabilius *Sanch. l.* 7. *D.* 19. *n.* 14. *Bon. q.* 3. *n.* 5. *& Salm. n.* 38. cum aliis. Et idem putat *Sanch. l. c. n.* 4. (contra *Pal. l. c. Pont.*) si Dominus promiserit servam brevi dimissuram, quia illa tunc mortaliter jam censetur libera.

Matrimonium autem cum liberta, idest serva 1023 quæ facta est libera, certe validum est; modo libertas non solum illi sit promissa, sed etiam jam

donata, ut censent *Salm. n. 41. cum Pont. Pal. &c.* contra *Sanch. & Con.*

1024 „ Dicitur III. *Votum*, scilicet solemne Castitatis per susceptionem Ordinis sacri, vel per solemnem professionem in religione approbata sponte emissam.

„ Dico 1. *sponte*; quia metus gravis irritat professionem, ut *vide sup. l. 5. c. 1. d. 2.*

„ Dico 2. *Solemne*, quia votum simplex tantum impedit, non dirimit, (excipe tamen vota simplicia Societatis). V. *Laym. l. c. c. 3.*

1025 Dubit. 1. An votum solemne Religionis dirimat Matrimonium de jure Divino, vel Ecclesiastico? *Prima* sententia dicit de jure Ecclesiastico, & hanc tenet *Sanch. l. 7. D. 26. n. 4. cum Scot. Gerson. Host. Abb. &c.* Quia votum solemne non irritat Matrimonium ratione voti, sed ratione solemnitatis; cum autem solemnitas sit ex jure Ecclesiastico, ut habetur in *c. un. de Votis* in 6. ergo solo jure Ecclesiastico dirimitur Matrimonium. *Secunda* tamen sententia probabilior dicit dirimere de jure Divino, eamque tenent *D. Thom. in 4. D. 38. q. 1. art. 3.* item *D. Bonav. Major, Val. Henr. Vict. &c. ap. Salm. n. 4.* Ratio, quia in voto simplici corpus tantum promittitur Deo, sed in solemni, per acceptationem legitimam Prælatorum, corpus insuper Deo traditur.

1026 Dubit. 2. an Papa in aliquo casu possit dispensare in voto solemni castitatis in Professione emisso? Vide dicta *T. I. l. 3. n. 256. v. Quæritur*, ubi affirmativam tenuimus sententiam cum eodem *D. Th. l. c. a. 4. q. 1. ad 3.* & pluribus, quibus adde *Ronc. p. 156. q. 4. & Fagnan. in c. Cum ad Monasterium, p. 2. l. 3. Decretal.* qui asserit eam esse communem Theologorum. An vero Ordo Sacer dirimat Matrimonium de jure Divino? Vide dicenda *n. 1059.* Quomodo autem votum quod emittitur in susceptione sacrorum Ordinum dirimat Matrimonium? Vide dicta hoc *l. VI. ex n. 808.*

„ Dicitur IV. *Cognatio*, quæ triplex est.

1027 „ Prima dicitur *Legalis*: quæ est propinquitas „ personarum, proveniens ex adoptione perfecta „ (qua scilicet persona extranea assumitur in filium, vel nepotem, ita ut transeat in potestatem adoptionis, eique succedat, vel tanquam hæres necessarius ex testamento, in quarta parte, „ vel tanquam filius ab intestato, in totum); ea „ enim dirimit matrimonium usque ad quartum „ gradum inter adoptantem, & adoptatum ejusque „ descendentes; *c. Per adoptionem, 3. q. 3. c. Deligere 30. q. 3.* Vid. *Bon. q. 3. p. 5. s. 3. n. 4. & 5.* Vide tamen *Laym. c. 7.* & *Dian. p. 9. t. 6. R. 54.* ubi contra communem sententiam notat „ *ex Henriq. Less.* &c. probabile esse, quod post „ *Trident.* tantum dirimat usque ad gradum secundum inclusive, sicut cognatio spiritualis.

Notandum igitur 1. quod adoptio perfecta est illa qua Principis Rescripto persona sui juris transit in potestatem & familiam adoptantis, sicut ac etiam filii ejus. Imperfecta est, quando fit sine Rescripto Principis supremi, sed auctoritate inferioris Magistratus, nec adoptatus cum filiis transit in potestatem adoptantis. Dubitatur, an cognatio legalis oriatur etiam ex adoptione imperfecta? Affirmant *Pal. p. 9. n. 9. & Pontius, Tol. &c. ap. Salm. c. 12. n. 40.* Sed probabilius dicunt *S. Thom. suppl. q. 57. a. 2. Sanch. l. 7. D. 73. n. 9. Salm. n. 41.* cum aliis, oriri tantum ex adoptione perfecta.

Notand. 2. quod hoc impedimentum est perpetuum inter adoptatum & adoptantem, & uxorem illius, vel e converso; verum inter adoptatum & filios adoptantis est tantum ad tempus, scil. usque dum filii sunt sub potestate illius; ita *Salm. cum S. Th.* & alii passim, vide *c. 12. n. 37. 38. & 42.* Hic autem dubitatur, ad quos extendatur hæc legalis cognatio? *Pont. Sot. Val.* &c. apud *Salm. c. 12. n. 43.* dicunt extendi usque ad quartum gradum in linea recta. Sed *Salm. ibid.* cum *Sanch. Avers. Cornejo, & Hurt.* tenetur omnino dicendum, non extendi ultra primum gradum: quia hic tantum a jure positivo assignatur. Extenditur tamen inter adoptantem, & omnes, qui sunt sub potestate adoptati. Vide *Salm. n. 44.*

1028 „ Secunda est cognatio *Spiritualis*, quæ jure Ecclesiastico oritur inter personas aliquas ratione „ Baptismi, & Confirmationis, dirimitque Matri„ monium (ut habetur *c. 1. De cognatione spirituali in 6. c. Veniens*: & constat ex *Trid. „ s. 24. c. 2.* Vide *Bonac. q. 3. p. 5. Sanch. l. 7. „ d. d. 34. Suar. 3. p. q. 67.*) inter baptizantem, „ & baptizatum, & hujus patrem: item inter susceptorem, & susceptum, & hujus patrem, & „ matrem. * (*Hinc plura dubia occurrunt, de „ quibus jam satis egimus in Tract. de Baptis„ mo, unde, ne actum repetamus, vide dicta ibi ex n. 146.*) *

1029 „ Tertia est cognatio *Consanguinitatis carnalis*, quæ est vinculum personarum ab eodem „ stipite proximo descendentium, dirimitque Ma„ trimonium usque ad quartum gradum lineæ transversæ inclusivæ. Et quidem quoad primum, „ fortassis juræ naturæ: quoad reliquos tres, solo „ jure Ecclesiastico. Unde etiam Pontifex in his „ ex justa causa dispensare potest. Gradus vero lineæ rectæ, probabile est, omnes jure naturæ prohibitos. * (*Sed satis probabile est omnes esse vetitos jure Ecclesiastico, excepto primo gradu in linea recta; vide dicta l. 6. n. 470.*) * „ Porro pro gradibus consanguinitatis dignoscendis „ statuuntur sequentes regulæ.

„ *Prima*. In linea recta tam ascendentium quam „ descendentium, quot sunt personæ, tot sunt gradus, una dempta, scilicet stipite: * (*Linea est „ series personarum ab uno stipite descendentium „ per varias generationes, diversos continens gradus. Stipes est ille a quo descendunt contrahentes*) *: v. g. pater, & filius sunt consanguinei in „ primo gradu, nepos, & avus in secundo, &c.

„ *Secunda*. In linea transversa æquali (quæ „ est inter personas a communi stipite æqualiter „ distantes) quot gradibus personæ singulæ a communi stipite distant, totidem distant inter se. „ Unde frater, & soror sunt in primo gradu lineæ transversæ, patrueles & consobrini in secundo, filii eorundem in tertio.

„ *Tertia*. In linea transversa inæquali, inter personas inæqualiter distantes a communi stipite, „ quot gradibus remotior persona distat a stipite, „ tot gradibus distant inter se. Unde patruus & „ nepos, filius & soror patris sunt consanguinei „ in secundo gradu, quæ omnia patent in adjuncto schemate.

Ad-

1030 SCHEMA CONSANGUINITATIS

	IV. Abavus. Abavia.	
IV. M. Propatruus M. Proamita.	III. Proavus. Proavia.	IV. M. Proavunculus M. Promatertera.
III. M. Patruus M. Amita.	II. Avus. Avia.	III. M. Avunculus. M. Matertera.
II. Patruus. Amita.	I. PATER. MATER.	II. Avunculus. Matertera.
I. Frater.	✠ Hypothe.	I. Soror.
II. Filii, & Filiæ Fratris.	I. Filius. Filia.	II. Filii, & Filiæ Sororis.
III. Nepotes, & Neptes ex Fratre.	II. Nepos. Neptis.	III. Nepotes, & Neptes ex Sorore.
IV. Pronepotes & Pronepotes ex Fratre.	III. Pronepos. Proneptis.	IV. Pronepotes & Pronepotes ex Sorore.
	IV. Abnepos. Abneptis.	

1031 Advertendum hic cum *Salm.* 8. 24. 31. *Contin. Tourn. t.* 2. *p.* 135. quod a linea transversali inæquali in supplicatione dispensationis tam ex una, quam ex altera parte debet exprimi gradus propinquior & remotior, si propinquior esset primus gradus; hoc habetur ex Bulla S. Pii V. *Sanctis.*, quia in eo primo gradu Papa non intendit dispensare, nisi exprimatur.

„ Dicitur V. *Crimen*, idque triplex. Primum „ est *Homicidium* conjugis ab altero conjuge, & „ alio tertio, sive physice, v. g. gladio, vel ve„ neno; sive moraliter, ut imperio, perfectum eo „ consilio, ut postea inter se Matrimonium con„ trahant. Quod si cædes tentata sit, sed non per„ fecta, vel perfecta sed absque intentione Matri„ monii ineundi, vel cum intentione quidem ea, „ sed non significata exterius, vel non communi „ consilio, sed ab altero tantum, non dirimit Ma„ trimonium, nisi etiam adulterium præcesserit: „ tunc enim, etsi unus tantum cædem perfecerit, „ altero ignaro, dummodo id fecerit intentione „ Matrimonii, vere dirimit. Ita *Con. Less. Sa*, „ *Sanch. l.* 7. *d.* 78. *n.* 13. *& d.* 79.

„ Secundum est *Adulterium*, quando nimirum „ duo carnaliter se cognoscunt, vivente alterius „ conjuge, & vel Matrimonium ineunt de præ„ senti, vel saltem dant fidem de ineundo post „ mortem conjugis. Sed in hoc casu requiritur, „ ut promissio sit acceptata, & uterque sciat al„ terum esse conjugatum: si enim vel alteruter „ ignorat, non irritatur Matrimonium, si quod „ postea ineatur conjuge mortua, *Perez*, *Con. d.* „ 31. *n.* 57. *& 61. Sanch. l.* 7. *disp.* 79. *n.* 12. „ *Filliuc. n.* 256. Vide etiam *Bon. q.* 3. *p.* 6. *n.* 8. „ *Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 108. Excusatque ignorantia „ quævis etiam facti, *Sanch. M. Leo in praxi* „ *p.* 2. *s.* 284. sufficit autem, si adulter dubitet, „ utrum tempore adulterii, & promissionis de Ma„ trimonio cum adultera vixerit alter conjux quia „ præsumitur vixisse, nisi mors probetur. *Nav.* „ *Sanch. l.* 7. *de Matrim. disp.* 79. *Bard. d.* 6. *c.* „ 11. §. 8.

„ Tertium est *Raptus*, per quem persona cum 1032
„ violentia abducitur, libidinis exercendæ, vel Ma„ trimonii ineundi causa. *S. Th. Mol. t.* 3. *d. d.* „ 105. Durat autem hoc impedimentum secundum „ *Trid.* quandiu rapta est in potestate raptoris, „ etiamsi libere consentiat. Unde libertati restitu„ tam ducere potest. Probabile tamen est, Triden„ tini decreto tantum comprehendi raptum, qui „ sit causa Matrimonii. *Sanch. d.* 13. V. *Laym.*

De impedimento ob crimen *Raptus* loquemur 1033
in fine hujus Dubii ex *n.* 1107. Hic tantum sermonem facimus de impedimento ob crimen *Homicidii*, & ob crimen *Adulterii*. Ad distinguendum autem tale impedimentum attende regulam ab aliquibus traditam. Incurritur hoc in tribus casibus, nempe utroque patrante (idest crimen homicidii, ut illud *patrante* intelligendum), uno patrante, & nemine patrante. Et I. *Utroque patrante*, quando non est adulterium, sed uterque conspirat ad homicidium, animo inter se nubendi. II. *Uno patrante*, quando v. g. vir post adulterium occidit Conjugem ad ducendam adulteram, licet ista non conspiret ad homicidium: modo illius intentio huic manifestata sit. III. *Nemine patrante*, quando non adest homicidium, sed tantum adulterium, & promissio Matrimonii, quæ non sit ficta, & sit saltem acceptata, antequam moriatur Conjux adulteri.

Ex I. Capite igitur, nempe *Utroque patrante*, idest cum homicidium Conjugis fit sine adulterio, ad contrahendum impedimentum criminis requiritur 1. ut occisio eveniat ex communi consilio viri

&

& feminæ; ita communiter *Bell. l. 1. de Matr. c. 22. v. Crimen*, *Sanch. l. 7. D. 78. n. 9. Pont. l. 7. c. 45. n. 5. Pal. p. 12. n. 3. Bon. p. 6. n. 5. Cabass. l. 3. c. 23. n. 3. Conc. p. 322. n. 4. Holz. n. 568. et Salm. c. 12. n. 55. ex c. Laudabilem 1. de Convers. Infid.* Requiritur 2. ut homicidium fiat animo contrahendi Matrimonium cum complice homicidii, ut communissime tenent *Glossa c. si quis vivente 31. q. 1. verb. Occidisse*, *Bell. l. c. v. Adde*, *Pal. n. 5. Pont. l. c. Conc. Tourn. t. 2. de Imped. p. 156. v. An autem*, *Laym. c. 10. n. 4. Spor. n. 102. Salm. Bon. Cab. et Conc. l. c. Sanch. n. 13. cum S. Bon. Soto*, *Palud. Major*, & aliis multis, contra *Caj. Scot.*, & alios paucos, qui dicunt non requiri animum nubendi cum adultero, eo quod in *cit. c. Laudabilem*, nulla fit mentio de hac conditione. Sed bene respondent AA. primo loco citati, quod licet in jure non exprimatur præfata conditio, ipsa tamen colligitur ex fine legis, nimirum ne Conjux machinetur mortem alterius, ut postea cum altero nubat.

1034 Notant tamen *Sanch. n. 14. et Salm. d. n. 55. cum Cand. et Dic.* sufficere ad incurrendum impedimentum, quod inita ab utroque machinatione occisionis, intentio Matrimonii adsit tantum ex parte unius. Utrum autem requiratur, ut talis intentio alteri saltem manifestetur? Negant *Sanch. l. 7. D. 78. n. 19. cum Man. et Vega*, *ac Pal. p. 12. n. 5. cum Soto*, *et Gutt.* tum quia Ecclesia non ponit præcise intentionem, sed occisionem externam hac intentione factam; tum quia hæc intentio, quando patratur homicidium, jam præsumitur, argumento *Clement. 1. §. Verum de Hæret.* ubi excommunicantur Inquisitores, qui ex odio reis injustitiam faciunt, vel ex eorum amore omittunt inquirere. Affirmant vero *Pontius l. 7. c. 45. n. 4. Diana p. 9. tr. 7. R. 25. et Salm. c. 12. n. 53. cum Vasq. Perez*, *et Hurt.* quia Ecclesia non potest punire, quod non potest cognoscere; lex enim humana exposcere nequit nisi illam obedientiam quæ homini debetur, homini autem non debetur nisi externa operatio quæ præcipitur: interna enim soli Deo debita est. Respondent autem ad casum Clementinæ, quod ibi non excommunicantur qui ex odio vel amore simpliciter interno ducti injustitiam committunt, sed qui insuper talis odii vel amoris externum indicium præstant. Unde sic mihi probabilius dicendum videtur: Si occisionem præcesserint sufficientia indicia intentionis, puta munera, familiaritates, epistolæ amatoriæ, & similia inter eos qui contrahere volunt, tunc incurritur impedimentum; secus si intentio remanserit omnino interna; tunc enim Ecclesia nequit punire homicidium ex tali intentione factum, si nullum de ea indicium præcesserit.

1035 Ex II. Capite, *Uno patrante*, nempe ex homicidio cum adulterio, ad dirimendum Matrimonium sufficit, quod, stante adulterio, una pars tantum perpetret homicidium, quamvis altera inscia; ita communiter *Sanch. l. 7. D. 78. n. 6. Pont. l. 7. c. 45. n. 4. et 5. Pal. p. 12. Bon. p. 6. n. 8. et Salm. c. 12. n. 47. cum Dic. Avers. Cornejo, etc.* Id patet ex *c. Si quis vivente 5. Caus. 31. q. 1.* ubi dicitur, non obstante adulterio, valere Matrimonium cum adultero post mortem Conjugis, *nisi forte vir aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur*. Item ex *c. Propositum 1. de ea qui dux. etc.* ubi: *Nullus copulet Matrimonio quam prius polluerat adulterio; illam maxime cui fidem dederat, uxore suo vivente, quæ machinata est mortem uxoris*. Item ex *c. Significasti 6. eod. tit.* ubi validum fuit declaratum conjugium cum adultera, *nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente sibi fidem dederit de Matrimonio contrahendo*.

Ad hoc autem impedimentum incurrendum re- 1036
quiritur I. Ut mors vere secuta sit ex percussione, veneno, &c. dato a Conjuge, vel ejus mandato; ita *Pontius n. 4. Pal. n. 4. Bon. n. 6. Salm. n. 48.* cum *Sanch. n. 7. et communi*. II. Ut adulterium præcedat occisionem; *Pont. n. 5. Elbel p. 408. n. 170. et Salm. n. 49. cum Cov.* III. Ut prius Matrimonium fuerit validum, licet non consummatum, & licet obtentum sit divortium; *Sanch. n. 20. ac Pont. n. 3. ex c. Signif. 6. de eo qui dux.* Requiritur IV. Ut adulterium sit consummatum, ita ut facta sit una caro: hinc si vir vere non seminet in vase mulieris, nequaquam incurritur hoc impedimentum; ut *Sanch. l. 7. D. 79. in princ. Pont. n. 4. Pal. n. 8. Elbel l. c. et Salm. c. 12. n. 50. et c. 4. n. 3.* cum *S. Thom. S. Anton. et comm.*

Hinc autem dubitatur, an requiratur, ad consummationem adulterii, ut non solum vir, sed etiam femina seminet? Negant *Sanch. l. 2. D. 21. n. 11. & Pal. Trull. Bon. &c.* apud *Salm. 4. n. 4.* Sed plures alii affirmant, ut *Conc. p. 351. n. 4. cum communi*, *S. Bonav. Innoc. Host. & Viguer. ap. Sanch. l. c.* & expresse id tenet *D. Th. in 4. D. 41. q. 1. art. 1. q. 4. ad v.* ubi: *Vir et femina efficiuntur una caro per mixtionem seminum. Unde quanto quisque alter vasa pudoris frangat, nisi mixtio seminum sequatur, non contrahitur affinitas*. Et ideo merito hanc sententiam probabilem vocant *Sanch. l. c. et Salm.* cum *Pal. Trull. Dian. Ronc.* vid. infra *n. 1075.*

Requir. V. Ut adulteri sint conscii Matrimonii; quare si femina rem habet cum conjugato, quem putabat solutum, impedimentum non contrahitur; ita *Sanch. l. 7. D. 78. n. 12. Pal. p. 12. n. 8. ac Con. Avers. Dic. &c. cum Salm. c. 12. n. 51.* ex *c. Veniens et c. Propositum, de eo qui dux. etc.* An autem excuset tunc ignorantia crassa & culpabilis adulterii? Negant *Val. Con. Fer. &c.* apud *Salm. n. 52.* Quia tunc, ut dicunt, adesset verum adulterium. Sed affirmant probabiliter *Busemb.* ut supra, & *Sanch. l. 7. D. 79. n. 38. ac Salm. cum Reb. Avers.* Tum quia excusat quælibet ignorantia facti, ut esset hæc, ex regula *in c. 10. de Reg. jur.* Tum quia ad adulterium requiritur dolus, ex *l. pen. ff. ad l. Jul.* At cum ignorantia crassa, nisi fuerit saltem affectata, non datur dolus ex *Gloss. in l. Magn. ff. de Verb. sign.*

Requir. VI. Ut occisio facta fuerit cum animo nubendi cum adultera, saltem ex parte occidentis, modo is externe talem intentionem alteri manifestarit, juxta sententiam allatam mox supra *n. 1034.* ubi diximus requiri manifestationem saltem per indicia præcedentia; idque procedere in utroque casu dicunt *Salm. n. 53. cum Sanch. Pont. Vasq. Per. Dic. etc.* Hinc infertur, quando si vir uxorem occidat, ut liberius adultera fruatur, vel ob aliam

cau-

causam, etiamsi ista consenserit ad homicidium sed absque intentione Matrimonii, impedimentum non contrahitur. Immo, si vir occidat uxorem, ut aliam indeterminatam ducat, potest deinde ducere adulteram. *Sanch. l. 7. D. 78. n. 18. Pont. n. 5. Pal. p. 12. n. 5. Bon. p. 6. n. 4. & 8. & Salm. n. 54.* cum *Pal.* &c. Secus tamen, si occidat ut aliquam ex adulteris ducat, ut *Salm. ib. cum Cov. Avers. Dic.* &c.

1037 Ex III. Capite, *Neutro patrante*, nempe quando non adest homicidium, sed solum adulterium cum promissione Matrimonii, ut habetur in relatis *c. 1. & 6. de eo qui dux.*, & clarius in *c. fin. eod. tit.* Docentque *Sanch. l. 7. D. 79. n. 43. Pont. l. 7. c. 45. n. 6. & Salm. c. 21. n. 64. cum Pal. Bon. Con. &c.* tale impedimentum contrahi a Conjuge fideli etiam cum infideli adultera, quia licet Ecclesia non possit punire infidelem, potest tamen fidelem. Ad hoc autem impedimentum incurrendum requiritur 1. quod tam adulterium, quam promissio, habita sint vivente Conjuge, ut *Sanch. l. c. n. 7. Spor. n. 108. & Salm. n. 60. cum Bon. & Conin.* Requir. 2. ut promissio non fuerit revocata ante adulterium; *Sanch. ib. Spor. n. 107. & Salm. d. n. 60. cum Con. & Bon.* Dixi *ante adulterium*; nam si fuit revocata postea, tunc remanet impedimentum, cum jam contractum sit, sive promissio antecesserit, sive subsecuta fuerit adulterium, ut expressum habetur in *c. fin. de eo qui dux.* ibi: *Ceterum tolerari non debet, si prius vel postea* (ad fidem datam), *dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset.* Requir. 3. ut promissio fuerit externa, & acceptata; unde non sufficit, si adultera mere negative se habuerit, ut communiter docent *Pal. p. 12. n. 11. Bon. p. 6. n. 9. Cabas. l. 3. c. 23. n. 9. Conc. p. 322. n. 6. & Salm. c. 12. n. 61.*

1038 Sed dubit. 1. An taciturnitas adulteræ sit sufficiens signum consensus? Affirmant *Pont. l. 7. c. 45. n. 2. & Conin. Reb. & Hurt. apud Pal. p. 12. n. 11.* quia in materia favorabili taciturnitas habetur pro consensu. Sed negant *Salm. l. 7. D. 79. n. 25. & Pal. l. c. cum Gutt.* quia talis materia potius est odiosa quam favorabilis, cum acceptans subjiciatur pœnis Ecclesiasticis. Merito *Spor. n. 19. cum Tamb.* utramque sententiam vocat probabilem.

1039 Dubit. 2. An promissio ficta Matrimonii cum adulterio inducat impedimentum? Affirmant (modo fictio externe non appareat) *Sanch. l. 7. D. 20. & Pal. p. 12. n. 12. cum Conin. & Gutt.* quia talis promissio ficta jam apta est inducere adulteram ad captandam mortem Conjugis, quod Jura vitare intendunt. Sed probabilius, & communius negant *Bon. p. 6. n. 8. Spor. n. 109. Holzm. n. 562. Croix n. 625. Elbel n. 175. & Salm. c. 12. n. 62. cum Laym. Perez, Dic. &c.* Ratio, quia jura in textibus citatis *n. 1035.* requirunt fidem, sive promissionem Matrimonii: ficta autem promissio non est promissio; & quamvis cum tali ficta promissione non vitetur periculum in adultera decepta captandæ mortis Conjugis, tamen cum agatur de lege prohibitiva, & de materia odiosa stricta facienda est interpretatio: tanto magis quod finis præcepti non cadit sub præcepto.

1040 Dubit. 3. An promissio conditionata eo casu inducat impedimentum? Affirmant *Cont. Tourn. t. 2. de Imped. p. 152. ac Sanch. l. 7. D. 79. n. 11. cum Nav. Man. & Vega*; quia promissio conditionata inducit obligationem non resiliendi, & per eam vere dicitur data fides, & vere præbetur ansam captandi mortem Conjugis. Negant vero probabilius *Laym. c. 10. n. 3. v. Sexta, Holm. n. 562. Tamb. c. 6. §. 3. n. 4. Elbel n. 162. & Spor. n. 109. cum Conin. & Perez.* Ratio quia jura requirunt fidem, per quam (cum simus in odiosis, ubi lex stricte interpretanda) intelligenda est fides, seu promissio pura, & absoluta. Præterquamquod per promissionem conditionatam non ita datur ansa captandæ mortis, sicut per promissionem absolutam. Dicunt tamen præfati AA. talem promissionem bene inducere impedimentum, postquam conditio verificata fuerit ante mortem Conjugis. Sed huic responderi posset, quod promissio illa, adhuc impleta conditione, nec pura per se dici potest, prout requiritur a jure; ceterum quia communiter hanc exceptionem DD. tradunt, sapientibus me remitto.

Dubit. 4. An ad incurrendum impedimentum 1041
requiratur ut promissio fuerit mutua? Affirmant *Bellarm. de Matr. l. 1. c. 22. v. Casu 2. Elb. n. 165. & Holzm. n. 562.* item *Laym. Henr. Gob. & Dian. ap. Croix n. 626.* Idque clare indicat *Glossa in c. Significasti 6. de eo qui dux.* Quia, ut ajunt, jura videntur illam requirere promissionem, quæ alias in sponsalibus obligationem utrinque inducit ad Matrimonium contrahendum. Sed communius & probabilius negant *Sanch. l. 7. D. 79. n. 12. Bonac. p. 6. n. 9.* cum *Con. Sylv. Perez, & Reb. & Pal. p. 12. n. 13. cum Sot. Hurt.* & communi ut asserit. Ratio, quia in jure (ut patet ex *c. 1. & 6. de eo qui dux.* relatis *n. 1035.*) nulla mentio fit de repromissione, sed tantum de fide data. Alia igitur promissio requiritur in sponsalibus inter solutos, ut obliget ad Matrimonium; quod pendet a jure naturali: alia inter Conjugatos ut inducat impedimentum, quod pendet a jure positivo.

Ultimo hic notandum, quod tribus criminibus, 1042
ex quibus oritur impedimentum, additur quartum, adulterium nimirum cum Matrimonio attentato, scilicet cum quis, sua uxore vivente, copulam habuerit cum alia, cum qua Matrimonium insuper contrahere ausus sit; hoc Matrimonium nullum est, sive copula præcesserit attentatum, sive subsecuta sit. Ita ex *c. Significavit 2. c. Literarum 4. c. Cum haberet 5. & c. Si quis 8. De eo, qui duxit in matr.* Vide *Croix l. 6. p. 5. n. 621.*

Qui autem vivente sua Conjuge promitteret al- 1043
teri Matrimonium, sed sine adulterio, & Matrimonio attentato, quamvis non incurrat impedimentum, non tamen excusatur a peccato mortali; ut *Sanch. l. 7. D. 79. n. 40. Laym. c. 10. in fin. Bon. p. 6. n. 11. Elb. n. 164. et Pal. p. 12. n. 15. cum Abb. ex c. fin. de eo qui dux.*

„ Dicitur VI. *Disparitas cultus*, sive religio- 1044
„ nis: quæ dirimit Matrimonium inter baptizatum, & non baptizatum, etiam cathecumenum.
„ Idque jure tantum Ecclesiastico, non scripto,
„ *Bon. q. 5. pag. 7.* ex *Con.* &c. Inter baptizatos
„ vero non dirimit, etsi impediat. Matrimonia
„ vero cum hæreticis etsi illicita, sunt tamen va-
„ li-

„ lida. Vide *supra l. 2. t. 1. c. 4. dub. 5.* * (*Ut habetur in c. 1. de Divort. Vide dicta de Sacr. in gen. n. 56. ubi adde id quod dicit N. SS. P. Benedictus XIV. in Bulla*, Matrimonia, e- *dita die 4. Nov. 1741. Hanc invenies in* principio Tomi I. pag. 33. *Dec. VIII. ubi postquam Pontifex declaravit conjugia inter Hæreticos esse valida, sic ait:* Dolens Sanctitas sua esse inter Catholicos, qui insano amore turpiter dementati ab hisce detestabilibus connubiis, quæ Sancta Mater Ecclesia perpetuo damnavit, ex animo non abhorrent; Episcopos omnes, Vicarios, Parochos in iis partibus degentes serio graviterque hortatur & monet, ut Catholicos ab hujusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis quantum possint absterreant, atque efficaciter impedire satagant.) *

1045 „ Dicitur VII. *Vis*, sive violentia; & gravis „ metus injuste incussus, ad Matrimonium extor- „ quendum: irritatque in utroque foro. * (*Ex c. Significavit. c. Cum locum, c. Veniens, et c. Consultationi, de eo qui duxit etc. Vide Salm. c. 9. n. 7. cum D. Th. et comm. Et hoc etiamsi intervenerit juramentum: nisi juramentum sit de ponendo consensu libero, quia tunc certe obligat, ut bene notat Viva q. 4. a. 3. et 4.*) * „ Et quidem jure naturæ, si a contrahente, positivo autem, si a tertio sit incussus.

„ Addo (*gravis*) qualis scilicet cadit in virum „ constantem, *v. gr.* mortis, perpetui carceris, „ amissionis bonorum, injustæ excommunicatio- „ nis, enormis indignationis patris valde austeri. „ Quando vero metus est levis, contractus censetur spontaneus; idque, ad cavendas lites, etiam „ in Matrimonialibus, ut Sacramento consulatur. „ *Reb. Sanch. Pont.* &c. communiter cum *Dian. p. 3. t. 4. R. 230. et t. 5. R. 177.* quamvis *Nav. Gab.* & *Cov.* id negent, si metus ita extorserit consensum, ut absque eo non fuisset. Addidi 2. *injuste:* quia si juste sit incusssus, valet „ Matrimonium: talis enim non tam infertur ab „ alio, quam ab ipsomet, quia causam dedit; ut „ si v. gr. deprehenso in crimine cum filia mineris accusationem, nisi illam ducat. Addidi 3. „ *ad extorquendum:* quia Matrimonium ex metu „ etiam gravissimo, undecumque, & quandocumque incusso, dummodo non ad Matrimonium „ extorquendum, valet; tunc enim non tam contrahitur metu, quam eligitur medium evadendi „ periculum, & Matrimonium est simpliciter voluntarium. Unde resolvitur valere Matrimonium „ in sequentibus casibus. Vide *Bon. q. 3. p. 8.*

„ 1. Si concubinarius metu gehennæ, vel mortis in morbo, vel naufragio contrahat cum concubina, *Bon. l. c.*

„ 2. Si quis a medico persuasus, non diu se victurum, nisi ducta uxore, eam ducat. *Bon. l. c. num. 10.*

„ 3. Si in carcerem conjectus, spe evadendi, „ contrahat cum filia lictoris. *Sanch. l. 4. d. 12. n. 10. Con. d. 28. dub. 1. c. 3.*

„ 4. Si ad mortem damnatus, ut evadat, ducat meretricem, aut aliam. *Con. n. 10. Fill. c. 4. q. 1.*

„ 5. Si princeps obsessus offerat filiam in Ma- „ trimonium obsidenti, ut liberetur obsidione, *ib.*

„ 6. Si raptor vel deflorator virginis metu mor- „ tis offerat se judici ad eam ducendam, *Bon. n. 22. ex Regin. Henr.* &c.

„ 7. Si ad mortem decumbens contrahat cum „ filia medici, alias illi mederi nolentis. *Rebell. „ Sanch. d. 12. Con. Fill. n. 103.* etsi alii quidam „ negent.

„ 8. Etsi metus gravis incussus fuerit tantum „ ad contrahendum Matrimonium in genere, con- „ tractum tamen nullum esse, docent *Sanchez, „ Sal., Pal. Pont.* &c. cum *Dian. p. 4. tom. 4. „ R. 33.*

„ 9. Quando Matrimonium ex gravi metu con- „ tractum fuit, non teneri (in foro conscientiæ) „ per se loquendo illud perficere, posseque altero „ invito resilire, etiam eum, qui liber a metu „ fuit, etiamsi ab ipso, seu ejus culpa illatus fue- „ rit, docent *Sanch. Villal. Hurtad. & Ochag.* „ cum *Diana pag. 3. t. 4. Res. 229. & p. 9. t. „ 8. R. 27.* contra *Con. & Pont.*

Supponendum est 1. vim differre a metu; vis 1046 enim omnino tollit voluntarium, cum sit a principio extrinseco, & ipse vim passus nihil agit; metus vero non tollit simpliciter voluntarium; unde in *lib. 10. ff. de eo quod metus causa &c.* sic metus definitur: *Est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.* Hic autem advertendum, quod vis accipitur pro metu. Supponendum 2. metum, alium esse ab intrinseco, alium ab extrinseco: metus ab intrinseco est ille, qui infertur a causa intrinseca vel naturali, qualis est metus mortis ex morbo, aut naufragio, &c. metus vero ab extrinseco est qui infertur a causa extrinseca & libera, nempe ab homine, & hic requiritur ad irritandum Matrimonium. Supponendum est 3. metum, alium esse gravem sive cadentem in virum constantem, alium esse levem. Dicitur metus gravis, quando grave est malum quod timetur.

Ut autem metus censendus sit gravis, requiri- 1047 tur 1. Ut malum, quod alter minatus fuerit, sit grave, saltem respectu metum passi, ex *l. Metum. 1. ff. de eo quod met. &c.* Sufficit vero quod malum sit absolute in se grave ex communi hominum opinione, quamvis non sit majus respectu ad illud, quod eligitur, ut advertunt communiter *Sanch. l. 4. D. 2. n. 3. Pont. l. 4. c. 2. ar. 2. & Boss. t. 1. c. 10. n. 13. cum Less. Nav. & Con.* Sufficit etiam, si malum timetur non solum sibi, sed aliis sibi stricte conjunctis; *Sanchez D. 4. n. 1. Pont. c. 3. n. 4. Less. l. 2. cap. 17. n. 35. Salm. c. 9. n. .. & Boss. n. 28. cum Villal. ex l. Isti quidem, ff. de eo quod &c.* Dummodo propinqui sint conjuncti saltem in quarto gradu, sive sint consanguinei, sive affines, ut *Sanch. n. 5. et Pont. n. 5.* cum aliis. Id extendunt etiam ad famulos, & domesticos, ex *c. Quicumque de Sent. exc. in 6.* & ex *Clem. 1. de Excess. Prælat.* Requiritur 2. ut prudenter (non autem vane & leviter) malum timeatur proxime inferendum; *Sanch. l. 4. D. 1. n. 17. et Salm. c. 9. ex n. 18.* Requiritur 3. ut malum nequeat alias evitari; *Sanch. et Salm. ll. cc. ac. Boss. c. 10. ex n. 15.* Requiritur 4. ut minans malum possit exequi, nisi expertus sit verbosus, qui facile minas jactat, & postea non exequitur, vel facile placatur, ut dicunt *Sanch.*

D.

D. 1. n. 19. & 20. Salm. n. 10. cum Pal. Cornejo, Dic. & Aversa, & Boss. n. 15. cum Barb. Menochio, etc. Insuper addunt *Sanch. Salm. et Boss. ll. cc.* requiri quod incutiens metum solitus sit minas exequi, ex *l. Metum, C. de his quæ vi etc.* ubi: *Metum non jactationibus tantum, vel protestationibus, sed atrocitate facti probari convenit.* Sed venia præfatorum DD. huic doctrinæ nescio acquiescere, nam etsi aliquis non sit expertus verbosus & levis, non video cur prudenter non possit timeri malum, quod vir gravis serio & ex proposito minatur. Concedunt autem ipsi *Sanchez D. 5. n. 5. et Boss. c. 12. num. 55. cum Barb. Gutt. Arag. et Rota Rom.* ex *l. 5. ff. de vi, et vi armata*, sufficere ad metum gravem incutiendum, si alii actu armati Matrimonium exposcant.

1048 Mala gravia, quorum metus irritat Matrimonium, censentur I. Mors, vel gravis cruciatus, ex *c. Cum dilectus de his quæ vi etc.* II. Exilium, ut *Sanch. l. 4. D. 5. n. 8. cum Soto, Henr. etc.* III. Carcer ex *l. Qui in carcerem. ff. de eo quod metus etc.* Hoc tamen dicunt *Sanch. n. 9. cum Soto, Redriq. et Led. ac Boss. c. 12. n. 46. cum Con. Less. Gutt. etc.* (contra aliquos) intelligendum de carcere diuturno, aut vinculis atrocibus. IV. Amissio status ex *lib. Isti, ff. eod. tit.* sive honoris, *Sanch. n. 11. et Boss. n. 42. et 43.* cum multis. V. Violatio virginis ex *dict. l. Isti*; aut viduæ honestæ; *Sanch. n. 12. et Boss. n. 45. cum Pontio etc.* VI. Ablatio famæ, puta si quis, deprehenso altero in crimine infami, comminetur eum prodere, ex *l. Nec timorem 7. ff. eod. tit.* Vide *Sanch. n. 14. et 15.* Et idem ait *Boss. n. 44. cum Pontio, Barb. etc.* de metu magnæ verecundiæ, nempe si quis, nisi contrahas Matrimonium, minetur te denudare cum publico dedecore. VII. Injusta excommunicatio (nisi facile ei possit occurri), quia hæc saltem in externo irrogat gravem notam infamiæ; *Sanchez n. 17. cum Host. Abb. et Sylv. ac Boss. n. 53. cum Pont. Azorio Con.* & aliis communiter. VIII. Amissio bonorum magni momenti, *Sanch. n. 25. cum Soto, Cord. etc. ac Boss. n. 49. cum Barb. Gutt. etc.* IX. Amissio magni lucri; sed recte ajunt *Sanch. n. 28. et Boss. n. 62. cum Pont. et Con.* hoc intelligi tantum, quando metum passus habet jus ad illud lucrum vel saltem ne ab illo injuste impediatur, quia alias non esset pati metum damni, sed potius allici ad spem lucri. Advertit autem *Sanch. d. D. 5. n. 5.* quod ubi causa metus non est in jure expressa, arbitrio Judicis definienda est.

1049 Ut autem metus irritet Matrimonium, requiritur I. ut sit ab extrinseco sive ab homine; non autem ab intrinseco, ut communiter docent *Sanch. l. 4. D. 1. n. 2. Pont. l. 4. c. 19. n. 5. Bon. p. 8. a n. 16. Ronc. p. 162. q. 3. R. 2. Boss. c. 13. n. 7. et Salm. c. 9. n. 41. cum Soto, Cov. Aversa, Candido*, & communi. Requiritur II. ut metus incutiatur ad finem contrahendi Matrimonium, *Sanch. l. 4. D. 12. n. 3. Bon. l. c. Holzm. num. 579. Ronc. l. c. R. 3. et Salm. n. 51. cum Pont., Soto, Trull. Henr.* & communi; & patet ex *c. Cum locum, et c. Veniens de Spons.* Requir. III. ut metus sit injuste incussus; *Sanch. d. num. 3. Bon. p. 8. n. 8. Holzm. et Ronc. ll. cc.* Unde si pater inveniret stupratorem suæ filiæ, & minas illi incuteret mortis ad extorquendum Matrimonium, equidem Matrimonium esset nullum, ut habetur in dicto *c. Veniens de Spons.* Secus vero, si comminaretur mortem ad ulciscendam injuriam, & stuprator ad se liberandum iniret nuptias, quia tunc metus non fuisset ad Matrimonium extorquendum; ita communiter *Sanch. l. c. v. Quarto, Pont. n. 10. Bonac. n. 22. Salm. n. 46. et 47. et Boss. n. 188. cum Host. Abb. Con. Henriq. Gutt. Vill. Hurt. etc.* Idem dicendum si pater minetur accusare stupratorem apud Judicem, & ille ne accusetur duceret filiam; *Busemb. ut supra, Sanch. l. c. et Boss. n. 189.* Idem si Judex includeret stupratorem in carcerem, ut puellam ducat vel dotet (juxta præscriptum in *c. 1. et 2. de Adulter.*), & ille Matrimonium iniret. E converso nullum esset Matrimonium, si absolute eum cogeret ad ducendum, quia de jure ille non tenetur absolute eam ducere, sed vel ducere, vel dotare, ut recte dicunt *Sanch. l. 4. D. 13. n. 7. Pont. lib. 4. c. 19. n. 14. in fin. Boss. n. 173.* cum aliis. Nisi (excipiunt) stuprator ille nollet, vel non posset alia via damnum resarcire; & merito, quia stuprator, quando non dotat, omnino tenetur ducere violatam, ut docent *Lugo de Just. D. 12. n. 51. Tamb. de Rest. c. 5. n. 27. Salm. eod. tit. c. 3. n. 9.* cum aliis communiter.

Dubit. 1. Si Judex injuste damnaret reum ad 1050
mortem, & promitteret eum liberaturum, si ducat suam filiam, an valeret tale Matrimonium? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Sanch. lib. 4. D. 12. n. 1. et Salm. de Matr. c. 9. n. 49. cum Cov. Avers. Dic. Trull. et Candido.* Ratio (ut ajunt), quia tunc non incutitur illi metus ad extorquendum Matrimonium, sed ei offertur modus se liberandi, Matrimonium ineundo. *Secunda* tamen verior sententia negat, & hanc tenent *Pont. l. 4. c. 19. n. 9. Boss. c. 12. n. 186. Dian. p. 4. tr. 7. R. 222. cum Cov. Gutt. Ledesm. et Vega.* Ratio, quia tunc metus jam oritur ab extrinseco, nempe a Judicis injustitia; licet enim a principio damnatio illa non sit facta ad extorquendum Matrimonium, tamen revera ad hunc finem saltem incutitur sententiæ executio, a qua Judex teneretur abstinere. Secus vero dicendum cum *Bossio*, quando alius tertius offerret ei liberationem, si ejus filiam duceret; hic namque nullo modo incuteret metum, sed potius offerret modum vitandi metum.

Dubit. 2. Quid si reus juste meretur mortem, 1051
& judex offert ipsi liberationem, si filiam ducat? Negat pariter *Pont. l. 4. c. 19. n. 13. cum Rebell.* valere tale matrimonium, & consentiunt *Molina, et Bon. ap. Boss. c. 12. n. 184.* quia, licet Judex juste damnaret illum ad mortem, injuste tamen ab eo consensum extorqueret ad Matrimonium, ad quod reus non tenetur, nisi esset in compensationem delicti, nempe si existeret consuetudo, ut condonetur vita reo qui ducit uxorem, vel filiam occisi, juxta id quod ait *Sanch. l. 4. D. 12. n. 12.* Probabilius vero affirmant valere *Boss. l. c. et Sanch. n. 11. cum Covar. Præpos. Vega, Led. Gutt.* & *Palac.* Ratio, quia tunc non infertur metus a Judice, sed potius aufertur, & quamvis

Ju-

Judex injuriam irroget legi, reo tamen favorem præbet.

1052 Dubit. 3. Quid si judex secundum allegata & probata cogeret ad Matrimonium aliquem, qui revera esset innocens? *Prima* sententia dicit validum esse Matrimonium, & hanc tenent *Sanch. l. 4. D. 13. n. 8. Bon. p. 8. n. 14. Boss. c. 12. n. 186. et Dic. et Trull. ap. Salm. c. 9. n. 50.* Ratio, quia hujusmodi coactio jam approbatur a jure Canonico, unde credi non potest quod ab ipso jure tale Matrimonium dirimatur, cum de jure naturali jam sit validum, juxta sententiam multorum, ut infra *n.* 1054. *Dub. 5. Secunda* vero sententia probabilis, & forte probabilior dicit, Matrimonium esse nullum, & hanc tenent *Pont. l. 4. c. 29. n. 11. Tourn. t. 2. p. 163. v. Sed quid, Diana p. 4. tr. 4. R. 33. et Salm. c. 9. n. 51. cum Aversa, et Dicast.* probabilem putant. Ratio, quia sententia Judicis fundatur in falsa præsumptione, & ideo non obligat; unde licet Judex juste decernat secundum allegata, non tenetur tamen patiens secundum rei veritatem Matrimonium contrahere. Nec valet dicere, credi non posse reprobari a jure Canonico, quod ab eodem approbatur. Nam hoc valeret, si metus irritaret Matrim. tantum de jure Ecclesiastico, sed valde probabile est metum irritare etiam de jure naturæ, ut videbimus *d. Dub. 5. seq.*

1053 Dubit. 4. An si Medicus nollet mederi ægrotum, nisi contrahat cum sua filia, valeat Matrimonium? Affirmant absolute *Sanch. l. 4. D. 12. n. 15. cum Led. Cord. Vega, et Lop. ac Bon. p. 8. n. 23. cum Sa, Con. Fill. etc.* communiter. Ratio, quia tunc metus non incutitur extrinsece a Medico, sed intrinsece ab ipso morbo. Sed melius distinguunt *Pont. l. 4. c. 19. n. 13. et Salm. c. 9. n. 54. cum Avers. et Reb. ac Boss. c. 12. ex n. 191.* & dicunt quod si Medicus non tenetur ex justitia curare infirmum, tunc utique validum est Matrimonium; secus si tenetur ex justitia, quia tunc metus, licet principaliter oriatur intrinsece ab infirmitate, tamen oritur etiam ab extrinseco, nempe a curationis denegatione, quæ vere est grave damnum. Et idem dicendum ajunt *Salm. et Boss. cum Conc.* si necessitas urgeret, & alius non deesset, quamvis Medicus tantum ex charitate teneretur ad curandum.

1054 Dubit. 5. An metus irritet Matrimonium de jure naturæ, aut Ecclesiastico? *Prima* sententia dicit irritare de jure Ecclesiastico, & hanc tenent *Sanch. l. 4. D. 14. n. 1. Laym. l. 3. tr. 4. c. 6. n. 3. Bon. p. 8. n. 8. Less. l. 2. c. 17. n. 47. Conc. p. 206. n. 21. Cont. Tourn. t. 2. p. 171. Ronc. p. 162. q. 2. R. 1.* cum communi ut asserit, *et Salm. c. 9. n. 7. cum Gonet, Soto, Valent. Pal. Led. etc.* Ratio, quia in tali Matrimonio jam adest sufficiens voluntarium, & licet libertas ex metu minuatur, ex tali tamen diminutione nequit reddi nullum Matrimonium; nam alias irritari deberet etiam ex metu intrinseco, quod nemo dicit: cum autem hujusmodi Matrimonium naturaliter sit illicitum, merito Ecclesia illud irritat. *Secunda* vero sententia non minus probabilis, & forte probabilior tenet metum irritare Matrimonium de jure naturæ; hanc tenent *Pont. lib. 4. c. 14. n. 4. Nav. c. 22. n. 51. Diana p. 4. tr. 4. R. 35. Boss. c. 12. n. 269. cum Mol. Cov. Med. Comit. Reb. Vill. et Holzm. n. 583. cum Scoto* & Scotistis communiter ut asserit; eamque expresse tenet etiam *D. Th. suppl. q. 47. art. 3.* ubi ait: *Vinculum Matrimonii est perpetuum, unde illud quod perpetuitati repugnat; Matrimonium tollit. Metus autem qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia potest repeti restitutio in integrum; et ideo hæc coactio metus, quæ cadit in constantem virum, tollit Matrimonium, et non alia.* Prima ratio igitur est hæc *D. Th.*; dicit enim S. Doctor, quod omnes contractus metu initi non sunt firmi & perpetui, ac ideo per restitutionem in integrum rescindi possunt; contractus autem Matrimonii, cum sit per se perpetuus, & indissolubilis, non aliter gaudere potest restitutione in integrum, nisi ab ipso jure naturali dispositum, sit quod ab initio sit nullus. Ratio secunda est, quia Matrimonium est vinculum perpetuum mutui amoris inter Conjuges, ut ex *Matth. 19. Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Unde, quando ob metum Matrimonium contrahitur, oportet de se esse nullum, alias cum metu non potest mutuus amor consistere; nemo enim adhærere solet rei quam tenet invitus. Ratio tertia, quia si tale Matrimonium naturaliter valeret, natura approbaret actum ex quo gravissima mala contra commune bonum orirentur, nempe quod sæpe innocens cogeretur vitam duram ducere, & reus commodum ex sua iniquitate reportaret: quæ non sunt naturali rationi consonæ. Valide insuper confirmatur hæc sententia ex *c. Cum locum. 14. de Spons.* ubi sic habetur: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cujusquam requiritur, coactionis materia repellatur; Matrimonium autem solo consensu contrahitur; & ubi de ipso quæritur, plena debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, & sequatur exitus qui de invitis solet nuptiis provenire.* Observa igitur, quod in hoc textu non loquitur Pontifex tanquam aliquid novum statuens, sed potius ut jus naturale declarans & promulgans: quod probat, Matrimonium ex ipso jure naturæ esse nullum.

Dubit. 6. An metus levis irritet Matrimonium? 1055
Affirmant *Lugo de Just. D. 22. n. 141. in fin. Nav. c. 22. n. 51. Tamb. Dec. l. 1. §. 6. n. 12. Viva de Matr. q. 4. ar. 2. n. 6. et Cov. Rodr. Man. et Veracr. ap. Salm. c. 9. n. 19.* & probabilem putant *Sanch. de Matr. l. 4. D. 17. n. 2. Tamb. Dec. l. 1. §. 6. n. 12. et Viva de Matr. q. 4. art. 2. n. 6.* Verius tamen negant *Bus.* ut supra cum communi. *Pont. l. 3. c. 18. n. 2. Pal. de Peccat. D. 1. p. 12. n. 1. Tamb. et Viva ll. cc. Boss. c. 12. n. 163. et Sanch. l. c. n. 3. cum D. Bonav. Soto, Palud. Arm. Arag. et* aliis communissime, *D. Th. suppl. q. 47. art. 3.* ubi: *Coactio metus quæ cadit in constantem virum, tollit Matrimonium, et non alia.* Ratio, quia Matrimonium initum ex metu levi neque est nullum de jure naturali, neque de jure positivo; non de jure naturali, quia non censetur invitus contraxisse, qui contraxit ex metu levi, quem facile repellere poterat: vide dicta *n.* 718. Neque de jure positivo, nam ad hoc

(ut

(ut patet ex *c. Veniens 2. de Spons. & c. Consult. de iis quæ vi &c.*) sola Matrimonia ex metu gravi inita, invalida declarantur; & merito, nam alias, si adhuc ex levi metu redderentur nulla, innumera Matrimonia dissolverentur.

1056 Dub. 7. An metus reverentialis sufficiat ad invalidandum Matrimonium? Metus reverentialis est ille, quo quis veretur resistere ei cui subjicitur, nempe patri, matri, avo, socero, marito, Regi, Domino, Prælato, tutori, & curatori, ut communiter docent DD. cum *Sanch. l. 4. D. 6. ex n. 24.* Item etiam patruo aut patrueli, vel fratri majori, si cum eis metum passus habitet, & ab ipsis alimenta recipiat; *Sanch. ex n. 31. & Boss. c. 10. n. 85. cum Pont. Gutt. Men. &c.* Ad dubium autem deveniendo, prima sententia quam tenet *Abb. Nav. Immola*, & alii Canonistæ *ap. Sanch. l. c. n. 3.* dicit purum metum reverentialem, si est principalis causa Matrimonii, illud irritare. Ratio, quia metus sine quo Matrimonium non fieret, jam liberum aufert consensum. *Secunda* vero sententia communis & recepta, quam tenent *Less. l. 1. c. 17. dub. 6. Sanch. n. 7. cum Soto, Palud. Henriq. & Sa, Bon. p. 8. n. 6. cum Suar. Val. Mol. & Reb. ac Boss. c. 10. n. 99. cum Laym. Con. Barb. Gutt. Cov. Vill. &c.* ac Decis. Rotæ Rom. dicit non sufficere puram reverentiam, sed requiri, ut adjungantur aut verbera, aut minæ, aut timor alicujus gravis mali, puta odii, diuturnæ indignationis &c. Ratio, quia purus metus reverentialis per se non est gravis, prout requiritur ad contractum irritandum; idque expressum habetur in *l. Interpositas, C. de Transact.* ubi: *Non quilibet metus, ad rescindenda ea quæ consensu terminata sunt, sufficit, sed talem metum probare oportet, qui salutis periculum, vel corporis cruciatum contingat.* Præterquamquod bene ait *Pont. l. 4. c. 5. n. 4.* quod purus metus reverentialis sine apprehensione alterius gravis mali, non est metus, sed reverentia, quæ non inducit metum alicujus mali, sed tantum quandam erubescentiam, quæ verius non ab extrinseco, sed ab intrinseco provenit.

1057 Dubit. 8. An in Matrimonio contracto ex metu gravi possit resilire ille qui metum incussit? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenet *Busemb.* ut supra. *Sanch. l. 4. D. 15. n. 5. cum Soto, Henr. Man. Arag. Pal. D. 2. p. 12. n. 2. cum Hurt. Ochag. Vill. & Gutt. Diana p. 3. tr. 4. R. 229.* & probabilem putat *Bon. p. 8. n. 33.* Ratio, tum quia in contractu Matrimonii nequit alter esse obligatus, altero libero remanente; tum quia incutiens metum non tenetur stare Matrimonio neque ratione contractus, neque ratione injuriæ illatæ; non ratione contractus, quia ex contractu nullo nulla consurgit obligatio; non ratione injuriæ, quia hæc injuria non censetur tanta, ut non possit nisi per Matrimonium resarciri. *Secunda* vero sententia negat, eamque tenet *Nav. c. 21. n. 51. Bon. l. c. Pont. l. 4. c. 15. n. 3. cum Coninck & Salm. c. 9. n. 17. cum Avers. Henriq. Trull. Leand. &c.* Ratio, quia, nemo debet ex suo crimine commodum reportare. Hæc autem sententia una cum præfata ratione maxime probatur ex *c. Propositum 1. de eo qui dux. &c.* ubi, cum quidam conjugatus aliam uxorem duxerit, insciam prioris Matrimonii, mortua deinde prima uxore, Pontifex decrevit virum teneri stare secundo Matrimonio, si mulier voluerit, hanc rationem adducens: *Nec dignum est, ut prædictus vir lucrum de suo dolo reportet.* Nec valet dicere, quod ibi sermo sit de dolo, non metu, nam in *c. Contingat, de Jurejur.* dolus & metus æquiparantur. Imo ait *Lugo de Contract. D. 22. n. 119. v. Quarto*, quod jura majorem censent injuriam irrogari per metum, quam per dolum; unde quod in textu disponitur de dolo, æque & forte potius intelligendum de metu. Hinc fit quod, licet metum incutiens non remaneat obligatus vi contractus; remanet tamen obligatus ratione injuriæ. Utraque sententia est probabilis, sed hæc secunda videtur probabilior, maxime si metus non possit probari, quia tunc, cum Ecclesia cogat metum passum ad cohabitandum, tale gravissimum incommodum non est reparabile nisi per verum Matrimonium, & tanto magis si pars metum passa fuerit femina, quæ alias, soluto Matrimonio semper aliqua infamia remaneret notata. Et huic consentit etiam *Pal. l. c.* ubi dicit primam sententiam tantum locum habere, quando injuria posset alia via reparari.

„ Dicitur VIII. *Ordo*, scilicet sacer, sive ma- 1058
„ jor, quem qui non coactus susceperit, invalide
„ Matrimonium contrahit, ut vide *supra de Sa-*
„ *cram. Ordinis*, & hic *Impedimento tertio*".

Certum est Ordinem Sacrum dirimere Matri- 1059
monium, ut habetur in *c. Diacono, et c. Litterarum. Qui Cler. vel vovent., et in Extrav. Antiqua de Voto.* Sed dubitatur, an Ordo Sacer dirimat Matrimonium ex jure divino, vel Ecclesiastico? *Prima* sententia, quam tenent *Major. Barb.* & alii *ap. Sanch. l. 7. D. 28. n. 9.* dicit dirimere jure divino, quia in *c. un. de Voto in 6.* votum solemne Ordinis Sacri æquiparatur professioni religiosæ, quæ de jure divino jam irritat Matrimonium, juxta probabiliorem sententiam, quam tenuimus, *n. 1025. Secunda* vero sententia communior & probabilior docet dirimere de jure Ecclesiastico; ita *D. Th. in 4. D. 37. q. 1. art. 1.* ubi: *Sed quod* (Ordo) *impediat Matrimonium, ex constitutione Ecclesiæ habet, Bellarm. l. 1. de Cleric. c. 18. Pont. l. 7. c. 22. Pal. D. 4. p. 6. n. 5. Cont. Tourn. t. 2. p. 272. Bon. p. 9. n. 12. Holzm. n. 487. Spor. n. 45. cum Scoto, Suar. et Perez, ac Sanch. l. c. n. 12. cum S. Bonav. Alberto Magno, Soto, Cajet. Vict. Palac. etc.* Ratio, quia Ordo per se non dirimit Matrimonium, cum status Ordinis per se non repugnet statui conjugali, ut patet in Græcis; ergo Ordo dirimit tantum ratione voti castitatis; votum autem non dirimit Matrimonium, qua votum, quia votum tantum impedit Matrimonium, sed qua solemne; at solemnitas est solum ex jure Ecclesiastico; duntaxat igitur ex jure Ecclesiastico Ordo dirimit Matrimonium. Ac proinde bene potest Papa dispensare cum ordinatis in Sacris, non vero cum Sacerdotibus, juxta dicta *n. 807.* & *808.* Quamvis referat *Conc. Tourn. t. 2. p. 172.* olim Benedictum IX. permisisse Ranimiro Presbytero Religionem professo, ut labentem Aragoniæ prosapiam editis liberis propagaret. Quomodo autem votum solemne Clericorum dirimat Matrimonium? Vide dicta ex *n. 808.*

„ Dicitur IX. *Ligamen*, propter quod, quan- 1060
„ diu quis ligatus est conjugi adhuc viventi, inva-
„ li-

„ lide contrahit cum alio, quanquam licite, & si-
„ ne peccato, si moraliter sit certus de morte
„ conjugis: qui si postea compareat, tenetur ad
„ eundem redire; dimisso posteriore. Vide *Bon. p.*
„ 10. * (*vide dicta n.* 901. *et* 903.) *

1061 „ Dicitur X. *Honestas*, hoc est justitia publi-
„ cæ honestatis, ob quam nemo potest contrahe-
„ re cum consanguineis illius, cum qua contra-
„ xit sponsalia, vel matrimonium ratum. Et qui-
„ dem ante Tridentinum, & jure antiquo, hoc
„ impedimentum dirimit matrimonium inter spon-
„ sum, & consanguineos sponsæ usque ad 4. gra-
„ dum, oriturque ex sponsalibus quibuscumque,
„ etiam invalidis (præterquam ex defectu con-
„ sensus); jure vero novo Tridentini non oritur,
„ si sponsalia sint invalida, & irritat tantum u-
„ sque ad primum gradum, si ex sponsalibus: ad
„ quartum vero, si ex matrimonio rato sequatur.
„ * (*Etiam ex Matrimonio rato nullo* (*nisi*
„ *nullitas sit ex defectu consensus*) *oritur impe-*
„ *dimentum Publicæ Honestatis usque ad quar-*
„ *tum gradum, ut notat Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 681.
„ *et P. Zacharia ib. ex mente S. C. et Card.*
„ *Lambertini*). * Vide *Bon. p.* 11. *Sanch. l.* 7.
„ *d.* 67. *Fill. t.* 10. *p.* 2. *c.* 6. Notat etiam *Dian.*
„ non oriri ex sponsalibus mutuo consensu disso-
„ lutis, *p.* 3. *t.* 4. *R.* 22. *ex Pont.* & aliis 3. con-
„ tra *Sanch.*; * (*Neque ex sponsalibus incer-*
„ *tis, ut habetur in c. un. de Spons. in* 6. *incer-*
„ *ta autem sponsalia sunt, si v. gr. fuerint con-*
„ *tracta cum persona incerta, puta cum una ex*
„ *filiabus Petri*) *, uti neque ex conditionatis,
„ donec conditio sit impleta, *p.* 9. *t.* 6. *R.* 513. *ex*
„ *Optat.* * (*Ita Sanch. l.* 7. *D.* 69. *n.* 1. *et Salm.*
„ *c.* 12. *n.* 91. *cum Pal. Bon. et comm. Et cer-*
„ *tum est ex Decl. Bonif. VIII. ap. Cont. Tourn.*
„ *t.* 2. *p.* 179. *ubi dictum, fuit*. Qui sponsalia cum
„ aliqua muliere sub conditione contraxit, si post-
„ modum ante conditionis eventum cum alia prio-
„ ris consanguinea per verba contraxerit de præ-
„ senti, cum secunda remanere debebit) * Ori-
„ ri tamen ex matrimonio invalido (nisi sit ta-
„ le ob defectum consensus. *p.* 9. *t.* 6. *R.* 50.),
„ ex declaratione Pii V. atque adeo etiam ex clan-
„ destino, *ibid.* R. 53. *ex. Pont. Pal. Hurt. Per.*
„ &c. contra *Sanch.* & *Præp.* "

1062 Breviter discutiamus quæstiones ab Auctore hic vix enunciatas. Quær. 1. an oriatur impedimentum publicæ honestatis ex Matrimonio nullo? Prænotandum, quod si nullitas sit ex alia ratione, quam ex defectu consensus, certum est induci impedimentum ex Matrimonio nullo, cum in hoc minime sit correctum a Tridentino jus antiquum, ut dicunt *Sanch. l.* 7. *D.* 70. *n.* 5. *Pont. l.* 7. *c.* 35. *n.* 3. *et* 5. *Pal. D.* 4. *p.* 10. *n.* 5. *Bon. p.* 11. *n.* 10 *et Salm. c.* 12. *n.* 83. *cum communi*. Dubium est, an detur impedimentum, si nullitas sit ex defectu consensus? Affirmat *Sanch. l.* 7. *Dist.* 68. *n.* 14. *Pont. c.* 36. *n.* 10. *et Sylv. Henr. et Leand. ab. Salm. n.* 14. si defectus sit occultus. Et pariter dicunt isti oriri impedimentum ex sponsalibus nullis ob quemcumque defectum occultum, si contra in foro externo sint valida: quia, ut ajunt, hoc impedimentum introductum est ab Ecclesia ad evitandam indecentiam, quæ jam appareret, si publice sponsalia haberentur ut valida. Sed *Pal. p.* 10. *n.* 7. *Bon. p.* 11. *n.* 3. *Cont. Tourn. t.* 2. *p.* 178. *Conc. p.* 329. *n.* 3. *et Salm. n.* 85. cum *Dic. Avers. Con. Hurt. Led. etc.* probabilius dicunt ex Matrimonio nullo ex defectu consensus, & ex sponsalibus ex quocunque defectu (præcise consensus) nullis, nullum oriri impedimentum. Nam quoad sponsalia Concilium Tridentinum indistincte dixit, sponsalia quacumque ratione invalida, nullum parere impedimentum, quod intelligendum, sive defectus fuerit publicus, sive occultus. Circa autem Matrimonium in *c. un. de spons. in* 6. sancitum etiam universe fuit, ex Matrimonio nullo ex defectu consensus non oriri impedimentum. Atque ita confirmasse S. Congr. Cardinalium testantur *Barb.* & *Far.* apud *Salm. n.* 85.

Quærit. 2. an ex sponsalibus mutuo consensu, 1063
vel ex alia justa causa dissolutis oriatur impedimentum? Negant *Pont. l.* 7. *c.* 35. *n.* 9. *Pal. p.* 10. *n.* 9. *cum Hurt. Gutt. et Farin.* ex D. S. C. ubi fertur dictum fuisse, invalida esse sponsalia soluta de consensu. Sed verius affirmant *Sanch. lib.* 7. *D.* 78. *n.* 20. *Cont. Tourn. p.* 179. *Conc. p.* 330. *n.* 5. *et Salm. c.* 12. *n.* 68. *cum Sot. Laym. Bon. Per. Dic. Avers.* & sic omnino tenendum (recte ait *Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 683.) ob Declarationem S. C. approbatam ab Alex. VII. die 6. Jul. 1668. quam affert etiam *Pitton. de matr. n.* 1397. ubi Pontifex prohibuit quod deinceps hæc resolutio in dubium revocetur. Et ratio est, quia in Trident. *sess.* 24. *c.* 3. dicitur quod sponsalia valida dirimunt Matrimonium usque ad primum gradum: unde cum ex sponsalibus validis jam sit ortum impedimentum, hoc amplius non potest auferri per voluntatem Sponsorum, vel aliam causam supervenientem.

Quær. 3. an inducatur hoc impedimentum ex 1064
Matrimonio nullo, eo quod fuerit clandestinum? *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Sanch. l.* 7. *D.* 70. *n.* 31. *cum Palud. Nav. Sa, etc. ac Con. ac Dic. ap. Salm. c.* 12. *n.* 84. & probabilem putat *Spor. n.* 66. Ratio, quia (ut ajunt) Bonif. VIII. *in c.* 4. *et* 8. *de spons.* definivit non oriri impedimentum Publicæ Honestatis ex Matrimonio nullo per defectum consensus; tale autem Matrimonium clandestinum dicunt vere ex defectu consensus esse nullum, cum careat eo consensu quem exigit Ecclesia; ergo non parit impedimentum. *Secunda* tamen verior sententia affirmat, & hanc tenent *Pont. l.* 7. *c.* 36. *n.* 5. *Pal. p.* 10. *n.* 3. *Pign. l.* 4. *Cons.* 15. *n.* 2. *Cont. p.* 330. *n.* 4. *Cont. Tourn. p.* 180. *Holzm. n.* 602. *Ronc. p.* 164. *q.* 2. *R.* 4. *et Salm. c.* 12. *n.* 86. *cum Laym. Bon. et Avers.* Ratio, quia de jure antiquo ex *dict. c. unic. de spons. in* 6. (quod etiam nunc viget, ut declaravit S. Pius V. apud *Salm. n.* 8.) tantum ex Matrimonio nullo directe ob defectum consensus, non autem ex alia causa impedimentum excusatur. Et sic declarasse S. Congreg. Cardin. refert *Holzm. l. c. ex Gall. c.* 3. *ad sess.* 4. *Trid.* ubi dictum fuit. *Præsupposita Declaratione per Constitutionem S. Pii V. super hoc Decreto, censuit Congr. oriri impedimentum Publicæ Honestatis ex sponsalibus per verba de præsenti etiam nulliter contractis, omissa forma decreti Conc. Trid. s.* 24. *c.* 1. nempe clandestine sine parocho & testibus.

No-

Notandum hic id quod habetur in *l. un. de sponsal. in* 6. nempe quod Matrimonium ratum invalidum non inducit impedimentum in præjudicium priorum sponsalium. Unde si quis post sponsalia valide contracta cum una, ducat ejus sororem, antequam rem habeat cum secunda, potest & tenetur contrahere cum prima, cum Matrimonium fuerit nullum.

„ Dicitur XI. *Ætas*; quia ad valorem matri-
„ monii jure Ecclesiastico requiritur annus 14. vi-
„ ri, & 12. feminæ completus, nisi tamen mali-
„ tia ætatem suppleat, hoc est, adsit & doli capa-
„ citas, & potentia ad copulam, de quibus judi-
„ care prudentum est. *Laym. c.* 12. *n.* 1. *ex c. De*
„ *iis*, & *c. ult. de Despons. Impub.*

1065 Certum est quod Matrimonium impuberum per se est nullum, ut habetur ex *c.* 6. 10. *et* 14. *de Despons. impub.* Et hoc etiamsi pauci deessent dies ad ætatem pubertatis, ut communiter docent *Sanch. l.* 7. *Dist.* 104. *n.* 1. *et* 3. *Pont. l.* 7. *c.* 65. *n.* 1. *Pal. D.* 4. *p.* 14. §. 4. *n.* 1. *Escob. l.* 27. *n.* 525. & alii (contra paucos), ut clare probatur ex dict. *c.* 2. *et c.* 11. *Ex litteris eod. tit.* ubi: *Donec compleat puer annum decimum quartum, exspectet*. Ante autem ætatem hanc præscriptam commune est Matrimonium non esse nullum de jure naturæ, sed tantum Ecclesiastico: *Sanch. n.* 9. *Contin. Tourn. p.* 215. *v. Quod. Pont. et Pal. l. c.* ac alii passim. Dicunt vero Canones validum esse Matrimonium, si malitia suppleret ætatem, ut habetur in *c. De illis* 9. *et c. Puberes eod. tit.* ubi: *Certum autem est eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare jam potest*. Docent vero *D. Th. in* 4. *Dist.* 36. *q. un. art.* 5. *et Sanch. l.* 7. *D.* 104. *n.* 21. *cum Abb. Sylv. Sot. Ang. Cov. Tab. etc.* non sufficere ad valorem Matrimonii solam potentiam generandi, ut volunt *Host. Præpos. Henriq. etc. ibid. n.* 20. sed insuper requiri discretionem ad intelligendam vim consensus conjugalis; cum enim tale vinculum sit perpetuum, perfectus exigitur consensus, ut infertur ex *c. fin. de Desp. impub.* ubi hæc malitia prudentia nuncupatur. Plura autem assignant DD. signa, ex quibus conjiciatur impuberes posse generare, verbi gr. si puer jam habuerit copulam, vel si jam sit aptus ad effusionem seminis, vel si puella jam habuit menstruum. Hæc tamen signa non admittuntur, nisi Sponsi sint proximi ad pubertatem, ut ex dicto *cap. Continebatur*, vide *Sanch. ex n.* 30. In quanam autem ætate quis dicendus sit pubertati proximus, alii *ap. Sanch. ex n.* 37. dicunt, si desint tres dies, alii sex menses, alii tres anni, *Pal. l. c.* si desit annus; *Sanch.* vero *n.* 40. *et Pont. n.* 5. dicunt id relinquendum prudentiæ Judicis, qui spectare debet qualitatem personæ, temperiem regionis, &c. Ait autem *Tourn. p.* 215. quod si certo constaret de Matrimonii consummatione, v. g. si puella jam concepit, iniquum erit eos separare. Addit idem *Tourn. l. c. v. Hæc, cum Nav.* posse Papam dispensare cum Principibus, si aliquando expedit conjungi impuberes ob bonum pacis, ex *c. Ubi* 2. *de Despons. impub.* in quo interdicuntur impuberes a Matrimonio, *nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur*.

Quæritur hic, an si ætate completa pubertatis, puer non valeat coire, nullum sit Matrimonium? 1066
Affirmant *Abb. et Veracr. ap. Sanch. lib.* 7. *D.* 104. *n.* 14. eo quod in *cap. Puberes, de Despons. impub.* dicuntur ii esse puberes, qui possunt generare; ergo (inferunt) qui generare nequeunt, impuberes, potius sunt dicendi, & inepti ad nuptias. Communiter vero negant *Pal. D.* 3. *p.* 14. §. 4. *n.* 5. *Escob. l.* 27. *n.* 541. *Sanch. l. c. n.* 15. *cum Sylv. Host. Præp. Nav. Cov. Henr. etc.* Ratio, quia in jure tantum habetur, ad Matrimonium requiri ætatem pubertatis; licet autem dispositum sit in textu præfato & aliis valere Matrimonium inter impuberes, si potestatem habeant generandi, tamen nullo jure habetur Matrimonium esse nullum inter puberes, si potentia generandi careant; tunc enim impotentia potius judicanda est temporalis; unde dicunt aliqui, his dandum esse biennium vel triennium ad experiendum; sed communius censent *Pal. n.* 6. *Pont. l.* 7. *c.* 65. *n.* 1. *Escob. n.* 543. *cum Henr. Sylv. et Præp. et Sanch. n.* 18. *cum Aba. Host. Ang. Tab. etc.* exspectandum in viro usque ad annum 18. & femina usque ad 14. quia tunc natura perfecto robore pollet. Neque hic procedit regula triennii in *c. Laudabilem de Frig. & malef.* illa enim procedit quando impotentia provenit ex frigiditate, vel alio impedimento, non vero quando provenire potest ex imbecillitate ætatis.

Matrimonium autem senum, quantumcumque decrepitorum, validum est, modo possint saltem arte medicinæ copulam habere; ita communiter *Sanch. l.* 6. *D.* 92. *n.* 19. *et* 20. *et Salm. c.* 21. *n.* 126. *cum D. Th. et aliis passim*. Secus dicendum (contra *Nav. & alios*), si omnino sint impotentes, ut *Sanch. n.* 23. *cum Ang. Sylv. Lop. Scot. Rich. & Boss. c.* 7. *n.* 190.

„ Dicitur XII. *Affinis*. Est autem affinitas, 1067
„ propinquitas personarum nata ex copula carna-
„ li, sive licita, sive illicita. Utraque, jure sal-
„ tem Ecclesiastico, dirimit matrimonium: illa
„ usque ad 4. gradum inclusive, hæc vero jure
„ novo, usque ad secundum tantum. Et quidem
„ si antecedat matrimonium, nam si superveniat,
„ v. gr. si Titius cognoscat uxoris suæ cognatam
„ in secundo gradu, non dirimit; licet is, qui
„ peccavit, non possit petere debitum, sed red-
„ dere. Porro gradus, & lineæ affinitatis accipiun-
„ tur, sicut in consanguinitate, ita ut qui est u-
„ xoris consanguineus in primo gradu, sive rectæ,
„ sive transversæ lineæ, is sit affinis marito in
„ eodem gradu lineæ rectæ, vel transversæ. Deni-
„ que omnis affinitas quæ oritur ex affinitate, sub-
„ lata est per Concil. Lateran. V. *Laym.* & *Bon.*
„ *pag.* 12.

„ 1. Is, qui fornicatus est cum sorore sponsæ 1068
„ suæ, cum neutra potest valide contrahere, ci-
„ tra dispensationem, imo nec cum earum con-
„ sobrina, vel matertera. * (*Sic pariter censuit*
„ *S. C. ut refert P. Zach. ap. Croix l.* 6. *p.* 3.
„ *ad n.* 693. *posse contrahi Matr. inter virieum*
„ *& uxorem quæ fuit privigni*) *.

„ Si quis post dispensationem rursus cognoscit 1069
„ eandem sororem Sponsæ, non eget nova dispen-
„ satione; vide *n.* 1140.

„ 2. Potest quis ducere affinem fratris sui etiam

„ in

„ in primo gradu, v. g. duo fratres possunt du-
„ cere duas sorores, imo pater, & filius possunt
„ ducere matrem, & filiam. *Laym.*

„ Titius 3. potest successive ducere Titiam, &
„ Bertam, quæ fuerunt uxores Caji, & Sempro-
„ nii fratrum.

„ 4. Titius, qui duxerat sororem Caji, potest
„ post mortem Caji, ejusque sororis ducere Ber-
„ tam uxorem Caji.

Hoc igitur impedimentum affinitatis tantum contrahitur, quando vir habet rem cum consanguinea uxoris, vel uxor cum consanguineo viri; unde minime contrahitur, si a consanguineis viri habeatur copula cum consanguineis uxoris, vel e converso. Hic autem notandum, quod de jure antiquo hoc impedimentum extendebatur usque ad septimum gradum, ex *c. Nullum*, & *c. Æqualiter* 35. *q.* 3. Sed deinceps restrictum fuit ad quartum gradum in *c. Non debet*, *de Consang. & affin.* tam ex copula licita, quam illicita. Item ex Trid. *sess.* 24. *c.* 4. restricta est affinitas ex copula illicita solum ad secundum gradum.

1070 Sic de impedimento affinitatis contracto ante Matrimonium. Post vero Matrimonium, si Conjux rem habet cum consanguinea, vel consanguineo alterius Conjugis, tunc contrahit impedimentum ad petendum, ut communiter dicunt DD. modo incestus sit cum consanguineis Conjugis in primo vel secundo gradu, ut habetur ex *c. Si quis* 1. *de eo qui cognov. &c.* ubi: *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec a matre debitum petere, nec filiam umquam habere potest uxorem.* Hic igitur præscribitur impedimentum in incestum in primo gradu affinitatis. Quod autem extendatur tantum ad secundum gradum, habetur ex Declar. Greg. XIII. *ap. Boss. t.* 2. *c.* 5. *n.* 24. ubi dictum fuit: *SS. D. N. Gregor. XIII. ex sententia Congregationis dixit per hoc Decretum* (idest Trid.) *ablatum censeri impedimentum quoque superveniens affinitatis post contractum Matrimonium. Concilium sustulit tertium & quartum gradum, ergo in omnibus.*

1071 Quær. I. An uxor cognita a consanguineo viri, metu gravi coacta, privetur jure petendi. *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Pont. l.* 10. *c.* 17. *n.* 6. *& Sanch. l.* 9. *D.* 31. *n.* 4. *cum Sylu. Rich. Led. Graff. &c.* Ratio, quia id clare videtur inferri ex *c. Sacris* 5. *de Iis, quæ vi &c.* ubi cum dubium verterit, an communicans propter metum cum excommunicato excommunicationem incurrerit, Innoc. III. dixit: *Licet metus attenuet culpam, quia tamen eam non prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari.* Nec valet interpretatio aliquorum, id intelligi de metu levi; nam Pontifex aperte intelligit etiam de gravi, cum dicat, *pro nullo metu, &c. Secunda* vero sententia communior & probabilior negat, & hanc tenent *Bon. D.* 4. *p.* 2. *n.* 5. *cum Nav. & Rob. Elbel de Matr. pag.* 426. *n.* 232. *cum Tamb. & Illr.* & probabilem putant *Laym. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 14. *Pal. D.* 3. *p.* 4. §. 6. *n.* 3. *Salm. c.* 15. *n.* 28. *cum Gabr. & Ant. a Spir. S. ac Sot. & Vill. ap. Boss. t.* 2. *c.* 5. *n.* 152. Ratio, quia, sicut metus excusat a lege Ecclesiastica, sic etiam a pœna ab ipsa imposita: nec obstat textus supra oppositus, quia (ut explicant AA. præfati *cum Sot. Barb. & Vict. ap. Boss. l. c.*) textus ille intelligitur loqui de metu incusso in contemptum excommunicationis, nam extra contemptum metus gravis certe excusat a lege Ecclesiastica, & etiam ab excommunicatione, casu quo res, quæ metu agitur ex solo jure Ecclesiastico est prohibita; ut certum est apud omnes; vide dicenda *de Cens. l.* 7. *n.* 46.

Quær. II. An ignorantia excuset ab incurrendo 1072
hoc impedimento petendi? Hic distinguenda est triplex ignorantia, juris, facti, & pœnæ. Primo igitur, si adsit ignorantia *juris*, nempe si vir accedit ad consanguineam uxoris, nesciens adesse legem humanam id prohibentem, *Cord. & Man. ap. Sanch. l.* 9. *D.* 32. *n.* 46. dicunt incurrere impedimentum; & idem sentire debent *Sot. Turrec. Abb. Led. &c. ap. eund. Sanch. n.* 16. qui censent omnes pœnas Ecclesiasticas, excepta excommunicatione, incurri etiam ab ignorante legem positivam, modo ipse sciat id esse vetitum de jure naturali. Ratio (ut ajunt), tum quia obligatio ad pœnam non oritur ex scientia delinquentis, sed a voluntate Legislatoris; tum quia excusat quidem a pœna ignorantia facti, non vero ignorantia juris, ut habetur in *Reg.* 13. *jur. in* 6. Probabilius vero & communius docent non incurrere impedimentum *Nav. c.* 16. *n.* 34. *Suar.* 3. *p. D.* 77. *a.* 8. *Sanch. l. c. n.* 49. *Wigandt tr.* 16. *n.* 100. *v. Nota, Boss. t.* 2. *c.* 5. *n.* 157. *cum Pont. Avers. & Vill. Salm. cap.* 15. *n.* 30. *cum Per. Dic. et Gabr. ac Bon. q.* 4. *p.* 2. *num.* 6. *cum Sa, Led. Henr. et Reg.* Ratio 2. quia, cum pœna sit imposita a lege humana, qui cum ignorantia contra illam operatur, sicut excusatur ab ejus transgressione, ita etiam excusatur a pœna; & sic respondetur primæ rationi sententiæ oppositæ. Respondetur autem ad secundam, quod regula illa currit tantum pro foro externo, non vero pro interno.

Secundo, si adsit ignorantia *facti*, nempe si vir 1073
sciat legem Ecclesiæ prohibentem petitionem debiti, sed nesciat illam ad quam accedit esse consanguineam suæ uxoris, tunc commune est non incurrere impedimentum, ut docet *Sanch. l.* 9. *D.* 32. *n.* 47. (contra *Ovant.*) *Bon. q.* 4. *p.* 2. *n.* 6. *Pal. D.* 3. *p.* 4. §. 6. *art.* 3. *Bon. l.* 10. *c.* 10. §. 6. *n.* 9. *Boss. t.* 2. *c.* 5. *n.* 154. *Wigandt tr.* 16. *n.* 100. *et Salm. c.* 15. *n.* 30. & alii passim. Ratio, quia cum privatio juris petendi sit pœna incestus, ubi deest incestus culpa, cessat etiam pœna. Et hoc dicendum, etiamsi ignorantia fuerit crassa, ut docent etiam communiter *Sanch. n.* 36. *et* 47. *Nav. c.* 27. *n.* 12. *Pont. l.* 10. *c.* 6. *n.* 10. *et Boss. l. c. n.* 160. *cum Pal. Bon. Con. Hurt. etc.* (contra *Toletum*, & quendam alium Auctorem). Et ratio patet ex textu citato, *Si quis* 1. *de eo, etc.* ubi imponitur hoc impedimentum tantum *scienter* peccanti, juxta verba relata *n.* 1070. Excipiunt tamen *Sanch. n.* 29. *et Boss. num.* 162. *cum Suar. Bon. Reg. Diana, etc.* (contra *Hurt. Vasq. Sylu. etc.*) nisi ignorantia sit adeo crassa, ut videatur ingens temeritas ignorare; talis enim ignorantia crassissima æquiparatur dolo, ex *l.* 3. §. *Gener. ff. de Dolo, etc.*

An autem excuset ignorantia affectata? Vide dicenda *de Censur. l.* 7. *cap.* 48.

Ter-

1074 Tertio, si adsit ignorantia *pœnæ*, nempe si quis habeat scientiam legis & facti, sed nesciat pœnam non petendi, dubitatur, an hæc ignorantia excuset? *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Sanch. l.* 9. *D.* 32. *n.* 50. *Salm. c.* 15. *n.* 30. *& Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 376. *cum Pont. & Avers.* Ratio, quia pœna hæc magis habet rationem impedimenti, sive inhabilitatis, quam pœnæ. *Secunda* vero sententia satis probabilis affirmat, & hanc tenent *Bon. q.* 4. *p.* 2. *n.* 6. *Resp.* 2. *Wigandt tr.* 16. *n.* 100. *Nota*, *Pal. tr.* 1. *D.* 1. *p.* 17. *n.* 8. *Boss. t.* 2. *c.* 5. *n.* 179. *Tamb. Dec. l.* 7. *c.* 4. §. 2. *n.* 3. *Elbel de Man. p.* 426. *n.* 233. *Spor. ed. tit. n.* 84. *cum Portell. ac Dian. p.* 3. *tr.* 5. *R.* 12. *cum Con. & Durand.* & probabilem putant *Sanch. l. c. n.* 21. *& 50. & Laym. ap. Croix l. c.* Ratio horum AA. quia censent hanc non esse meram inhabilitatem, sed veram pœnam in vindictam incestus; idque probant ex eo quod si hæc non esset pœna, affinitas illa contraheretur, etiamsi incestus eveniret sine peccato, vel etiamsi haberetur copula per vim, & metum: sed hoc ipsi Adversarii negant. Nec obstat dicere, nullam pœnam incurri sine sententia saltem declaratoria; sed nemo dicit ad hoc impedimentum incurrendum requiri sententiam, ergo non est pœna. Sed respondetur, quod sententia tunc requiritur, quando crimen facile potest probari, non vero quando est difficillimæ probationis; ita ut, si requireretur sententia, pœna redderetur fere inutilis, ut docent *Suar. & Villal. ap. Boss. n.* 26. & ita accideret in nostro casu, ubi ut plurimum incestus occultus est, nec potest probari. Et cum probabilissimum sit ab ignorantibus non incurri pœnas a lege Ecclesiastica impositas, quando sunt extraordinariæ, scil. quæ per se ne in confuso quidem prævideri possunt, ut docent *Nav. c.* 27. *n.* 274. *& c.* 23. *n.* 47. *cum Cajet. Sylv. & Aug. S. Anton.* 3. *p. tit.* 24. *c.* 33. *circa fin.* item *Host. Con. Sayr. Durand. Phil. Man. &c. ap. Boss. l. c. n.* 173. Hinc satis pariter probabile est non incurri ab ignorantibus hanc pœnam, quæ certe videtur extraordinaria, cum per se prævideri nequeat.

1075 Quær. III. An ad contrahendam affinitatem requiratur, ut copula ex utraque parte sit consummata? Certum est requiri seminationem viri; an autem requiratur etiam seminatio feminæ? Negant *Pon. l.* 9. *c.* 20. *n.* 1. *Pal. D.* 4. *p.* 8. *n.* 3. *Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 696. *Sanch. l.* 7. *c.* 64. *n.* 21. *cum Arm. Tab. Henr. Gab. &c. ac Bon. q.* 3. *p.* 13. *n.* 12. *cum Palud. Sylv. & Soto*. Ratio, quia ad generationem non est necessarium semen femineum, juxta plurimorum sententiam relatam *n.* 918. *v. Si autem*. *Secunda* vero sententia etiam probabilis affirmat, & hanc tenent *S. Bonav. Innoc. Archid. Lopez*, *Graff. Cenedo*, *&c. ap. Sanch. n.* 20. & probabilem vocat ipse *Sanch. ib. & Pal. d. n.* 3. ac *Ronc. de Matr. q.* 4. *c.* 3. *q.* 9. *Elbel p.* 425. *n.* 227. *cum Hurt. & Mast. ac Salm. c.* 4. *n.* 5. *cum Sylv. Trull. & Durand.* item *Avers. Diana*, *& Krimer ap. Croix d. n.* 696. Ratio, tum quia, juxta aliorum plurium sententiam (vide dicta *n.* 918.) etiam semen feminæ requiritur ad generationem; tum quia (& hæc ratio fortius urget) non contrahitur affinitas nisi coeuntes fiant una caro: at non fiunt una caro, nisi semina commisceantur. Et hæc sententia valde firmatur ex auctoritate *D. Thom.* cujus verba retulimus *num.* 1036. *v. Hic autem*, ubi expresse docet exigi seminationem tam maris quam feminæ, ut affinitas contrahatur. Hic tamen bene advertunt *Sanch. l.* 8. *D.* 6. *n.* 18. *Croix d. n.* 696. *& Elbel p.* 427. *n.* 236. quod in dubio præsumendum est pro copula perfecta, quia ex communiter contingentibus hæc prudenter adfuisse præsumitur: quapropter si vir coierit, & dubitat an seminaverit, vel an intra vas, copula præsumitur perfecta. Et sic etiam dicunt *Avers. Diana*, *Krimer*, *& Gobat. ap. Croix*, semper præsumi seminationem etiam mulieris, quando ipsa in coitu magnam senserit voluptatem, esto seminationem non adverterit. Imo merito dicit *Elbel l. c. cum Sanch. Cleric.* & aliis, quod in foro externo, ubi constat de coitu, semper pronunciandum pro impedimento affinitatis contracto, & sic etiam judicandum in foro interno, quod præsumptioni fori externi conformari debet, semper ac non constat hanc esse falsam.

Quærit. IV. Quis possit dispensare in hoc im- 1076
pedimento? Alii dicunt solum Pontificem, cum ab ipso fuerit hæc pœna imposita; ita *Covarr. Graff. & Matiens. ap. Sanch. l.* 8. *c.* 12. *n.* 10. Alii dicunt posse dispensare etiam Episcopum, sed tantum in casu necessitatis, ut *Sylv. Lop.*, *& Margarita ap. eund. Sanch. n.* 11. Alii vero communissime docent semper & absolute posse Episcopum dispensare; ita *Laym. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 15. *Pal. D.* 3. *p.* 4. §. 6. *n.* 5. *Merbes. t.* 2. *p.* 495. *v. Quod autem*, *cum Pont.*, *Wigandt tr.* 16. *n.* 100. *R.* 3. *Tamb. l.* 7. *c.* 4. §. 2. *n.* 3. *Elbel p.* 426. *n.* 234. *cum Anacl. Boss. c.* 5. *n.* 14. *cum Henr. & Vill. & Sanch. d. D.* 12. *n.* 13. *cum Palud. Soto*, *Arm. Sa*, *Vega*, *Man. &c.* Ratio, quia, dato quod Episcopus id non posset ex dispositione juris, bene tamen id potest ratione consuetudinis. Hanc autem facultatem dispensandi bene potest alteri delegare, non solum in particulari, sed etiam in generali; vide dicenda *Dub.* IV. *num.* 1125. *Quæst.* IV.

Insuper possunt etiam in hoc impedimento dispensare omnes Confessarii Regulares Mendicantium a Provinciali ad hoc munus deputati, ex pluribus privilegiis, nempe Martini V. cum Declar. Julii II. ut ferunt *Sanch. l.* 8. *D.* 16. *n.* 8. *Spor. n.* 483. *Elbel p.* 382. *n.* 71. *Pont. l.* 8. *c.* 15. *in fine*, *& Salm. c.* 14. *n.* 14. *cum Gutt. Avers. & Candido* (contra *Conc. p.* 245. *n.* 10. ubi ait omnia hæc Privilegia esse prorsus commentitia, cum ipse in Bullario ea non invenerit); item ex Privilegio S. Pii V. vivæ vocis oraculo, ut ferunt *Wigandt*, *& Boss. l. c. cum Laym. Reb. &c.* Idem privilegium concessum Societati Jesu affert *Pal. l. c.*

An autem Mendicantes, ut vi suorum Privilegiorum possint dispensare in prædicto impedimento, debeant habere licentiam specialem a suo Generali vel Provinciali? Alii dicunt nullam requiri licentiam, quia in Privilegiis concessis Benedictinis, & Minoribus absolute conceditur prædicta facultas. Alii affirmant, ut *Sanch. l.* 8. *D.* 16. *n.* 5. *Pal. D.* 4. *p. ult.* §. 1. *n.* 18. item *Vill. Rodr. Avers. etc. Salm. l. c.* quia (ut hi ajunt) in Privilegiis omnino requiritur deputatio a Provinciali. Alii demum, ut *Salm. n.* 16. *cum Leandro*, &

Jo.

Jo. de la Crux, dicunt requiri quidem licentiam Superioris, sed satis esse quod habeatur a Prælato Monasterii, quia Privilegium concessum Benedictinis Vallisoletanis fuit concessum a Martino V. & Julio II. Priori Monasterii.

1077 Nota hic ultimo, contrahentes scienter cum impedimento consanguinitatis vel affinitatis incurrunt excommunicationem ipso facto, ut habetur in *Clement. un. de Consanguin.* ubi præcipitur etiam Ordinariis, ut istos curent vitari, donec satisfecerint. Et idem ibi statuitur de Religiosis, Monialibus, & Clericis in Sacris constitutis Matrim. contrahentibus, (qui insuper denunciandi sunt ex Edicto Inquis. Generalis *ap. Potest. p.* 329.), ac de laicis nubentibus cum Monialibus. Cum autem hæc pœna sit odiosa, recte dicit *Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 807. *cum Pontio*, *Spor. et Avers.* eam non extendi ad alia impedimenta.

1078 „ Dicitur XIII. *Si clandestinus*: quia *Trid.* irritat matrimonia eorum, qui contrahunt aliter „ quam coram Parocho vel alio Sacerdote de ipsius, vel Ordinarii licentia, & duobus ad minimum testibus; vultque graviter puniri eos, „ qui contra hoc contraxerint, vel etiam interfuerint. *Unde resolves.* "

1079 Ad rem melius intelligendam notandum est, duplici modo Matrimonium esse clandestinum, vel quando malitiose contrahitur sine denunciationibus, & tunc est tantum illicitum; vel quando contrahitur non coram Parocho & testibus, & tunc distinguendum est: nam quoad infideles, aut fideles qui degunt in locis infidelium, vel ubi Tridentinum non est receptum, tale Matrimonium est quidem validum, cum lex saltem per decem annos non recepta non obliget, ut dicunt *Sanch. l.* 3. *D.* 18. *n.* 2. *Pont. l.* 5. *c.* 7. *n.* 1. *Bon. q.* 2. *p.* 7. *n.* 2. *et Salm. c.* 8. *n.* 11. *cum Perez*, *Dic. Avers. Led. et Rodr.* Quoad fideles autem qui sunt in loco ubi receptum ex Tridentinum, Matrimonium esset nullum, etiam in casu necessitatis; ita communiter *Sanch. l.* 3. *D.* 17. *n.* 4. *Pon. l.* 5. *c.* 6. *n.* 2. *Pal. p.* 13. §. 8. *n.* 9. *et Salm. c.* 8. *n.* 13. *cum Laym. Con. Corn. Henr. etc.* communiter, contra *Sot.* & alios paucos; qui censent posse aliquando dari casum (etsi rarum) in quo sine Parocho valeret Matrimonium. Sed hos recte dicunt *Salm. l. cit.* non esse audiendos, quia necessitas non potest reddere habiles eos quos Tridentinum *omnino inhabiles*, declaravit, ut habetur *sess.* 24. *c.* 1. Et hoc currit, etiamsi Matrimonium esset contractum cum ignorantia invincibili; *Salm. ibid.* cum communi. Dicunt tamen *Laym. c.* 4. *n.* 7. *Con. D.* 27. *d.* 1. *n.* 11. *l.* 6. *Croix p.* 3. *n.* 778. *cum Bellarm.* & communi (contra *Lessium*); item *Vega*, *Tanner. Dic. et Veracr. apud eosd. Salm. n.* 17. quod si non possit in aliquo Oppido haberi Pastor, aut alius gerens ejus vices, tunc validum est Matrimonium initum cum testibus sine Parocho. Et Probabile id putant *Salm. ibi.* propter quandam Declar. Clementis VIII. *apud Coninck*, quia tunc vel non adest ibi Parochia, vel ibi non durat promulgatio Tridentini, quamvis facta fuerit; destructa etiam Parochia, censetur destructa promulgatio quoad ejus valorem. Pariter Matrimonium celebratum sine Parocho in locis infidelium a fidelibus captivis, vel mercatoribus ibi degentibus per modum hospitii, validum est, & licitum. *Salm. c.* 8. *n.* 22. *cum Sanch. Bon.* &c. Hicque advertatur, quod Matrimonia Clandestina hodie ne Sponsalium quidem vigorem habent, prout declaravit S. C. apud *Fagnanum in cap. Ad audiendam.*

Peregrini autem, si contrahant in loco, ubi Tri- 1080
dentinum est receptum, Matrimonium sine Parocho & testibus est nullum; quia etiam Peregrini obligantur legibus locorum quoad contractus; ita communiter *Sanch. l.* 3. *D.* 18. *n.* 26. *Pontius l.* 5. *c.* 9. *n.* 1. *Bon. q.* 2. *p.* 7. *n.* 5. *Salm. c.* 8. *n.* 18. *cum Pal. Con. Dic. Reg. Per. etc. ex c. fin. de Foro compet.* ubi dicitur, in contractibus servandas esse leges, & consuetudines locorum. Si quis vero se transferret ad locum, vel illac transiret, ubi Tridentinum non est receptum, & ubi contraheret sine Parocho, & testibus nullum est Matrimonium; secus autem si in illum locum vere transferret domicilium, quamvis cum animo ibi contrahendi sine Parocho & testibus; ita declaratum fuit a S. C. die 14. Augusti 1627. Et hæc Declaratio (quicquid dicant *Sanch.* & alii *ap. Salm. n.* 20.) omnino tenenda est cum *Salm. n.* 21. *et Croix l.* 6. *p.* 6. *n.* 712. & aliis, cum ipsa fuerit approbata ab Urb. VIII. pro tota Ecclesia, dum ibi dictum fuit: *Per quascumque Judices sic definiri debere.* Et decretum Urbani iterum confirmatum est a Bened. XIV. in Epistola, *Paucis abhinc hebdomadis*, edita die 19. Martii anno 1758. ubi Decr. Urbani in extensum refertur; vide in *Bull. Ben. XIV. tom.* 4. *pag.* 27. *edit. Venet.*

„ 1. Per Parochum intelligitur is, qui habet 1081
„ ordinariam jurisdictionem in contrahentes, ut„ pote qui domicilium & habitationem habeant in „ ejus Parochia; * (*Nomine* Parochi *commune est* „ *intelligi Parochum domicilii, non autem originis; ita Sanch. l.* 3. *D.* 23. *n.* 7. *Pont. l.* 5. *c.* „ 13. §. 1. *n.* 2. *Salm. c.* 8. *n.* 25. *et Bened. XIV.* „ *Not.* 33. *n.* 6. *cum Barb. Perez, etc. ex Decl.* „ *S. C.* 18. *Nov.* 1707.) * item Episcopus, vel „ ejus Vicarius in sua diœcesi, (*Ut Sanch. t.* 3. „ *D.* 29. *n.* 18. *Pont. l.* 5. *c.* 11. *n.* 1. *Pal. D.* „ 2. *p.* 13. §. 11. *n.* 3. *et Salm. c.* 8. *n.* 55. *cum* „ *aliis* (*contra aliquos*) *ex cap. Romana de Appell. in* 6. *et c.* 2. *de Consuet. in* 6. Et hoc etiamsi Episcopus suo Vicario id prohibuerit juxta Declar. S. C. quam refert *P. Zacharia ap. Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 725. Episcopus enim nec Parocho, nec suo Vicario potest interdicere ne „ Matrimoniis assistant, ut alias declaravit S. C. „ apud Croix ibid. (*Idemque dicitur de Vicario* „ *Capituli Sede vacante, et de Abbatibus qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem erga suos* „ *subditos.*) * uti & Papa: item Capitulum Se„ de vacante, Cardinales in Ecclesiis sui tituli, „ Legati in sua provincia. Sufficit etiam excom„ municatus, aut non Sacerdos. * (*Infra. an*„ *num, in quo debet sumere Sacerdotium, ex c.* „ *Cum ex eo, de Elect. in* 6. *Is igitur non solum* „ *valide, sed etiam licite assisteret, ut Sanch.* „ *l.* 3. *c.* 20. *n.* 4. *Pont. l.* 5. *c.* 17. *n.* 4. *Pal. p.* „ 13. §. 10. *n.* 4. *et Salm. c.* 8. *n.* 40. *et* 45. *cum* „ *Aversa, Gabr. et Leand. contra paucos; atque* „ *cum Decreto S. C. ap. Pitton. n.* 106. *de Matr.* „ *die* 12. *Martii* 1693. *Et hoc, etiam transacto*

„ *an-*

„ *anno, ex alio Decreto S. C. 12. Mart. 1583.*
„ *apud Boss. t. 1. c. 4. n. 99. Parochus autem qui*
„ *potest assistere, potest etiam dare licentiam as-*
„ *sistendi alteri Sacerdoti, ut habetur in Tri-*
„ *dent. sess. 24. c. 1. ubi.* Præsente Parocho, vel
„ alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii li-
„ centia. *Item hic notandum, quod Parochus pot-*
„ *est assistere nuptiis sui Parochiani, etiam ex-*
„ *tra Parochiam, & adhuc contradicente Paro-*
„ *cho illius loci, ut scribit Fagn. l. 4. in c. Quod*
„ *nobis, de Clandest. Despons. n. 36. & 40. ex*
„ *plurib. Decr. S. C.*). * Nec requiritur, ut a
„ parte rei vere sit Parochus, sed sufficit, si ha-
„ beat titulum saltem coloratum, ita ut commu-
„ ni errore habeatur Parochus, nec sit intrusus
„ absque ullo titulo. V. *Bon. qu. 2. p. 8.* * (*An*
„ *autem sufficiat error communis sine titulo? Vide*
„ *dicta hoc l. 6. n. 572. v. Majus dubium.*) *

1082 Parochus igitur excommunicatus, etiamsi sit vitandus, irregularis, & suspensus, valide assistit in Matrimonio, quia ibi nullam exercet jurisdictionem, sed tantum assistit ut testis qualificatus, qui de Matrimonio testificari possit; ita communiter *Sanch. l. 3. D. 21. n. 4. Pont. l. 5. c. 17. n. 6. Barb. All. 32. n. 90. Boss. c. 4. n. 85. Bon. p. 8. n. 22. & Salm. n. 46. cum Pal. Con. Led. Aversa, & Henr.* (contra paucos). Et idem ait *Fagn. l. 5. in c. Quod a prædecessore, de Schismat. n. 81. cum Decreto S. C.*

1083 Sed dubit. 1. An Parochus excommunicatus vitandus peccet graviter assistendo? Affirmant *Coninck D. 27. c. 2. n. 24. Pont. l. 5. c. 17. n. 11. cum Covarr. Suar. t. 5. D. 11. sect. 1. n. 24. ac Vasq. Reb. & Bon. ap. Boss. c. 5. n. 90.* modo non adsit necessitas, quia alioqui communicaret cum aliis in re sacra & gravi. Negant vero *Sanch. l. 3. D. 21. n. 8. Boss. l. c. ac Hurt. Diana, Villal. Leand. &c. ap. Salm. c. 8. n. 48.* (quorum aliqui tenent nec etiam leviter peccare). Ratio, quia communicaret cum suis Parochianis in re necessaria ad eorum utilitatem, quam eis ex officio præstare tenetur. Sed hoc non obstante, magis mihi arridet prima sententia, juxta dicta *de Sacr. in gen. n. 88.* ubi scripsimus Parochianis non licere petere assistentiam in Matrimonio Parochi excommunicati, nisi urgeat gravissima causa, & alius non adsit qui possit supplere. Omnes autem conveniunt, quod si talis Parochus a suo Episcopo juste fuerit interdictus ab assistendo, tunc valide assisteret, sed a culpa gravi non excusaretur, quia violaret præceptum Superioris in re gravi; *Sanch. n. 11. Salm. n. 49. Pont. Con. Pal. Bon. &c.*

1084 Dub. 2. An Parochus excommunicatus aut irregularis possit alteri Sacerdoti dare licentiam assistendi? Affirmant *Sanch. lib. 3. D. 21. n. 8. Pal. p. 13. §. 10. n. 8. Barb. All. 32. n. 110. Pont. l. 5. c. 17. n. 14. Bon. p. 8. n. 22. cum Cajet. & Led. ac Salm. c. 8. n. 51. cum Trull. Henr. &c.* quia concessio licentiæ illius non est actus jurisdictionis, sed potestatis. Negant vero *Laym. c. 4. n. 5. et Con. Dic. Suar. etc. apud Salm. l. c.* quia, licet assistere non sit actus jurisdictionis, talis tamen est dare licentiam. Sed sapienter respondet *Sanch.* hujusmodi facultatem concedendi licentiam non spectare ad Parochum, qua Parochum, sed quia legitimum testem Matrimonii destinatum a Tridentino cum potestate alium substituendi; unde prima sententia probabilior videtur.

„ 1. Parochus, vel quivis habens jurisdictionem
„ ordinariam, potest alium sibi substituere, non
„ tamen nisi Sacerdotem.

„ 3. Cum ad testes requisitos non addatur de- 1085
„ bere esse omni exceptione majores, sufficiunt
„ etiam infames, feminæ, pueri habentes usum
„ sufficientem rationis, parentes, domestici, ac
„ servi * (*etiam infideles, quamvis casu trans-*
„ *eant, aut vi detineantur; ut Sanch. l. 3. D.*
„ *45. n. 5. Pal. p. 13. §. 13. n. 3. Barb. All. 32.*
„ *n. 158. Laym. c. 4. n. 6. Bon. p. 8. n. 43. &*
„ *Salm. c. 8. n. 59. Cum Con. Dic. &c.*

„ 4. Si duo sint Parochi ejusdem Parochiæ, 1086
„ potest utervis, assumi * (*Etiam invito alte-*
„ *ro; Salm. c. 8. n. 32. cum Pont. Con. Henr.*
„ *&c.*). * Similiter qui habet duo domicilia, quæ
„ æqualiter inhabitat; vel domum, quæ partim
„ pertinet ad unam Parochiam, partim ad alte-
„ ram, potest alterutrum accersere; quia uterque
„ est proprius Parochus. *Laym. Bonac. l. c. &*
„ *Sanch. comm.*

Si Sponsi habent duo domicilia in duabus Parochiis, dicunt *S. Anton. Palud. Aug. Gabr. &c. ap. Sanch. l. 3. D. 24. n. 4.* Matrimonium esse contrahendum in illa Parochia, ubi tunc temporis habitant. Sed communissime, & valde probabiliter dicunt *Sanch. l. c. n. 5. Ronc. q. 2. R. 1. cum comm. Boss. t. 1. c. 4. n. 4. Bon. p. 8. n. 8. cum Gutt. & Reb. Pont. c. 13. §. 1. n. 1. Barb. All. 32. n. 60. cum Con. & Salm. c. 8. n. 32. cum Perez, Trull. Dic. et Henr.* Matrimonium posse contrahi in alterutra Parochia, modo in utraque Sponsi æqualem habuerint habitationem, quia tunc in alterutra possunt recipere Sacramenta. Idque confirmatur ex *c. 2. de Sepult. in 6.* ubi dicitur: *Cum ab eo, qui duo habet domicilia, se collocans æqualiter in utroque, in loco tertio eligitur sepultura, domiciliorum Ecclesiæ habebunt inter se dividere Canonicam portionem.* Ergo non habenda est ratio actualis, sed tantum æqualis habitationis. Hæc autem æqualitas moraliter accipienda est, ut dicunt *Lugo Resp. moral. l. 1. dub. 37. n. 3. Barb. n. 70. Boss. n. 5. Ronc. l. c. Salm. n. 32. et Sanch. n. 3. cum S. Anton. et Palud.* Idque procedere dicit *Bossius l. cit. cum Sanch. Pont. et Gut.* non solum si quis habitet hyeme in Civitate, æstate ruri, sed etiam si indifferenter, modo habitet in uno, modo in alio loco. Notandum autem id quod habetur in Decr. S. C. apud Bened. XIV. *Notif. 33. n. 7.* ubi dicitur: *Parochum ruralem non esse proprium, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis, ideoque Matrimonium valide coram hujusmodi Parocho celebrari non posse.* Hoc tamen intelligi recte dicunt *Bon. p. 8. n. 6. Barb. All. 32. n. 66. Boss. c. 4. n. 17. et Salm. t. 8. n. 26. cum Sanch. Pal. Dic. Trull. et Aversa*, si Sponsus aliquoties, sive per breve tempus (ut ait *Barb. cum Lugo*) ruri degit. Hinc Benedict. *l. c. Salm. n. 17. Barb. ib. et Boss. n. 17. cum Henr. Garc. Seraph. etc.* ex Declar. S. C. rejiciunt *Pontium*, qui *lib. 5. c. 13. §. 1. n. 4.* censet posse contrahi Matrimonium etiam coram Parocho, in cujus Parochia quis brevi commoratur.

Hic

Hic insuper sedulo notandum, quod si quis fictitie domicilium transferat in aliam Parochiam, ut ibi Matrimonium contrahat, hoc nullum est, ut pluries S. C. declaravit; vide *P. Zachar. ap. Croix lib.* 6. *p.* 3. *n.* 717. Secus autem, si vere transferat, etsi in fraudem prioris Parochi, ut recte ait *Croix ibid. cum Fagn. Sanch. Sylvest. Barb. Boss. &c.* contra Led. & Vega. Notat vero *Croix dicto n.* 717. *cum de Luca* non acquiri domicilium per habitationem solius diei si noctu quis in priori cubaret domo.

1087 „ Etsi ex præcepto adhibendus sit Parochus contrahentis illius, in cujus Parochia matrimonium „ celebratur: sufficit tamen ad valorem, si alterutrius Pastor assistat, ut declaravit Congreg. „ Cardinal. ap. *Rebel.* & *Bon. qu.* 18. * (*Ita comm.* „ *Sanch. l.* 3. *D.* 23. *n.* 4. *Pal. p.* 12. §. 9. *n.* 1. „ *Pont. l.* 5. *c.* 16. *n.* 2. *Bon. qu.* 2. *p.* 8. *n.* 7. *&* „ *Salm. c.* 8. *n.* 4. *cum Con. Perez, &c.* item „ *Bened. XIV. Notif.* 33. *n.* 5. *ex Decl. S. C. an.* „ 1573. *Et aliam similem affert Fagnan. lib.* 4. „ *in c. Quod nobis, de Clandest. desp. editam die* „ 15. *Dec.* 1574. *ubi approbante Papa fuit decisum valere Matrimonium in Parochia mulieris* „ *coram Parocho viri, & e converso.*) * etiam „ extra suam Parochiam, vel diœcesim; quia hic „ actus non est jurisdictionis contentiosæ. (*Et in* „ *hoc neque Parochus peccaret, ut dicunt Sanch.* „ *l.* 3. *D.* 19. *n.* 17. *Salm. c.* 8. *n.* 34. *cum Pal.* „ *Con. & Dic. ac Boss. c.* 4. *n.* 32. *cum Barb.* „ *Gutt. Vill. &c.* (*contra Pont. Nav. &c.*); „ *actus enim assistendi probabilius neque est a-* „ *ctus jurisdictionis, sed potius potestatis assisten-* „ *di ut testis, uti diximus n.* 1084. *Dub.* 2. *Cæ-* „ *terum ait Bossius n.* 20. *in fin. quod conveniens-* „ *tius est, quod assistat Parochus Sponsi, in cu-* „ *jus Parochia fiunt Nuptiæ. Recte autem dicunt* „ *Sanch. n.* 19. *& Boss. n.* 33. *ex Decr. S. C.* „ *allatis ab eod. Boss. n.* 19. *peccare graviter Pa-* „ *rochum, si in alterius Parochia Sponsos a se* „ *conjunctos solemniter benediceret.*) * Non tamen licebit tunc nuptiis benedicere, sine alterius licentia. *Sanch. l.* 3. *Disp.* 19.

1088 „ Is, qui substituitur, debet habere expressam, „ vel saltem tacitam licentiam ex ratihabitione de „ præsenti, quia non sufficit ratihabitio de futuro, qua quis putet, alterum postea ratum habiturum. *Sanch. d.* 35. *Regin. Conin.* apud *Bon.* „ *l. c. n.* 11. * (*Ita etiam Sanch. D.* 35. *n.* 20. „ *Pont. l.* 1. *c.* 11. *n.* 5. *Salm. n.* 56. *cum Conin.* „ *Et hoc etiamsi licentia sit metu vel dolo extor-* „ *ta, Salm. ib. cum Con. & Sanch. Sufficit au-* „ *tem licentia oretenus data: Barb. All.* 32. *n.* „ 128. *cum Nav. Genr. &c.*) * licet ipse *Bonac.* „ neget tacitam sufficere.

1089 „ 7. Vagabundi possunt contrahere coram quolibet Parocho, idque, (*ut Laym. c.* 5. *n.* 4. docet ex *Sanch.*) etsi alteruter tantum sit vagus. Hic autem tenetur de illorum conditione „ diligenter inquirere, ut monet *Trid.* an scilicet „ alibi sint conjuncti, &c. & deinde petere licentiam ab Episcopo assistendi: sine qua, licet valide assistat, graviter tamen peccat. Ita *Laym.* „ *t.* 4. *l.* 3. *Sanch. dist.* 19. *&* *d.* 35. *n.* 24.

Commune est, quod Vagi possunt contrahere coram quovis Parocho; ita *Sanch. l.* 3. *D.* 25. *n.* 11. *Pont. l.* 5. *c.* 14. *n.* 5. *Bon. q.* 2. *p.* 8. *n.* 6. *Pal. D.* 2. *p.* 13. §. 9. *n.* 11. *& Salm. c.* 8. *n.* 37. *cum Con. Henr. Trull. Led. &c.* Et hoc etiamsi alteruter Sponsorum tantum sit vagus, ut *Pal.*, *& Salm.* cum aliis; idque *Barb. in Trid. n.* 3. *&* 4. refert decisum a S. C. Parochus vero, antequam Vagos conjungat, tenetur de eorum conditione diligenter inquirere (ut præscribit Trident. *Sess.* 24. *c.* 7.), an alibi sint conjucti: Ac deinde petere licentiam ab Episcopo assistendi, sine qua licet valide assistat, graviter tamen peccat assistendo, ut docent *Sanch. n.* 17. *Pont. n.* 8. *Salm. n.* 38. *cum Led. & Henr. ac Barb. in Trident. l. c. cum Fill. Molf. Homob. &c.* Imo in Instructione S. Inquisit. Gener. edita 21. Aug. 1670. coram Clem. X. pro Curiis tam Romana quam ceterorum Ordinariorum (quam refert in extensum *Genettus t.* 5. *p.* 326. *& Pitton. de Matr. n.* 1737.) sic præscriptum fuit: *Si contrahentes sint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant esse liberos per fides Ordinariorum suorum, servata forma Trid. in c. Mul.* 7. *Sess.* 24. *Fides aliaque documenta non admittantur, nisi munita Sigillo, et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes qui habeant notam manum et Sigillum. Et attente consideretur, quod fides, et testimonia bene identificent personas de quibus agitur.* Notant vero *Salm. c. n.* 38. nomine *Vagorum* hic non comprehendi Vagos illos qui in eodem loco vagi sunt, quia isti, licet certam non habeant Parochiam, tamen in illo loco jam cogniti sunt, unde præmissis Denunciationibus bene possunt a quolibet Parocho conjungi. Circa alienigenas autem, habetur in eadem Instructione S. Inquisitionis ut supra (*n.* 1739. *ap. Pitton.*), quod Parochus non potest pro eis Publicationes facere, *nisi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus Vicario, prius receperit fidem authenticam status liberi.* Recte vera excipiunt *Sanch. n.* 8. *Salm. l. c. cum Pont. et Con.* si contrahentes discesserint ab eo loco in ætate, in qua erant incapaces ibi contrahendi.

Insuper circa Milites hic notandum ex Decr. S. 1090
C. Nov. 1676. *ap. Pitton. de Matr. n.* 2117. quod Capellani Exercitus habent facultatem assistendi eorum Matrimoniis, dum hi reperiuntur in actuali expeditione, hanc tamen facultatem non habent privative respectu ad Parochos contrahentium, neque dum Milites in hybernis, vel æstivis commorantur, neque dum sunt in Præsidiis. Præter dicta refert declaratum a S. C. *P. Zacharia ap. Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 751. Cappellanos nec etiam Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis posse ministrare militibus degentibus in Præsidiis sine facultate Pontificia, aut licentia Ordinarii loci. Militum autem Matrimonia debent contrahi eodem modo, prout dictum est de Vagis, ut habetur in cit. Instructione Congr. Inquisit. ut supra *ap. Pitton. n.* 2308. Ubi tamen additur, quod tempore necessitatis, vel in articulo mortis non sunt servandæ eædem probationes; sed si convaluerint, debent fieri, antequam Matrimonium consumment. Vide alia circa Matrimonium militum *ap. eund. Pitton. n.* 2356.

„ 8. Peregrini, qui ex causa exiguo tempore do- 1091
„ mo absunt, non possunt contrahere peregere co-

„ ram

„ ram Parocho loci: quia non est illorum verus. „ Aliud est de iis, qui alicubi habitationem figunt „ pro majore parte anni, aut eo venerunt animo „ manendi, saltem majore anni parte, licet postea „ contingat casu subito recedere, v. gr. famuli, „ ancillæ, studiosi. *Bon. qu.* 11. *p.* 8. *n.* 2. *Salm.* „ *l.* 5. *d.* 23. Ratio est, quia contrahunt ibi do- „ micilium Parochiale; & pastor illius loci est pro- „ prius illorum.

Quid si quis alio se transferret animo manendi ibi per majorem partem anni, & postea redeundi ad suum domicilium, an possit coram Parocho illius loci contrahere Matrimonium, & alia Sacramenta recipere. Negant *Rodrig. Led. Henr.* & alii *ap. Sanch. l.* 3. *D.* 23. *n.* 11. *& Salm. c.* 8. *n.* 29. qui merito cum *Sanch. & Palao* id satis probabile putant. Sed communius & probabilius affirmant cum *Busemb. Sanch. n.* 12. *Pont. l.* 5. *c.* 13. *n.* 4. *Pal. p.* 12. §. 9. *Bon. p.* 8. *n.* 2. *& 5. & Salm. c.* 8. *n.* 30. *cum Con. Trull. Gutt. Dic. &c.* Probatur *ex c. fin. de Paroch.* ubi illi qui causa belli ad aliam Parochiam se transferunt, habentur ut illius Parochiani. Et confirmatur ex Decl. S. C. ap. Bened. XIV. *Notif.* 32. *n.* 11. ubi dictum fuit valere Matrimonium contractum a Judice, seu Medico temporali in loco ubi tunc degit. Secus vero, si quis alio se transfert non animo contrahendi ibi domicilium (sive quasi domicilium, ut intelligendum), prout dicitur in eadem Declaratione; vide dicta de *Bapt. n.* 115. *v. Sed hic*. Et sic pariter alienigenæ in carceribus detenti neque possunt ibi contrahere ex alia Declar. S. C. edita anno 1707. *ap. eund.* Bened. *n.* 12. Qui *n.* 17. ex quadam Epist. S. Officii idem dicendum ait de ægris qui curantur in Hospitalibus; nisi urgeat necessitas contrahendi, & non suppetat tempus probandi statum liberum; Hi tamen si convaluerint, non poterunt Matrimonium consummare, nisi constito de utriusque statu libero. Puellæ autem expositæ, quæ degunt in Conservatoriis, debent Matrimonium contrahere non coram Capellanis ipsorum, sed coram Parocho loci, ex Decl. S. C. 22. Apr. 1651. ap. eund. Benedictum *n.* 14. qui addit ex antiqua consuetudine bene posse contrahere coram eodem Parocho loci etiam illas puellas, quæ degunt in Conservatoriis, a quibus recipiunt alimenta & dotem. Alias vero puellas, quæ sunt in Monasteriis causa educationis, dicit Benedictus *n.* 16. debere Matrimonium contrahere coram Parocho domicilii paterni, materni; aut fraterni, si adsit; si tamen non adsit, coram Parocho loci Monasterii. Et idem asserit *n.* 17. de famulis degentibus in domibus herorum.

1092 „ 9. Parochus, & testes sic debent esse præsentes, „ ut advertere possint, quid agatur, & de eo testa- „ ri, * (*Hic non sufficit eorum præsentia tantum* „ *materialis, sed requiritur etiam moralis, ut pro-* „ *bat P. Zaccharia ap. Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 759. *Et i-* „ *deo recte ait Pontius* (*contra Sanch.*) *ap. Croix* „ *l. c. quod si non bene intelligerent Sponsorum* „ *consensum* (*puta quia sunt diversi idiomatis*) „ *non satis est unus interpres de consensu affir-* „ *mans*. * Et quidem non est necesse, ut ipsi vi- „ deant contrahentes, dummodo audiant verba con- „ tractus, si voces contrahentium noverint (*Suffi-* „ *cit autem: si videant signa consensus, ut Sanch.* „ *l.* 3. *D.* 39. *n.* 1. *D.* 41. *n.* 2. *Pont. l.* 5. *c.* 21. „ *n.* 8. *Pal. p.* 13. §. 8. *n.* 11. *Salm. c.* 8. *n.* 61. „ Adverte hic *Declarat. S. C. ap. Fagnan. l.* 4. „ *in c. Quod nobis, de clandest. despons. n.* 4. „ *ubi dictum fuit valere Matrimonium, etiamsi* „ *Parochus nihil proferat*.) * *Sanch. Fill. Pont.* „ & alii 5. cum *Dian. p.* 8. *cap.* 7. *R.* 68. contra „ *Barb.* Nec refert, etiamsi per metum, vim, „ dolum, aut injuriam nolentes detineantur, vel „ etiam contradicant, ac resistant * (*Et sic plu-* „ *ries fuit decisum a S. C. ut refert P. Zacha-* „ *ria ap. Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 760.) *; aut licet „ prohibiti sint ab Ordinario, ne intersint. *Bon.* „ *l. c. ex Declarat. Card. Con. Fill. Sanch. ll.* „ *cc.*

Graviter autem peccant contrahentes coram Pa- 1093
rocho vi, aut dolo detento, aut casu transeunte, ob injuriam quæ irrogaretur Sacramento, & Ecclesiæ, cum Parochus tunc ut persona publica assistit; *Sanch. D.* 39. *n.* 12. *Pal. p.* 13. §. 8. *n.* 11. *& Salm. c.* 8. *n.* 68. *cum Con.* & communi. Et in aliqua Diœcesi in hoc adest excommunicatio, ut testantur *Salm. l. c.* Attamen *Sanch. ib. ac Gutt. & Aversa ap. Salm.* dicunt esse tantum veniale, contrahere coram testibus sic præsentibus, idest dolo detentis.

Notant deinde *Pal. l. c. & Salm. ib.* cum *Con. Trull.* & *avers.* quod, urgente necessitate contrahendi, si Parochus nollet assistere, nec possit adiri Superior, tunc potest nolens adduci, modo non fiat vis personæ. Imo *Dic. ap. Salm.* concedit etiam per vim, si aliter vexatio tolli nequeat, quia Parochus tunc ex officio assistere tenetur; vide dicta *n.* 1005.

„ 10. Parochus tenetur utrumque contrahentem 1094
„ interrogare, non quidem de impedimento, *Gut-* „ *tier, Sanch. Diana p.* 3. *tom.* 4. *res.* 204. sed „ de mutuo consensu, ut in Trident. *sess.* 24. *c.* „ 1. Et tamen omissio, quando de utriusque li- „ bero consensu constat, venialis tantum est, „ *Sanch. Conin. Dian. l. c.* * (*Cum Salm. c.* „ 8. *n.* 70. *cum Pont. & Avers.*) * Similiter mor- „ tale non esse, etsi, intellecto consensu, non di- „ cat *Ego vos conjungo in nomine Patris, & Fi-* „ *lii, & Spir. S.* docet *Sanch., Con. Vill. Gutt.* „ *Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 25. * (*Ita probabiliter Pon.* „ *l.* 5. *c.* 21. *n.* 2. *Sanch. l.* 3. *D.* 38. *n.* 75. *Pal.* „ *p.* 13. §. 18. *n.* 12. *& Salm. c.* 8. *n.* 70. *cum* „ *Gutt. & Bon. Sed Bossius c.* 3. *n.* 15. *cum* „ *Reb. Barb. Veracr. et Salsed. adhuc proba-* „ *biliter, et forte probabilius dicit esse morta-* „ *le, quia videtur transgressio in re magni mo-* „ *menti*.) *

„ Dicitur XIV. *Et impos*, quod impedimentum 1095
„ vocatur frigiditas, vel impotentia: quæ, si per- „ petua sit, & matrimonium antecedat, irritat il- „ lud jure naturæ; vel omne, & respectu cujus- „ cunque, si sit absoluta: vel certum tantum, si „ sit respectiva. Idque, sive orta sit ab intrinse- „ co, & vitio naturæ, sive ab extrinseco, opera „ hominis, vel diaboli; sive cognita alteri fuit, „ sive sit ex parte utriusque contrahentis, sive al- „ terius tantum. Ratio est, quia matrimonium „ consistit in mutua traditione corporum physice „ aptorum ad generationem, sive in traditione po- „ testatis corporis ad copulam conjugalem: hanc

„ autem potestatem impotens non potest tradere, „ cum eam non habeat.

„ Porro impotentia in viro esse censetur, quando est eunuchus, vel saltem non potest seminare intra naturale vas feminæ: In femina vero, „ quando vel seminare non potest (si verum est, „ semen feminarum requiri ad generationem) vel „ propter arctitudinem non potest virum pati, aut „ ejus semen recipere.

„ Dixi 1. *Si sit perpetua;* qualis est, quæ nulla arte potest tolli. In dubio autem perpetuitatis, conceditur a jure triennium ad experiendum „ bona fide.

„ Dixi 2. *Si antecedat:* nam si subsequatur „ matrimonium, non irritat illud, etsi usum ita „ impediet, ut soli contactus, & oscula liceant „ citra periculum pollutionis; idque quando impotentia est certa; nam si dubia sit, tandiu licet „ conari ad copulam, quamdiu probabilis est spes „ seminandi intra vas. *Laym. l.* 5. *t.* 10. *p.* 4. *c.* „ 12. *ex Sanch. Nav. Henr. Unde resolves.*

„ 1. Invalide contrahunt evirati, seu eunuchi, „ quando carent utroque teste: quia non emittunt „ verum semen aptum generationi. Nec refert, „ quod instar senum sterilium satisfaciant concupiscentiæ femineæ; quia id non faciunt per copulam natura sua aptam generationi, ob defectum seminis, quod senes tamen emittunt, etsi „ semen senum per accidens non sit prolificum. „ *Laym. l. c. q.* 3. *p.* 13. * (*Id certum est ex Bulla Sixti V. edita an.* 1587. *quæ incipit* Cum frequenter. *Intellige igitur, si ambobus testiculis careant, aut contusos habeant; secus si habeant saltem unum, ut Sanch. l.* 7. *D.* 104. *n.* 17. & *Salm. c.* 12. *n.* 129. *cum Avers. Dic. Led. etc.*) *

„ Valide contrahunt I. Steriles, quia, etsi sint „ impotentes ad generationem, non tamen ad copulam; atque adeo sunt capaces omnis juris, & „ obligationis matrimonii; & susceptio prolis, licet, sit præcipuus, non tamen est unicus, nec „ immediatus finis matrimonii. *Bon. q.* 3. *p.* 13. „ *ex Henriq. Con. Filliuc.* &c. Eadem est ratio „ de iis, quæ non edunt fœtum, nisi mortuum, „ vel non nisi cum periculo vitæ. *Con.* &c. *l. cc.* „ II. Hermaphroditi, quia vere sunt potentes ad „ usum matrimonii. Et quidem, si alter sexus „ emineat, secundum illum tantum valebit; si uterque sit par, optio illis datur, utrolibet utantur, ita tamen, ut quem semel elegerint, semper retineant. *Sanch. l.* 19. *d.* 106. *Bon. l. c.* „ *ex Henr. Bon. Fill.* &c. III. Is, qui paulo post „ est moriturus, quia in eo manet potentia ad „ coitum, etsi per accidens vi morbi impediatur. „ Patet ex praxi Ecclesiæ, quæ illis interdum suadet, ut concubinas ducat, *Laym. l. c. ex Sanch.* „ *d.* 105. *n.* 3. *Cov.* &c.

„ 3. Impuberes, si utantur ratione, non jure „ naturæ, sed Ecclesiastico tantum invalide contrahunt: quia impotentia illorum est tantum „ temporalis. V. *supr. hoc dub. c.* 3.

Impotentia, de qua hic loquimur, est illa, propter quam Conjuges non possunt copulam habere per se aptam ad generationem; unde sicut validum est Matrimonium inter eos, qui possunt copulari, esto per accidens nequeat generare, puta quia steriles, aut senes, vel quia femina semen non retinet, ita nullum est Matrimonium inter eos qui nequeunt consummare eo actu, quo ex se esset possibilis generatio. Ut autem impotentia dirimat Matrimonium, debet esse perpetua, & antecedens. Quare, si est tantum temporalis proveniens ex aliquo morbo, aut vitio naturaliter curabili, certe non dirimit Matrimonium. Sic etiam neque dirimit, si Matrimonio superveniat. Si vero antecedat, & nequit auferri, nisi per miraculum, aut per peccatum, aut cum periculo mortis, tunc irritat Matrimonium ut expressum habetur *in c. Fraternitatis de Frig. et malef.* Hæc autem impotentia ex quadruplici capite oriri potest, scil. I. ex Maleficio. II. ex Frigiditate. III. ex Improportione. IV. ex Mixtione sexus (idest si aliquis Conjugum sit hermaproditus), de qua satis est id quod dicit *Busemb.* unde tantum de aliis tribus capitibus hic agimus.

Et I. si impotentia proveniat ex *Maleficio* (quod 1096
colligitur quando Conjuges excitantur ad copulam cum aliis, & inter se frigescunt, vel a coitu abhorrent, esto alias se diligant), tunc si maleficium nequit tolli intra triennium remedio humano, nec orationibus, aut exorcismis, impotentia censetur perpetua, & dirimit Matrimonium; ita communiter *D. Th. in* 4. *D.* 34. *q. un. a.* 3. *ad* 3. *Sanch. l.* 7. *D.* 94. *n.* 12. *Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 750. *& Salm. c.* 12. *n.* 131. *cum Sot, Con. Bon. &c. ex c. fin. de Frig. & mal.* Hinc si maleficium auferatur per aliud maleficium (quod certe illicitum est), Matrimonium etiam censetur invalidum, ut communiter docet *Sanch. n.* 9. *cum D. Th. D. Bonav.* & aliis passim. Secus si aufertur amovendo signum, ut *Sanch. n.* 22. & *Salm. l. c.* quia tunc licite aufertur impedimentum, *Salm. ib. cum Sot. et Avers.*

II. Si impotentia provenit ex *Frigiditate*, tunc quando Conjuges ob hanc causam omnino perficere nequeunt copulam aptam ad generationem, post experientiam triennii, nullum est Matrimonium. Idem procedere communissime ajunt DD. si ob nimiam caliditatem vir semper seminet extra vas, antequam possit penetrare; ita *S. Anton.* 3. *p. tit.* 1. *c.* 12. §. 1. *&* 2. *Nav. c.* 22. *n.* 59. *& Sanch. n.* 7. *cum Sot. Palud. Val. Led. Gutt. &c. ex D. Th. suppl. q.* 58. *art.* 1. *ad* 2. ubi ait: *Caliditas superflua vix potest esse impedimentum perpetuum; si tamen inveniretur, quod per triennium impediret carnalem copulam, judicaretur perpetuum.* Sed probabiliter censent *Cont. Tourn. p.* 209. *v. Si quis, et Cabassut. T. J. l.* 3. *c.* 25. *n.* 2. quod hujusmodi Conjuges, si sint juvenes, non sunt separandi, quia processu temporis fervor ille deficit, & sic possunt fieri habiles. Sicut autem potest esse impedimentum frigiditas, & maleficium, sic etiam potest irritare Matrimonium abominatio viri erga mulierem, si ob ejus deformitatem non possit ullo modo excitari ad copulam, ad quam bene excitaretur cum alia pulchra; ita *D. Th. d. q.* 58. *a.* 1. *ad* 5. ubi: *Abominatio autem mulieris non est causa naturalis, sed accidentalis extrinseca; et ideo de ea est judicium idem quod de maleficio:* Et ita etiam *Sanch. l.* 7. *D.* 92. *n.* 13. *cum Alb. Magno, Silv. Ang. Tab. Turrecr. &c.* contra *Sot.* In his vero casibus datur Conjugibus triennium,

nium, in quo licite possunt copulam experiri ex *c. Laudabilem de Frig. & Malef.*

III. Si demum impotentia provenit ex *Improportione*, nempe si femina habeat vas adeo arctum (saltem respectu sui viri), ut ille nequeat penetrare, tunc si femina non possit apta fieri ad copulam, nisi cum periculo mortis, omnes conveniunt Matrimonium esse nullum ex *c. Fraternitatis, de Frig. &c.* Unde, etiamsi cum tali periculo mortis ipsa fuerit incisa; & facta idonea, Matrimonium non valet; quia quod ab initio est invalidum, nequit tractu temporis convalescere; ita communiter *Sanch. l. 7. D. 93. n. 15. & Tourn. p. 212. v. Resp.* cum aliis.

1097 Sed dubit 1. An sit nullum Matrimonium, si femina per incisionem possit fieri apta ad copulam sine periculo mortis, sed cum periculo gravis morbi? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Pal. D. 4. §. 1. n. 5. Spor. de Matr. c. 1. n. 121.* item *S. Anton. Sylv. Sa, Val. Henr. Veg. Palud. Major, P. Soto*, & alii plures *ap. Sanch. l. 7. D. 93. n. 17.* qui probabilem censet. Ratio, quia impotentia eo casu non est a voluntate, sed ab ipsa natura, ex contractu enim Matrimonii videtur mulier non ad plus se obligasse, quam ad reddendum debitum per media ordinaria; unde quando non potest fieri apta, nisi per medium extraordinarium & periculum gravis morbi, tunc censetur illa ex ipsa natura impotens ad Matrimonium. *Secunda* vero sententia negat, & hanc tenet *Bon. q. 3. p. 13. n. 5. Ronc. c. 6. q. 6. Salm. c. 12. n. 15. & Sanch. l. c. n. 18. cum Ang. Sot. Tab. Palac. Ang. Man. Graff. Lop. Led. &c.* Et probatur ex *c. Fraternitatis §. Per hoc de Frig. &c.* ubi dicitur, runc Matrimonium esse nullum, quando copula non potest haberi, *nisi per incisionem, aut alio modo violentia sibi inferatur, non solummodo levis, sed forte tam gravis* (nota), *ut ex ea mortis periculum timeatur*. Hæc sententia speculative loquendo verior apparet ex textu præfato, cui nescio quomodo responderi possit; sed practice loquendo ipsa non differt a prima, prout enim recte ajunt iidem *Sanch. & Ronc. ll. cc.* quoties per incisionem gravis morbus timetur, subest moraliter etiam periculum mortis.

1098 Dubit. II. An, soluto Matrimonio judicio Ecclesiæ, ob arctitudinem mulieris respectu viri, si postea cognoscatur a secundo viro, & per frequentem usum conjugii reddatur apta primo, debeat ad primum redire? *c. Fraternitatis, §. Similiter, de Frig. &c.* dicitur, quod si mulier non poterat reddi apta primo, nisi cum periculo mortis, tunc non debet redire; secus si poterat sine tali periculo. Ad quæsitum autem respondet *Innoc. Sotus, Host. Præpos. Henr. &c. ap. Salm. l. 7. D. 93. n. 11.* eo casu Matrimonium reputandum esse validum, quia cum mulier fuerit reddita apta primo viro per usum conjugii cum secundo, signum est quod bene poterat illi reddi apta aliquo modo, puta instrumento ligneo, aut ferreo, sine ullo periculo mortis. Sed verius dicunt *S. Anton. 3. p. tit. 1. c. 12. §. 3. ad 1. & Sanch. l. c. n. 12. cum Glass. v. Simili & Abb. Sylv. Ang. Turrecr. Ricc. Durando, Palac. Vega &c.* non ex eo quod ab alio potuit mulier cognosci, concludi quoque posse, quod sine periculo mortis cognosci potuerit a primo; usu enim conjugii cum secundo poterat efficere, quod per ipsum redderetur apta primo, cui prius apta non erat nisi per reserationem cum periculo mortis. Aliunde igitur sumenda est præsumptio, quod mulier potuerit fieri apta primo sine periculo mortis, nempe a similitudine in ætate, robore, & corpore primi viri cum secundo; Nam in dicto *c. Fraternitatis*, ideo Pontifex, præcise de hoc casu loquendo, decrevit mulierem teneri redire ad primum virum, quia secundus erat similis primo; en ejus verba: *Cum pateat ex postfacto, quod cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur*.

Dubit. III. An uxor inepta ad copulam propter 1099
arctitudinem, teneatur pati incisionem cum periculo gravis morbi, ut apta reddatur? Adsunt tres sententiæ. *Prima* sententia, quam tenent *Ang. Palac. Gabrera, &c. ap. Sanch. l. 7. D. 93. n. 31.* dicit teneri, modo absit periculum mortis. *Secunda* sententia omnino opposita, quam tenent *Pont. lib. 7. c. 62. n. 2. Pal. D. 4. p. 14. n. 9. Tourn. t. 2. p. 212. v. Sed hinc, Pont. de impedim. imped. Casu 1. & Mazz. t. 6. p. 82. 4. Tertio*, dicunt nunquam teneri feminam pati incisionem. Ratio 1. quia in quolibet contractu propriæ illius conditiones attendi debent; cum autem in Matrimonio subintelligatur ea conditio, si ad illius usum Conjuges apti fuerint, si apti non inveniuntur, ad aliud non tenentur. Ratio 2. quia si hoc esset medium aptum, & æquitati consonum, Ecclesia aliud aliquando præcepisset; Ecclesia vero nunquam præcepit, sed tantum præscripsit trium annorum experientiam. Excipiunt tamen *Pal. & Mazz. ll. cc.* si femina contraxisset conscia suæ extraordinariæ arctitudinis, & illam viro non manifestaverit; quia tunc ratione deceptionis tenetur incisionem pati; quamvis deinde merito addat idem *Pal.* raro hoc accidere, eo quod raro femina scit se esse arctam præ ceteris. *Tertia* demum sententia communissima, & probabilior, quam tenent *Sanch. l. c. Bonac. q. 3. p. 13. n. 7. Ronch. c. 6. q. 3. Salm. c. 12. n. 115. Spor. c. 1. n. 128. Croix l. 6. p. 3. n. 598. cum Sot. & Perez., ac Escob. l. 27. n. 508. cum Man. Henr. Lop. &c.* dicit teneri feminam pati incisionem etiam cum gravi molestia, & dolore, sed non cum periculo neque mortis, neque gravis morbi; & licet *Sanch. l. c.* dicit *gravissimi*, tamen intelligit idem ac grave, ut se explicat *n. 18. in fin.* Quod non teneatur cum periculo gravi corporali, probatur, quia nunquam censetur mulier voluisse se obligare ad tantum periculum perferendum: neque ex vi contractus Matrimonii videtur ipsa ad tale onus obstringi. Quod autem teneatur cum gravi molestia, & dolore reddi se apta ad copulam, probatur, quia ad id videtur mulier obligari vi contractus, cum id necessarium sit ad servandum jus copulæ quod in virum transtulit. Hæc quidem sententia est communior, & probabilior videtur speculative loquendo, sed practice loquendo, valde probabile id est quod ait *Cont. Tourn. d. p. 212. v. Sed hinc, cum Pontas*, nempe quod si incisio non posset fieri nisi per manum Chirurgi, non tenetur mulier hanc incisionem pati cum tanta verecundia, quod esset onus plus quam gravissimum; si enim puella non tenetur nec etiam ad servandam sibi vitam in aliquo morbo verecundo Chirurgi manum pati (ju-

xta

xta dicta *T. I. l.* 3. *n.* 572.), quomodo ad id tenebitur, ut ad usum conjugii aptam se reddat? *Quid enim turpius* (ait *Tourn.*) *quam ut virgo nuda oculis et manibus Chirurgi subjiciatur, et incisionem fœdam simul ac gravem pati cogatur.*

1100 Dubit. IV. An cum vir posset coire cum corrupta, sed non cum virgine propter ejus claustrum virginale, teneatur ipsa pati scissuram claustri per aliquod instrumentum? Commune est apud omnes cum *D. Th. supp. q.* 58. *a.* 1. *ac* 5. quod possit pati. Utrum autem teneatur? Negant *Pont. l.* 7. *c.* 62. *a n.* 2. *Pal. D.* 4. *p.* 14. §. 1. *l.* 8. *et Ledes. Hurt. ac Leand. ap. Escob. l.* 27. *n.* 51. Ratio, quia defectus ille non est feminæ, sed viri; ergo non tenetur ipsa remedio uti, ut aptam se reddat, sed sufficit quod corpus suum tradat aperiendum, modo a natura instituto, non autem extraordinario. Sed probabilius affirmant *Sanch. l.* 7. *D.* 93. *n.* 34. *cum Vega, Angles, et Lop.* Ratio, quia talis reseratio ex una parte bene potest fieri sine verecundia vel a viro, vel ab ipsa puella, ex alia parte molestia, quam ipsa in tali reseratione deberet pati, non videtur magna, nec extraordinaria, imo est omnibus ordinaria; unde cum femina jam tradiderit viro jus ad copulam, tenetur hoc medio uti, ut se aptam reddat illi, qui ob suam debilitatem alias coire non potest.

1101 Demum hic videndum quid agi debeat, quando impotentia est certa, & quando est dubia? Respondetur; Si est certa & patens, minime exspectandum, sed statim facienda est separatio; nam Matrimonium eo casu est certe nullum, tam ex jure Ecclesiastico, quam ex naturali, cum nemo possit in alterum transferre dominium rei quod non habet, & licet copula non sit de essentia Matrimonii, de essentia tamen est potentia ad illam, ut docet *D. Th. suppl. q.* 58. *a* 1. *ad* 1. Unde, cognita impotentia certa & perpetua, Sponsi possunt illico separari, etiam ex propria auctoritate, si id possit fieri sine scandalo; imo tenentur, si adest periculum incontinentiæ; Et pars non laborans impedimento potest etiam ad alias nuptias transire, ut dicunt *Sanch. l.* 7. *D.* 97. *n.* 8. *et Salm. c.* 12. *n.* 135. *cum Candido*. Si vero adsit periculum scandali (prout communiter adest), tunc debent reclamare coram Judice Ecclesiastico; a quo separandi sunt, saltem quoad torum; & si alter peteret, etiam quoad habitationem, non exspectata triennali experentia, quæ datur pro impotentia dubia, non pro certa; ita *Sanch. D.* 107. *a n.* 3. *et Salm. l. c. cum Pont. Gutt. et Dic.* Et patet ex *c. Laudabilem, de Frig. etc.* ubi: *Si frigiditas probari non possit, cohabitent per triennium*. Ergo si impedimentum probatur, non datur triennium. Si autem velint cohabitare ut frater & soror mutuo consensu, modo absit periculum incontinentiæ, id permittitur ex eod. textu. Sed recte advertit *Nerbesius*, hoc nunquam permittendum, si Sponsi non sint senes.

1102 Hoc currit, si impedimentum impotentiæ est certum: si vero est dubium, & dubium antecedit Matrimonium, non potest qui de sua impotentia dubitat, nuptias inire, donec re diligenter investigata dubium deponat, ob gravem injuriam quam alias irrogaret alteri potenti, ut recte dicunt *Sanch. l.* 7. *D.* 103. *n.* 10. *Mazz. t.* 4. *p.* 83. §. 3. *et Pal. D.* 4. *p.* 14. *n.* 1. *cum Guttier*. Si vero non obstante dubio iste contraxerit, licite poterit reddere & petere, tunc enim datur ei saltem triennalis experentia, ut infra latius explicabitur. Dicunt autem *Dicastil. ap. Croix n.* 795. *et Elbel. p.* 434. *n.* 265. *cum Carden. et Viva*, quod si quis sit dubius de sua impotentia ob aliquod positivum indicium, iste licite poterit Matrimonium contrahere, si spectata peritia Medicorum, & experientiis, sit saltem probabile esse potentem; quia in dubio favet ei præsumptio, quod sit naturaliter potens. Idque satis probabile videtur; cum enim sit probabilissimum, licitum esse ministrare Sacramentum sub conditione, si justa adsit causa, secundum dicta *n.* 28. hic satis justam causam habet nubendi sub conditione, si sit habilis, ne scil. in tali dubio cogatur perpetuo manere cœlebs; Deberet tamen ante Matrimonium monere Conjugem de tali dubio. Ceterum, præcisis circumstantiis & experientiis, quisque præsumitur habilis etiamsi castissime vixerit.

Si vero dubium impotentiæ superveniat Matri- 1103
monio, tunc datur triennalis experientia ex *c. cit. Laudabilem, de Frig. etc.* Qua durante licite possunt Conjuges copulam intentare, licet sæpe aut semper semen extra vas effundant, ut communiter docet *Sanch. l.* 9. *C.* 17. *n.* 20. *Pal. D.* 4. *p.* 13. §. 2. *n.* 11. *Salm. c.* 12. *n.* 134. *et* 138. *cum Soto, et Candido, ac Cont. Tourn. t.* 2. *p.* 209. *v. Si quis*, ex *D. Th. Suppl. q.* 58. *art.* 2. *in fine*. Hoc quoad forum internum; quoad vero forum externum pertinet, triplici modo causa agi potest. I. Si unus ob dubium impotentiæ auctoritate propria ab altero recessit, & tunc recedens, nisi in continenti evidentes afferat probationes impotentiæ, statim restituendus est alteri etiam quoad torum, *Mazz. t.* 4. *p.* 84. *cum Pal. ex c. Ex parte de Rest. expol.* Docet tamen *Sanch. l.* 7. *D.* 112. cum communi, quod si ille recesserit post triennium experientiæ, Judex ante restitutionem debet ipsum audire. II. Si unus alleget impotentiam, alter neget, tunc datur a Judice triennium ad experiendum. In quo notandum 1. quod hoc triennium debet esse continuum ex *c. fin. de Frig. etc.* saltem moraliter, ut recte dicunt *Sanch. l.* 7. *D.* 110. *n.* 4. *Mazz. p.* 85. *et Salm. c.* 12. *n.* 136. *cum Conink*; nempe si Conjuges cohabitent per majorem partem anni; non enim officit, si alter absit per unum vel alterum mensem. Notandum 2. quod licet *Henriq. et alii ap. Sanch. n.* 3. *ac Mazz. l. c.* dicant tempus triennii incipere a Die Decreti, addatque *Mazz.* hunc esse stylum curiæ Romanæ, verius tamen *Sanch. n.* 4. *Salm. n.* 138. *et Holzm. p.* 397. *n.* 633. *cum Pichler* docent triennium computari a tempore copulæ intentatæ; idque clare exprimitur in *d. c. Laudabilem de Frig. etc.* ubi dicitur; *Ut a tempore celebrati conjugii, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium*. Nota *To a tempore celebrati conjugii*, idest copulæ intentatæ, ut bene explicat *Sanch.* nam verba cum effectu intelligenda sunt. Si ergo a tempore conjugii debet triennium computari, improbabiliter dicitur computandum a die Decreti; posset enim Decretum fieri post duos annos a conjugio, & sic non concederetur solum

trien-

triennium, sed quinquennium. Ut autem solvatur Matrimonium, debent ipsi jurare in judicio, nunquam habuisse copulam, esto pluries intentaverint, ut præscribitur in *dict. c. Laudabilem*, ubi insuper requiritur depositio jurata septem propinquorum, aut vicinorum bonæ famæ, si propinqui defuerint. Hoc tamen dicit *Sanch. D.* 109. *n.* 13. procedere, si unus tantum sponsorum proferat impedimentum; sed si ambo illud fatentur, ait requiri 14. nempe 7. ex parte viri, & 7. ex parte mulieris: Isti autem non quidem debent jurare, tales Conjuges nunquam copulatos fuisse; sed tantum id credidisse, vel ab eis audisse, ut dicit *Panorm. cum Glossa in d. c. Laudabilam*, & *Salm. n.* 137. Casu vero quo nequeant haberi 7. propinqui vel vicini, id relinquitur arbitrio Judicis, ut *Salm. ibid.* Insuper si mulier, quæ tempore Matrimonii erat virgo, allegat impotentiam viri, adhibenda est inspectio Medicorum respectu viri, & Matrinarum peritarum respectu feminæ, quamvis enim *Pontius l.* 7. *c.* 63. censeat hoc remedium inspectionis removendum tanquam inutile, & indecens, tamen probabilius *Salm. d. n.* 137. & *Sanch. D.* 109. *n.* 17. *cum Alexand. de Nevo*, &c. illud requirunt utpote necessarium, cum alia via non possit impotentia cognosci; tunc enim ab ipsa necessitate talis inspectio honestatur. Et licet ordinarie ex ea nequeat certum ferri judicium, aliquando tamen sumi poterit judicium saltem probabile, ut Ecclesia ad alia procedat remedia; Et ideo in *c. Fraternitatis de Frig. &c.* Pontifex approbavit factum Episcopi, qui inspectionem adhiberi curavit. Si autem per inspectionem nihil conjici possit, nempe si mulier jam ante Matrimonium fuisset corrupta, tunc potius credendum viro affirmanti consummasse, quam mulieri neganti, ut verius docent *Sanch. l.* 3. *D.* 109. *n.* 15. *cum Alexand. de Nevo*, *Henr. Ricch. Turrec.* &c. (contra *Sotum*, & *alios*) ex *c. Continebatur*, *de Desp. impub.* ubi dicitur: *Si vir dixerit, quod uxorem suam cognoverit, & mulier negaverit, viro fides est adhibenda, si id firmaverit juramento.* Merito autem idem *Sanch. ib.* rejicit tanquam turpissimum id quod dicunt aliqui, nimirum adhibendam esse peritam Matronam, quæ spectet coitum inter hujusmodi Conjuges. III. Si demum utraque pars fateatur impedimentum impotentiæ, tunc post triennalem experientiam exacto juramento ab utroque, & adhibita septima manu propinquorum ex utraque parte ut supra, solvitur Matrimonium; & pars libera ab impedimento licite potest cum aliquo nuptias inire, ut certum est apud omnes.

1104 In dubio autem, an Matrimonium fuerit consummatum, vel non, judicandum est consummatum, nisi oppositum probetur, ut communiter docent *Sanch. l.* 7. *D.* 103. *Pal. part.* 14. §. 7. *n.* 3. & *Salm. c.* 12. *n.* 136. *cum Soto*, *Aversa*, & *Candido*. In dubio vero an impotentia præcesserit, vel secuta fuerit ad Matrimonium, discrepant DD. *Prima* sententia dicit tunc judicandum, quod fuerit subsequens; ita *Pal. l. c. Sanch. n.* 5. *cum Alexand. de Nevo*, *Gabr.* &c. *ac Mazz. t.* 4. *p.* 83. §. 3. *cum Soto*, & *Gutt. ac Reg. ap. Salm. d. n.* 136. tum quia in dubio judicandum est in favorem Matrimonii contracti; tum quia unusquisque præsumitur a natura potens, donec contrarium probetur. *Secunda* tamen sententia probabilior dicit impotentiam censendam esse antecedentem; ita *Contin. Tourn. t.* 2. *p.* 209. *v. In dubio*, *Renzi t.* 2. *p.* 496. *q.* 30. & *Bon. q.* 3. *p.* 13. *n.* 11. *cum Ang. Reb. Henr.* &c. *ac Salm. l. c. cum Sylv. Aversa*, *Verac.* & *Candido*. Ratio, quia, cum Matrimonium nequit suum habere effectum, nimirum procreationem prolis, potius refert ad ejus favorem, ut judicetur invalidum, quam validum, ne retorqueatur in ipsius præjudicium, quod in bonum ejus inductum; & sic respondetur ad primam rationem oppositam. Respondetur autem ad secundam, quod bene quisque præsumitur potens, sed non quando adest positiva præsumptio in contrarium, prout hic supponitur: maxime si post Matrimonium nulla acciderit specialis causa, per quam præsumatur impotentia Matrimonio successisse. Conveniunt autem *Tourn.* & *Renzi*, *ll. cc. Sanch. n.* 6. & *Pal. n.* 6. *cum Gutt.* quod si impotentia non fuerit naturalis, sed accidentalis, nempe ex maleficio, vel ex abscissione, aut alio morbo, tunc in dubio præsumitur præcessisse Matrimonium, si allegetur brevi post ejus celebrationem; secus vero, si post longum tempus.

„ Quæres, quid censendum de Matrimoniis, 1105
„ quæ contrahuntur in partibus hæreticis?

„ Resp. Circa ea Congregatio Cardinalium re-
„ solvit sequentia; Ubi hoc decretum Concilii non-
„ dum publicatum est in Parochia, v. g. in Sa-
„ xonia, & Anglia, valere matrimonium contra-
„ ctum absque forma præscripta. Publicatio au-
„ tem decreti facta præsumitur, si id aliquo tem-
„ pore in Parochia tanquam decretum Concilii fuit
„ observatum. 2. Hæreticos, in quorum Parochia
„ dictum decretum fuit publicatum, v. g. in Hol-
„ landia, Frisia; &c. teneri formam præscriptam
„ servare. Unde consequenter ipsorum matrimo-
„ nia absque forma Concilii, quamvis coram mi-
„ nistro hæretico, vel magistro contracta, viden-
„ tur esse nulla; *Laym.* tamen *l.* 5. *t.* 10. *p.* 2. *c.*
„ 4. putat eam non esse mentem summorum Ponti-
„ ficum, propter gravissima incommoda inde sub-
„ secutura. 3. Si Parochia, in qua aliquando de-
„ cretum fuit observatum, proprio Parocho, &
„ Episcopo careat, nullusque istic sit, qui vices
„ Episcopi, vel Parochi suppleat, matrimonium
„ valere absque præsentia Parochi; servata tamen,
„ in quibus potest, forma Concilii, nempe adhi-
„ bitis saltem duobus testibus. Idem est, si Pa-
„ rochus, & Episcopus metu hæreticorum lateat,
„ ita ut vere ignoretur, ubi sit, vel eorum metu
„ absit a Diœcesi, & ad neutrum sit tutus accessus.
„ V. hic *lit. in princ.* * (*Notandum*, *quod SS.*
„ *Dom. Noster Pontifex Bened. XIV. die* 4. *Nov.*
„ 1741. *declaravit Matrimonia Hæreticorum in-*
„ *ter se*, *non servata forma Tridentini*, *pro vali-*
„ *dis habenda esse. Et idem de conjugiis inter*
„ *Catholicos*, & *hæreticos. Hoc tamen tantum*
„ *pro locis in Belgico Dominio fœderatorum Or-*
„ *dinum subjectis*, & *pro militibus ad arces con-*
„ *terminas missis*, *nullo prolato judicio pro Re-*
„ *gionibus Principum Catholicorum. Vide Decla-*
„ *rationem Pontif. n.* VIII. *in princ. Tomi II.*)*

„ Dicitur XIV. *Raptave sit*, de quo vide su- 1106
„ pra in impedimento criminis *n.* 946.

Ad

1107 Ad incurrendum impedimentum ob crimen Raptus, tria requiruntur, I. Ut mulier rapta adducatur de loco ad locum, prout communiter dicunt *Sanch. l. 7. D. 13. n. 21. Conc. p. 349. n. 3. & Salm. c. 12. n. 148.* & alii passim; vel etiam de domo in domum per aliquos inde passus distantem, ut ajunt *Holzm. p. 398. n. 638. & Tamb. Dec. l. 7. c. 6. §. 2. n. 7.* Unde non sufficit, quod mulier transferatur de cubiculo in cubiculum ejusdem domus, etiamsi per vim ibi cognoscatur; sufficit vero, si transferatur in locum separatum, in quo illa sit sub potestate viri, quamvis ibi cum illo rem non habeat, ut *Sanch. Conc. & Salm. ll. cc.*

Requir. II. Ut femina rapiatur tantum causa Matrimonii, unde, si abducatur ex alia causa, etiam libidinis explendæ, non incurritur impedimentum; ita probabilius tenent *Sanch. l. 7. D. 13. n. 4.* cum *Manuel, Vega, Diaz,* &c. *Pal. D. 4. p. 2. §. 2. num. 11. Conc. p. 339. nu. 2. Holzm. n. 368. & Salm. c. 12. n. 152. cum Con. Dic. Aversa, Dian. &c.* (contra *Bon. Cornejo, &c. cum Busemb. n. 1032.*) Ratio, quia Concilium hoc impedimento non aliud intendit, quam favere libertati Matrimonii, de quo tantum agit in *sess. 24. c. 6.*

Requir. III. Ut raptus sit *mulieris, ipsa repugnante*. Unde non incurrit impedimentum, si mulier rapiat virum, ut communiter *Sanch. D. 13. n. 16. & Salm. c. 12. n. 155. cum Bonac. Gutt. Veracr. Dic. Gabr. &c.* Quia Concilium tantum de viro raptore mentionem facit. Nec etiam incurritur, si fiat raptus, consentiente fœmina, licet ejus Parentes, vel Tutores repugnent. Quod *Bus.* probabile putat, & est commune cum *Sanch. ib. n. 13. & 14. Pal. n. 12. Conc. & Holzm. ll. cc. ac Salm. n. 151. cum Con. Avers. Per. Dic.* &c. Quia aliter, licet incurrantur quidem pœnæ raptoribus impositæ, non contrahitur tamen impedimentum quod Concilium induxit tantum favore mulierum, ne coactæ nubant.

Nota hic quod ex Tridentino, ut supra, ultra impedimentum, raptor, & omnes auxilium ad hoc præbentes, incurrunt excommunicationem ipso jure. Alias vero pœnas ibi indictas, ut dotationis mulieris, infamiæ, incapacitatis ad dignitatem, & amissionis gradus, nonnisi post sententiam incurrunt, ut *Sanch. l. 7. D. 13. n. 1. & Salm. n. 150.* cum *Pal. Dic. & Per.*

Quær. 1. an in hujusmodi casu etiam Sponsalia sint nulla, sicut Matrimonium? Affirmant *Sanch. ib. n. 17. & Salm. n. 154. cum Bon. Basil, Aversa, Dic. &c.* Quia (ut dicunt) Sponsalia etiam libertatem expetunt sicut Matrimonia: lex autem pœnalis rite extenditur, ubi eadem militat ratio. Sed probabilius contradicunt *La-Croix l. 6. p. 3. n. 54. & Holzm. de Matr. c. 8. n. 271. cum Perez, Pichler, Wiensn. Krimer*, & aliis; ratio quia Sponsalia minorem libertatem requirunt quam Matrimonium, eo quod ipsa semper remanent rescindibilia: ergo non currit in eis eadem ratio, quæ currit in Matrimonio, quod nunquam rescindi potest.

1108 Quær. 2. an si quis rapiat fœminam, quam jam desponsaverat de futuro, pœnas Concilii incurrat? Negant *Ledes.*, & *Henr. ap. Salm. c. 12. n. 153.* qui probabilem putant, ex *c. penult. de Rectorib.* ubi: *cum ibi raptus dicatur admitti, ubi nihil ante de nuptiis agitur*. Ex quo refert *Henr. ap. Sanch. l. 3. D. 13. n. 15.* validum esse matrimonium, sive volens sive nolens Sponsa abducatur. Affirmant verius tamen *Sanch. l. c. Pal. p. 2. §. 2. n. 14. Conc. p. 339. n. 4. Esc. l. 27. n. 585. cum Sa, Hurt. Man. Cornejo, Candido, & Leand. ac Salm. l. c. cum Aversa, Dic. & Gutt.* Id enim clare exprimitur in eodem textu mox citato, ubi post verba relata statim subditur. *Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum; & prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet Parentes reclamarent*. Unde recte ex eo concludit *Sanch.*, nullum esse Matrimonium, si femina invita abducatur, secus si volens, etsi invitis Parentibus; & in principio textus non ideo dicitur raptus non intercedere, quia sponsalia præcesserint, sed quia mulier consentiens rapta fuit.

DUBIUM III.

Quando Matrimonium invalidum sit revalidandum.

1109 *Quomodo revalidandum Matrimonium, si fuit nullum ob consensum fictum, vel metu extortum? Quomodo, si ob impedimentum occultum?*

1110 *Qu. I. An in Matrimonio nullo ob impedimentum occultum revalidandum, iterum requiratur assistentia Parochi, & testium?*

1111 *Qu. II. Quomodo, & quando impedimentum censeatur occultum?* 1112. *Qu. III. An sit revalidandum Matrimonium coram Parocho, & testibus, si ipsi tempore Matrimonii contracti erant conscii impedimenti?* 1113. *Q. IV. An qui ficte contraxit Matrimonium, teneatur ex justitia illud revalidare per verum consensum?* 1114. *Q. V. An si quis ficte, vel ex metu contraxit, debeat alterum Conjugem certiorare de matrimonii nullitate?* 1115. *Q. VI. An si Matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum, oporteat ut uterque fiat conscius de nullitate?* 1116. *Quid in casu urgentis necessitatis?* 1117. *Q. VII. Quotuplici modo possit renovari sive exigi consensus parte inscia impedimenti?*

„ Resp. 1. Si fuit invalidum propter consen- 119
„ sum fictum, vel metu extortum, sive ex una,
„ sive ex utraque parte, potest revalidari per quod-
„ cumque signum veri, & novi consensus, quia,
„ si altera tantum pars ficte contraxit, consensus
„ unius partis habitualiter permansit; ergo acce-
„ dente alterius consensu revalidatur *Sanch. l. 2.*
„ *d. 23. n. 9. Coninc. d. 24. d. 10. n. 89. Nav.*
„ *Fill. Bon.* &c.

Unde resolves.

„ 1. Si metus, vel defectus consensus fuerit al-
„ terius tantum partis, curandum est, ut ea sal-
„ tem novum, & liberum consensum eliciat, &
„ externis signis prodat; alteri autem parti non
„ opus est declarari, præstari novum consensum
„ ad valorem matrimonii. *Sanch. l. c. n. 10. Con.*
„ *Bon. p. 9. Merat. d. 7. sess. 15. n. 4.*

„ Si

„ Si uterque ficte, vel coacte consenserit, ne-
„ cesse est, ut uterque consensum renovet, & ver-
„ bis exprimat. Quia, cum utriusque consensus
„ plane nullus fuerit, æque necesse est revocare,
„ & declarare, ac si factum nunquam fuisset,
„ *Merat. l. c. n.* 3.

„ Resp. 2. Si invalidum fuit propter impedi-
„ mentum consanguinitatis, verbi gratia, vel aliud
„ simile occultum dirimens, tunc eo per dispen-
„ sationem, vel aliter sublato, atque ita personis
„ ad contrahendum habilitatis, requiritur novus u-
„ triusque consensus, signo externo expressus: &
„ quidem, ut probabilius docet *Sanch. l.* 3. *d.* 56.
„ absolutus, & independens ab antiquo. Ratio est,
„ quia neutrius consensus antiquus fuit legitimus,
„ cum non caderet in legitimam materiam.

Unde resolves.

„ Si tali casu altera pars sit ignara impedimen-
„ ti, vel dubitetur, an sciat, illa suaviter indu-
„ cenda est ad novum consensum absolute præ-
„ standum, dicendum v. g. Si mihi non nupsisses,
„ nonne modo nuberes? vel: angor scrupulis de
„ matrimonii nostri valore, ideoque renovemus
„ consensum. Quod si fiat, sufficere (præsertim
„ si sequatur affectu maritali copula) docet *Quin-*
„ *tan. append. t.* 7. *d. ult.* Si autem periculum
„ sit, ne pars illa impedimentum ignorans detre-
„ ctet, & scandala, gravesque molestiæ timean-
„ tur, licebit uti sententia contraria, quæ docet,
„ sufficere ut sola pars impedimenti conscia con-
„ sensum renovet, & alteri declaret. *Sanch. l.* 2.
„ *d.* 26. *& l.* 8. *d.* 34. *n.* 61. *Less. l.* 2. *c.* 17. *Con.*
„ *d.* 24. *d.* 10. & *Fill. n.* 9. &c. *Dian. p.* 4. *t.*
„ 4. *R.* 49.

„ Resp. 3. Ut matrimonium invalidum, quod
„ coram testibus, & Parocho est celebratum, re-
„ validetur, non opus est denuo coram Parocho,
„ & testibus iniri, si impedimentum sit occultum,
„ secus si sit notum: quia prius matrimonium præ-
„ sumptione Ecclesiæ censetur validum, non au-
„ tem posterius. *Nav. Sanch. l.* 3. *d.* 37. *Coninc.*
„ 24. *d.* 4. *Reg. l.* 31. *n.* 183. *Fill. n.* 93.

Hic prænotandum id quod diximus *T. I. l.* 1. *n.* 30. *v. Not.* 2. nimirum communem esse DD. sententiam, quod cum agitur de Matrimonio revalidando, propter bonum Animarum præsumitur Ecclesia in impedimento (si forte adsit) dispensare, semper ac adest de illius valore vera probabilitas. Unde, ubi dubitatur inter DD. de valore alicujus Matrimonii, bene potest haberi illud ut validum, si vere probabile sit de jure validum, esse; modo dubium vertat circa impedimentum ab Ecclesia appositum, nam in impedimentis de jure naturali non potest Ecclesia dispensare.

1110 Quær. I. An ad revalidandum Matrimonium nullum ob occultum impedimentum, sed in facie Ecclesiæ jam celebratum, sit iterum revalidandum coram Parocho, & testibus. *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Comit. l.* 1. *q.* 120. *n.* 3. *Conc. p.* 390. *ex n.* 14. *& Pont. l.* 5. *c.* 6. *n.* 6. *cum Palac. Gutt.* & aliis paucis. Ratio, quia assistentia Parochi & testium assignatur a Tridentino, ut forma, sive ut substantiale requisitum Matrimonii; forma autem contractus tum adhibenda, est, cum contractus celebratur: si igitur primum Matrimonium fuit nullum, ergo quando denuo, & revera contrahitur, debet forma adhiberi. *Secunda* vero sententia probabilior & communis negat; Ratio, quia Concilium præscribendo Parochi præsentiam, & testium ad valorem Matrimonii, merito præsumitur noluisse hunc casum comprehendere: Concilium enim per illam præsentiam tantum voluit occurrere peccatis, quæ consurgebant ex nuptiis clam celebratis, sed in nostro casu Matrimonium jam publice est contractum; & ideo sufficit novum tantum ponere consensum; ita *Nav. Man. c.* 22. *n.* 70. *Natal. ab Alex. de Matr. art.* 15. *Reg.* 17. *Fagn. in c. Is qui fidem, de Spons. n.* 14. *Habert de Matr. c.* 4. *in fine Cont. Tour. t.* 2. *de Imped. p.* 292. *Resp.* 2. *Anacl. p.* 792. *n.* 172. *Cardenas in Prop. Innoc. XI. D.* 2. *n.* 665. *Spor. p.* 252. *n.* 453. *Ronc. p.* 179. *q.* 4. *Boss. c.* 2. *ex n.* 56. *Viva q.* 2. *art.* 3. *n.* 8. *Holzm. n.* 699 *Auctor Instr. per li Nov. Conf. p.* 2. *c.* 15. *n.* 326. *Sanch. l.* 2. *D.* 37. *n.* 3. *cum Vega, Lop. Man. Henr. Philiarch. Rodr. &c. Elbel p.* 456. *n.* 345. *cum Boscho, Corduba, Herin., Ills. &c. & Salm. c.* 3. *n.* 118. *cum Soto, Cajet. Bon. Con. & Pal.* Item N. SS. P. Benedictus XIV. *Notif.* 87. *n.* 62. *cum Pontas, Van-Espen* & communi, ut testatur. Et sic statuit, atque in praxi constanter deduxit S. Pœnitentiaria ex Oraculo S. Pii V. qui præcise ab illa rogatus de hac re declaravit non esse necessarios Parochum & testes, dum rursus contrahitur Matrimonium ab iis qui illud publice contraxerunt, si illud fuerit nullum ob occultum impedimentum, ut testantur *Cardenas l. c. n.* 668. & fere omnes AA. citati cum eodem Pont. Benedicto ex *Navar.*, qui Officialis fuit prædicti Tribunalis. Et ideo quando agitur de Matrimonio contrahendo cum impedimento occulto S. Pœnitentiaria in dispensando hac utitur formula; *Cum eodem latore, quod Matrimonium cum dicta muliere, & uterque inter se publice, servata forma Conc. Trident., contrahere possit, misericorditer dispenses.* Quando vero agitur de Matrimonio jam publice contracto in facie Ecclesiæ, utitur his verbis: *Cum eodem latore, ut, dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata (sed id caute, ut latoris delictum nusquam detegatur), Matrimonium cum eadem, et uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala, contrahere valeat, dispenses.* Unde observa quod in primo casu, quia necessaria est præsentia Parochi, dicitur *servata forma Concilii.* In secundo vero dicitur, *secrete ad evitanda scandala*, idest ut patet sine Parocho, & testibus. Et sic etiam pluries declaravit S. C. Conc., ut refert idem Benedictus *l. c.* qui addit, olim, Rotam Rom. de hoc aliquando dubitasse, sed postquam fuit admonita a Præfecto ipsius S. C. quod ejus Declarat. innixæ erant Stylo S. Pœnitentiariæ, & S. Pii V. Oraculo, deinceps ipsam Rotam in pluribus Decisionibus constanter hanc sententiam secutam fuisse.

Objicit *Pontius l. c.* Oraculum Clement. VIII. quod in extensum refert *lib.* 4. *c.* 24. *n.* 4. ubi narrat quod cum quædam mulier ex metu cuidam nupsisset, per Stephanum Tudium ad petitionem Pauli Comitoli consultus fuit Clemens VIII. qui re-

respondit necessarium esse consensum utriusque coram Parocho, & testibus, admonito prius Marito de Matrimonii nullitate; sed ad evitandum scandalum se dispensare, ut secreto inter se contrahant renovato consensu. Sed AA. nostræ sententiæ; & præsertim *Salm. Ronc. Spor. Holzm. Boss. & Elb.* multipliciter respondent, & 1. quod illud impedimentum, licet occultum, cum tamen ortum habuerit ex metu incusso, erat obnoxium periculo publicationis, aut deductionis ad forum. 2. Quod Pontifex vel respondit tanquam doctor privatus, vel sententiam tutiorem est secutus. 3. Quod de præfato Oraculo non satis constat, prout constat de Oraculo S. Pii V. quod apparet comprobatum tot Declarationibus S. C. Decisionibus Rotæ Rom. & praxi constanti S. Pœnitentiariæ. Ad rationem autem oppositæ sententiæ respondetur, quod Concilium vult assistentiam Parochi, & testium, ad probandam validitatem Matrimonii secundum externam apparentiam; cum autem Matrimonium prius contractum jam externe reputatur validum, cessat ratio cur prædicta assistentia denuo requiratur.

1111 Quær. II. Quomodo, & quando impedimentum intelligatur esse occultum, cum in Litteris S. Pœnitentiariæ dicitur: *Dummodo impedimentum occultum sit? Nav. c.* 27. *n.* 255. loquendo de censuris cum *Glossa in c. Quis aliquando. §. Hæc ergo, de Pœnit. D.* 1. *v. Secreta*, dicit esse occultum, quando factum fuit in præsentia quinque personarum, *quia* (ut ait *Nav.*) *non est de occulti essentia, quod sua natura non sit probabile, qualia sunt mentalia*. Unde concludit quod ut aliquod crimen dicatur occultum, sufficit non esse publicum majori parti Oppidi, Viciniæ, vel Collegii, ubi saltem immorentur decem personæ, & idem sentiunt *Suar. de Censur. D.* 41. *sess.* 3. *n.* 6. *Azor. l.* 8. *c.* 10. *q.* 9. *Tol. l.* 1. *c.* 89. *n.* 5. *Mol. de Just. tr.* 3. *D.* 59. *n.* 8. Vide dicta *n.* 593. *v. Hinc autem*. Bene tamen advertit *Fagn. in c. Vestra, de Cohab. Cler. n.* 117. hanc doctrinam, scil. quod factum sit notum majori parti Parochiæ, intelligendum est cum grano salis; nam si in Parochia essent mille personæ, perperam diceretur occultum factum illud quod faciunt quadringenti, vel quingenti. In nostro autem casu dicit *Sanch. l.* 2. *D.* 37. *n.* 11. *cum Henr. & Man.* quod si impedimentum possit per duos testes probari, illud amplius non potest dici occultum, etiamsi non sit periculum quod ad forum deferatur, quia tunc sequerentur eadem inconvenientia, quæ olim sequebantur ex Matrimonio clandestino; nam, probato impedimento post contractum Matrimonium posset alter Conjux alias nuptias inire. Sed melius, & communissime dicunt alii, ut *Spor. p.* 352. *n.* 462. cum communi, & *Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 815. *cum Laym. Hurt. & Reb.* id tantum procedere, quando prudens adest periculum quod res sit deferenda ad forum externum; & idem *Sanch.* videtur se retractasse *l.* 8. *D.* 34. *n.* 55. dum ibi explicando ex *Nav. c.* 27. *n.* 154. & 155. præfatam clausulam S. Pœnitentiariæ, *Dummodo impedimentum occultum sit*, dicit *cum Lop. & Manuel*, illud dici occultum, quod non est publicum majori parti Parochiæ, Viciniæ, vel Collegii. Unde recte concludit N. SS. P. Bened. XIV. *Not.* 87. *n.* 55. *in fine cum Tiburtio, Nav. & Thesauro*, tunc Confessario abstinendum esse ab exequenda Dispensatione, quando ex circumstantiis prudenter conjicere potest impedimentum ex occulto posse fieri publicum. Ceterum ait cum eisdem AA. & *Sirio* impedimentum per se dici occultum, si notum sit in Oppido sex solis personis, in Civitate septem vel octo, modo ab eis non fuerit divulgatum. Testatur autem *Fagn. l. c. n.* 118. S. Pœnitentiariam servare hanc praxim: quando crimen est notum tantum quatuor, vel quinque personis, dispensat in eo tanquam occulto; Sed ego scio S. Pœnitentiariam dispensasse in impedimento quodam consanguinitatis noto decem circiter personis; Advertit vero idem *Fagnanus num.* 120. hoc intelligi, quando a S. Pœnitentiaria dicitur in clausula simpliciter *occultum*, secus si dicatur *omnino occultum*, ut solet poni in impedimento criminis; quia tunc merito ait non dici occultum crimen, quod potest per duos testes probari. E converso notat præfatus Benedictus *n.* 42. *cum de Leone, Bon. Tib. Girib.* & pluribus aliis, quod aliquando posset esse crimen publicum materialiter, nempe si publicum sit Viciniæ, sed formaliter occultum, nimirum si ignoretur ab illa copula nasci impedimentum affinitatis, & tunc etiam potest impetrari Dispensatio a S. Pœnitentiaria.

Quær. III. An Matrimonium sit revalidandum 1112
coram Parocho, & testibus, si ipsi tempore Matrimonii contracti conscii fuerint impedimenti? Affirmat *Sanch. l.* 8. *D.* 73. *n.* 10. *cum Henr. Led. & aliis*, quia (ut ait) tunc fuerunt testes non valoris, sed potius nullitatis talis Matrimonii; Et idem sentit *Croix n.* 815. *cum Avers. & Kugler*, etiamsi tantum unus ex testibus impedimentum noverit. Negant vero *Coninck d.* 24. *dub.* 10. *n.* 84. & *Tamb. de Matr. lib.* 8. *c.* 7. §. 3. *n.* 10. item *Gob. & alii ap. Croix ib.* quia assistentia Parochi & testium fuit præscripta a Tridentino, non tam ad testandam validitatem Matrimonii, quæ multipliciter ei potest esse ignota, quam ad probandam externam Matrimonii celebrationem, ut periculo obvietur, ne iidem Conjuges alias nuptias ineant. Utraque sententia est probabilis, sed secunda videtur probabilior; Conciljum enim *sess.* 24. *c.* 1. requirendo assistentiam Parochi, & testium, jam causam exprimit, ne quis fraudulenter plura contrahat conjugia, & minime indicat velle amplius, ut testes certiorentut de matrimonii valore, & cur? quia (ut ajunt *Salm. c.* 3. *n.* 129.) *Ecclesia non adducit testes ad probandum valorem Matrimonii, sed celebrationem illius externam*.

Quærit. IV. An qui ficte contraxit Matrimo- 1113
nium, teneatur deinde ex justitia illud revalidare per verum consensum? Affirmant *Pal. D.* 3. *n.* 7. §. 1. *n.* 1. *Pont. l.* 4. *c.* 24. *n.* 3. *Conc. p.* 387. *n.* 5. & *Salm. c.* 3. *n.* 114. *cum Soto, Trull. & Avers.* Ratio, quia alter jam tradidit corpus per suum consensum, unde, ut servetur æqualitas, tenetur ficte consentiens etiam per verum consensum corpus suum tradere. Negant vero probabilius *Sanch. l.* 1. *D.* 11. *n.* 5. *cum Nav. Soto, Angles, Henr. Man. & Arag.* item *Gutt. Hurt. & Vill. ap. Salm. n.* 113. & probabile putat *Pal. n.* 2. Ratio, quia, cum contractus Matrimonii non possit

clau-

claudicare, quando ficte unus consentit, nulla adest traditio alterius, & ideo nulla remaneat inæqualitas; ille enim qui verum apposuit consensum, æque liber remanet, ac si nullum consensum apposuerit. Omnes tamen conveniunt teneri ficte consentientem revalidare Matrimonium per verum consensum, si aliter reparare non possit damna ex illa deceptione alteri illata.

1114 Quær. V. An si unus ficte, vel ex metu contraxit Matrimonium, debeat certiorem facere alterum Conjugem de Matrimonii nullitate, si postea velit illud revalidare? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenet *Pont. l. 4. c. 24. n. 3. cum Comit.* item *Pal. et Hurt. apud Salm. c. 3. n. 117.* ac probabilem putat *Less. l. 2. c. 17. n. 72.* Ratio, quia, cum nullus eo casu fuerit contractus, deficiente consensu metum passi, vel ficte consentientis, nullus etiam fuit consensus alterius; consensus autem, qui ab initio fuit nullus, tractu temporis convalescere non potest. *Secunda* tamen communis, & verior sententia docet sufficere, quod tantum ficte consentiens, vel metum passus suum ponat consensum; & hanc tenent *Less. l. 2. c. 17. n. 72. & c. 45. n. 67. Nav. c. 22. n. 80. cum Host. et Jo. And. S. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 7. ad med. Cont. Tourn. t. 2. p. 169. Boss. de Cont. Matr. c. 12. n. 383. et c. 2. ex n. 56. Ronc. p. 179. q. 3. cum Laym. Bon. q. 2. p. 9. n. 1. Sanch. l. 2. D. 32. n. 9. cum S. Bonav. Palud. Sylv. Ang. Armilla, Tab. P. Soto, Lop. etc. et Salm. c. 3. n. 118. cum Soto Con. Trull.* Hanc sententiam expresse tenet etiam *D. Th. suppl. q. 47. art. 4. ad 2.* ubi dixit: *Ex consensu libero illius qui primo coactus est, non fit Matrimonium, nisi in quantum consensus procedens in altero adhuc manet in suo vigore, unde si dissentiret, non fieret Matrimonium.* Ergo, perseverante consensu alterius, sufficit si coactus liberum ponat consensum. Probatur ex *c. Insuper 4. Qui Matr. accus. etc.* ubi in summario sic habetur: *Invita desponsata postea sponte cognita contra Matrimonium non auditur.* Idem habetur in *c. Proposuit 1. de Eo qui cum:* ibi dicitur: quod cum quidam vir ignorans servam duxisset, *postquam audivit esse ancillam, carnaliter cognovit;* unde compulsus fuit, *ut eam sicut uxorem pertractaret.* Idem ex *c. Ad id 21. de Sponsal.* ibi; *Quamvis ab initio invita fuisset ei tradita et renitens, tamen quia postmodum per annum, et dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, et ad ipsum est cogenda redire.* Ergo sufficit consensus partis metum passæ, vel ficte consentientis, expressus per copulam conjugalem, vel per cohabitationem, una cum consensu alterius prius dato, ad faciendum validum Matrimonium. Ut autem metum passus legitimum ponat consensum, requiritur quidem, ut sciat primum Matrimonium invalide fuisse initum; prout bene advertunt *Sanch. l. 2. D. 36. n. 3. Nav. c. 22. n 56. & Tourn. t. 2. p. 170. cum Sylv. & Peyringh.* Ratio autem nostræ sententiæ est, quia certum est quod in contractu Matrimonii non requiritur simultas publica consensuum Sponsorum, sed sufficit moralis, nempe, si consensus unius moraliter perseverat, dum ponitur consensus alterius. In nostro autem casu ideo Matrimonium fuit nullum, quia defuit consensus metum passi, vel ficte consentientis; ergo cum jam præcesserit verus consensus alterius; & virtualiter perseveret per cohabitationem &c. ut *infr. n. seq.* satis est, quod accedat consensus istius metum passi, vel ficte consentientis, expressus, aut per verba, aut per signa, nempe per copulam maritalem, aut voluntariam cohabitationem, ut docet *Sanch. l. 4. D. 18. n. 2. cum S. Thom. S. Bon. Palud. &c.* utque patet ex textibus supra citatis. Nec valet dicere, quod consensus alterius qui liber fuit a metu, vel fictione, fuit nullus, cum nullus adfuerit contractus; nam respondetur, quod licet contractus fuerit nullus, & consensus illius non habuerit effectum, tamen fuit verus consensus, & ideo cum ipse moraliter perseveret, satis est ad revalidandum Matrimonium, quando accedit consensus alterius qui ficte consentit; pariter ac si iste distulisset suum dare consensum, & postea jam præstasset.

Neque obstat, ait *P. Cuniliati de Matr. §. 29. n. 2. & 3.* timor, quod pars quæ liberum consensum præstitit, si rursus esset requisita de novo consensu, forte illum negaret: nam hic interpretativus dissensus non est verus dissensus, sed interim consensus olim impertitus jam perseverat. Quicquid autem opponatur in contrarium, ego non video, quomodo possit responderi ad Canones supra relatos, & præsertim ad secundum in *c. Ad id, de Spons.* ubi casus fuit, quod Puella quædam, cum prius Nuptias contraxisset sine suo consensu interno, & deinde cum illas ideo invalidas censuisset, ad secundum transierat conjugium; sed quia per longum tempus cum primo Viro cohabitaverat, Pontifex præcipit ipsam cogendam ad primas Nuptias redire, dum præsumebatur quod per illam cohabitationem jam suum consensum præstiterit: *Quamvis ab initio* (repetamus verba textus) *invita fuisset ei tradita, tamen quia postmodum per annum & dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire.* Papa igitur pro vera non habuit rationem primæ sententiæ, scil. quod consensus libere datus a Viro esset eo casu per se invalidus, tamquam cadens supra materiam inhabilem; sed potius pro vero judicavit, quod ille Viri consensus, moraliter perseverans, & deinde conjunctus cum consensu a Muliere per suam cohabitationem præstito, jam primum matrimonium convalidasset, & ideo jussit, quod Mulier ad illum redire teneretur. Objicitur *a Pont.* Declaratio VIII. sed illi respondetur ab Auctoribus nostræ sententiæ, sicut responsum est supra *n. 1110. v. Objicit Pontifex &c.*

Quær. VI. An quando Matrimonium fuit nul- 1115
lum ob aliquod impedimentum, sit necessarium ad illud revalidandum, ut ablato impedimento uterque Conjux fiat conscius de nullitate Matrimonii? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenet *Pont. l. 4. c. 23. a n. 2. Pal. p. 7. §. 1. n. 3. Boss. t. 1. c. 2. ex n. 71. & c. 2. n. 336. Less. l. 2. c. 17. n. 76. Nav. c. 27. n. 44. cum Sylv. & Cov. ac Sanch. l. 2. D. 55. n. 2. cum D. Th. Scot. Caj. Abul. Palac. &c.* Ratio, quia hoc Matrimonium non potest fieri validum neque per primum, neque per secundum consensum præstitum post dispensationem: non per primum; quia quod fuit nullum ab initio, tractu temporis validari non potest, non per secundum, quia hic novus consensus non est va-

validus, nisi fiat animo contrahendi illo tunc Matrimonium, & hunc animum non habet qui nescit Matrimonium prius contractum esse nullum, vir enim qui tunc consentit ignorans nullitatem, consentit quidem cum errore, putans consentire in uxorem jam suam; ergo cum erret in substantia, consensus minime valet. *Secunda* vero sententia quam tenent *Salm. c. 3. n.* 182. *cum Sot. Led. Rod. et Henr.* item *Palud. Ang. Gabr.* & alii plures *ap. Boss. d. c. 2. n.* 72. dicit non esse opus, ut pars ignara impedimenti moneatur de nullitate Matrimonii, sed sufficere, quod ablato impedimento, pars quæ conscia est de illo, consensum ab altera accipiat. Probatur 1. ex Decisione 687. Rotæ Romanæ *apud Farin.* edita Auctoritate Apostolica, eam refert *Bossius t. 1. c. 10 n.* 332. ibi sic dictum fuit: *Vobiscum quod, impedimentis consanguinitatis non obstantibus, in vestro sic contracto Matrimonio remanere, seu illud publice servata forma Concilii de novo contrahere, libere et licite valeatis, auctoritate Apostolica dispensamus.* Probatur 2. ratione, quia prior consensus, licet suo effectu caruerit ob impedimentum a jure positivo appositum, tamen de jure naturæ fuit validus, cum fuerit præstitus erga personam de jure naturæ habilem ad contrahendum, ut sapienter considerat Bened. XIV. *Notif.* 87. *n.* 80. Unde fit quod cum removetur impedimentum per dispensationem, perseverante ex una parte primo consensu Conjugis ignorantis impedimentum virtualiter per usum Matrimonii, nempe per copulam conjugalem, cohabitationem voluntariam, & alia signa externa, quæ ex primo consensu procedunt: & accedente ex altera parte consensu interno Conjugis conscii impedimenti; expresso saltem per similia externa signa, tunc consensus utriusque moraliter uniuntur, & Matrimonium convalidant. Ac propterea dicunt *Abbas, Gonz. Felin. etc. ap. Bossium t. 1. c. 3. n.* 92. posse Papam dispensare in Matrimonio nullo a novo consensu præstando. Et de facto per Clementem XI. ex Brevi edito die 2. Apr. 1701. (ut refert *l. c.*) quædam Matrimonia nulliter contracta a quibusdam Populis Indiarum, vocatis *Pucueles*, & *Quartarones*, fucrunt sine novo consensu convalidata. In hac autem re (quidquid dixerimus in prima editione) maxime notandum id quod declaravit Bened. XIV. in Constitutione . . . emanata die 27. Sept. 1755. (vide *Bullar. t. 4.*) ibi cum accidisset casus, quod quidam vir, qui bona fide, sed invalide Matrimonium contraxerat, ob impedimentum occultum consanguinitatis, petebat illud convalidare, non tamen certiorata uxore, propter scandalum separationis, quod timebatur, Pontifex petitione indulsit, eodemque tempore (vide ib. §. 7.) declaravit, quod casu quo impedimentum oritur, non a lege naturali, aut divina (prout esset cum præstatur consensus vivente altero Conjuge, aut cum persona servilis conditionis ignotæ), sed provenit a Lege Ecclesiastica, tunc bene potest Papa dispensare, ut Matrimonium contrahatur sine novo consensu partis ignorantis impedimentum, habendo pro valido consensum præstitum ab illa in principio, ubi ex lege naturali erat consensus quidem validus; nam eo casu Papa aufert impedimentum in radice Matrimonii, retrotrahendo contractum ac si ab initio impedimentum abfuisset, Hæc verba Pontificis: *Porro gratia concessa importat dispensationem in radice Matrimonii, quæ a Romanis Pontificibus concedi consuevit, urgente magna causa, & quando agitur de impedimento Matrimonii ortum habente, non a jure divino, aut naturali, sed a jure Ecclesiastico; & per eam non fit, ut Matrimonium nulliter contractum non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tollantur, qui ob hujusmodi Matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem, atque etiam in ipso Matrimonii contrahendi actu producti fuerunt.* Ceterum, ubi non suppetit hujusmodi specialis dispensatio Pontificis, non discedendum a prima sententia; maxime quia in Litteris S. Pœnitentiariæ in dispensationibus ad hujusmodi Matrimonia reconvalidanda apponitur sequens clausula: *Ut, dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, uterque inter se de novo secrete contrahere valeant.* Licet enim dicant *Sanch. l. 8. D. 34. n.* 61. *& Bon. q. 2. p. 9. n. 8. ac Tiburt. Navarr. in Manud. &c.* præfatam clausulam non apponi ut conditionem, sed ut simplicem instructionem quia alias dicta conditio sæpe frustraretur, item quia clausulæ, quæ apponuntur ut conditiones, aliis strictioribus verbis apponuntur; attamen probabilius docet Benedictus *dict. Notif.* 87. *n.* 68. illam esse veram conditionem, eo quod ablativum absolutum juxta Jurisperitos veram importat conditionem ex *l. A. testator. ff. de Condit. & demostrat.*

Dixi *extra casum urgentis necessitatis*, nam si 1116
ex notitia nullitatis Matrimonii prudenter timeri possit periculum mortis, gravis infamiæ aut scandali ex separatione secuturi: & ex alia Conjux impedimenti conscius non posset evitare redditionem debiti, tunc bene potest uti secunda sententia tamquam probabili, quia eo casu ratione necessitatis etiam cum periculo frustrationis Sacramenti licitum est sequi opinionem tantum probabilem, ut communiter docet *Sanch. l. 2. D. 36. n. 7. & 8. Tourn. t. 2. p. 196. v. Si autem, Carden in Præposit. Innoc. XI. D. 2. n.* 681. *&* 697. *Less. l. 2. c. 17. n. 77. Holzm. p. 417. n.* 697. *Bonac. qu. 2. part. 9. n. 7. Boss. tom. 1. c. 2. n. 78. cum Con. & Fill. ac Elbel p.* 455. *n.* 344. *cum Laym. Sporer, Croix,* & communi. Imo (ut dicunt *Sanch. Viva, Carden. Croix,* & alii relati *n.* 482. *v. Sed dicens*) in casu extremæ, vel urgentis necessitatis licitum est uti opinione etiam tenuiter probabili, quia id quod esset indecens erga Sacramentum, non est indecens quando necessitas, & bonum Animæ urget. Bene tamen advertit *Sanch. dict. n. 7.* quod tale scandalum, cum impedimentum est ex parte viri, ordinarie non potest timeri.

Quæt. VIII. Quotuplici modo possit renovari 1117
sive exigi consensus a parte inscia impedimenti post obtentam Dispensationem? Plures ab AA. assignantur modi. Prius modus, si dicat Sponsus: *Quando nupsi, non habui verum consensum, nunc præstare volo, vis & tu præstare?* Hunc modum communiter admittunt DD. & recte quidem, ac sine mendacio, cum consensus nullus non sit verus consensus; ita *Sanch. l. 2. D. 36. n. 7. Carden. in Prop. 1. Innoc. XI. Dist. 2. n.* 680. *& Holzm.*

Holzm n. 697. Secundus modus, si dicat: *Dic quæso, si nullum fuisset nostrum Matrimonium, nonne iterum me accipere intendis?* Ita *Sanch. n.* 3. & 6. *Salm. c.* 9. *n.* 124. *cum Con. Sa, & Dic. Ronc. p.* 178. *part.* 2. *R.* 2. *cum Gobato*, item *Sylvest. & Rosella ap. Boss. de Us. c.* 3. *n.* 83. quia tunc jam æquivalenter manifestatur. Huic tamen modo contradicunt *Pont. l.* 4. *c.* 23. *n.* 7. & *Bossius l. c. cum Henr. Gutt. &c. Fill.* quia (ut ajunt) tunc Sponsa consentiendo intendit consentire in suum, ignorantia enim concomitans non efficit voluntarium positive, & ideo tunc non apponitur consensus, ut requiritur independens a primo. Hæc sententia est mihi verior, nisi (exciperem) ex illa petitione ut supra sponsa inscia impedimenti jam veniret in dubium, vel suspicionem de nullitate Matrimonii, tunc enim jam poneret consensum a primo independentem. Tertius modus si Sponsus dicat; *Angor scrupulis de nostri Matrimonii valore; ideoque renovemus consensum.* Ita *Busemb. ut supra, Salm. c.* 3. *n.* 124. *cum Trull.* item *Navarr. & Cajet. ap. Tourn. t.* 2. vide *p.* 196. qui immerito hunc modum non admittit; ipse enim satis est (prout mihi certum videtur), ut Sponsa ponat consensum independentem a primo; nec obstat quod illa hoc modo non haberet notitiam certam nullitatis Matrimonii; nam ut novus consensus valeat, non indiget ut apponatur ex notitia certa nullitatis, sed tantum ut præstetur independenter a primo consensu. Quartus modus: *Si mihi non nupsisses, nonne nuberes nunc?* Ita *Busemb. & Salm. l. c.* cum aliis. Sed hic modus minime est admittendus, quia in hoc modo revera non adest positivus consensus. Quintus modus: *Pro mea consolatione voto de novo contrahere, eja contrahamus.* Ita *Anaclet. c.* 3. *p.* 703. *n.* 174. *Sanch. l.* 4. *D.* 36. *n.* 3. *et Salm. l.* 8. *n.* 124. *cum Cajet. et Led.* Sed hunc jure merito neque admittit *Cont. Tourn. l. c.* quia per hunc nulla ingeritur in alterum notitia, nec dubium de nullitate primi Matrimonii. Sextus modus, si accedat copula maritali affectu habita ex parte Conjugis conscii impedimenti per Dispensationem jam sublati, intendendo sic exprimere novum consensum ad Matrimonium de novo contrahendum, nam ex altera parte inscia impedimenti jam exercetur copula eo affectu ex primo consensu præstito, usque tunc in effectu perseverante. Hic tamen modus tunc tantum sufficeret, quando non esset locus modis supra enunciatis, & insuper immineret periculum gravis damni, ita *Sanch. l.* 2. *D.* 36. *n.* 9. *Tiburt. Nav. in Manuduct. ad prax. p.* 2. *Tourn. p.* 194. 3. *Quintus, Bon. q.* 2. *p.* 9. *n.* 7. *Auctor Instr. per li Nov. Conf. p.* 2. *c.* 25. *n.* 326. *Viva q.* 4. *a.* 3. *n.* 8. *Salm. c.* 3. *n.* 125. *cum Soto, Cajet. Con. Gutt. et Rodr.* item *Siro de Leone, et Giribald. ap.* Bened. XIV. *Notif.* 87. *n.* 74. qui non reprobat. Neque tunc obstat clausula certiorationis, quæ apponitur a S. Pœnitentiaria, quia (ut ait *Tiburt. Navar. ap.* Bened.) in hoc casu necessitatis censetur S. Sedes relaxare præfatam conditionem, providendo meliori modo quo potest bono Animarum, cum talis conditio tunc sit moraliter impossibilis executioni. In hoc igitur casu licite potest hic modus in praxim deduci, cum valde probabile sit (ut ostendimus *n.* 1114.) sufficere consensum partis consciæ impedimenti, expressum per copulam conjugalem cum consensu alterius virtualiter perdurante.

DUBIUM IV.

A quo, & ob quam causam possit dispensari in impedimentis Matrimonii?

1118 *In quibus impedimentis Papa possit dispensare?* 1119. *An Papa possit unquam dispensare in iis quæ sunt de jure Divino?* 1120. *An aliquando in impedimentis de jure naturæ?*

1121 *An possit Episcopus dispensare in impedimentis dirimentibus?* 1122. *Qu. I. An possit, urgente necessitate, dispensare in eis ante Matrimonium contractum?* 1123. *Qu. II. An post contractum?* 1124. *Qu. III. An tunc requiratur, ut Matrimonium sit contractum bona fide?* 1125. *Qu. IV. An episcopus possit hanc facultatem alteri delegare?*

1126 *Episcopi possunt dispensare in omnibus impedimentis, quæ impediunt Matrimonium de jure humano, vel quæ Matrimonio superveniunt?*

1127 *An regulares possint dispensare ad petendum debitum?* 1128. *An ipsimet possint dispensare in voto castitatis ad contrahendum Matrimonium, urgente necessitate?*

1129 *Quæ sint causæ justæ ad dispensandum in impedimentis dirimentibus?* 1130. *adduntur aliæ causæ sufficientes. An sufficiat subministratio majoris pecuniæ?*

1131 *Not.* 1. *Quid explicandum, ut Dispensatio non sit subreptitia? Not.* 2. *Veritas causarum pertinet ad valorem Dispensationis.* 1132. *Qu.* 1. *An cessante causa cesset Dispensatio?* 1133. *Qu.* 2. *Quid in dubio an causa falso allegata fuerit finalis, vel an allegata fuerit vera?* 1134. *Qu.* 3. *An in supplicatione exprimendum sit, copulam incestuosam habitam fuisse cum intentione facilius obtinendi Dispensationem?* 1135. *Quid si copula non fuerit ex tali intentione præhabita?* 1136. *Qu.* 4. *An possit manifestari gradus remotior, tacito propinquiori?* 1137. *Qu.* 5. *An petens secundam Dispensationem debeat exprimere primam?* 1138. *Q.* 6. *An si quis habeat plura impedimenta ejusdem speciei, debeat omnia exprimere?* 1139. *Qu.* 7. *An possint seorsim impetrari Dispensationes plurium impedimentorum?* 1140. *Qu.* 8. *An si quis post obtentam Dispensationem rursus cognoverit consanguineum Sponsæ, indigeat nova Dispensatione?* 1141. *Qu.* 9. *An, interveniente copula incestuosa inter Sponsos, antequam Dispensatio executioni mandetur, nova Dispensatio requiratur?* 1142. *Qu.* 10. *An si contrahentes sint diversæ Diœcesis, unusquisque a proprio Episcopo sit dispensandus?* 1143. *Qu.* 11. *Quæ sint clausulæ in Dispensationibus S. Pœnitentiariæ?* 1144. *Qu.* 12. *In quibus impedimentis S. Pœnit. possit dispensare?*

Not.

1145 *Not.* 1. *Ad dispensationis valorem non requiritur consensus ejus cui prodest.*

1146 *Not.* 2. *Quid exprimendum quando Dispensatio petitur a Dataria? et quid quando a S. Pœnitentiaria?*

1147 *Formula supplicationis ad S. Pœnitentiariam pro impetranda Dispensatione impedimenti, vel voti castitatis, ad celebrandum, aut revalidandum Matrimonium?*

1148 *Formula exequendi hujusmodi Dispensationes.*

1118 „ Resp. 1. Papa non potest dispensare in impedimentis jure naturæ, vel divino dirimentibus, nisi ex speciali concessione: in iis vero, quæ jure Ecclesiastico dirimunt, potest. Ratio prioris est, quia inferior non dispensat in lege superioris; nec homo in lege naturæ. Addidi, nisi ex speciali concessione, quia Pontifex (non tamen Episcopus) potest matrimonium ratum dissolvere ex justa causa. *Sanch. Less. Præp. q.* 5. *c.* 8. *Dian. p.* 8. *t.* 1. *R.* 52. *et* 93. Ratio posterioris est, quia Pontifex talia impedimenta inducit: ergo etiam potest tollere: & quidem solus.

1119 Quærirur, an Papa possit aliquando dispensare in impedimentis de jure Divino? Ad hujus quæsiti decisionem præmittenda est decisio quæstionis generalis, scil. an Papa in rebus juris Divini possit unquam dispensare? In iis in quibus jus Divinum ortum habet a voluntate humana, prout in votis, & juramentis, certum est apud omnes habere Papam facultatem dispensandi; tunc enim, licet ipse non auferat jus Divinum, aufert tamen fundamentum obligationis, quam homo sibi imposuit actu humano: quo sublato, cessat juris Divini obligatio; vide *Sanch. l.* 8. *D.* 6. *n.* 2. ubi asserit id esse commune *cum D. Th.* & aliis. Majus dubium est, an Papa possit dispensare in jure Divino, quod ex solo Divino arbitrio derivat? Triplex est sententia. *Prima* generice affirmat, & hanc tenent *Abbas*, & duo alii *ap. Sanch. n.* 3. qui merito eam rejicit. *Secunda* sententia quam tenent *Sanch. n.* 5. *cum Nav. Cano, Ang. Felin.* & aliis pluribus dicit Papam non posse dispensare in universum jus Divinum, sed tantum in aliquo casu particulari; in quo non expediat observantia præcepti. Unde infert, nullo casu posse dispensare in præceptis non fornicandi, non mutandi materiam, & formam Sacramentorum, & similibus; quia transgressio in his continet omnimodam indecentiam, quæ præponderat cuicunque causæ: posse vero dispensare in residentia Episcoporum, in Matrimonio rato, in consecratione Eucharistiæ sub utraque specie (sed hoc nos negavimus *de Euchar. n.* 196. *v. D.* 2.), & similibus aliis, quia in istis potest justa causa occurrere, quæ præponderet indecentiæ, quam præceptum respexit. *Tertia* demum sententia communior, & probabilior dicit nunquam posse Papam dispensare in iis quæ sunt de absoluto jure Divino; hanc tenent *Pont. lib.* 8. *c.* 3. *n.* 2. *Suar. l.* 10. *c.* 6. *n.* 6. *et Pal. t.* 1. *tr.* 3. *de Leg. D.* 6. *p.* 3. *n.* 5. *et* 6. *cum Salas, Covar. et Sylv.* ex *D. Th.* 1. 2. *q.* 97. *a.* 4. ubi ait: *Sicut in lege humana publica non potest dispensare, nisi ille a quo lex auctoritatem habet, ita in præceptis juris Divini quæ sunt a Deo, nullus potest dispensare nisi Deus, vel is cui ipse specialiter committeret.* Hæc autem specialis commissio (recte ait *Pal.*) non quidem habetur ex verbis illis: *Quodcumque ligaveris super terram*, vel illis *pasces oves meas*, hæc enim verba, cum generalia sint, non continent specialem commissionem: Tanto magis quod hujusmodi Dispensationes in jure Divino essent nocivæ unitati & stabilitati Ecclesiæ. Valde autem probabiliter dicunt *Suar. de Euch. D.* 43. *s.* 4. *v. Tertia sententia*, item *Sot. Palac. Suar. Valent. Durand. Major, Nav. Con.* & alii plures *ap. Sanch.* posse Pontificem in aliquo casu particulari, non dispensare, sed declarare, quod jus Divinum non obliget. Ratio, quia hæc potestas fuit necessaria propter humanarum rerum varietatem; alias Deus bono regimini Ecclesiæ non satis providisset.

Deveniendo igitur ad quæsitum circa Matrimo- 1120
nium, dico 1. Papam non posse dispensare in impedimentis de jure naturæ contra *Viva in Prop.* 1. *damn. ab Innoc. XI. n.* 39. *& Carden. in eand. Prop.* 1. *D.* 3. *n.* 591. Nec obstat Responsum Urbani VIII. quod objiciunt (illudque retulimus *n.* 902.), nam patet ex iis quæ refert idem *Cardenas ib.* illam non fuisse dispensationem, sed meram declarationem pro illo casu particulari. Dico 2. bene posse Papam in aliquo casu urgentissimæ necessitatis declarare esse validum Matrimonium, non obstante impedimento quod probabiliter de jure naturæ illi obstet, prout de facto declaravit Clemens XI. prout vidimus *n.* 1115. Nec obstat id quod ait *Sanch. l.* 8. *D.* 6. *n.* 10. scilicet non posse Papam in hujusmodi impedimentis dubiis neque dispensare, neque declarare quod ipsa non obstent valori Matrimonii, quia (ut dicit) si hæc via aperiretur, facile possent concedi in Ecclesia istæ dispensationes sive declarationes, & sic accidere possent plures fornicationes materiales. Nam respondetur, quod cum Papa in hujusmodi casibus declarat impedimentum non obstare, tunc agit ut universalis Doct. Ecclesiæ, in quo errare non potest, & oppositum asserere non potest excusari a magna temeritate; ut enim ait Bened. XIV. *de Syn. c.* 6. *ex Veracr. De Pontificis potestate, postquam dispensavit, dubitare instar sacrilegii est.*

„ 1. Episcopus in impedimentis dirimentibus Ma- 1121
„ trimonium jam contractum non potest ordinario „ jure dispensare, nisi ex tacita concessione in casu necessitatis, quando sequentia concurrunt: 1. „ Ut defectus sit dispensabilis. 2. Ut sit occultus, idest non sit notorius, seu divulgatus. 3. „ Ut ex altera parte saltem Matrimonium bona „ fide sit contractum. 4. Ut non sit facilis accessus ad Papam; ita *comm. Sanch. Con. M. Per.* „ *d.* 4. *s.* 7. Quando autem contractum est ex dispensatione subreptitia, non potest Episcopus „ sua dispensatione priorem confirmare. *Dian. p.* „ 9. *t.* 71. *R.* 40. *ex Præp. Per.* &c. In impedimentis vero dirimentibus Matrimonium nondum „ contractum videtur nunquam posse, imo nec Legatus a latere, nisi speciali facultate. *Laym. l.* „ 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 6. & *l.* 1. *t.* 4. *c.* 22. *Bon. q.* „ 3. *p.* 15. &c. Contra quos *Dian. p.* 8. *t.* 3. *res.* „ 280. *Præp. Vill.* & *Escob. de leg. E.* 14. *c.* 3.

pu-

„ putat, Episcopum id posse aliquando in casu „ raro, ex causa maxime urgente, si omnibus tentatis judicetur necessarium esse ad vitandam gravem infamiam, vel grave scandalum, cui aliter occurri non posset, idque ex tacita Papæ „ licentia.

1122 Quær. I. An Episcopus possit dispensare in aliquo impedimento dirimente ante Matrimonium contractum, urgente necessitate? Vide dicta hoc *l.* 6. *n.* 512. *v. Sed hic*, ubi affirmativam sententiam tenuimus cum communi DD. (contra *Bus.* ut supra), dummodo vera urgeat necessitas, puta si alias immineat periculum mortis, vel si Matrimonium sit necessarium ad legitimandas proles, vel ad vitandam feminæ infamiam, aut alia damna; vel si mulier nobilis (ut ajunt *Salm. c.* 14. *n.* 11. sive honesta, licet non nobilis, ut melius dicit *Conc. p.* 343. *n.* 5.) parata esset nuptias tali die contrahere, & in Confessione manifestaret impedimentum. Ratio, tum quia eo casu vel præsumitur ipse Papa dispensare, vel omnino cessat reservatio, exemplo in *c.* 2. *de Desp. impub.* ubi: *Districtius inhibemus, ne aliqui ante ætatem Canonibus præscriptam conjungantur, nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur*. Quod verbum *toleretur Pont. l.* 8. *c.* 13. *n.* 6. *& Salm. d. n.* 11. interpretantur pro vera dispensatione, dicentes hanc tolerantiam non esse permissionis, sed approbationis. Addit *Ronc. pag.* 191. *q.* 1. *R.* 2. *cum Pignat. & Tamb.* quod etiamsi impedimentum fuerit publicum, potest Episcopus dispensare, quando eædem interveniunt rationes quæ sufficiunt ad dispensandum in impedimento occulto. Sed hanc opinionem vix unquam puto posse habere locum in praxi, quia cum impedimentum est publicum cessat ratio scandali, si Sponsi a tali Matrimonio desistunt; imo præsertim ad vitandum scandalum tenentur a nuptiis desisteret.

1123 Quæres II. An Episcopus possit aliquando dispensare in impedimento dirimente post contractum Matrimonium? Negat *Sot. Cord. Med. et Vener. ap. Sanch. l.* 2. *D.* 40. *n.* 2. quia (ut ajunt) Episcopi nihil possunt in lege Pontificis. Affirmant vero communiter DD. casu quo non pateat facilis aditus ad Papam, & contra immineat periculum mortis, vel infamiæ, aut scandali, si Conjuges separentur, vel incontinentiæ si non separentur, ita *Cabass. T. J. l.* 3. *c.* 27. *n.* 7. *Merb. t.* 2. *p.* 464. *q.* 3. *Nat. Alex. de Matr. art.* 13. *Reg.* 10. *Con. Tourn. to.* 2. *p.* 244. *Reg.* 2. *Con. p.* 343. *num.* 4. cum communi, *Pal. D.* 4. *p. ult.* §. 1. *n.* 7. *Bon. q.* 3. *p.* 12. *n.* 13. *Barb. All.* 35. *n.* 3. *Sanch. lib.* 2. *D.* 40. *n.* 2. *cum Abb. Gutt. Com. etc. Salm. c.* 14. *n.* 6. *cum Con. Avers. Cornejo, et Henr. ac Escob. lib.* 27. *n.* 682. *cum Nav. Vasq. Hert. Salas, etc.* Ratio, quia hoc casu, pariter ac dictum est in prima quæstione, præsumitur Papa consentire, maxime cum ipse jam notam habeat hanc sententiam communiter ab AA. traditam. Bene autem advertit *Croix lib.* 7. *n.* 143. *& Fel. Pot. n.* 3345. quod si dispensatio commode possit per epistolam obtineri a S. Pœnitentiaria, tunc non potest Episcopus dispensare, quamvis (ut dicit *Croix l.* 6. *p.* 3. *n.* 874.) plures fornicationes materiales interim habeantur. Dicuntur autem *materiales*, quia (ut diximus *de Pœnit. n.* 611. cum communi DD. quibus adde *Tourn. t.* 2. *p.* 196. *Si autem, cum Sylv.* contra *P. Conc.*), si Conjuges sint in bona fide, in ea sunt relinquendi, quando periculum sit infamiæ, scandali, aut incontinentiæ, si moneantur de nullitate Matrimonii.

Quær. III. An in casu præfato, ut possit Epi- 1124
scopus dispensare, requiratur quod Matrimonium fuerit contractum bona fide? Certum est non requiri bonam fidem ex parte utriusque, ut dicunt communiter *Sanch. l.* 2. *D.* 40. *n.* 4. *Pont. lib.* 8. *c.* 13. *n.* 4. *Merbes. t.* 2. *p.* 494. *q.* 5. *Conc. p.* 343. *n.* 7. *Salm. c.* 14. *n.* 8. *& alii*. Ratio tum quia stante bona fide unius Conjugis, Matrimonium jam dicitur bona fide contractum argumento ex *c. Cum inhibitio, de Cland. Desp. & c. Ex tenore, Qui fil. sint legit.* tum quia malitia unius non debet alteri nocere. Dubium fit, an Episcopus possit dispensare, si uterque mala fide contraxit? Affirmant *Dic. Henr. &c. ap. Salm. c.* 14. *n.* 19. quia, ut ajunt, licet culpabiliter contraxerint, nec etiam tunc præsumitur Pontifex cum tanto periculo dispensationem sibi reservare. Sed communissime & verius negant *Pont. d. n.* 4. *Pal. D.* 4. *p. ult.* §. 1. *nu.* 7. *Barb. All.* 35. *n.* 4. *Escob. l.* 27. *n.* 687. *Sanch. d. n.* 4. *cum Led. Cord. Lop. & Veracr. ac Salm. nu.* 9. *cum Con. & Avers.* Ratio, tum quia in Trid. *sess.* 24. *c.* 5. dicitur: *Si quis inter gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere præsumserit, separetur, et spe dispensationis consequendæ careat... non enim dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contemsit*. Tum quia alias daretur occasio, ut quotidie spe dispensationis Matrimonia celebrarentur, contemptis impedimentis. Ut autem quis dicatur mala fide contraxisse, non sufficit scivisse factum, sed requiritur scivisse quod tale factum induxerit impedimentum; ita *Sanch. et Conc. ll. cc. ac Salm. n.* 10. *cum Bann. Cand. et Aversa*. Addunt *Sanch. et Salm. ib.* cum eisdem, nempe sufficere quod ignorantia fuerit crassa, quia revera non dicitur *scienter* facere (ut loquitur Concilium) qui aliquid facit cum ignorantia crassa, ut docet etiam *Nav. c.* 36. *num.* 141. *Decl.* 4. Secus si ignorantia sit adeo crassa, ut temeritas videatur, prout ajunt *Sanch. et Salm. ll. cc.* Et idem dicendum, si Sponsi voluntarie omiserint Proclamationes, tunc enim, etiamsi contraxerint ignorando nullitatem Matrimonii, Dispensatio ipsi est deneganda, ut subdit Tridentinum *l. c.* dicens: *Quod si ignoranter quis id fecerit, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis*.

Quær. IV. An Episcopus casu quo potest in im- 1135
pedimento dirimente dispensare, possit hanc facultatem alteri delegare? Negant *Sylv. Medina, etc. apud Sanch. l.* 2. *D.* 40. *n.* 13. quia (ut ajunt) Episcopi nequeunt hujusmodi facultates delegare, nisi ipsis hæc potestas sit specialiter concessa; idque probant ex Trident. *sess.* 24. *c.* 6. *Liceat*, ubi conceditur Episcopis facultas absolvendi a casibus Papalibus, & ibi explicatur, *per se, vel Vicarium*; ergo ut Episcopus possit delegare hujusmodi facultates, eget speciali concessione. Sed communiter affirmant *Pont. lib.* 8. *c.* 13. *n.* 5. *Pal. D.* 4. *par. ult.*

ult. §. 1. *n.* 13. *Barb. All.* 35. *n.* 14. *Escob. l.* 27. *n.* 695. *Bon. q.* 3. *p.* 15. *Sanch. loc. c. n.* 14. *cum Ang. Sylv. Con. Cord. et Lop. ac Salm. c.* 14. *num.* 12. *cum Con. Aversa, Leand. et Henr.* Et hoc (ut dicunt *Sanch. n.* 16. *et Pal. ac Salm. locis cit. cum Aversa, et Gutt.*) non solum pro casu particulari, sed etiam pro omnibus occurrentibus, tam præsentibus quam futuris. Ratio, quia cum hæc potestas non sit annexa personæ, sed dignitati & officio, ipsa non dicitur delegata, sed ordinaria, & ideo bene delegari potest, ut diximus *de Leg.* 1. *n.* 190. *v. Et in his*, & 193. Nec obstat Concilium *l. c.* nam respondent *Sanch. & Pal. cum Guttier.* quod Concilium voluit per hoc tantum explicare, Vicarium non habere hanc facultatem ex generali commissione Vicariatus, sed egere speciali commissione Episcopi, sed non voluit denegari Episcopis hanc facultatem delegandi.

1126 „ Resp. 2. In impedimentis non dirimentibus „ possunt Episcopi dispensare universaliter. Quod „ addo, quia excipiuntur illa, quæ in jure naturali, & divino impediunt, ut votum castitatis absolutum, & perfectum, *Bonac. q.* 3. *p.* 15. *ex* „ *Navar. Sanchez &c.* * (*Sed in Matrimonio* „ *contracto possunt dispensare ad petendum debitum in voto emisso tam ante quam post Matrimonium; vide dicta n.* 986. *&* 987.) * & sponsalia priora; ut habet *Tanner. art.* 8. *q.* 4. *d.* 2. „ *n.* 30. *ex Sanch. lib.* 17. *n.* 8. Idem habet *Fill. tom.* 4. *par.* 2. *c.* 10. *nu.* 306. *Laym. l.* 5. *c.* 10. „ *par.* 4. *c.* 15. *n.* 2. *sub finem.* Similiter Episcopus potest dispensare in impedimentis, quæ Matrimonio superveniunt, & impediunt petitionem „ debiti, v. g. cognationis spiritualis, vel affinitatis. *Bon. l. c. Sanch. lib.* 8. *dist.* 12. *num.* 16. „ *Fill. loc. cit.* ubi excipit incestum commissum „ Matrimonio consummato cum consanguineis, in „ iis, qui non sunt juvenes. * (*Sed Sanchez n.* „ 13. *expresse docet oppositum, vide dicta num.* „ 1076.) *

1127 „ Resp. 3. Possunt etiam confessarii regulares „ approbati, * (*Idest Benedictini, Mendicantes,* „ *& omnes alii in eorum Privilegiis communicantes, ut Sanchez lib.* 8. *D.* 16. *num.* 3. *&* 8. „ *Pont. lib.* 8. *c.* 13. *in fine, Pal. p. ult.* §. 1. *n.* „ 18. *& Salm. cum Gutt. Rodr. Aversa, & Candido*), * de licentia tamen suorum Provincialium, dispensare ad petendum debitum conjugale, propter cognitionem consanguinei conjugis in „ secundo gradu, ut *Rodriq. q. regul. t.* 1. *q.* 63. „ *art.* 1. nullo modo tamen in impedimento ipso. „ V. *Mar. Perez d.* 44. *s.* 7. *n.* 13. Dixi, Provin„ cialium, quia quod *Melf. Leon.* &c. volunt, „ confessarios Societatis Jesu habere omnes hanc „ facultatem immediate a P. Generali, id refutat „ *Diana p.* 3. *t.* 2. *res.* 14. * (*Vide dicta n.* 1076. „ *v. Insuper.*) *

1128 Quær. hic, an Regulares possint dispensare in voto castitatis ad contrahendum Matrimonium, si magna urgeat necessitas, nempe si nequeant nuptiæ moraliter differri, & aliunde immineat periculum infamiæ, aut scandali? Communiter docent DD. posse confessarios Mendicantes aliosque Religiosos communicantes in Privilegiis dispensare in omnibus votis, in quibus Episcopi de jure ordinario dispensare valent cum suis subditis, ex pluribus Privilegiis, nempe Innoc. VIII. in quadam Bulla quam refert *Rodriq.* item Martini V. Eug. IV. Julii II. Pauli III. & Greg. VIII. (quod extendit etiam ad vota jurata), ita *Sanch. l.* 4. *D.* 43. *n.* 4. *Pont. l.* 8. *c.* 10. *n.* 6. *Less. l.* 2. *c.* 40. *n.* 134. *Pal. t.* 3. *tr.* 15. *p.* 13. *num.* 7. *Reiffenst. D.* 3. *n.* 44. *Sporer, de Voto, c.* 2. *n.* 64. *Elbel eod. tit. n.* 274. *& Salm. de Voto c.* 3. *n.* 94. *cum Navar. Lopez, Arag. Fag. Trull. Cand. Villal. &c.* Hinc diximus *num.* 987. *v. An autem*, „ bene posse Regulares dispensare in voto castitatis emisso ante, vel post Matrimonium ad petendum debitum. Sed dubium fit, an in casu urgentissimæ necessitatis, sicut possunt dispensare Episcopi (juxta dicta *de Voto Tom. I. lib.* 3. *n.* 258. *v. Notif. II.*), possint etiam Regulares dispensare ad contrahendum Matrimonium? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Reiffenst. l.* 5. *Decretal. tit.* 34. *n.* 40. *Vidal, de Voto Inquis.* 3. *n.* 77. *Anton. a Spir. S. tr.* 2. *D.* 3. *n.* 84. item *Bassæus, Henrinex, Crousers &c. ap. Elbel t.* 2. *de Voto p.* 90. *n.* 279. (qui probabilem putat; & alii apud *Salm. de Voto c.* 2. *num.* 97.) qui pariter vocant probabilem. Ratio, quia Episcopi in casu necessitatis dispensant in voto castitatis jure ordinario juxta mox dicta *num.* 1125. Unde Regulares, qui possunt dispensare in omnibus votis, in quibus Episcopi jure ordinario dispensant, possunt etiam in eo dispensare urgente necessitate. *Secunda* vero sententia communiter negat, & hanc tenent *Sanch. l.* 2. *D.* 40. *n.* 9. *Pont. l.* 8. *c.* 10. *n.* 11. *Barb. All.* 37. *n.* 14. *Sporer tr.* 3. *n.* 74. *Pal. de Voto D.* 1. *p.* 12. *n.* 7. *Laym. lib.* 4. *tr.* 4. *c.* 8. *n.* 17. *Tamb. l.* 3. *c.* 16. §. 4. *num.* 54. *& Salm. de Voto c.* 3. *n.* 96. *cum Suar. Leand. Diana, Laz. Bardi, Prado, Moya, & Rodr.* Ratio, quia Regulares possunt tantum dispensare in votis, in quibus dispensant Episcopi jure ordinario; sed in necessitate Episcopi non dispensant jure ordinario, sed extraordinario & per accidens, eo quod agitur de casibus, non ordinarie, sed extraordinarie contingentibus. Sed respondent Adversarii, quod non per hoc quod casus sint extraordinarii, dicendum quod Episcopi dispensant jure extraordinario, nam etiam in his casibus habent potestatem ordinariam, cum ipsa sint annexa eorum officio & dignitati. Unde non audeo primam sententiam reprobare.

„ Resp. 4. Ut licite dispensetur in impedimen- 1129
„ tis dirimentibus requiritur juxta causa, qualis se„ cundum *Filliuc. c.* 8. est, ver. gr. 1. Extinctio „ magnæ litis, vel odii inter agnatos. 2. Ablatio „ scandali. 3. Inæqualitas Matrimonii, nisi con„ sanguineis, vel affinibus nubatur. 4. Defectus „ dotis competentis. 5. Conservatio facultatum in „ eadem cognatione. 6. Merita petentis dispensa„ tionem. Plures vide apud *Sanch. d.* 19. *Coninch. „ d.* 33. *Hurtad. d.* 20. *Mar. Perez d.* 44. *sect.* 3. „ ubi notat 1. Quando gradus consanguinitatis, „ vel affinitatis est propinquior, tanto requiri cau„ sam graviorem. 2. Sæpe plures aggregatas cau„ sas sufficere, quarum singulæ non sufficerent. „ Vide etiam *Dian. p.* 3. *t.* 3. *R.* 9.

„ Resp. 5. Si quis dubitet, an habeat impedi„ mentum dirimens, v. g. contrahendi Matrimo„ nium cum certa persona, & adhibita diligentia „ sufficienti, non possit intelligere veritatem, pro-

„ ba-

„ babile est posse cum ea contrahere sine dispen-
„ satione (nisi tamen præsumptio aliqua stet pro
„ impedimento), quia possessio stat pro libertate
„ contrahendi. *Sanchez*, *Sancius*, *Franc. Lugo*,
„ *Bard. d.* 6. *c.* 11. *p.* 7. §. 11. (contra *Laym.* &
„ *Pal.*) * *Sed v. dicta n.* 902. *Qu. III. v. Di-*
„ *cunt autem*, *ubi oppositum tenuimus cum Lay.*
„ *Pal. Less. Tourn. Ronc. &c.*) *

1130 Præter causas quas affert *Busemb.* ad licite dispensandum, additur a *Salm. n.* 24. pro causa instauratio Matrimonii bona fide contracti; & etiam mala fide, si Matrimonium fuerit consummatum, vel adsit fama de copula habita. Item necessitas auxilii, puta si mulier defectu viri non possit litibus assistere, vel filiis suis providere. Item ætas feminæ excedens annum 24. Item periculum perversionis a fide. Item subministratio majoris pecuniæ: scribit *Conc. pag.* 348. *n.* 9. hanc causam pecuniæ sibi displicere, ut propter eam dispenset Ecclesia in impedimentis: miratur enim quod postquam Tridentinum dixit Dispensationes gratis esse concedendas, Doctores assignent pro causa dispensandi, quod illæ non dentur gratis. Sed communiter AA. hanc causam admittunt ut *Sanch. l.* 8. *D.* 19. *n.* 35. *Salm. c.* 14. *n.* 26. *Pal. D.* 4. *p. ult.* §. 2. *n.* 2. & Papa Bened. XIV. *Notif.* 87. *n.* 26. *cum Pall. in Trid.* Et merito, cum hujusmodi compositiones (ut Innoc. X. præcepit) non immisceantur cum aliis pecuniis Thesauri Cameralis, sed reserventur in monte Pietatis, & inde non extrahantur, nisi de mandato Pontificis; ut in sola opera pia impendantur. Cum igitur talis pecuniæ præstatio in subsidium pauperum erogetur, fit causa satis juxta ut Ecclesia dispenset sicut frequenter solet. Nec officit quod mussitent Hæretici, ut objicit *P. Concina*, nam patenter injuste mussitant.

1131 Notandum autem 1. quod ut dispensatio non sit subreptitia, explicanda sunt omnia impedimenta quæ adsunt, item cognatio si sit carnalis, aut spiritualis; item gradus & linea, si sit recta, aut lateralis. An autem sufficiat exprimere solum gradum remotiorem? Vide infra *n.* 1136. *Quæst.* 4. Notandum 2. quod in Constitutione Summ. Pontif. Bened. XIV., quæ incipit, *Ad Apostolicæ servitutis* (vide in fine *libri Dec. IX.* edit. die 10. Martii an. 1742.) declaratum fuit, expressionem causarum, earumque verificationem in Dispensationibus appositas ad validitatem pertinere. Unde Summ. Pontifex præcepit omnibus Procuratoribus, &c. ut sciscitentur ab Oratoribus veras causas, & illas sincere exponant, sub pœna falsi: item Episcopis, & aliis quibus executio committi solet, imposuit explorare veritatem causarum in Litteris Apostolicis expressarum. Hinc deinceps plures addendæ sunt quæstiones valde utiles in praxi quoad hanc materiam dispensationum.

1132 Quær. enim 1. an, cessante causa Dispensationis, cesset Dispensatio? Affirma, si causa cessat, antequam Dispensatio expediatur, vel antequam fiat ab Episcopo, cui a Pontifice commissa fuerit. Secus vero, si causa cesset, Dispensatione jam expedita, & facta ab inferiori, etiamsi cessat ante celebrationem Matrimonii. Ratio, quia per Dispensationem jam tollitur impedimentum, sive lex relaxatur, cujus obligatio extincta, si cessat postea causa, minime reviviscit; ita valde probabiliter *Pont. l.* 8. *c.* 20. *n.* 4. *Pal. de Privil. D.* 5. *p.* 15. *n.* 7. *Suar. de Leg. l.* 6. *c.* 20. *a n.* 15. *& Salm. de Matr. c.* 14. *n.* 29. cum *Sa*, *& Sylv.* contra *Sanch. Dic.* &c. qui tamen hoc probabile vocant; vide etiam dicta *l.* 1. *n.* 196. *v. Quæstio vero*.

Quæt. 2. quid autem dicendum, si dubitatur, 1133
an causa, falso allegata, fuerit finalis, aut impulsiva? Vel an causa fuerit vera, an falsa? Resp. quod in omnibus his, & similibus dubiis valida censenda est Dispensatio; quia in dubio standum pro validitate actus; ita *Sanch. de Matrim. l.* 8. *D.* 2. *n.* 20. *&* 25. *Pont. l.* 8. *c.* 17. *n.* 41. *Pal. de Privil. D.* 6. *p.* 16. §. 4. *n.* 3. *& Salm. c.* 14. *n.* 37. *cum Dic. Gabr. etc.*

Quær. 3. an cum petitur Dispensatio pro Ma- 1134
trimonio contrahendo inter propinquos, exprimenda sit copula incestuosa inter ipsos habita? Commune est apud omnes, quod si copula ex parte utriusque fuerit habita ad facilius obtinendam Dispensationem, & copula allegetur pro unica causa consequendi Dispensationem, tunc necessario malus ille animus est exprimendus, alias Matrimonium erit nullum, quia nemini debet suum crimen prodesse; tanto magis quod Pontifex movetur ex ea ad imponendam majorem pœnitentiam, aut pecuniæ compositionem, ut sic homines magis a tali crimine avertantur; ita communiter *Sanch. lib.* 8. *D.* 25. *n.* 38. *Pal. D.* 4. *p. ult.* §. 3. *n.* 9. *et Salm. c.* 14. *n.* 42. & alii. Idque expressum est in Bulla Innoc. XII. renovata a Bened. XIV. per Bullam, *Pastor bonus*, §. 42. ubi dicitur: *Si qui vero oratores, obtenta Dispensatione a Dataria super impedimento primi et secundi, sive secundi dumtaxat gradus consanguinitatis seu affinitatis, cum expressione quidem carnalis copulæ, sed tacita, occulta et malitiosa intentione, in ipsa copula habita ad facilius obtinendam Dispensationem, pro revalidatione hujusmodi Dispensationis ad dictam Pœnitentiariam recurrant, possit idem Major Pœnitentiarius absolute dispensare cum personis, explicite affirmantibus se sub expressa forma miserabilium Dispensationes a Dataria obtinuisse. Cum iis vero qui non tamquam pauperes dispensati fuerint, non dispenset, nisi soluta prius a Dataria, ad effectum erogandi eleemosynas, taxa definienda arbitrio ejusdem Majoris Pœnitentiarii.*

Dicunt autem *Pal. et Salm. l. c. cum Hurtado*, non teneri Oratores prædictam malam intentionem exprimere, si fuerit tantum mente concepta, quia (ut ajunt) tunc crimen pravi illius animi non subjacet potestati Ecclesiæ. Sed huic opinioni non acquiesco; hic enim non agitur de pœna, sed de Dispensatione, quam bene potest Ecclesia nolle concedere, si crimen pravæ intentionis adfuerit; sicut potest Ecclesia in concessione Indulgentiarum excludere non implentes aliquod opus internum, ut docet *Suar. de Pœnit. D.* 52. *sect.* 5. *n.* 5. *et Bon. de Indulg. D.* 6. *q.* 1. *p.* 5. *n.* 29. cum aliis. Probabilissime vero dicunt *Salm. c.* 14. *n.* 43. cum aliis, quod si in petitione aliæ causæ per se jam sufficientes ad obtinendam Dispensationem exponantur, & simul exponatur copula prahabita (quæ omnino & semper exponi debet, ut *n. seq.* mox videbimus), tunc non est

opus, ut allegetur circumstantia malæ fidei, nempe quod copula fuerit consummata ad Dispensationem facilius impetrandam.

1135 Sed redeundo ad quæsitum, dicunt alii valere Matrimonium, si Sponsi in supplicatione reticuerint circumstantiam copulæ, si illa sit præhabita sine prava intentione obtinendi facilius Dispensationem; ita *Pont. l. 8. c. 17. n. 32. et Salm. c. 14. n. 40. cum Henr. Perez, Hurt. Vega, Vill. etc.* Sed omnino est tenendum esse nullum, ut docent *Sanch. l. 8. c. 25. n. 8. Laym. l. 1. tr. 4. 22. n. 19. Pal. T. 4. p. ult. §. 2. n. 4.* item *Con. Diana, Gutt. Reb. Fill. etc. ap. Salm. n. 39.* Et de hoc hodie non est amplius dubitandum ex Bulla *cit. Pastor bonus.* Summ. Pont. Bened. XIV. §. 41. ubi dicitur: *Quod si obtinuerit a nostra Dataria Dispensationem super gradu prohibito, in primo et secundo, vel secundo tantum, ac etiam tertio vel quarto cum reticentia copulæ inter eos secutæ, quam sine honoris detrimento detegere non valeant; possit idem Major Pœnitentiarius, si copula sit adhuc secreta, hujusmodi Dispensationem, seu respective reconvalidationem in foro conscientiæ tantum concedere; facta, quando agitur de primo et secundo, vel secundo tantum gradu, compositione* 50. *ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendorum, nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum.* Ex his attende, quod Papa dicendo, *possit reconvalidationem concedere*, non habet pro validis Matrimonia cum tali reticentia contracta; tanto magis quod in gradibus mox supra descriptis Dispensatio propter solutionem relatam difficilior reditur.

1136 Quær. 4. an possit manifestari remotior gradus consanguinitatis, vel affinitatis, reticendo propinquiorem? affirmant *Sanch. l. 8. D. 24. n. 8. Pont. l. 8. c. 17. n. 26. et Salm. c. 14. n. 46. ac Sylv. ac Pont. ap. Tourn. t. 2. p. 136. v. Observandum* 2. Idque inferunt ex quodam motu Proprio S. Pii V. *Sanctissimus*, ubi dictum fuit, quod Dispensatio sine gradus propinquioris mentione obtento (nempe si Sponsi sint conjuncti in quarto, & tertio gradu) *de subreptionis vel obreptionis vitio notari non possit, obtentis tamen postea Literis Declaratoriis super propinquiori.* Unde dicunt quod hujusmodi Literæ (quibus declaratur quod gradus propinquior non obstat Matrimonio) requiruntur tantum in foro externo ad vitandum scandalum, non vero si scandalum absit. Hinc, contra *Conradum, Tourn. Anacl. etc.* qui dicebant Matrimonium esse nullum sine præfatis Litteris, declaravit Bened. XIV. in Brevi, *Etsi matrimonialis*, dato 30. Sept. 1755. (vide in *Bullar. to. 4. p. 346. §. 6.*) Matrimonium esse quidem illicitum; sed non invalidum; modo propinquitas non sit primi aut secundi gradus consanguinitatis, vel affinitatis. Præterea recte advertit *Tourn. t. 2. p. 136. Observ. 2.* quod in gradu primo exprimi debet sexus qui est in primo gradu, quia difficilius conceditur, ut nepos ducat amitam, quam patruus ducat neptem: major enim perversio ordinis est, ut nepos constituatur suæ amitæ caput.

1137 Quær. 5. si quis petat secundam Dispensationem in eadem materia post primam alias obtentam, an primam exprimere debeat? Respondetur affirmative, quando impedimentum est ex eodem crimine, quia relapsus retrahit Superiorem a dispensando. Secus si impedimentum non sit ex aliquo crimine, vel sit ex crimine diverso; ita *Con. p. 351. n. 23.* cum communi, & *Salm. c. 14. n. 47. et 48. cum Coninck.* & *Aversa.*

Quær. 6. an si quis habeat plura impedimenta 1138
affinitatis ejusdem gradus, puta si cognoverit duas sorores suæ sponsæ, debeat in supplicatione Dispensationis utramque copulam exprimere? Negant *Vega, Henr. Led. & Man. ap. Escob. l. 27. n. 747.* Sed probabilius affirmant *Sanch. l. 8. D. 24. n. 5. Pont. l. 8. c. 17. §. 5. n. 25. Conc. q. 372. n. 13. Anacl. p. 701. n. 165. Salm. c. 14. n. 50. cum Aversa, & Pal. & Escob. n. 748. cum Mol. Hurt. Con. Villal. Diana, Leand.* ac Rota Rom. Ratio, quia in simplici non comprehenditur mixtum; & licet hæc impedimenta non sint specie diversa, sunt tamen numero distincta. Et de hoc hodie non amplius dubitandum, nam sic omnino tenendum esse declaravit Bened. XIV. in Brevi; *Etsi matrimonialis*, jam supra relato *n. 1137.* Et idem dicendum de aliis impedimentis consanguinitatis, cognationis spiritualis, publicæ honestatis &c. ut *Sanch. & Anacl. ll. cc.*

Quær. 7. an si concurrant plura impedimenta, 1139
possit divisim impetrari eorum Dispensatio? Adest triplex sententia. *Prima* affirmat, & hanc tenent *Salas, Rodr. & Sa ap. Salm. c. 14. n. 52.* & probabile vocant ibi *Villal. Dicast. & alii*, quia nullibi ex jure habetur requiri, quod impedimenta simul exponantur. *Secunda* sententia negat, quam tenent *Sanch. l. 8. D. 23. n. 2. Pont. l. 8. c. 17. §. 4. Pal. D. 4. p. ult. §. 3. n. 11. Conc. p. 352. n. 23. & Escob. n. 745. cum Suar. Laym. Perez, & Gutt.* item *Diana, ac Leand. ap. Salm. n. 53.* tum quia sic habet praxis Curiæ; tum quia unum impedimentum cum altero conjunctum difficilius dispensatur. *Tertia* sententia probabilior, quam tenent *Salm. n. 54.* cui non dissentiunt AA. secundæ, distinguit, & dicit quod si impedimenta disparate se habent, & unum ex altero non augetur, ut votum & consanguinitas, aut consanguinitas & machinatio, tunc sufficit divisim obtinere Dispensationem. Secus si impedimenta sint talis rationis, ut afferant conjuncta majorem repugnantiam ad Matrimonium contrahendum, puta si quis vult ducere consanguineam, cujus sororem turpiter cognoverit; tunc enim difficilior redditur Dispensatio. Excipiunt *Coninck, & Aversa ap. Salm.* si justa detur causa separandi, ut si unum impedimentum esset publicum, & aliud secretum, quod infamiam possit afferre, nempe si quis vult ducere consanguineam, cujus sororem occulte cognovit; tunc enim, ne infamentur contrahentes; bene possunt divisim Dispensationem petere. Et talem testatur *Aversa* esse stylum Curiæ. Sed id dico intelligendum tantum respectu ad Dispensationem obtinendam a Dataria, puta ob publicum impedimentum consanguinitatis cum Sponsa; nam quoad Dispensationem impedimenti occulti propter copulam cum ejus sorore, juxta nostram sententiam, saltem in supplicatione ad Pœnitentiariam debent ea impedimenta simul exponi, cum simul exposita jam, ut diximus, Dispensationem reddant difficiliorem.

Quær. 8. an si quis post obtentam Dispensatio- 1140
nem

nem super impedimentnm occultum affinitatis, iterum habuerit rem cum eadem consanguinea Sponsæ, antequam eam duxerit; nova indigeat Dispensatione? Si Dispensatio non adhuc fuerit executa ab eo cui commissa est, conveniunt omnes non indigere; ita *Contin. Tourn. tom. 2. p. 228. v. Si vero, & Elbel de Matr. p. 505. ex n. 506.* quia tales dispensationes non sortiuntur effectum a die expeditionis, sed a tempore executionis. Si tamen jam fuerit executa, affirmant *Habert de Legib. v. 13. & Elbel l. c. ex Gob. & Quintanad.* quia executor solum dispensare potest in impedimento contracto, non autem in contrahendo, maxime cum in Literis S. Pœnitentiariæ soleat committi facultas cum clausula, *ut dispenses hac vice*. Verum probabilius non requiritur nova Dispensatio, ut dicunt *Sanch. l. 8. D. 25. n. 4. cum Guttier. Cord. & Manuel, ac Tourn. l. c. cum Anacl. et Conrado*, qui de hoc affert expressam Declar. S. C. Ratio, quia affinitas illa jam sublata est per dispensationem quoad hunc effectum contrahendi Matrimonium; & hoc videtur denotare clausula illa *hac vice*, si forte verum est quod talis clausula soleat apponi, quod nescio. Ceterum ipsa S. Pœnitentiaria in praxi hanc nostram sententiam sequitur, ut ego ipse observavi in quodam authentico ejus Rescripto, edito die 21. Sep. 1752. ubi sic responsum fuit: *S. Pœnitentiaria ad præmissa respondet, quod si Orator alias super eodem primi affinitatis gradus impedimento ad Matrimonium contrahendum cum muliere de præsenti ejus conjuge fuerit dispensatus, etiamsi ipse post obtentam gratiam, atque ante Matrimonii celebrationem denuo cum supradicta mulieris matre relapsus sit, nova dispensatione non indigere*. Et hoc valet etiam quoad Dispensationem obtentam a Dataria, atque executam in impedimento consanguinitatis; modo Dispensatio non sit impertita *in forma pauperum; ita Conrad. l. 8. c. 1. n. 51. & Sanch. de Matr. l. 8. D. 24. n. 8. cum aliis*.

Dicit autem Bened. XIV. *Notif. 87. n. 51. Ex Fill. Clericat. & Tamb.* quod si, obtenta Dispensatione S. Pœnitentiariæ in foro conscientiæ, impedimentum detentum fuerit in foro externo, & Conjuges nullas afferre possint probationes, quod Matrimonium ita sit contractum, tunc Episcopus, Parochus, & judex debebunt acquiescere testimonio Confessarii fidem facientis de Dispensatione impetrata.

1141 Quær. 9. An si post obtentam Dispensationem super gradu prohibito antequam illa executioni mandetur, intercesserit copula inter Sponsos, nova requiratur Dispensatio? Negant alii, *ut Ovan. Sa, &c. ap. Sanch. l. 8. D. 25. n. 6.* Sed verius affirmant *Sanch.* cum *Gallego, Guttier, &c. n. 8.* Ratio, quia Stylus Curiæ sic obtinuit, ut incestus hic declaretur; illo enim manifestato, Pontifex majorem imponit pœnitentiam, amplioremque compositionem pecuniæ exigit. Et sic etiam declaravit S. C. mense Maji 1635. (*ap. Pitton. n. 878.*) ubi dictum fuit: *Qui Litteris Dispensationis obtentis super gradu prohibito consanguinitatis, & illis non præsentatis contraxit, vel carnaliter* (nota) *sponsam cognovit, non potest absque nova Dispensatione in Matrimonio permanere*. Et idem eruitur ex dictis in quæst. 3. *n.* 1134. Probabiliter vero ait *Sanch. l. c. n. 5.* quod licet Dispensatio fuerit concessa cum clausula, *modo culpa non interfuerit*, tamen si illa habeatur post executionem Dispensationis, tunc non requiritur nova Dispensatio, quia sufficit ad ejus valorem, quod ante illam copula non intervenerit.

Quær. 10. an si contrahentes sint diversæ Diœ- 1142
cesis, unusquisque debeat a proprio Episcopo dispensari? Affirmant *Sambovius, Gibert. &c. ap. Contin. Tourn. tom. 2. p. 247. q. 1.* sed negant probabiliter ipse *Tourn. cum Episcopo Tutelensi*. Ratio, quia, cum Episcopus aufert a suo subdito impedimentum, habilem eum reddit ad contrahendum cum altero impedito, sicut si quis haberet facultatem dispensandi in aliquo gradu, dispensando cum suo subdito, dispensaret etiam cum extraneo, unde hic extraneus bene poterit tunc contrahere coram Parocho alterius cum quo dispensavit Episcopus.

Quær. 11. quæ sint clausulæ solitæ apponi in Di- 1143
spensationibus a S. Pœnitentiaria? Clausulæ I. *Si ita sit*. In hoc bene ajunt *Sanch. l. 8. D. 34. n. 21. Cab. T. I. l. 3. c. 27. n. 10.* fidem esse adhibendam pœnitenti, nisi Delegatus certe sciat oppositum ex notitia extra Confessionem accepta. Dicit autem *Sanch. lib. 8. D. 20. n. 18. cum Navarr.* quod si petatur Dispensatio super voto castitatis, non sufficit ad dispensandum sola tentatio, vel periculum labendi tantum semel vel iterum, sed requiritur, ut vovens sit in periculo sæpius violandi votum. Sed melius censet *Contin. Tourn. tom. 2. p. 283. in princ. cum Pontas*, sufficere si quis propter gravem tentationem sit in probabili periculo etiam unius lapsus, quia per unum lapsum jam castitas amittitur. II. *Audita prius Sacramentali Confessione*. Juxta igitur hanc clausulam necessaria est Confessio; neque huic revera contradicit *Sanch. l. 8. D. 24. n. 29.* ut putat *Tourn. p. 236.* nam tempore quo scripsit *Sanch.* hæc clausula non apponebatur, & ideo dixit non requiri Confessionem, sed ipsemet *Sanch.* subdit *ib.*, quod Confessio esset necessaria, si talis clausula apponeretur. III. *Sublata occasione peccandi*. Intelligitur si occasio sit voluntaria, quod de facto est tollenda; si vero necessaria, auferatur saltem ex animo, reddendo illam ex proxima remotam per debita media adhibenda, ut recte explicat *Tourn. d. p. 239. v. Tertia*. IV. *Dummodo impedimentum sit occultum*. De hac clausula vide dicta *n.* 1111. V. *Injuncta ei gravi pœnitentia*. Intelligitur juxta vires pœnitentis, ut bene notat idem *Tourn. l. c. v. Quarta, cum Tiburt. Nav.* qui dicit posse injungi ex gr. per sex menses jejunium semel in hebdomada, vel recitatio Rosarii ter in hebdomada, aut frequens Confessio (saltem semel in mense) orationes, lectio spiritualis &c. Quod si pœnitens propter crimen, super quo petitur Dispensatio, jam satisfecerit pœnitentiam, dicit *Tourn. ibid.*, illius præviæ satisfactionis bene habendam esse rationem, unde Confessarius tunc pœnitentias in Brevi Romano præscriptas moderari debebit. Si vero Dispensationi concessæ sit a pœnitentiaria annexa quædam species commutationis, nempe Confessio semel in mense, hæc a Confessario omnino est imponenda, ut idem *Tourn. ib. n. 2.* & Bened. XIV. *Notif. 87. n. 46. cum Sayro*. VI.

Præsentibus laceratis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Hæc laceratio statim facienda est; sed intellige moraliter, nempe saltem infra triduum post Dispensationem executam; juxta dicta *n.* 856. Si autem in Literis non sit apposita clausula lacerationis, prout non apponitur quando Matrimonium nondum est contractum, tunc non est obligatio eas lacerandi, sed hujusmodi Dispensatio debet a Parocho caute adnotari in libro, qui non possit ab alio aspici, ad hoc ut ipse possit requisitns postmodum, si opus erit, fidem facere de Dispensatione impetrata.

1144 Quær. 12. in quibus impedimentis S. Pœnitentiaria habeat facultatem dispensandi? Ad hujus quæsiti declarationem, quæ multum potest prodesse ad praxim Parochorum, & Confessariorum, hic operæ pretium duxi adnotare quæ habentur in Bulla Sum. Pont. Bened. XIV. quæ incipit *Pastor bonus*, edita die 13. Ap. an. 1744. ubi confirmata & inserta est Bulla Innoc. XII. (emanata 3. Apr. 1692. incipiens, *Romanus Pontifex.*) Ibi §. 39. pro Matrimoniis nondum contractis sic habetur; *In Matrimoniis contrahendis possit idem Major Pœnitentiarius in foro conscientiæ tantum super impedimentis occurrentibus, quæ Matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare.* Hujusmodi autem impedimenta tantum impedientia hodie (ut diximus supra) ad tria reducuntur, nempe votum, sponsalia, & Ecclesiæ vetitum. Quo vero ad impedimenta dirimentia, sic ibi traditur: *At in Dispensatione super quocumque impedimento ex quovis gradu, sive consanguinitatis, sive affinitatis, ex copula licita, sive ex cognatione spirituali proveniente etiam in foro conscientiæ tantum, tametsi impedimentum sit occultum, & periculum scandalorum immineat, in iisdem Matrimoniis contrahendis abstineat.*

Circa vero impedimenta in Matrimoniis jam contractis §. 40. sic dicitur: *In Matrimoniis vero contractis, a Dispensatione seu Matrimonii reconvalidatione in gradibus primo, & secundo, seu secundo tantum consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis, pariter abstineat, præterquam si in secundo tantum gradu prædicto impedimentum saltem per decennium duravit occultum, & Oratores simul publice contraxerint, & convixerint, & uti Conjuges reputati fuerint. In tertio autem & quarto gradibus occultis, in contractis possit dispensare, atque in iisdem tertio & quarto gradibus publicis possit revalidare matrimonia ex causa subreptionis, et obreptionis occultæ Literarum Apostolicarum nulliter contractæ: præterquam si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ antea revera non intercesserat.* Et ratio hujus est, quia in reconvalidatione Matrimonii nulli propter copulam falso expositam, non redundat infamia in contrahentes. Deinde super affinitate ex copula illicita §. 43. dicitur: *Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, quotiescumqne adsit rationabilis causa, licet periculum scandalorum non immineret, in Matrimoniis tam contractis quam contrahendis in foro conscientiæ dispensare et dispensari mandare valeat.* Super impedimento autem criminis §. 44. *Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data dumtaxat, neutro machinante, commissum, possit tam in contrahendis quam contractis Matrimoniis dispensare. Si vero crimen fuisset, utroque vel altero machinante, patratum, possit in occultis pariter dispensationem concedere; raro tamen, et quando necessitas postulaverit ratione alicujus gravis imminentis periculi quod prudentia Majoris Pœnitentiarii, re præsertim discussa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit.* Demum in §. 57. Noster SS. Pontifex confirmat omnia Privllegia & Indulta S. Pœnitentiariæ concessa, etiam vivæ vocis Oraculo, ab aliis Pontificibus. Et idem Benedictus *Notif.* 87. *n.* 7. refert Innoc. XII. declarasse vivæ vocis Oraculo, S. Pœnitentiariæ esse concessas omnes facultates ad ejus forum pertinentes, exceptis iis quæ in sua Bulla, *Romanus*, exceptæ fuerant.

Insuper notandum 1. quod ad Dispensationem 1145
obtinendam non requiritur consensus ejus cui prodesse debet, quamvis ut prosit, ab ipso postea acceptanda sit; ita *Sanch. l.* 8. *D.* 3. *ex n.* 4. *et Salm. c.* 14. *n.* 37. Qui addunt quod si idem impedimentum afficit utrumque Sponsum, sufficit pro uno Dispensationem impetrare. Secus vero, si impedimentum afficiat unum independenter ab impedimento alterius.

Notandum 2. quod cum petitur Dispensatio a 1146
Dataria, exprimendum est nomen, cognomen, Diœcesis originis & domicilii tantum, si Orator ibi habeat perfectum domicilium; item utraque Diœcesis Sponsi & Sponsæ, si ipsi diversas Diœceses habeant. Quando vero petitur a S. Pœnitentiaria, tacentur nomina, & alia, sed tantum exprimitur persona & locus, quo literæ sunt dirigendæ.

Hic refert ad praxim Confessarii adnotare For- 1147
mulam supplicationis ad impetrandam a S. Pœnitentiaria Dispensationem impedimenti ad contrahendum, sive reconvalidandum Matrimonium, videlicet:

Intus. *Eminentissimo e Reverendissimo Signore.*

NN. avendo avuto copula con una donna, si ritrova aver data parola di Matrimonio ad NN. sua sorella; e perchè l' impedimento è occulto, e non succedendo il detto Matrimonio, ne verrebbe molto scandalo, supplica perciò l' Em. S. a volergli concedere la Dispensa. La risposta si degnerà di mandarla a Napoli (o pur ... per la posta di Napoli a Nola) in testa di... (hic exprimatur nomen & cognomen illius ad quem rescribendum erit). Si autem petitur Dispensatio voti castitatis: *NN. si ritrova aver fatto voto di castità, ma perchè sta in grave pericolo d' incontinenza, prega per tanto l' Em. S. a dispensare nel suddetto voto, affine di poter contraere Matrimonio, etc.* Ita, si Matrimonium nondum est contractum; si vero Matrimonium jam est contractum; sic scribi potest: *NN. ignaro (o consapevole) dell' impedimento ha contratto Matrimonio con una donna, la cui madre (o sorella) avea prima carnalmente conosciuta; onde, essendo l' impedimento occulto, e perciò non potendosi separare senza scandalo, supplica l' Em. S. per l' assoluzione, e Dispensa. La risposta, etc.*

Fo-

Foris autem inscribetur. *All' Eminentissimo e Reverendissimo Signore, Signore, e Patrone Colendissimo,*

Il Signor Cardinale Penitenziere Maggiore.

Roma.

Delegatus autem, cui commissa fuerit executio Dispensationis, poterit in dispensando hanc vel similem formulam adhibere post datam Sacramentalem Absolutionem: *Et insuper auctoritate Apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento primi (seu secundi, seu primi et secundi) gradus proveniente ex copula illicita, a te habita cum sorore mulieris cum qua contraxisti* (aut *contrahere intendis*) ut *Matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu; et prolem, si quam suscepisti* (vel *suscipies*), *legitimam declaro. In nomine Patris, etc.* Si vero Dispensatio sit a voto castitatis, dicitur: *Insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas Matrimonium contrahere, et illo uti, in opera quæ tibi præscripsi dispensando commuto. In nomine, etc.* Si quis, non obstante voto castitatis, Matrimonium jam inierit, dicitur: *Item non obstante castitatis voto quod emisisti, in Matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis, auctoritate Apostolica tecum dispenso. In nomine. etc.*

Qui autem velit legere Bullam Bened. XIV. ubi præscribitur forma procedendi in omnibus causis nullitatis Matrimonii, videat *P. Zachariam ap. Croix l.* 6. *p.* 3. *ad n.* 430. qui illam in extensum refert. Incipit præfata Bulla, *Dei miseratione*, fuitque edita nonis Novembr. an. 1741.

LIBER VII.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS, ET IRREGULARITATIBUS.

CAPUT I.

De Censuris in genere.

DUBIUM I.

Quid sit Censura Ecclesiastica?

1 *Quid est Censura?*
2 *An Censuræ privet bonis internis?*
3 *An Degradatio, vel Depositio sit Censura?* 4. *An cessatio a Divinis?* 5. *An Irregularitas? de qua vide etiam infra n.* 351.

1 „ Resp. Est pœna spiritualis, & medicinalis, „ per quam homini baptizato delinquenti, ac con„ tumaci, per potentiam Ecclesiasticam aufertur „ usus quorumdam spiritualium bonorum. *Laym.* „ *l.* 1. *t.* 5. *p.* 1. *c.* 1. * (*Nota verbum* medicina„ lis. *Et ideo non sunt excommunicandi ii, de qui„ bus correctio desperatur, nisi fiat ad terrorem* „ *aliorum. Salm. Tract.* 10. *de Cens. c.* 1. *n.* 10. „ *cum S. Th.*)

Unde resolves.

„ 1. Per censuram non privatur homo bonis 2
„ mere internis, verb. gr. charactere, potestate
„ ordinis, nec bonis propriis, ac privatis: v. gr.
„ fide, charitate, gratia, &c. (*Nec communione*
„ *Sanctorum radicaliter derivante ex fide, & cha„ ritate. Vide Salm. n.* 8.) * Sed quibusdam ex„ ternis, & publicis, sive actionibus; quæ habent
„ spiritualem aliquem effectum, vel commodum,
„ ut sunt sacrificium, officium divinum, benefi„ cium, administratio, & susceptio Sacramento„ rum, indulgentia, publica Ecclesiæ suffragia:
„ quia hæc & non illa, subsunt dispositioni Ecclesiæ.
„ Unde, si interdum privetur bono alieno tempo„ rali, v. gr. convinctu humano per excommuni„ cationem, id tantum fit secundario.

„ Exilium, carcer, servitus, privatio beneficii,
„ nisi adjunctam habeant suspensionem aliquam spi„ ritualium actionum, non sunt censuræ, quia sunt
„ pœnæ temporales.

„ 3. Nec degradatio, vel depositio est censura; 3
„ quia etsi sit pœna spiritualis, non tamen medi„ cinalis, sed perpetua, & ob peccatum præteri„ tum, etiam emendatum, potest infligi. (*Ita*
„ *verius, & communius Salm. c.* 1. *n.* 12. *cum*
„ *Suar. Barb. Pal. Con. Vil. &c.* (*contra Gut.*
„ *Ledes. &c. & clare colligitur ex c. Quærenti*
„ *de Verb. signif. ubi sic habetur: Quærenti,*
„ *quid per censuram Ecclesiasticam debeat intel„ ligi, cum hujusmodi clausulam in litteris no„ stris apponimus? Respondemus, quod per eam*
„ *non solum interdicti, sed suspensionis, & ex„ communicationis sententia valeat intelligi.*) *

„ 4. Nec cessatio a divinis, quia non imponi„ tur per modum medicinæ ad tollendam contuma„ ciam, sed ad propulsandam injuriam Ecclesiæ
„ factam.

„ 5. Nec irregularitas, sive sit ex defectu, quia 5
„ hæc non est pœnalis, sed tantum impedimentum
„ canonicum: sive sit ex delicto, quia hæc non
„ irrogatur per modum pœnæ medicinalis, sed
„ punitivæ, & ex se perpetuæ. Unde nec tolli„ tur per absolutionem, sicut censura, sed per di„ spensationem. *Bon. n.* 1. *q.* 1. *p.* 1. * (*Idem do„ cent Suar. tom.* 5. *D.* 1. *sect.* 3. *Bon. D.* 1. *q.*
„ 1. *p.* 1. *n.* 4. *Contin. Tourn. tom.* 2. *p.* 387. *Salm.*
„ *c.* 1. *n.* 12. *Pal. D.* 1. *p.* 1. *n.* 3. *&c.* (*contra*
„ *Sot. Bon. Cov. &c.* (*Et huic sententiæ favet*
„ *etiam Bened. XIV. in Epist. Enycl.* Inter
„ præteritos, *Edita* 3. *Dec.* 1749. §. 50. *Vide di„ cenda n.* 351.) *

„ 6. Quando in Jubilæis, vel privilegiis datur
„ potestas absolvendi a censuris, non comprehendi„ tur irregularitas, nisi expresse addatur. * (*ut*
„ *declaravit idem Bened. XIV. l. c.*) *

DUBIUM II.

Quotuplex sit Censura?

6 *Quotupliciter Censuræ dividantur. An censu„ ræ*

ræ latæ ab Episcopo in Synodo sint perpetuæ, & tanquam latæ a jure?
7 *Quando Censuræ reputentur esse latæ sententiæ?* 8. *Quando ferendæ?*

6 „ Respond. Dividitur I. essentialiter in Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum, II. Accidentaliter in eam quæ est a jure, & fertur per Canones, Constitutiones, vel Statuta Ecclesiastica, stabili ac permanente lege; & eam, quæ est ab homine, quæ scilicet fertur a judice, vel Prælato, per modum mandati, vel sententiæ judiciariæ. Estque vel particularis, circa factum aliquod particulare, aut certas personas; vel generalis, quæ nulla singularis facti, aut personæ determinatione fertur. * (*Nota igitur, quod censuræ, quas fert Episcopus in Synodo Diœcesana, dicuntur latæ per modum Statuti; & hæ tanquam latæ a jure durant post mortem Episcopi. Aliæ vero extra Synodum dicuntur latæ ab homine per modum præcepti, seu mandati, aut sententiæ; & hæ per mortem ferentis cessant, sive præceptum sit particulare, sive generale. Ita Ronc. c. 1. q. 2. Salm. de Censur. c. 1. n. 16. Croix l. 7. n. 7. cum Dicast.*) * III. In eam, quæ est sententiæ *latæ*, quam scilicet jus, aut judex statuit ipso facto, quo quis v. gr. contra legem facit, sine alia sententia incurrendam: & in eam, quæ est *ferendæ*, quam jus, aut judex non vult ipso facto incurri, sed per sententiam infligi. Pro quibus dignoscendis consideranda sunt verba, quibus censura fertur; quæ si includant alterius actionem, seu ministerium, significant censuram esse sententiæ ferendæ; latæ vero, si non includant. Si vero ambigua sint, teneri potest regula 49. juris in 6. quod in dubio circa pœnas benignior interpretatio sit facienda, * (*Ita etiam Sporer p. 116. n. 6. Contin. Tourn. tom. 2. p. 381. Conc. tom. 10. p. 415. n. 5. item Fill. Mach. &c. cum Salm. de Cens. c. 1. n. 18. ex c. Odia, & ex c. In pœnis, De Reg. Juris in 6.*) *

Unde resolves.

7 „ I. Est censura latæ sententiæ. 1. Si verba sint præteriti, aut præsentis temporis, v. gr. excommunicavimus, excommunicatus est, fuit, excommunico, suspenduntur, Interdicuntur, volumus, aut jubemus esse excommunicatum, suspensum, &c. 2. Si addatur particula, ipso jure, ipso facto, vel sine alia sententia. 3. Si verba sunt imperativi, modi, v. gr. Incidat in excommunicationem, maneat interdictus, &c. Ratio, quia hæc omnia nullius actionem interponunt.

8 „ 2. Sententiæ ferendæ est, saltem ut plurimum, 1. Si verba sint futuri temporis, v. gr. excommunicabitur, suspendetur. * (*Ita Tourn. d. p. 381. & Conc. p. 415. n. 5.*) * 2. Si dicatur, excommunicetur, suspendatur, volumus excommunicari. * (*Ita Spor. p. 116. n. 6. sed vide hic in fin.*) * 3. Si verba sint minatoria, v. gr. sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis, &c. nisi tamen ex adjunctis aliud colligatur. * *Ita etiam Salm. c. 1. n. 13. cum Fill. Avila, &c. Conc. p. 415. n. 5. et Tourn. tom. 2. p. 381. Item si dicatur.* Volumus excommunicari, suspendi, &c. *Ronc. p. 50. q. 2. Si autem dicatur,* Excommunicatus sit, *Bonac. Hurt. etc. cum Salm. n. 19. tenent excommunicationem esse latæ sententiæ; sed Sanch. Laym. ibid. etc. volunt esse ferendæ. Utraque est probabilis. Si dicitur:* Anathema sit, *Sanch. et Dic. ap. Croix l. 7. n. 9. dicunt esse ferendæ (contra Suar. et Tourn. p. 381.) nisi fiat contra hæresim. Quod autem ait Bus. si dicatur,* excommunicetur, suspendatur, &c. *intelligi ferendæ sententiæ, hoc explicandum est, si præceptum excommunicandi, suspendendi, etc. alteri (puta Episcopo) imponatur. At si absolute modo imperativo profertur, censura dicenda est latæ sententiæ, ut pro certo asserit Bonac. de Cens. D. 1. q. 1. p. 1. n. 7. et communiter docet Sylv. Ang. Arm. Suar. Vasq. Avila, et Dic. ap. Croix lib. 7. n. 9.*) *

DUBIUM III.

Qui possint ferre Censuram, et in quos?

9 *Qui possit censuram ferre?* 10. *ex potestate ordinaria possunt. I. Papa. II. Episcopi. An autem eorum Vicarii? III. Prælati Regulares. IV. Concilia, et Capitula. V. Qui hoc habent ex privilegio.*
11 *Quis possit ferre censuras ex potestate delegata? Non possunt 1. Parochi. 2. Laici. 3. Fœminæ.*
12 *Quot conditiones requirantur, ut quis possit censuram ferre? I. Ut sit vir. II. Baptizatus. III. Tonsuratus. IV. Compos rationis. V. Ut habeat jurisdictionem expeditam. VI. Ut libere agat.*
13 *Quæ conditiones, ut quis possit censura ligari? I. Ut sit homo. II. Baptizatus. III. Compos rationis. An ebrii, vel amentes ad tempus?* 14. *An impuberes doli capaces?*
15 *IV. Ut sit subditus.* 16. *An Reges?* 17. *An peregrini?* 18. *V. Ut sit persona determinata, quoad excommunicationem.* 19. *An excommunicatio in Communitatem sit valida, et licita?* 20. *Prælati Regulares possunt censuras ferre in subditos ubique existentes.* 21. *Qu. I. An Episcopus existens extra Diœcesim possit ferre censuras in subditos.* 22. *Qu. II. An contra, existens in Diœcesi possit ligare censura subditum extra degentem?* 23. *Qu. III. An subditus delinquens extra Diœcesim, incurrat censuram latam per præceptum in futuros delinquentes?* 24. *An Monasteria Regularium sint loca exempta?* 25. *Quid si agatur de damno resarciendo?* 26. *Qu. IV. An Episcopus possit censuras ferre in subditum alienum delinquentem in sua Diœcesi?* 27. *Qu. V. An censura, lata generaliter, liget alienigenas?*

Quo-

28. *Quomodo quis ligari possit pluribus censuris?*

Unde resolves.

9 „ Resp. 1. censuram ferre potest omnis, ac „ solus superior Ecclesiasticus, habens in foro externo, seu contentioso jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam. * (*Est de Fide contra Novatores, quod Ecclesia potestatem habet ferendi censuras, quibus suos subditos bonis spiritualibus privet, ex Concina Const. sess.* 8. *Err.* 3. *& ex Bull. Mart. V. et Leonis X.*)*

10 „ Porro ordinariam, quæ est ratione officii, vel „ alterius juris, potestque delegari Clerico Clericatus privilegio gaudenti, ut *Bon. d.* 1. *q.* 1. *p.* 2. *Laym. l.* 1. *t.* 5. *par.* 1. *c.* 3. *n.* 1. *ex c. cum Ecclesiarum, S. Th.* &c. docent, habet 1. Papa respectu totius Ecclesiæ. II. Patriarchæ, Archiepiscopi * (*Respectu tantum subditorum suæ Diœcesis, non vero aliarum suffraganearum, nisi tempore Visitationis, aut nisi causa sit per appellationem ad ipsos devoluta; Pal. D.* 1. *p.* 4. *n.* 2. *Conink D.* 1. *dub.* 4. *num.* 31. *et Salm. c.* 1. *n.* 20. *ex c. Venerabilibus, de Sent. excom. in* 6.) *, Episcopi * (*Dummodo sint confirmati; esto non consecrati, quia per confirmationem jam accipiunt jurisdictionem: Tou. p.* 287. *et Salm. d. n.* 20. *ex c. Transmissam de Elect.*) *, eorumque Vicarii Generales * (*Hoc tamen negant Sayr. Ugolin. et alii ap. Croix l.* 7. *n.* 24. *sed verius affirmant cum Busemb. Fagnan. in c. Quoniam de Offic. Del. n.* 15. *Bonac. q.* 1. *p.* 2. *num* 5. *Tourn. tom.* 2. *p.* 388. *item Suar. Sanch. Gutt. Garc. et plures ap. Croix l. c. Quia hoc pertinet ad ordinariam potestatem Vicarii, qui cum Episcopo unum facit tribunal, ut ex c. Romana de Apell. in* 6. *et c.* 2. *de Consult. in* 6.) III. Generales, „ Provinciales, & Superiores locales religionum. „ * (*Uti etiam Priores, Guardiani, Rectores, ut Suar. D.* 2. *sect.* 2. *n.* 9. *Bonac. q.* 1. *p.* 2. *n.* 5. *Pal. p.* 4. *n.* 2. *et Salm. c.* 1. *n.* 31. *ex c. Cum in Ecclesiis de major. et obed.*) * respectu „ suorum subditorum. IV. Congregationes religionum, Concilia provincialia Episcoporum, Capitula provincialia quarundam religiosorum * (*Ac Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Sede vacante seu Vicarius Capitularis pro eo, Salm. c.* 1. *n.* 32. *ex c. Cum olim, de major. etc.;*) * Et „ denique V. Quidam alii ex concessione, ut multi Archidiaconi, Archipresbyteri, & Decani. * „ (*Adde quod censuras ferre possunt omnes, qui per communem errorem cum titulo præsumpto tamquam Superiores habentur, ex l. Barbaria, ff. de Off. Præt. et ex c. Infamis* 3. *q.* 7. *Vide Salm. c.* 1. *n.* 38.)

11 „ Delegatam habent, quibus ea committitur ab „ ordinariam habente, cujus morte exspirat: * „ (*Nisi causa a Delegato jam sit incœpta etiam per solam citationem, ex c. Gratum de Offic. Deleg.*) * nec delegatus potest alteri delegare, „ nisi habeat specialem hujus commissionem, ut „ si sit delegatus Papæ. * (*Ex c.* 3. *de Offic. Deleg. propter privilegium quod habent Delegati a Pontifice.*)

„ 1. Non possunt potestate ordinaria ferre cen„ suram, 1. Parochi * (*Ut communiter Cont. Tou. p.* 389. *cum D. Th. D. Bonav. etc. et Salm. c.* 1. *n.* 33. *cum Suar. Soto, etc. cum potestas eis concessa ex jure communi, sit abrogata per consuetudinem.*) * 2. Laici: quia non sunt ca„ paces jurisdictionis Ecclesiasticæ, uti & religio„ si professi non habentes primam tonsuram. Fe„ minæ, licet sint Priorissæ, vel Abbatissæ, quia „ non sunt capaces jurisdictionis, seu potestatis „ clavium: quando vero in jure dicuntur posse „ subjectos sibi Clericos suspendere ab officio, vel „ beneficio, suspensio non accipitur propriæ pro „ censura, cujus violator irregularitatem incurrit, „ sed late, & improprie pro præcepto, quo Abba„ tissa, Clerico sibi quodammodo subjecto prohi„ bet celebrationem, donec satisfecerit, subtrahens „ ei reditus interea. Vide *Bonac. l. c. Laym. l. c.* „ *t.* 5. *p.* 1. *c.* 3. *n.* 3.

Hic sedulo notandum, quod ut aliquis possit 12 censuras ferre, sex conditiones requiruntur.

Requr. I. Ut sit vir, saltem loquendo de potestate ordinaria. An autem Papa ex plenitudine potestatis possit committere mulieri facultatem ferendi censuras? Probabilius negant *Salm. c.* 4. *n.* 48. cum *S. Th. Con. Sot.* &c. contra *Croix l.* 7. *n.* 10. *cum Palud. Leand.* &c. Ratio, quia potestas hæc data est Apostolis, & eorum successoribus, quibus traditæ sunt Claves Ecclesiæ; potestas autem clavium nullo modo mulieribus tradi potest. Requir. II. Ut sit baptizatus, quia qui non est in Ecclesia, non est capax Ecclesiasticæ jurisdictionis; ita verius *Suar. Candid.* & *Salm. c.* 1. *n.* 51. contra *Ugol.* &c. Requir III. Ut sit saltem prima Tonsura insignitus, alias nequit jurisdictionem spiritualem habere, cum non sit in Ordine Ecclesiastico adhuc constitutus. Ita *Salm. cap.* 1. *num.* 52. *&* 53. cum *S. Th. ex c. Ecclesiæ. De Const.* ubi laicis spiritualia tractare prohibetur. Et ideo laicus nequit in Vicarium ab Episcopo eligi, ut *Salm. ib. in fin.* cum *Covar.* Communiter tamen dicunt DD. quod ex commissione Pontificis posset laicus ferre censuras; quod enim censuras ferens debeat esse Ecclesiasticus; est de jure positivo, in quo potest Papa dispensare; ita *Pal. p.* 4. *n.* 3. *Cont. Tourn. p.* 389. *qu.* 1. *Bon. p.* 2. *n.* 3. *&* 6. *Salm. d. n.* 42. *cum Con. & Cand. ac Croix d. n.* 10. *cum* comm.

Requir. IV. Ut sit compos rationis: est commune. *Vide Salm. c.* 1. *n.* 55. Imo debet habere intentionem ligandi eum, contra quem fert censuram, ex *c. Cum voluntate. De Sent. exc.* Ex quo infertur 1. quod si Prælatus intendit aliquem eximere a generali sententia, ille non incurrit. Infertur 2. quod si Prælatus censuram ferat sine animo ligandi, censura non incurritur. Infertur 3. quod si quis excommunicatur ad instantiam partis, ille solum juxta intentionem partis manet ligatus; ita *Salm. dict. n.* 55.

Requir. V. Ut habeat jurisdictionem expeditam quoad usum: hinc Episcopus excommunicatus, suspensus, hæreticus, aut schismaticus nequit ferre censuras, ex *c. Exceptionem, De Except.* Et ideo

deo Vicarius Episcopi excommunicati, aut suspensi non potest ferre censuras *ex c. 1. de Offic. Vic. in* 6. Occultus tamen hæreticus, aut excommunicatus valide, etsi illicite, fert censuras, ita communiter *Suar. D. 14. s. 1. n. 8. Sot. in 4. Dist. 22. q. 2. art. 1. Dian. p. 5. tr. 9. R. 50. & Salm. c. 1. num. 58. cum Sayr. Cornejo, & Leand.* Et ratio est, quia propter publicum bonum, nisi sit vitandus, Ecclesia illi conservat jurisdictionem, ut dicit *Sayr. in d. c. ad evitanda*. Imo *Corn. Sayr. Bonac. Dian. Avil.* &c. apud *Salm. ib.* tenent, etiam publice excommunicatum valide ferre censuras, si non sit nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percussor, ex *Extrav. Mart. V. Ad evitanda*, ubi sancitur excommunicatum toleratum in eis, quæ pertinent ad publicum Officium, non esse vitandum, nec etiam ab illis qui id sciunt.

Requir. VI. Ut censuram ferens libere agat, non coacte, ex *c. Cum voluntate. De Sent. exc.* An autem censura lata ex metu gravi sit valida? Negant *Corn. Sayr.* & *Ugol.* ap. *Salm. c. 1. n. 59.* Verius tamen affirmant *Suar. D. 2. s. 5. n. 6. Bon. q. 1. p. 12. n. 1. Pal. D. 1. p. 5. n. 2. Tourn. p. 393. & Salm. c. 60. cum Con. & Vill.* Ratio, quia actus metu gravi factus de se est validus, nisi speciali jure positivo irritetur. Certum tamen est quod absolutio per metum extorta invalida est, ex *c. Verbum, De Pœnit.* vide *Salm. d. n. 59.* & 60. Modo metus sit injuste incussus: secus si juste, ut ait *Ronc. de Cens. c. 6. q. 6.*

13 „ Resp. 2. In omnes, & solos subditos alicui „ Superiori Ecclesiastico potest ferri censura, quia „ subjectio, & jurisdictio sunt correlativa. *Laym.* „ *l. c. c. 3. Unde resolves*.

„ Non baptizati non incurrunt censuras, licet „ sint catechumeni; nec mortui, quia non subsunt „ jurisdictioni Ecclesiæ. Nec refert, quod quando- „ que mortui dicantur excommunicari: non enim „ de novo ligantur, sed excommunicatio prior „ tantum declaratur, ac vivis prohibetur, nec cum „ iis agant, orando pro illis, sepeliendo, &c. Si- „ militer dicuntur absolvi ab excommunicatione, „ quando sepultura, & orationes publicæ pro illis „ permittuntur. *Laym. l. c.*

Ut igitur quis censura ligari possit, quinque requiruntur. I. Ut sit homo: bruta enim improprie dicuntur anathematizari. II. Ut sit baptizatus. III. Ut sit rationi compos; nam pueri, & perpetuo amentes, sicut sunt incapaces culpæ, ita & censuræ. An autem ipsi ligari possint interdicto locali, ita ut sint excludendi a Divinis Officiis: negant *Suarez D. 36. sect. 2. n. 7. Tourn. p. 553. & Salm. cap. 1. n. 167.* cum *Suar. Avil. Corn.* (contra *Sayr.* & *Cand.*) Quia incapaces sunt pœnæ. Illi vero, qui ad tempus tantum ratione carent, ut amentes ad tempus, ebrii, dormientes, hi ligantur censuris, si tempore quo erant rationis compotes, causam dederunt. *Salm. ib.* cum *Suar. Pal. Con.* &c.

14 An vero impuberes doli capaces ligari possint censuris? Resp. Si censura feratur per modum præcepti, omnes DD. affirmant, si tamen per modum sententiæ, negant *Sayr. Vill.* &c. quia impuberes difficulter tueri se possunt in judicio. Sed adhuc affirmant probabiliter *Pal. D. 1. p. 6. n. 2. Suar. D. 5. sect. 1. n. 19. Croix n. 42. Bon. p. 4. n. 9. Tourn. p. 400. Holzm. n. 192. & Salm. c. 1. n. 178. cum Con.* quia, si non per se, saltem per alium se defendere valent. Advertendum tamen, quod censuræ generaliter latæ a jure, vel ab homine non incurruntur ab impuberibus, nisi hoc expressum sit in lege; ut expressum est de ingressu puerorum in Monialium Monasteria in Conc. Trid. *sess. 25. c. 5. de Reg.* ubi dicitur: *Cujuscumque ætatis sit*. Idemque est expressum de impuberibus Clericorum pescussoribus, ex *c. Pueris fin. de Sent. exc.* Ita communiter *Leand. Sot. Azor. Sa, Sayr.* &c. cum *Salm. l. c.* (contra *Dic. ap. Croix l. 7. n. 42.*) Hinc infert *Cælestinus*, impuberes nec vi Monitorii teneri ad revelandum.

VI. Ut sit subditus; qua de re Summus Pon- 15
tifex nequit censura ligari; non quidem ab alio, quia superiorem non habet; neque a se, quia non tenetur præceptis suis vi coactiva, sed solum directiva. Excipe, si Papa sit hæreticus, quia Concilium Generale tunc potest eum cogere per censuras; ex *c. Si Papa, D. 40.* Et ideo nec Episcopi ligantur censuris ab ipsis emanatis. *Salm. c. 1. n. 459.* Si vero censuræ sint a jure, eas nec etiam incurrunt Episcopi, aut Cardinales (ut *Salm. n. 160.*), nisi de ipsis expressa mentio fiat, ex *c. Quia periculosum, de Sent. exc. in* 6. Hoc tamen, ajunt *Salm. ib.* cum *Pal. Suar. Bon. Sayr.* & *comm.* dumtaxat intelligi de suspensione, & interdicto de quibus fit mentio *in d. c.* non autem de excommunicatione, cui subjacent Episcopi, etiamsi in lege de iis nulla mentio fiat.

Reges autem, & Reginæ, quamvis subditi sint 16
Episcopis in spiritualibus, jure tamen novo non possunt ligari censuris, nisi a Papa; & hoc ex privilegio, quod eis communiter ab AA. attribuitur, ut dicunt *Salm. c. 1. n. 100.* cum *S. Anton. Pal. Corn. Avil.* &c.

An autem Episcopus possit ferre censuras in peregrinos ad cavenda crimina? Affirmant alii apud *Croix l. 7. n. 32.* quia ratione delicti ipsi jam fiunt subditi. Sed negant probabilius *Lug. ib.* & alii quos retulimus *de Sac. Pœnit. n. 591. v. Incurreret*. Notandum tamen, quod licet Episcopus probabilius non possit censuram ferre in peregrinum ante monitionem; potest tamen postquam ille deliquerit in loco, & Episcopus eum citaverit juxta dicenda *n. 26.*

Requir. V. Ut sit persona determinata, hoc ta- 18
men intellige quoad excommunicationem tantum. Quare, licet posset suspendi, aut interdici aliqua Civitas, aut Collegium, non potest tamen illud excommunicari, ut communiter docent *S. Th. 3. p. q. 22. art. 5. ad 2. Pal. Bon. Henr.* &c. cum *Salm. c. 1. n. 169.* Imo nec ferri potest excommunicatio in aliquem incertum ex communitate, qui scil. tale crimen patraverit; quo casu censura est etiam nulla, ut notant *Ronc. p. 76. q. 1. v. Sententiæ, & Salm. l. c. cum Cand.* Hoc tamen currit, si excommunicatio feratur per modum sententiæ; nam si feratur per modum statuti, aut præcepti, in quo aliquid præcipiatur sub excommunicatione, tunc nulli dubium, quod omnes transgressores eam incurrent, *Salm. ib.*

Quæritur autem, an excommunicatio lata in com- 19
munitatem per modum sententiæ sit non solum illicita, sed etiam invalida? Resp. Si censura fe-

ra-

ratur in aliquos tantum transgressores ex communitate, certe est nulla, ut omnes dicunt; si vero, facto examine, omnes illius communitatis nocentes reperiantur, tunc valide ac etiam licite potest communitas illa excommunicari a Papa; ab aliis tamen Prælatis illicite excommunicaretur, cum sit vetitum in *c. Romana. De Sent. excom. in* 6. sed non invalide, ut dicunt *Ap. Henr. Led.* &c. cum *Salm. c.* 1. *n.* 171. Hinc, ut etiam licite Episcopus aliquam communitatem excommunicet, debet singulos culpatos nominatim excommunicare. *Sal. ib. in fin.*

„ 2. Advenæ, & peregrini, brevi tempore ali-
„ cubi commorantes non ligantur censuris loco-
„ rum, generali sententia, aut statuto decretis:
„ quia non sunt subditi. *Laym. l. c. n.* 5.

„ 3. Etsi subditi extra suam diœcesim, vel in
„ loco diœcesis exempto delinquentes contra le-
„ gem sui Episcopi non incurrant censuram; su-
„ perior tamen, saltem regularis, potest suos sub-
„ ditos ubicumque existant, per particularem sen-
„ tentiam censuris innodare. *Laym. l. c.*

„ 4. Hæretici, Apostatæ, & Schismatici possunt
„ affici censuris, quia per baptismum sunt subje-
„ cti Ecclesiæ. V. *Laym. l. c.*

„ 5. Solus Papa non potest incurrere censuram,
„ quia nulli est subjectus. *Bon. l. c.*

20 Communis est sententia, quod Prælati Regulares possunt subditos suos censuris innodare, ubicumque isti existant; ita *Sanch. Dec. l.* 6. *c.* 8. *n.* 33. *Croix l.* 7. *n.* 28. *Tourn. p.* 404. *Salm. de Cens. tr.* 10. *c.* 1. *n.* 102. cum *Avil. Cand.* &c. Dubium vertitur quoad Episcopos: sed hic plures quæstiones occurrunt.

21 Quær. I. An Episcopus extra propriam Diœcesim existens possit contra subditos censuras ferre? Exceptis aliquibus casibus ut infra, resp. negative, ex *c. Episcopi* 9. *qu.* 2. *& ex Clem. Quamvis. De Foro comp.* Ratio, quia nemo potest in alieno territorio jurisdictionem contentiosam exercere; ita *Pal. Dist.* 1. *p.* 5. *n.* 3. *Conc. p.* 421. *n.* 8. *Tourn. p.* 406. *q.* 3. *& Salm. c.* 1. *n.* 104. *cum Con. Av. Corn. &c.* Casus excepti sunt. I. si contumacia sit tam manifesta ut non indigeat cognitione causæ, ex *c. Manifesta*, 2. *q.* 1. II. si causa sit jam cognita in proprio territorio. III. Si censura feratur non per modum sententiæ, sed per modum præcepti, aut statuti ad futura crimina cavenda. IV. Si Episcopus sit injuste expulsus a sua Diœcesi, quo casu potest in locis vicinioribus suam jurisdictionem exercere, petita, licet non obtenta, licentia ad Ordinario loci, ut ex *cit. Clem. Quamvis*. V. Si Ordinarius illius loci consentit, ex *c. Nullus*, 9. Q. 2. Tunc tamen reqniritur etiam consensus partium, quia nemo invitus trahi potest extra suum territorium; ita *Bon. p.* 11. *n.* 3. *Pal. p.* 5. *n.* 3. *Conc. & Tourn. ll. cc. ac Salm. n.* 105. *cum Avil. Cand. & Corn.* Notant autem *ibid. Salm.* cum *Cand.* bene posse Episcopum extra Diœcesim existentem sine strepitu judicii absolvere a censuris, non vero judicialiter.

22 Quær. II. An Episcopus existens in sua Diœcesi possit ligare censuris subditum in aliena existentem, sed pro crimine in propria commisso? Negant *Basil.* & *Gabr. & alii*; Vid. *Croix l.* 7. *n.* 46. Sed affirmandum cum communi, & vera sententia, quia talis delinquens a nullo puniri posset; ita *Bon. p.* 11. *n.* 13. *Conc. t.* 10. *p.* 421. *n.* 9. *Tourn. t.* 2. *p.* 402. *v. Quær. & Salm. c.* 1. *n.* 107. *cum Con. Corn. Dian. & Cand.* Et licet citatio rei non possit fieri extra territorium, sufficit tamen ad censuram incurrendam, ut reus in propria domo, vel in loco publico proprii territorii citetur; ita *Salm. n.* 108. Et hoc currit, etiamsi subditus delinquat extra Diœcesim, si agatur de rè quæ in illa sit, prout si excommunicentur Clerici omnes qui ad Synodum non accedunt, &c. Ita *Suar. D.* 5. *sect.* 4. *n.* 8. *Bon. l. c. n.* 7. *& Salm. n.* 19. *cum Avila, Corn. & Cand.* Probabilius tamen est, quod si crimen extra territorium consummetur; reus censuram non incurrit; ita *Suar. l. c. n.* 7. *Bon. n.* 10. *& Salm. n.* 111. *cum Corn. Dian. & Cand.* (contra *Vill. et Sayr.*) & probatur *ex cap.* 2. *de Constit. in* 6. Casus esset, ex. gr. si sit lata censura contra stuprum committentes, eam non incurrit, qui virginem extrahit a proprio territorio, & extra illud stuprum consummat. Secus, si quis vulneret aliquem in Ecclesia, qui alibi moriatur. *Salm. ib.* Vel si vulneret in Diœcesi, & ille moriatur extra, ut *Tourn. p.* 403. *v. Sed si.*

Quær. III. Si Episcopus fert censuram in subditum suum per præceptum particulare, si delinquat (puta si furetur), utrum subditus delinquendo extra territorium, censuram incurrat? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Suar. D.* 5. *sect.* 5. *in fin. Spor. p.* 117. *n.* 12. *Croix lib.* 7. *n.* 43. *Laym. c.* 4. *n.* 8. *cum Abb. Sa*, & *Ugol. ac Bon. qu.* 1. *p.* 9. *n.* 17. *cum Salas, et Fill.* Ratio, quia Statutum respicit territorium, & ideo extra illud neminem ligat; præceptum vero respicit personas, & ideo ligat etiam existentes extra territorium. *Secunda* sententia negat, & hanc tenent *Holzm. t.* 1. *p.* 359. *n.* 103. *Contin. Tourn. t.* 2. *p.* 404. *Ronc. p.* 76. *q.* 3. *R.* 1. *cum Con. Hurt. et Ant. a Spir. S.* item *Avila, Sayr. Henr. ap. Laym. l. c.* Idque probat ex *c. Ut animarum* 2. *de Const. in* 6. ubi sic dicitur: *Statuto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius Diœcesim committentes minime ligari noscuntur, cum extra territorium jus dicenti non paretur impune.* Ergo sicut statutum non ligat, non eo quod non afficiat personas, sed quia non licet Episcopo jus dicere extra territorium, ita neque ligare potest præceptum. Utraque sententia est probabilis, sed prima videtur probabilior; nam textui opposito respondetur, quod cum censura est lata per statutum, ideo Episcopus non potest jus dicere extra territorium, quia statutum immediate afficit locum; ac propterea quando subditus delinquit extra territorium, non agit contra legem, quæ tantum locum afficit; at cum præceptum particulare afficit personam, & illi hæreat, quocunque discedat (ut fatetur ipse *Holzm.*), ideo subditus, cum extra territorium ligetur præcepto, ligatur etiam censura. Certum autem est ex præfato textu, quod si Episcopus nullum subdito antea dederit præceptum sub pœna censuræ, nequit eum censura punire, si delinquat in aliena Diœcesi. Et idem dicendum; si ille delinquat in loco exempto, quia in eo manet

net ac si esset in loco extra Diœcesim, ex *c. Cum Episcopus. De Officio Ordin. in* 6. & *c.* 1. *de Privil. in* 6. & *Clementin. Archiepiscopus, eod. tit.*

24 An autem Ecclesiæ, & Monsteria Regularium sint loca exempta? Vide dicta *l.* 1. *n.* 156. *v. Not. II.* ubi diximus probabilem esse sententiam affirmativam cum *Bon. Sayr. Avila, Cand. ac Salm. c.* 1. *n.* 114. quibus adde *Ronc. p.* 76. *q.* 1. *v. Sententia, & Croix l.* 7. *n.* 26. qui ait cum *Avila, Henr. Hurt. Delbene, &c.* quod si Episcopus prohibeat statuto generali aliquid, puta lusum alearum sub censura, eam non incurrit ludens in loco exempto.

25 Notandum tamen hic, quod si agatur de damno alteri resarciendo, & fur ille in proprium territorium veniat, atque ibi conveniatur de furto extra commisso, bene potest illius Ordinarius eum cogere sub censura ad restituendum; ita *Suar. D.* 5. *sect.* 5. *n.* 5. *& Salm. c.* 1. *n.* 112. *cum Cand. Soto, Avila, & Corn.* Ratio, quia, si postea ille delinquit, debitam restitutionem negligendo, recte Episcopus ratione delicti eum excommunicat.

26 Quær. IV. An Episcopus possit censuris ligare alienum subditum in sua Diœcesi delinquentem? Affirma, quia quicumque delinquens sortitur forum illius loci, ubi delinquit, ex *c. fin. de foro comp.* Excipe 1. Si delinquens esset illius Episcopi superior, ut ejus Archiepiscopus, vel Patriarcha: secus, si Episcopus non esset illi suffraganeus; nam, licet par in parem jurisdictionem non habeat, ut notant *Salm. c.* 1. *nu.* 40. *in fine* cum *Ugolin.* ratione tamen delicti ille Archiepiscopus fit Episcopi subditus, ut dicunt *Salm. c.* 1. *n.* 37. cum *Corn.* Ex qua ratione sentit *Croix lib.* 7. *n.* 32. (contra *Salm. d. n.* 37.) cum *Pign. & Giball.* afferente Declarationem S. C. quod Episcopus etiam Archiepiscopum suum in Diœcesi Episcopi delinquentem possit excommunicare. Regulares autem sunt simpliciter exempti a jurisdictione Episcopali, ex *c. Ne aliqui, de Priv. in* 6. Vid. *Salm. ib.* Et in Religiosos exemptos, sive privilegiatos, ut Mendicantes, & Jesuitas (vide infra *n.* 241. *Dub.* 9.) nequit Episcopus ferre censuras, etiamsi procedat tanquam Delegatus Apostolicus, ut *Croix l.* 7. *n.* 30. cum *Pell. & aliis*. Excipe 2. Si reus, antequam ejus causa cognoscatur ab Ordinario loci, ab illius territorio exeat (ad differentiam delinquentis in sua patria, qui, etiamsi postea a proprio territorio discedat ante sententiam, & ante citationem, bene potest censura ligari a suo Ordinario, ut diximus supra *Qu. II.*) Secus, si delinquens in alieno territorio, antequam discedat, citatione præveniatur, tunc enim ratione judicii inchoati subjectus remanet Episcopo loci; ita *Conc. p.* 422. *n.* 11. *Ronc. p.* 77. *q.* 2. *cum Hurt. Laym. c.* 6. *n.* 7. *cum Abb. Henr. & Sayr. ac Con. Dian. Sylv. Avil. Corn.* &c. *cum Salm. c.* 1. *nu.* 36. *& n.* 115.

27 Quær. V. An censura alicubi lata, v. gr. contra furantes in Ecclesia, vel contra non revelantes furtum, liget etiam alienigenas ibi existentes? Si censura sit lata per modum præcepti particularis, seu sententiæ in casu particulari, nempe si sit lata excommunicatio contra non revelantes fures, hæc non ligat alienigenas, quia præceptum particulare non potest non subditos adstringere. Ita *comm. Suar. Con. Dian. Sylv. Sayr.* &c. cum *Salm. c.* 1. *n.* 117. *ex c. A nobis*. 25. *De Sent. exc.* Si autem censura sit lata per modum statuti generalis pro delictis futuris, puta contra furantes in Ecclesia, tunc ligat etiam alienigenas in illo loco existentes, si ibi sint animo commorandi majorem partem anni; secus, si transeunter ibi commorentur. Ita *Sanch. de Matr. l.* 3. *D.* 18. *n.* 6. *&* 16. & *Salm. c.* 1. *n.* 116. cum *Suar. Bon. Sylv. Sayr.* &c. Hæc sententia probabilior mihi est, sed non puto improbabile, quod tam in primo, quam in secundo casu peregrini ligentur censura, etiamsi alicubi sint per breve tempus, quia satis probabile est, quod peregrini fiant subditi, si adhuc per breve tempus in aliquo loco morentur, juxta sententiam relatam *l.* 3. *n.* 332. *v. Non accusatur*.

Notand. hic I. Quod semel innodatus una cen- 28
sura potest & alias plures incurrere, etiam ejusdem rationis. Ita *comm. DD.* cum *S. Thom.* 3. *p. q.* 22. *art.* 6. *& Salm. c.* 1. *n.* 173. ex *Clem.* 2. *De Sent. exc.* Notandum II. quod propter idem delictum potest quis multipliciter ligari a diversis, scil. a jure & ab homine, a Papa & Episcopo; ita ut ab utroque absolvi debeat. Ita probabilius *Suar. D.* 5. *sect.* 2. *n.* 13. *Pal. p.* 6. *n.* 5. *Bon. p.* 5. *n.* 13. *& Salm. c.* 1. *n.* 176. *cum Fill. Corn. &c.* contra aliquos. Hoc tamen intelligendum, si secundus superior intendat vere novam pœnam imponere; alias regulariter secunda censura habetur, ut innovatio, seu publicatio primæ; *Bon. n.* 11. *& Salm. n.* 127. cum *Bon. Cand. Sayr.* & *Corn.* Notandum III. Quod si qui per unicum actum duo peccata committeret specie diversa, quorum unicuique censura est imposita, tunc duas censuras incurreret, prout si quis occideret Clericum in loco, ubi quodvis homicidium sit vetitum sub censura. Secus, si peccatum non haberet malitias plures specie diversas. Ita *Suar. sect.* 3. *n.* 13. *Bon. n.* 8. *& Salm. n.* 178. *cum Corn. Diana, & Cand.* Notandum IV. Quod, si quis reiterat idem crimen moraliter distinctum a primo, cui imposita est censura, toties censuram incurrit; secus, si moralitrr actus non interrumpitur. Hinc unam censuram incurrit, qui pluries successive Clericum percutit; qui eodem actu duos humines extrahit ab Ecclesia; ita etiam, dicunt *Salm. c.* 1. *n.* 182. *cum Lugo, Rodr. &c.* Sacerdos excommunicatus, qui eodem tempore plures Confessiones excipit; quia, sicut si Sacerdos ille una absolutione plures absolvit, unam irregularitatem incurrit, sic etiam, si plures absolvit successive; tunc enim una actio moralis reputatur (sed verius dicendum oppositum juxta dicta *de Pecc. l.* 5. *n.* 50. *Qu.* 6.). Idem, si quis uno verbo blasphemaret 12. Apostolos, vel eodem impetu plures Sanctos; *Salm. n.* 183. *cum aliis*, & hoc probabile est juxta *c. lib.* 3. *n.* 47. Quid, si quis plures Clericos eodem actu vulneraret, an plures excommunicationes incurreret? Negant *Suar. D.* 5. *sect.* 3. *n.* 8. *Bon. p.* 5. *n.* 7. & probabile putant *Con. Card. Diana ap. Salm. c.* 1. *n.* 148. quia sicut unum peccatum iste committeret, sic unam incurreret excommunicationem. Et idem censent *Leander ib.* si læsio plurium accideret in eadem rixa & impetu. Sed nos oppositum sequimur cum *Salm.* qui citant *Corn. Machad. &c.* quia probabilius est (ut diximus eodem *l.* 5.

n.

n. 46.) quod qui uno ictu pluries homines occidit, plura peccata committat.

DUBIUM IV.

Ob quam causam possit ferri Censura?

29 *Ob quale peccatum incurrantur censuræ?*
30 *An ob veniale incurratur levis suspensio, vel interdictum?*
31 *An aliæ censuræ ob venialæ sint nullæ? Et quid ex hoc inferatur?*
32 *An in dubio de gravitate materiæ incurratur censura?*
33 *An præceptum sub censura obliget sub gravi?*
34 *An ad incurrendam censuram actus debeat esse externus?* 35. *An possit imponi censura contra Officium recitantes distracte?*
36 *An actus peccati debeat esse consummatus? An censura contra homicidam incurratur etiam a mandante, &c.?* 37. *An censura contra mandantem, &c. incurratur etiam effectu non secuto?* 38. *Observa distinctionem.* 39. *Utrum incurratur in dubio, an mandatum influxerit?* 40. *Quid si dans consilium pro occisione illud revocet ante executionem?*
41 *An requiratur culpa propria?* 42. *Quid excuset a censura incurrenda?*
43 *An ad incurrendam censuram requiratur scire, crimen vetitum esse etiam ab Ecclesia?*
44 *An hoc valeat etiam pro suspensione, & interdicto?*
45 *An detur ignorantia excusans a censura, quæ excuset a mortali?*
46 *An metus gravis excuset a censura?*
47 *Quando excuset ignorantia etiam crassa?* 48. *An excuset ignorantia affectata?*
49 *An incurratur censura ob peccatum mere præteritum? An Episcopi possint ferre censuras pro delictis futuris?*
50 *Censura est invalida I. Ob defectum ferentis?*
51 *II. Si præteritur Ordo judicii.* 52. *An in omnibus censuris requiratur monitio rei?* 53. *An censura sine monitione sit nulla?* 54. *Et quando sit nulla ob peccatum mere præteritum?* 55. *An requiratur monitio, si censura sit a jure ferendæ sententiæ?* 56. *An monitio debeat esse trina cum debito intervallo? Et an debeat fieri ab ipso Judice?* 57. *Quid si censura sit contra plures generaliter?* 58. *An censura sine trina monitione sit invalida?*
59 *Quid notandum quoad sententiam censuræ?* 60. *Quæ solemnitates in ea sint servandæ?* 61. *Quando autem istæ solemnitates non requirantur? Vide ibid. alia notanda.*
62 *An incurratur censura lata disjunctive, v. gr.* Sit excommunicatus, vel suspensus?
63 *An possit ferri censura sub conditione?*
64 *An transacto termino incurratur censura, si creditor proroget?*
65 *Vide alia notanda circa ordinem ferendi censuras?*
66 *III. Censura est invalida ob defectum justæ causæ.*
67 *Quomodo quis se gerere debeat in dubio, an incurrerit censuram?*
68 *An in dubio censura judicanda sit justa? Et an reus teneatur parere Judici jubenti aliquid sub censura, si potest probabiliter ad id non teneri?*

„ Resp. Ob solum peccatum externum, cen-
„ suræ proportionatum, & conjunctum cum contu-
„ macia. Et quidem in interdicto locali potest esse
„ alienum, v. g. Prælati, vel communitatis, non
„ tamen hominis privati, alias requiritur proprium.
„ *Bon. p.* 3.

Unde resolves.

„ 1. Non possunt censurari infantes, vel amen-
„ tes, quia non peccant. *Bon. d.* 2. *qu.* 1. *p.* 4.
„ *Laym. c.* 4. *n.* 3. *ex S. Thom. Suar.*

„ Etsi ob peccatum veniale interdum ferri 30
„ possit levis suspensio, vel leve interdictum. *
„ (*Nempe suspensio, aut interdictum ad breve*
„ *tempus, & privans aliquo tantum usu; secus,*
„ *si sint ad omnem usum, vel ad longum tempus,*
„ *tunc etiam habentur ut censuræ majores. Ita*
„ *Suar. D.* 4. *sect.* 4. *n.* 2. *Pal. D.* 1. *p.* 3. *n.* 2.
„ *Bon. p.* 3. *n.* 6. *Con. D.* 13. *n.* 67. *& Salm.*
„ *cap.* 1. *n.* 124. *cum Avil. & Cand. Ideo sus-*
„ *spensio ad longum tempus lata ob culpam le-*
„ *vem censetur invalida, ut ait etiam Viva, vi-*
„ *de infr. n.* 321.) *; excommunicatio tamen
„ major, suspensio gravis, & interdictum perso-
„ nale speciale, quicquid sit de generali, non po-
„ test ferri, nisi ob culpam mortalem, quia alio-
„ qui pœna non esset proportionata culpæ. Imo,
„ cum sint pœnæ medicinales, non debent infligi
„ pro quovis mortali, sed quibusdam tantum, ne
„ censuræ contemnantur, ut monet *Trid.*

Itaque invalida est censura gravis ob culpam tantum venialem imposita, ut communiter docent *Sanch. Dec. l.* 1. *c.* 5. *Suar. D.* 4. *sect.* 4. *n.* 2. *Bon. p.* 3. *n.* 6. *Pal. p.* 7. *n.* 2. *& Salm. de Cens. c.* 1. *n.* 126. *&* 127. Et colligitur ex *c. Nullus* 11. *q.* 3. atque ex *Trid. sess.* 23. *c.* 3. de *Ref.* Ratio, quia de jure tam naturali, quam divino pœna debet esse culpæ proportionata. Ex quo infertur 1. quod non potest quis gravem censuram incurrere, nisi gravem culpam prius committat; & ideo, qui excusatur a gravi culpa, etiam excusatur a censura gravi. Infertur 2. quod, si aliquid præcipiatur, quod, inspectis omnibus, leve est, nec præceptum obligabit ad mortale, nec censura incurretur; ita *Suar. D.* 4. *s.* 6. *n.* 6. *Pal. l. c. & Salm. c.* 1. *n.* 128. *cum Con. Soto, Corn. & Cand.* Dixi, *inspectis omnibus*; nam materia in se levis potest reddi gravis ex adjuncta circumstantia scandali, aut periculi, aut finis intenti, ac similium, & tunc juste imponitur præceptum ac censura, ita ut transgredientes graviter peccent, & censuram incurrant; uti incurritur excommunicatio ob levem Clerici percussionem, quæ, licet in se sit levis materia, erit gravis respectu reverentiæ debitæ statui Clericali. Sic pariter Prælatus potest imponere censuram gravem iis, qui non interveniunt publicæ Processioni pro aliqua re gravi ordinatæ. Item Cle-

rici, qui contra præceptum comam nutriunt, & sic de aliis. Secus vero, si res sit de se levis, & in ordine ad finem intentum leviter conducat. Ita *Salm. c. 1. n. 130. & 131.* cum *AA. cit.*

32 Quær. autem hic I. An in dubio de gravitate materiæ obliget Superioris præceptum, & censura incurratur? Respondetur affirmative cum *Salm. ib. n. 132. & Corn.* Ratio, quia in dubio possidet Superioris potestas; quamvis, ut recte notant *Salm. ib.* cum *Diana*, prælati sedulo cavere debent, ne subditos censuris gravent ob materias non tam graves, quando eis non constat illas valde conducere ad bonum finem.

33 Quær. II. An eo ipso quod præceptum fiat sub censura obliget sub gravi? Intellige, quando res præcepta non est de se certe gravis nec certe levis, sed est talis, ut multum conducere potest ad finem intentum; & respondetur, quod si præceptum contineat censuram latæ sententiæ, tunc obligabit sub gravi, quia eo ipso quod Superior censuram vult ipso facto incurri, vult etiam, ut suum præceptum obliget sub mortali, sine quo censura incurri non posset. Ita *Ronc. p. 74. q. 1. R. 2. Suar. D. 4. sect. 9. n. 11. Bon. p. 6. d. 6. n. 8. & Salm. c. 1. n. 134. cum Soto, Castro, Avila, & Cornejo.* Si vero materia de se non sit gravis, & censura sit tantum ferendæ sententiæ; ita ut ad eam incurrendam requiratur monitio, ut dicemus hic infra *n. 55.* tunc transgrediens non peccabit graviter, nisi post monitionem, vel nisi in præcepto adsit clausula, *quod sine ulla monitione talis censura possit a Prælato applicari;* quia tunc ipsum præceptum habetur ut monitio. Ita *Ronc. l. c. & Sot. Avil. Sylv. Cajet.* &c. cum *Salm. l. c. n. 135.*

34 „ 3. Actus peccati, ob quem censura fertur, de-
„ bet esse mortalis, non tantum quoad actum in-
„ ternum, sed etiam quoad substantiam operis ex-
„ terni. Hinc non excommunicatur leviter percu-
„ tiens Clericum, etsi intentionem mortalem ha-
„ buisset: uti nec qui interius tantum est lapsus
„ in hæresim; quam exterius non significavit; quia
„ Ecclesia tantum judicat de externis, *Bon. l. c.*"

Invalida itaque est censura pro actu mere interno imposita: Ecclesia enim non judicat de internis, ex *c. Consuluit 2. q. 3.* Ratio, quia, cum Ecclesiæ potestas resideat apud homines, non possunt hi legem ferre, nisi de externis, de quibus tantum possunt judicare. Ita *S. Th. 1. 2. q. 91. ar. 4. & Con. Pal. Sayr.* &c. *comm.* cum *Salm. c. 1. n. 156.* Hinc, si quis percutiat mensam, aut dicat, *ita est*, intendens suam hæresim internam confirmare, non incurrit ideo censuram, quia talis actus, aut verbum non est de se aptum ad hæresim significandam; ita *Suar. D. 4. sect. 2. n. 20. Croix l. 7. n. 18. Cont. Tourn. p. 138. v. Ex his, cum Sayr. & Salm. c. 1. n. 142. cum Turrian. Con. Castro, Diana, &c.* Item, si quis fornicetur, hæretica mente judicans fornicationes licere; *Salm. ib.* Imo ad censuram incurrendam actus non solum debet esse externus, sed etiam graviter externus; & ideo non incurrit censuram, qui leviter percutit Clericum, licet intenderit occidere. Ita cum *Bus. Suar. sect. 3. n. 5. Sanch. Dec. l. 7. c. 8. n. 7. Tourn. l. c. & Salm. n. 143. cum Sot. Sayr. Henr. Portel.* &c. Excipitur tamen, nisi actus interior præceptus, aut vetitus, necessario cum exteriori conjungatur, prout cum fulminatur censura contra scienter transgredientes. Sic etiam Ecclesia punit simoniam mentalem, non quidem illam, quæ tantum interne consummatur, & non probatur externe, quæ nequit puniri, ex *c. fin. De Simon.* sed illam, quæ ex pravo animo interiori producit largitionem pecuniæ, &c. *Salm. c. 1. n. 140.*

An autem incurrat censuram impositam contra 35
Officium non recitantes, aut Sacrum non audientes, qui omnino distracte recitat, aut audit? Negat *Croix l. 7. n. 48.* & satis probabiliter; sed probabilius affirmandum, juxta dicta *T. 1. l. 3. n. 313. v. Circa, & l. 4. n. 117.* in quibus locis tenuimus tam ad Officium, quam ad Missam audiendam, probabilius requiri attentionem internam.

„ 4. Actus peccati in suo genere debet esse per- 36
„ fectus, & consummatus; nisi expresse aliud so-
„ nent verba legis; quia pœnæ, & odia sunt re-
„ stringenda. * (*Ita Sanch. de Matr. l. 3. D. 2. n. 5. Suar. D. 4. sect. 3. n. 7. Pal. p. 8. n. 10. Bon. p. 3. n. 12. & Salm. c. 1. n. 134. cum Con. Hurt. Avila &c.*) * Hinc excommuni-
„ cationem homicidæ non incurrit favens, man-
„ dans, consulens, juvans, nec vulnerans lethali-
„ ter, nisi mors sequatur.

„ Item, quando excommunicatur mandans, con- 37
„ sulens, &c. vel ferens suffragium pro indigno,
„ subintellige, efficaciter seu effectu secuto, quia
„ sine eo mandatum, consilium, & suffragium non
„ est completum, & perfectum in genere homici-
„ dii, furti, &c. Alii tamen attendendum esse pu-
„ tant, utrum in mandantes, consulentes, &c.
„ principaliter, & per se feratur excommunicatio,
„ an vero accessorie tantum: & dicunt priore ca-
„ su esse excommunicatos, etsi non sequatur ef-
„ fectus; non item in posteriore. Quæ sententia
„ in praxi est tutior. *Con. l. c.*"

Et juxta hanc sententiam dicunt *Salm. c. 1. n.* 38
144. *Croix l. 7. n. 59. & 60. cum aliis*, quod, si censura est imposita contra mandantes, aut consilium dantes præcise ob mandatum, aut consilium, tunc incurritur etiam effectu non secuto; secus, si sit imposita, sed accessorie, nempe propter opus quod ex mandato, aut consilio causaretur. Qua de re sentiunt *Salm.* non incurrere excommunicationem mandantem percussionem Clerici, si percussio non accidat, quia tunc jam non influit in opus principaliter sub censura prohibitum. Sic pariter asserunt *Salm. d. n. 247.* & *Croix l. 7. n. 65. Nav. Dian.* &c. excusari a censura, qui simplex mandatum, aut consilium dederit ei, qui jam erat determinatus ad opus exequendum.

Quær. I. Utrum in dubio, an meum manda- 39
tum, aut consilium influxerit, censuram incurram? Negant *Salm. c. 1. n. 147. in fin.* Quia pœna non incurritur, nisi constet de crimine, & de ejus effectu secuto. Sed affirmant *Croix l. 7. n. 66.* cum *Sanch. Dic. &c.* Utraque est probabilis, juxta dicta *de Rest. l. 3. n. 562.*

Quær. II. An mandans, sive dans consilium pro 40
occisione Clerici incurrat censuram, si ante executionem consilium pro viribus revocetur? Affirmat *Conc. p. 448. n. 14. cum Nav. Con. & Bon.* quia malum consilium præstitum semper pergit influe-

fuere. Sed communius & probabilius negant *Suar. D. 44. sess. 3. n. 11. & 13. Pal. D. 1. p. 7. n. 15. Laym. l. 5. c. 5. n. 7. Viva q. 1. c. 4. n. 10. & Salm. c. 1. n. 159. cum Avil. Hurt. Tab. Gian. Giball.* & aliis, quia Ecclesia nequit ligare, censuris nisi contumaces. Et idem probabiliter dicunt *Viva, & Pal. ll. cc. Salm. n. 152. cum Fill. Giball. & Tab. ac Croix l. 7. n. 54. cum Boss.* (contra *Con. Corn. Avila, &c. ap. Salm. l. c.*) etiamsi revocatio consilii non potuerit innotesci executori, prout idem dicunt *Salm. n. 153.* de eo qui dedit venenum Clerico, & antequam incipiat operari, animum retractavit, & modo quo potuit procuravit effectum impedire: quia dum postea evenit læsio, ille non est contumax, unde non debet incurrere censuram, quæ est pœna medicinalis ad impedienda peccata. Idque videtur satis probabile, juxta dicenda *n. 480. Dub. 2.* ubi probabilius est, quod præbens Clerico venenum non incurrit censuram, nisi illud incipiat parere effectum, idest lædere. Et quod dictum est de consulente, idem affirmandum de mandante. Advertendum tamen 1. quod consulens, sive mandans in tali casu, etsi excusatur a censura, non ideo tamen excusatur a restitutione, ut *Salm. n. 148. in fine*, juxta probabiliorem sententiam relatam *l. 3. n. 559.* An autem consilium dans, aut mandans, vel qui dedit venenum, revocando concilium, aut mandatum, aut pœnitendo veneni dati, antequam mors sequatur, irregularitatem incurrat? Vide dicenda *de Irreg. n. 370.* Advertendum 2. quod, qui consilium præbuit, si executionem nequeat impedire, tenetur nihilominus ex justitia monere lædendum, ut se caveat, alias nec a censura excusatur, quia omittit modum quo ille possit vitare damnum, in quod jam suo consilio influxit; *Salm. n. 157. in fin.* nam tenetur ex justitia avertere homicidium, unde si non avertit, illud ejus culpæ imputatur.

41 Item hic notandum, quod non incurritur censura, prout excommunicatio, suspensio, interdictum personale, nisi ob culpam propriam, ut *Salm. c. 1. n. 121.* cum *Suar. Bon. Corn. &c. ex c. Si sententia, De Sent. exc.* Secus autem, si fulminetur interdictum generale, quo ligantur etiam innocentes; ita tamen quod si hi mutent domicilium, & exeant ab Oppido interdicto, aut Collegio, non remaneant interdicti, *ex c. 2. de Const.* Quod vero non currit pro specialiter interdictis, qui ubique interdicti sunt: ex *c. 24. Si habes. Quæst. 3.*

42 „ 3. Quicquid excusat a peccato mortali, excusat „ etiam a gravi censura, ver. gr., materiæ parvi„ tas, impotentia legem implendi, defectus adver„ tentiæ, & deliberationis, ignorantia invincibilis, „ sive ea sit facti, ut verbi gratia, si nescias, quem „ percutis, esse Clericum; sive juris, ut si scias „ esse Clericum, teque mortaliter peccare percu„ tiendo, nescias tamen percussionem illam sub „ excommunicatione prohibitam esse. Ratio est, „ quia talis non est contumax.

43 Ut quis censuram incurrat, non solum debet scire crimen illud esse vetitum jure Divino, sed etiam Ecclesiastico, quia alioquin deest contumacia contra Ecclesiam, a qua puniri debet. Ita *comm. Sanch. de Matr. l. 9. D. 32. n. 9. & 24. Viva de Cens. Qu. 1. Art. 3. n. 5. & Salm. c. 1. n. 192. cum Suar. Sot. &c.* vide *infr. n. 350. Q. II.* Imo scire debet, illud sub censura prohibitum esse, alias eam non incurrit; quia alias tunc deest adhuc contumacia, & contemptus censuræ. Ita pariter comm. docent DD. cum *Sanch. n. 13. Con. Henr. Dian.* &c. cum *Salm. n. 193. & Croix l. 7. n. 95.* (contra *Avil. Cov.* &c.) Ideo excusat ignorantia invincibilis, non solum si sit antecedens, sed etiam si sit concomitans. Unde si quis occidit Clericum ignorans esse Clericum, non incurrit excommunicationem, quamvis, si scivisset, etiam occidisset, aut si factum scienter approbat. Quia nec ille pravus animus, nec ratihabitio (nisi occisio sit facta nomine suo, vide *n. 207.*) de facto influunt in illam Clerici occisionem; secus vero esset, si diceret: *Volo hunc occidere, etiamsi sit Clericus:* nam, si vere Clericum occidit, tunc excommunicationem non effugiet. Ita *Fill. Suar. Pal. Caj.* &c. comm. cum *Salm. c. 1. n. 202. Suar. D. 4. s. 8. n. 9. Bon. q. 2. p. 1. n. 14. & Salm. c. 1. n. 202. cum Caj. Montesin. Cand. Fill. Corn. &c.* Vide dicenda *n. 275. infra n. IV. Dub. 1.*

Quod autem dicitur de excommunicatione, i- 44
dem dicendum putant *Salm. c. 1. num. 193.* de suspensione, & interdicto. Et idem probabiliter asserunt de irregularitate, quæ ob delictum incurritur, si delinquens nesciat invincibiliter illud esse jure Ecclesiastico prohibitum, ex *cap. Cognoscentes, De Const.* & *c. Proposuisti D. 82.* ubi excusatur a depositione imposita in incontinentes, qui illam ignorans peccavit incontinentiæ; vide *Salm. ib.* & vide *infr. n. 350. Q. II.* An autem incurrat qui scit jus prohibens, sed non irregularitatem impositam? Adest duplex satis probabilis sententia, vide dicenda *de Irregul. c. 5. D. 4. n. 351.*

Quær. I. An possit dari aliqua ignorantia vin- 45
cibilis, quæ excuset a censura, licet non excuset a peccato gravi? Affirmant *Sanch. de Matr. l. 9. D. 32. n. 31. ac Pal. Dian.* &c. *ap. Salm. c. 1. n. 196.* dicentes posse dari ignorantiam, quæ non sit crassa, seu supina, & tamen sit graviter culpabilis: nam ignorantia crassa involvit summam negligentiam; ergo (ut ajunt) ignorantia, quæ accidit ob magnam, sed non summam negligentiam, erit mortalis, sed non crassa, & ideo excusabit a censura, ut inferunt ex *c. De condit. in 6.* ubi ignorantes excusantur a censura. *Dum tamen ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Verumtamen merito contradicunt *Laym. c. 20. n. 20. Bon. p. 1. n. 10. Boss. de usu Matr. c. 5. n. 85. cum Suar.* & communi; *ac Salm. c. 1. n. 191. cum Vasq. Con. Corn. &c.* qui asserunt prædictam sententiam vix esse practice probabilem, cum vix inveniri possit ignorantia graviter culpabilis, quæ non sit etiam crassa. Crassa enim evenire potest, non solum quando nulla diligentia, sed etiam quando valde parva adhibetur.

Quær. II. An metus gravis excuset a censura? 46
Resp. Si res est vetita jure tantum Ecclesiastico, certe excusat, quia præcepta humana non obligant cum incommodo gravi. *Salm. c. 1. n. 230.* Hinc notat *Croix l. 7. n. 102.* quod, si præcipiatur detectio criminis sub censura; nemo tenetur prodere seipsum, vel complicem, vel alium, si crimen probari nequeat, vel si proditio ipsi grave damnum

mnum afferret. Imo gravis metus excusat ab incurrenda censura, etiamsi res alias jure divino sit prohibita; & ideo, qui ob gravem metum patraret homicidium vetitum sub censura, peccaret quidem, sed non incurreret censuram, quia non peccaret contra jus Ecclesiæ, contra cujus potestatem specialis injusta contumacia ad censuram requiritur; ita *Pal. D.* 1. *p.* 8. *n.* 9. *Suar. D.* 5. *s.* 3. *n.* 14. *Bon. q.* 2. *p.* 3. *n.* 2. *& Salm. c.* 1. *n.* 204. *cum Bon. Card. Henr. &c.* Nec obstat textus in *c. Sacris, de his, quæ vita*, &c. ubi dicitur metus, qui non excusat a mortali, nec etiam excusare a censura; nam respondent *DD. cit.* textum loqui, vel de metu levi, vel quando agitur in contemptum; vide *Salm. ib.* Incurrit autem censuram, aut aliam pœnam, qui metu gravi cogitur aliquid agere in contemptum præcepti Ecclesiastici, vel qui ob metum perpetrat malum gravissimum, v. g. si Episcopum occideret, vel sine jurisdictione absolutionem Sacramentalem præberet, secus, si impeditus ob metum ministraret in Sacris, tunc enim non incurreret irregularitatem; ita *Bon. & Pal. ll. cc. & Salm. n.* 206. *cum Mach. Con. Henr. & Corn.* Ratio, quia in dictis, primis casibus metus non excusat a culpa, etiam contra præceptum Ecclesiasticum: secus in aliis.

47 Dixi *invincibilis*, quia ignorantia culpabilis, & crassa non excusat, nisi addatur in lege certus modus, v. gr. qui hoc fecerit, *scienter, consulto, vel qui præsumpserit ausu temerario violare;* quæ verba, utpote in re odiosa, accipienda sunt stricte; talis autem non potest dici temere præsumere, nisi ignorantia esset talis ut formalem dolum includeret; *Escob. t.* 4. *c.* 6. *n.* 37. *Sanch. de Matr. c.* 3. *l.* 9. *d.* 32. *n.* 1.

48 Quæstio est, an si censura sit imposita scienter peccantibus, excuset ignorantia affectata? *Prima* sententia communior negat, & hanc tenent *Suar. D.* 4. *s.* 14. *n.* 3. *Pal. de Pecc. tr.* 2. *D.* 1. *p.* 18. *n.* 10. *Cont. Tourn. de Cens. c.* 1. *p.* 433. *Conc. c.* 19. *p.* 434. *n.* 6. *Viva de Cens. q.* 1. *art.* 6. *n.* 7. *Auct. addit. ad Spor. p.* 122. *n.* 39. *Boss. de usu Matr. c.* 5. *n.* 163. *cum S. Antonin. Pont. Per. Fill. Salas, Reg. &c.* item *Avil. Henr. Led. Vill. &c. ap. Salm. c.* 1. *n.* 198. Ratio, tum quia ignorantia affectata includit dolum formalem; tum quia talis ignorantia æquivalet scientiæ, ut probatur ex *c. Eos qui, de Temp. Ord. in* 6. ubi: *Eos qui Clericos Parochiæ alienæ absque Superioris Ordinandorum licentia, scienter, seu affectata ignorantia, vel quocunque alio figmento quæsito, præsumpserit ordinare, per annum a collatione Ordinum decernimus esse suspensos.* Et ibi Glossa verb. *Affectata*, dicit: *Æquipollent ergo scientia, & affectata ignorantia.*

Secunda vero sententia affirmat, eamque tenent *Sanch. Dec. l.* 1. *c.* 10. *n.* 58. *Bon. q.* 2. *p.* 1. *n.* 11. *Ronc. p.* 78. *p.* 1. *R.* 2. *& Salm. c.* 1. *n.* 199. *cum Sylv. Tan. Hurt. Dian. Cælest. Corn. Duar. &c.* Ratio, quia ignorantia affectata in rigore non est vera scientia, qualis requiritur in pœnis impositis scienter peccantibus, cum pœnæ stricte sint intelligendæ; licet autem talis ignorantia includat dolum virtualem, non tamen formalem; qui enim peccat scienter contra legem vere contemnit eam; qui vero peccat ex ignorantia affectata, etsi velit ignorare ut liberius peccet, tamen demonstrat aliquam reverentiam erga legem, dum quærit ipsam ignorare ex timore, quod, si ipsam sciret, retraheretur a peccando. Ad textum autem oppositum responderi potest, quod ibi per specialem dispositionem legis suspenditur Episcopus sic injuste ordinans, non solum si sciat, sed etiam si affectate suspensionem ignoret. Hanc secundam sententiam non audeo dicere improbabilem, sed primæ magis adhæreo saltem ut communiori. Recte autem *Sanch. n.* 41. *& Salm. n.* 202. *cum Cov.* minime approbant sententiam *Panormitani* (quamvis probabilem eam putent *S. Anton. Sylv. Rodriq.* &c.), scilicet quod si quis cum ignorantia crassa, & etiam affectata Clericum occidit, excusatur a censura Canonis, cum ibi dicatur: *Si quis suadente Diabolo*, &c., nam respondetur, quod hæc verba non important scientiam formalem censuræ, sed tantum peccati.

Notandum hic cum *Viva de Cens. Q.* 1. *Art.* 1. *n.* 5. *cum Fill.* quod, ut incurratur censura pro foro interno, requiritur contumacia vera, pro foro autem externo, sufficit præsumpta.

„ 9. Non incurritur censusa ob peccatum soli 49
„ naturali, vel divino juri repugnans, sed requiri-
„ tur præceptum Ecclesiæ, quod contumaciter vio-
„ letur. Item nec ob peccatum mere præteritum
„ potest censura infligi ab homine, nisi aliquo mo-
„ do pendeat in futurum, ratione scandali, vel re-
„ stitutionis non factæ, vel perseverantiæ in pec-
„ cato post monitionem, quia adest contumacia.
„ * (*Ita S. Th. Suar. Con. Pal. & Salm. c.* 1.
„ *n.* 120. *comm.*) * Nec refert quod quis ob pec-
„ catum præteritum, vel etiam sine peccato (mo-
„ do justa causa subsit) possit ad tempus arceri
„ ab aliorum consortio, altari, communione &c.
„ ut subinde fit in religionibus; & in jure etiam
„ vocatur excommunicatio, vel suspensio, sed la-
„ te, quia non est censura proprie dicta, cujus
„ violatio inducat irregularitatem, sed simplex
„ tantum pœna. *Fill. t.* 11. *c.* 6. *n.* 186.

„ Non incurrit censuram, qui legem transgre-
„ ditur ex gravi metu, licet quandoque non ex-
„ cusetur a gravi culpa: quia non censetur con-
„ tumax. *Laym. l.* 1. *t.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 9. *Bon.*
„ *d.* 1. *q.* 2. *p.* 5. *n.* 2. *ex Suar. Con.* &c.

Dubitatur, an Episcopus possit per sententiam ferre censuram pro crimine futuro? Negant *Cont. Tourn. t.* 2. *p.* 380. *v. Censura;* & probat ex *c. Romana, de Sent. exc. in* 6. ubi dicitur: *Caveant Prælati, ne tales sententias excommunicationis, sive specialiter sive generaliter, in aliquos pro culpis futuris, videlicet si quid tale fecerint, proferre præsumant, nisi culpa seu offensa præcesserit.* Sed affirmant *Laym. de Cens. c.* 2. *n.* 2. *cum Abb. Cov. & Ug. Spor. ac Viva q.* 1. *art.* 1. *n.* 5. *cum Suar. & Con.* Et hoc est valde probabile, quando adest justa causa; atque hic est usus communiter receptus in Ecclesia. Respondent autem præfati AA. ad textum oppositum, illud intelligi quando sine causa fertur hujusmodi censura.

8. Censura invalida est ex triplici capite.

„ Primo ob defectum ferentis, si scilicet careat
„ jurisdictione, vel eam habeat impeditam per cen-
„ suram, vel suspensam per legitimam appellatio-
„ nem, de qua vid. *Laym.*

„ Se-

51 „ Secundo, si substantialis ordo judicii prætereatur, ut si reus non citetur, nec moneatur „ sub comminatione censuræ. Ratio, quia non est „ contumax, qui ante non fuit monitus de præcepto, & pœna annexa. Quod tamen intellige „ de censura ab homine lata per sententiam particularem; quia quæ fertur a jure, vel per sententiam generalem, vel etiam specialem, respectu tamen actus futuri, non eget alia monitione; cum lex, aut sententia seipsa satis moneat. Idem est de sententia non illativa censuræ, sed declaratoria tantum: quia absque alia „ monitione declarari potest censura incursa, quando crimen, cui est annexa, commissum esse evidenter constat. Porro, ut censura sit licita, „ requiritur primo, ut dicta monitio sit canonica, „ id est, trina, juxta Canones, etsi aliquando ex „ justa causa sufficiat una tribus æquivalens, v. g. „ moneo te semel pro tribus vicibus. 2. ut ex „ scripto recitetur. 3. ut causa censuræ exprimatur. 4. ut reo petenti exemplum scripturæ intra mensem tradatur; alioquin judex ipse suspenditur a divinis. *Fill. t.* 15. *c.* 4. "

52 Prænotandum est hic, quod non in omnibus censuris requiritur monitio rei; nam in excommunicatione, quia ibi omnino requiritur rei contumacia, requiritur etiam monitio; in suspensione autem, & interdicto particulari (secus generali), quia hæ censuræ feruntur aliquando per modum non censuræ, sed puræ pœnæ ad punitionem peccati præteriti, ideo non semper monitio requiritur, ex *c. Tum litteris.* 33. *De testib. c. Cum in cunctis.* 7. *De Elect. c. Sacro* 48. *De Sent. exc. & c.* 2. *eod. tit. in* 6. ita *Pal. D.* 1. *p.* 5. *n.* 5. *Bonac. q.* 1. *p.* 9. *n.* 8. *& Salm. c.* 1. *n.* 80. *Con. Gibal. et Dian.*

53 Sed quær. I. An censura sine monitione prolata sit valida? Quod monitio sit necessaria de necessitate præcepti, nemo dubitat ex *c. Reprehensibilis. De Appell.* &c. Vide *Salm. cap.* 2. *n.* 82. Et hic notandum, quod monitio debet specialiter fieri de censura, cujus fit comminatio, ut *Suar. D.* 3. *sect.* 11. *n.* 7. *et Salm. c.* 1. *n.* 83. cum *Sot. Con. Suar.* &c. *comm.* Utrum autem monitio sit necessaria de essentia; adest duplex sententia probabilis. *Prima* sententia, quam tenent *Suar. D.* 3. *sect.* 8. *n.* 8. *Bon. q.* 1. *p.* 9. *n.* 4. *v. Secundo*, item *Cajet. Dian. etc. ap. Salm. c.* 1. *n.* 85. (qui putant probabilem) dicit, Ecclesiam, sive Papam ex plenitudine potestatis posse censuras ferre, nulla præmissa monitione. Et probant ex *c. Duo sunt*, *D.* 96. ubi Innocentius excommunicavit Arcadium ob delictum præteritum. Et *c. Tanta*, *D.* 86. ubi S. Gregorius excommunicavit quosdam sine monitione ob crimen jam factum. *Secunda* vero sententia communior & probabilior, quam tenent *Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 32. *n.* 13. *et* 21. *Anacl. p.* 488. *q.* 2. *nu,* 19. *Cont. Tourn. t.* 2. *p.* 411. *v. Dico* 1. *et Salm. c.* 1. *n.* 84. *cum Soto, Con. Avil. Corn. Giball. etc.* docet omnino præmittendam esse monitionem canonicam, nisi censura sit jam lata a jure. Probatur ex *c. Statuimus* 3. *de Sent. excomm.* ubi dicitur quod canonica monitio necessario præmittenda est, *aliter excommunicatio prolata non teneat.* Et idem dicitur in *c. Constitutionem*, 9. *eod. tit.* Præterea probatur ex *Matth.* 18. ubi: *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus.* Ergo Ecclesia non habet facultatem ferendi censuras, nisi contra contumaces qui nolunt Ecclesiam audire; censura enim est pœna medicinalis, quæ tantum in eum fulminanda est, qui ob suam contumaciam aliter sanari non potest: nullus autem contumax dici potest, nisi prius de pœna infligenda fuerit admonitus. Nec obstant textus oppositi: nam ad *c. Duo sunt*, respondent *Salm. n.* 86. quod Arcadius ibi excommunicatus fuit, quia Chrysostomum injuste prius ejectum noluit revocare. Ad textum autem in *c. Tanta*, respondetur non esse ibi proprie sermonem de excommunicatione, sed tantum de privatione Eucharistiæ. Dixi autem, nisi censura sit a jure jam inflicta latæ sententiæ, quia tunc ipsa lex monet; excipitur tamen 1. suspensio lata contra Religiosos usurpantes decimas, vel prohibentes, aut non permittentes eas solvi, ex *Clem.* 1. *de Dec.* Excip. 2. excommunicatio lata in Religiosos impedientes Visitationem Episcopi; ex *Clement. un. §. fin. de Statu Monachor.* in utroque enim casu in præfatis textibus requiritur monitio.

Stando autem in jure communi, proculdubio 54
invalida est censura lata ob peccatum meræ præteritum, nisi habeat tractum successivum in futurum, ut docet *Anacl. p.* 488. *n.* 17. *Conc. p.* 422. *n.* 1. *et Salm. c.* 1. *n.* 120. *ex c. Ex parte. De Sign. verb.* Nulla enim esset censura lata ob blasphemiam, vel furtum mere præteritum. Quando ergo excommunicatur aliquis ob furtum, excommunicatur ratione contumaciæ, vel quia fur sciebat furtum esse ab Ecclesia vetitum sub censura, vel quia monitus sub pœna censuræ renuit restituere; ita *Viva de Cons. q. I. Art.* 4. *n.* 5. (Vide dicta *n.* 33. *in fin.*) Tunc enim incurritur censura sine alia sententia declaratoria: Ad differentiam aliarum pœnarum Ecclesiasticarum, ut sunt privatio officii, inhabilitas ad officia, &c. quæ semper sententia saltem declaratoria indigent: *Croix l.* 7. *n.* 77. cum *Less. Barb. Pell. etc. comm.*

Quær. II. An requiratur monitio, si censura sit 55
comminata a jure ferendæ sententiæ? Si censura sit comminata ab homine, certum est non requiri monitionem, quia per illud præceptum jam etiam habetur monitio ab ipso Judice facta, ut *Sanch. de Matr. t.* 2. *D.* 24. *n.* 28. & *Salm. c.* 1. *n.* 90. Dubium ergo est, si sit a jure? Duæ sunt sententiæ. *Prima* dicit omnino requiri monitionem, & hanc tenent *Pal. p.* 5. *n.* 7. *Suar. D.* 3. *Sess.* 10. *n.* 19. *Laym. c.* 5. *n.* 6. *et Salm. c.* 1. *n.* 91. *cum Cajet. Corn. Diana, &c.* quia (ut dicunt) cum sententia censuræ ferenda est ab homine, sicut censura lata a jure petit monitionem a jure, sic ferenda ab homine petit monitionem ab homine. *Secunda* tamen probabilior sententia dicit non requiri monitionem, eamque tenent *Busemb.* ut supra *n.* 51. *Bon. q.* 1. *p.* 9. *n.* 4. *Sanch. de Matr. l.* 2. *D.* 24. *n.* 28. item *Fill. Abb. et Avila ap. Pal. n.* 6. qui probabilem putat. Ratio, quia ad hanc censuram jam habetur utrumque, monitio, & contumacia: monitio quæ facta est ab ipsa lege, tam enim monet lex infligens censuram latæ sententiæ, quam ferendæ: & contumacia, quia ille jam monitus noluit obtemperare. Nec obstat ratio opposita, quia tunc Superior cum teneat locum

cum primi Legislatoris, sicut posset Legislator, sic etiam ipse Superior potest censuram exequi, Bene tamen advertunt *Suar. D. 3. Sect. 14. n. 6. Tolet. l. 1. c. 45. n. 3. & Bon. d. n. 4. v. Quarto, & p. 13. n. 6. cum Nav. Fill. Felin. &c.* quod eo casu requiritur citatio Rei ad censuram declarandam, cum bene fieri possit quod Reus probabilem sui facti excusationem afferat; Nisi forte excipit *Bon. eod. n. 4.* crimen sit adeo notorium, ut evidenter constet nullam Reo competere defensionem.

56 Notand. autem I. quod monitio canonica proprie est trina, sed etiam canonica est, si fiat una pro tribus (adhuc sine causa); Dummodo ista una equivalens tempus designetur, nempe sex dies (nam pro unaquaque monitione requiritur spatium saltem duorum dierum, ut dicunt *Suar. D. 3. sect. 9. n. 3. & Salm. c. 1. n. 93.* & colligitur ex *c. Constitutionem. De Sent. exc. in 6.*); Et dummodo terminus sex dierum assignetur, ut peremptorius, & ultimus, alias reus contumax non constitueretur. Ita *Salm. ib. Bon. q. 1. p. 9. n. 5.* Sufficit tamen, si dicatur: *Mandamus, ut infra sex dies restituat, alias excommunicatur ipso facto;* Quia tunc virtualiter terminus perentorie assignatur: *Suar. D. 3. sect. 12. n. 6. Pal. p. 5. n. 8. & Salm. dict. n. 93.* Notandum II. Quod ex justa causa tria illa intervalla redigi possunt ad unum diem, vel brevius tempus, modo tria spatia assignentur, ut *Bonac. p. 9. n. 7. Suar. D. 3. sect. 9. n. 3. & Salm. c. 1. n. 94.* cum *Con. & Giball.* Et aliquando, si periculum sit in mora, ut si Clericus ad mortem ducatur, vel si agatur de reprimenda violentia, & turbatione jurisdictionis, sufficit tunc una monitio sine illis competentibus tribus spatiis, modo terminus designetur, ut *Salm. ib.* cum *Corn. & Croix l. 7. n. 82.* Notandum III. Quod monitio debet fieri ab ipso Judice, vel ab alio ejus nomine; Et si censura imponitur in commodum partis, ad illius instantiam citatio fieri debet, ita *Suar. D. 1. sect. 11. n. 1. Bon. n. 4. & Salm. c. 1. n. 95. cum aliis.* Debet etiam monitio fieri in scriptis, nisi Judex procedat ex officio, prout tenetur aliquando ob bonum commune, ex *c. Venerabilibus. §. Porro de Sent. exc. in 6.* Quia tunc sufficit, si monitio fiat oretenus, ita tamen, ut probari possit in foro. Ita *Salm. c. 1. n. 95. cum Giball. & Corn. ex c. Sacro, De sent.* &c.

57 Notand. IV. Quod, si censura ferenda sit contra plures generaliter, sufficit, ut fiat monitio in Ecclesia coram Populo; Si vero ponatur interdictum contra Communitatem, sufficit, ut moneantur ii ob quorum culpa fertur: ita *Suar. D. 3. sect. 8. n. 2. Bon. p. 9. n. 11. & Salm. c. 1. n. 96.* cum *Giball. &c.* Si autem fulminetur censura contra particularem personam, tunc ipsa specialiter monenda est. Excipe tamen tres casus sequentes, in quibus sufficit fieri monitio in ejus domo, vel si domum non habeat, in Ecclesia, vel loco publico. Casus I. est quando Reus absconditur, aut fraude impedit monitionem, ut *Salm. ibid.* cum *Avil. ex c. final. De Dolo, & contum.* Dolus autem debet constare testibus, aut manifestis indiciis; *Con. n. 9. & Cornejo cum Salm. ib.* Casus II. quando Reus est semel personaliter citatus; tunc enim aliæ citationes fieri possunt domi, aut in Ecclesia, aut Tribunali; *Salm. ib. n. 96.* cum *Bon. ex Decis. Rotæ Rom.* Casus III. est quando probari potest citatio domi facta jam ad notitiam Rei pervenisse; tunc enim reliquæ citationes etiam domi fieri possunt: *Suar. Bon. Corn. &c.* cum *Salm. ib.* & colligitur ex *Clem. 3. de Elect.*

Notand. V. Quod licet de necessitate præcepti 58
trina monitio sit necessaria; alias Judex lethaliter peccabit (nisi urgentissima causa, ut supra, excusaret), uti apud omnes est certum; Sine tamen illa trina monitione minime equidem censura erit invalida, cum *in c. Romana. De Sent. excomm. in 6.* censuræ sine monitione debitæ inflictæ vocentur injustæ, sed non invalidæ: imo in *c. Sacro de Sent. excom.* dicuntur justæ, intellige, eo quod saltem non sunt contra justitiam commutativam, aut distributivam, quamvis sint contra legalem; ita *Pal. p. 5. num. 7. Bon. p. 9. n. 5. & Salm. c. 1. n. 97. cum Con. Gibal. Corn. & Diana.* Excipiuntur tamen duo casus, in quibus, nisi præcedat trina monitio, vel una pro tribus, ut supra, invalida est censura: I. Quando Judex excommunicat aliquem (vel suspendit, aut interdicit) communicantem cum excommunicato a se, ex *c. Statuimus*, & *Statutum, De Sent. excom.* II. Quando constat, Delegatum non aliter accepisse facultatem ferendi censuras, quam trina monitione præcedente. *Salm. ib. n. 98.*

Hæc quoad monitionem censuræ. Quoad autem 59
censuræ sententiam, notandum I. quod ad censuram incurrendam non sufficit simplex voluntas Superioris, sed requiritur, ut sensibiliter ipse eam manifestet scripto aut verbis, ut est certum *ap. Salm. c. 1. n. 61.* aut etiam alio externo signo, ut communiter *Suar. D. 3. Sect. 2. n. 3. & Salm. c. 1. n. 65. cum Corn. Villal. Candid. &c.* contra aliquos. Notandum II. Quod liceat pro censuris valide ferendis non sint necessaria verba, aut signa determinata, oportet tamen, ut sufficienter determinetur persona, crimen, & censura; *Salm. n. 66. ex D. Th. in 4. D. 27. q. 1. art. 2.* Et idem dicitur de censuræ absolutione; *Salm. ib.* cum *Cand. Corn. & Gibal.*

Notand. III. Quod ad censuras licite ferendas, 60
observandæ sunt solemnitates assignatæ ab Innoc. IV. in *c. Cum medicinalis. 1. de Sentent. excom. in 6.* ubi sic habetur: *Quisquis igitur excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse conscribat. Exemplum vero hujusmodi scripturæ teneatur tradere excommunicato infra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel literas testimoniales confici, sigillo authentico consignatas.* Postea additur: *Si quis autem judicium hujusmodi Constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ, & Divinis Officiis noverit se suspensum.* Et inde: *Et hæc eadem in suspensionis, & interdicti sententiis volumus observari.* Ratio Pontificis hæc omnia præscribendi fuit, ne festinanter, & temere, & imprudenter censuræ fulminentur. Ultra autem has pœnas ipso facto incurrendas, alias assignat Pontifex a Superioribus inferendas, nempe 1. Ut Reus protinus a cen-

su-

sura absolvatur. 1. Ut, si Judex in eo mense in quo suspenditur ab Officiis, & ingressu Ecclesiæ, illis se ingesserit, tunc irregularitatem incurrat. 3. Ut idem Judex teneatur solvere expensas omnes, & insuper arbitrio Superioris alias pœnas subire. Ex quo infertur, quod licet censura sine præfatis solemnitatibus sit valida, ut verius tenent *Pal. D. 1. p. 4. n. 10. Salm. c. 1. n. 73. cum Avila, Leand. Gibal. Candido, &c.* contra *Ripa*, & *Sayr.* dum ex ipso *c. cit.* præcipitur, ut Judex censuram relaxet, ergo valida censetur; attamen Judex proculdubio graviter peccabit, si aliquam ex dictis solemnitatibus omittet, nempe si non ferat censuram in scriptis: si causa non assignet: si exemplum postulanti non concedat; ita *Bonac. p. 9. n. 1. & Salm. c. 1. n. 72. cum Sayr. Gibal. &c.*

61 Advertendum tamen I. Quod hoc currit, quando censura fertur per modum sententiæ, cognita causa, cum citatione, ut patet ex verbis in *cit. c. Cum Medicinalis, Si quis judicum* &c. Secus si censura fertur a jure, vel etiam ab homine, sed per modum legis generalis, sive præcepti particularis, v. g. alicui, ne aliquid agat: tunc enim tales solemnitates non requiruntur. Ita *Salm. c. 1. n. 74.* cum *Gibal. Sayr. & Corn.* Advertendum II. Quod in scriptura debet exprimi causa censuræ, non in genere, sed in specie; Et insuper scriptura debet esse authentica; ita ut sit sigillo obsignata, & subscripta a Judice, vel alio ejus nomine: aut saltem, quæ idoneis testibus probari possit; *Salm. c. 5. n. 65.* cum *Gib. Corn.* &c. Advertendum III. Quod, si Judex sit Episcopus, sufficit si proferat censuræ sententiam per alium; Si vero sit Episcopo inferior, debet per seipsum proferre, vel saltem per Notarium, aut alium Ministrum: *Salm. n. 76.* cum *Villal. Corn. Mach.* &c. Advert. IV. Non incurrere pœnas, qui dictas solemnitates omitteret ex causa urgenti, quæ moram non pateretur, cum in textu dicatur: *Si quis temerarius*, &c. Ex quo infertur quod non solum non incurrit pœnas Episcopus, etiamsi culpabiliter solemnitates omittat, dum in pœnis suspensionis & interdicti debet specialis mentio fieri de Episcopis, ut ex *c. Quia periculosum. De sent. excom. in 6.* Unde, dum in *cit. c. Medicinalis*, inter alias pœnas indicitur suspensio, apparet quod sanctio illa, sicut non respicit Episcopos quoad suspensionem, nempe quoad alias pœnas; ita *Pal. tr. 29. D. 1. part. 5. n. 9.* & *Salm. c. 1. n. 77. cum Cand. & Mac.* Sed nec etiam quivis alius ex ignorantia culpabili omittens, quia temeritas veram scientiam requirit, juxta dicta *t. I. l. 1. n. 174.* Advertendum V. Quod pœnæ incurruntur, etiamsi censuram non habeat effectum; puta, si Judex jurisdictionem habeat impeditam, vel si Reus solvat aut appellet. Quia a Pontifice non punitur prolatio injustæ censuræ, sed prolatio sine solemnitatibus præscriptis. Ita *Salm. c. 1. n. 79.* cum *Gibal. Felin.* &c. contra aliquos.

62 Sed dubitatur hic 1. An incurratur censura lata sub distinctione, v. gr. si dicatur *Maneat excommunicatus, aut suspensus?* Adsunt duæ sententiæ, ambæ probabiles. Negant *Sylv. Nav. Henr.* &c. quia ad censuram incurrendam requiritur, ut ipsa in specie individue determinetur. Affirmant autem *Sayr. D. 3. sect. 2. n. 12. Bon. part. 7. n. 4. & Cand., Corn. cum Salm. c. 1. n. 63. et 64.* Quia vi illius propositionis copulativæ tantum optio datur Reo eligendi censuram, qua malit ligari; Si autem nullam eligat, dicunt *Bon.* & *Cand.* utramque incurrere; sed melius tenent *Salm. cum Suar.* quod, si unam frangat, alteram eligeret.

Dubit. 2. An possit ferri censura sub conditione? Potest sine dubio ex *c. Præterea 2. de Appel.* Sed censura postea non incurritur nisi conditione impleta; Quare non incurritur, si ante impletionem appelletur, ex *eod. c. 2.* vide *Salm. 1. n. 68.* (Advertendo, quod appellatio ante sententiam censuræ eam suspendit; secus si fiat post sententiam, *Croix l. 7. n. 109.*) Vel si creditor, pendente conditione, proroget terminum pro censura a Judice assignatum. Quia sicut potest creditor debitum remittere, ita & terminum prorogare, ut docent *Pal. p. 9. n. 5. Salm. c. 1. n. 69. cum Nav. Sylv. et Corn. ac Tourn. p. 439. R. 2. ex c. Pastoralis de Appel.* 63

Sed hic dubit. 3. An transacto termino prorogato a creditore, Judice inconsulto, si debitor non solvat, censura incurratur. Negant *Ugol. Henr. Sayr. Nav. ap. Salm. c. 1. n. 70.* Quia, suspendere, & prorogare censuram est actus jurisdictionis, quam non habet creditor. Sed probabilius affirmant *Suar. D. 3. sect. 2. n. 11. Pal. p. 8. n. 6. Tourn. p. 458. v. Ceterum, et Salm. l. c. cum Cov. Corn. et Leand.* Ratio, quia ille terminus non assignatur ad finiendam obligationem, sed ne solutio ultra prorogetur sine creditoris consensu; Quare transacto termino a creditore prorogato, eadem censura manet, & incurritur. 64

Incurrit autem censuram qui, pendente conditione, mutat forum, quia adhuc primus forus retinet jurisdictionem. Ita *Ugol.* & *Con. ap. Salm. n. 68.* Limitant tamen *ibid. Con.* & *Suar.* nisi ex justa causa, & non in fraudem domicilium cum foro mutaretur. 65

Hic deinde notand. I. Quod censura ferri debet diebus non feriatis, quando ipsa per modum sententiæ profertur, ex *c. final. de Feriis.* Si vero diebus feriatis feratur, erit illicita quidem, sed non invalida, ut *Pal. p. 5. n. 13. et Salm. c. 1. n. 100. cum Sayr.* & *Corn.* Verum bene possunt ferri diebus feriatis censuræ, quando imponuntur per modum legis, aut præcepti; & etiam illæ quæ feruntur per modum sententiæ, quando contumacia ita patet, ut cognitione causæ non egeat, ex *c. Evidentia, De Accus.* Monitio autem censuræ frequenter fieri solet die non feriato, si causæ cognitio non præcedat; Secus, si præcedat. *Salm. ib. cum DD. cit.* Notand. II. Quod, si Judex sciat censuratum esse absolutum pro foro interno, docent *Henr. Fill.* & *Dec. ap. Croix l. 7. n. 70.* non esse puniendum pro foro externo. Notand. III. Quod, qui semel censuram incurrit, debet denunciari, & publicari, ut sic citius resipiscat, *ex c. Pastoralis. §. fin. De Appell.* & *Clem. fin. de Cen.* Hæc autem, si lata fuerit ab homine, sive per modum statuti, sive per modum sententiæ particularis, ab ipsomet debet denunciari. Si vero lata fuerit a jure communi, denunciatio debet fieri ab Ordinario loci, ubi censura incursa fuerit, ex *Clem. 1. De Privil.* Sed tunc ante denunciationem præcedere debet citatio Rei, facienda a Superiore proprio,

prio, dato ei termino ad jus suum dicendum, alias denunciatio erit nulla ex *Clem. Sæpe, de Verb. sign.* Ita *Croix l. 7. n. 76.* cum *Nav. Cov. Pal. et aliis comm.* ap. *Sal. c. 1. n. 101. et c. 3. n. 16.* Si autem Reus satisfactionem offerat, statim est absolvendus, *Salm. cum Suar.*

66 „ Tertio, ob defectum justæ causæ. Hæc autem deficere potest tripliciter. Si nec a parte „ rei, nec secundum allegationem fori externi subsistat. 2. Si a parte rei crimen subsistat quidem, non tamen in ordine ad judicium, quia „ reus de eo non confitetur, nec legitime de eo convincitur. 3. si a parte rei non subsistat crimen, „ etsi juridice probetur, ideoque titulum, seu causam præsumptam habeat judex. In quo casu etsi „ sententia a parte rei sit injusta, ideoque probabilius censura non liget in foro conscientiæ, in „ foro tamen externo servari debet propter scandalum. Vide *Laym. p. 1. c. 6.*

In dubio an censura sit incursa, vel ne, in foro conscientiæ non tenemur nos gerere ut censuratos. Et hoc sive dubium sit facti, idest circa crimen, puta si dubitetur an percussio Clerici fuerit graviter injuriosa, ut docent *Sanch. Dec. l. 1. c. 10. n. 55. Bon. D. 2. q. 1. p. 6. §. 2. n. 49. Holzm. de Cens. c. 4. n. 151. Mazz. t. 1. p. 63. Pal. D. 1. p. 8. n. 8. Laym. c. 5. §. 4. n. 38. Ronc. de 5. præc. c. 2. q. 6. & Salm. c. 1. n. 209. cum Cand. Tanner. & Diana* contra *Sayr. Azor. &c. Bon.* Sive dubium sit juris, idest circa sententiam, puta si dubitetur an censura fuerit latæ, an ferendæ sententiæ, vel an conditio apposita in sententia sit impleta vel non, ut *Sanch. Bon. Holzm. Ronc. ll. cc. & Salm. n. 208. cum Val. Cov. & Diana* ex *D. Th.* qui *Quodl. 4. art. 14.* docet, quod post determinationem Judicis standum est ejus sententiæ, secus ante determinationem. Ratio pro dubio facti est, quia in dubio nemo est exspoliandus jure suo communicandi, quod possidet; pro dubio autem juris ratio est, quia pœnæ sunt restringendæ, unde in dubio non incurruntur. Si vero post censuram incursam dubitetur de absolutione obtenta, vel de appellatione interposita & similibus, tunc omnino Reus debet se habere ut censuratum, quia tunc possessio stat pro Superiore, ut recte dicunt *Sanch. l. c. n. 67. & 59. Pal. l. c. & Salm. n. 210. cum Cov.* Et idem dicendum *cum Sanch. n. 60. & Salm. ib.* si dubium sit de potestate Superioris, quando hic pacifice eam possidet.

68 Dub. 1. In dubio, an censura fuerit justa vel ne, an ut justa sit judicanda? Negat *Dicast. ap. Croix l. 7. n. 127.* dicens Superiorem esse quidem in possessione ferendi censuras justas, sed cum de justitia dubitatur, potius dicendum est possidere libertatem subditi. Et idem sentiunt *Vasq. Sancius, &c. ap. Viva de Leg. q. 1. art. 3. n. 4.* loquendo de lege dubie justa, probabile putat *Tamb. Dec. l. 1. c. 3. verb. subditus.* Sed verius affirmant *Sal. de Legibus c. 1. n. 15. Viva l. c. Bonav. eod. tit. D. 1. q. 1. p. 7. §. 3. n. 11. cum Vasq. Suar. & Salas:* item *Pal.* & alii communiter *cum Croix d. n. 127.* Quia in dubio possidet potestas Judicis.

Dubit. 2. An si Reus habet opinionem probabilem pro se, teneatur, parere Judici aliquid præcipienti sub censura, puta solutionem pecuniæ? Affirmandum etiam cum communi, sive dubium sit juris, sive facti, quia alias nunquam lites finirentur; ita *Salm. de Cens. c. 3. n. 6. cum Soto, Dian. Vasq. & Avila.* Bene tamen advertunt *Salm. ib. cum Avila*, quod in dubio facti id procedit durante dubio, nam si postea censuratus fieret certus de sua innocentia, tunc non tenetur nec solvere, nec se gerere ut censuratum; tunc enim sententia non potest obligare, cum nitatur præsumptione certe falsa. Sed si talis censuram in publico violaret, v. g. Sacris ministrando, licet irregularitatem non incurreret, peccaret tamen ob scandalum; & tunc in foro externo gerere se deberet ut irregularem, ita *Suar. D. 4. sect. 7. a n. 11. Pal. p. 8. n. 15. & 16. Croix l. 7. n. 84. & Salm. c. 1. n. 212. cum Coninck.* Hoc tamen intelligendum, nisi publice constet censuras esse nullas, ita ut omnino absit scandalum; *Salm. c. 3. n. 5. cum Nav. Avila, &c.* ex *Clement. Pastoralis de re judicata.* Præterea advertit *Cont. Tourn. cum D. Th.* ex *c. Pastoralis de Offic. & pot. Jud. del.* quod executor sententiæ, quæ sit justa secundum allegata, & probata, tenetur eam executioni mandare, etiamsi ex privata sententia noverit esse injustam; secus vero, si sententia etiam secundum probata esset omnino injusta, ex *c. Super eo. De Crim. falsi.*

DUBIUM V.

Qui possint absolvere a Censuris?

69 *Distinguendum inter censuram per sententiam particularem ab homine, & inter latam a jure, vel ab homine per sententiam generalem?*

70 *Quis potest absolvere a censuris latis a jure?*

71 *An omnes Confessarii possint absolvere ab excommunicatione minori? An simplex Sacerdos?*

72 *Quis possit absolvere a censuris latis ab homine per sententiam particularem?* 73. *Quis, si per sententiam generalem contra personas indeterminatas?*

74 *Quæ censuræ reservatæ possint absolvi ab Episcopo per Cap.* Liceat? 75. *Vide verba Capituli.* 76. *Not. I. An Episcopus possit dispensare in irregularitate propter hæresim. Not. II. Quando crimen dicatur occultum, vel deductum ad forum?* 77. *Dub. 1. An possit absolvi ab Episcopo qui fuerit punitus in foro alterius Episcopi?* 78. *Dub. 2. An crimen publicum in uno loco possit absolvi ab Episcopo in alio, ubi est occultum?* 79. *Not. III. Qui veniant nomine Episcoporum? Not. IV. Qui veniant nomine Subditorum? Not. V. Episcopi possunt absolvere a casibus Papalibus occultis reservatis etiam post Tridentinum (Remissive ad lib. 6. n. 594.)* 80. *Not. VI. An Episcopi gaudeant hac facultate ubi Tridentinum non est receptum?*

81 *Qu. I. An Episcopus possit dispensare in irregularitatibus, & suspensionibus cum suo subdito in aliena Diœcesi morante?* 82. *Qu. II. An facultas concessa in cap.* Liceat *fuerit revocata per Bullam Cœnæ?* 83. *Vetior sententia.* 84. *Qu. III. An Episcopi pos-*

possint absolvere a Censuris Bullæ Cœnæ impeditos adire Romam? 85. *Qu. IV. Quinam vocantur impediti?* 86. *Quid si impedimentum sit ad breve tempus, & quid si ad longum?* 87. *An teneatur Reus absolutus deinde se præsentare Pontifici, si jam sit emendatus, & parti satisfecerit.* 88. *Quid si impedimentum sit perpetuum? Et qui dicantur perpetuo impediti?* 89. *Qu. V. An impediti teneantur adire Romam per Epistolam, aut procuratorem?* 90. *Qu. VI. An Episcopus possit absolvere Hæreticum impeditum, etiam per alium?* 91. *Qu. VII. An cum inferior absolvit impedimentum a casu reservato sine censura, teneatur Pœnitens se præsentare Superiori?* 92. *Qu. VIII. An impediti adire Episcopum possint a quocumque absolvi?* 93. *Qu. IX. An possint Episcopi generaliter delegare aliis facultatem eis concessam in c.* Liceat?

94 *De facultate Mendicantium absolvendi reservata.* 95. *Quas censuras possint Regulares absolvere quoad seculares?* 96. *An possint eos absolvere a casibus Papalibus occultis?* 97. *An pro foro externo?* 98. *An a casibus ab Episcopis sibi reservatis?* 99. *An a censuris Episcopis reservatis a Jure, vel a consuetudine?* 100. *An a casibus Clementis occultis?* 101. *An Regulares possint absolvere subditos ab omnibus casibus Papalibus extra Bullam Cœnæ?* 102. *An etiam Novitios?* 103. *An Novitios etiam a censuris ab Episcopo sibi reservatis?* 104. *An Prælati Regulares possint absolvere subditos a casibus Bullæ Cœnæ? Usque ad n.* 106. 107. *An subditos a censura ob percussionem alterius Religiosi, aut clerici secularis?*

108 *Quid circa recipientes Bullam Cruciatæ? Remissive.*

109 *Regulæ pro absolvendis censuris.*

110 *An, data facultate absolvendi a Papalibus, comprehendantur censuræ Bullæ Cœnæ?*

111 *An in Jubilæo, data potestate absolvendi, omnes censuræ comprehendantur, etiam latæ ab Episcopo specialiter?*

112 *An habens facultatem circa casus Bullæ Cœnæ possit absolvere etiam ab Hæresi? Usque ad n.* 113.

114 *Quid amplius notandum circa facultates Regularium?*

115 *Quid amplius circa facultatem concessam in Jubilæis?*

89 „ Resp. 1. A censura lata per sententiam particularem ordinarie is tantum potest absolvere, „ qui eam tulit, vel ejus superior, vel successor, „ vel delegatus. Ab ea, quæ lata est a jure communi, vel ab homine per sententiam generalem, „ si non sit reservata, potest absolvere quivis, qui „ censuratum potest absolvere a mortalibus: si vero sit reservata, ordinarie, & per se, potest „ tantum vel relaxari ab auctore legis, vel ejus „ successore, vel delegato.

„ Dixi 1. *Ordinarie*, quia in articulo mortis quivis Sacerdos absolvere potest a quavis censura.

„ Dixi 2. *Per se*: quia per accidens, & ex privilegio possunt etiam alii. *Laym. l. 1. t. 5. p. 1. c. 7.*

Universe loquendo, ad tollendas censuras ex parte absolventis requiruntur eædem conditiones, quæ requiruntur ad ferendas, juxta dicta *n.* 12. 90

Ceterum dicendum I. A censuris latis *a jure* non reservatis certum est, Episcopum, vel proprium Sacerdotem absolvere posse, ex *c. Nuper. De Sent. excom.* Ubi, licet sermo sit de excommunicatione minori, idem tamen de omnibus aliis censuris communiter DD. intelligunt; ut *Pal. D. 1. p. 11. §. 5. Ronc. de Cens. c. 6. qu. 3. R. 111. Suar. D. 7. sect. 3. n. 5. & Sal. c. 2. n. 24. cum Henr. Ugol. Corn. & Gibal. ac Salm. c. 2. n. 42. cum Henr. & commun.* Et idem concedunt Capitulo, Sede vacante, Prælatis Religionum, & habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem. An autem ab hujusmodi censuris omnes Confessarii possint absolvere? Negant *S. Antonin. Cov. Palud.* &c. apud *Salm. ib. n. 42.* Quia, ut dicunt, sicut ad ferendas censuras, ita ad absolvendas requiritur jurisdictio in foro externo, qua carent simplices Confessarii, & etiam Parochi. Affirmandum est tamen cum communi sententia, quam tenet *S. Th. Suppl. qu. 24. art. 1.* ubi ait: *Si excommunicatio sit major, aut est lata a Judice: & sic ille qui tulit, vel ejus Superior potest absolvere; vel est lata a jure, & tunc Episcopus, vel etiam Sacerdos potest absolvere.* Ita etiam *Tourn. p. 497. R. 3. Conc. p. 441. n. 3. Pal. l. c. Ronc. ut supra, Salm. n. 45.* cum *Soto, Vasq. Con. Avila*, &c. Ratio, quia, licet ex jure ordinario nec Confessarii, nec Parochi hanc facultatem habeant, tamen ex concessione speciali Innoc. III. qui in *d. c. Nuper* 29. sic inquit: *In secundo casu* (scilicet quod excommunicatio non sit reservata) *a suo Episcopo, vel a proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtineri. Quamvis enim & tunc non juris, sed judicis sententia sit ligatus, quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Quoties igitur censura non reservatur a jure, ab ipso jure datur potestas absolvendi cuilibet Confessario, ut intelligitur sub nomine *proprii Sacerdotis*, prout probavimus *lib. 6. de Euch. n.* 564. Et hic advertendum 1. quod hæc absolutio valebit etiam pro foro externo, ut dicunt *Pal. n. 4.* & *Gibal. Ugol.* apud *Salm. l. c.* Advert. 2. *Ronc. p. 80. q. 3.* cum *Con. Pal. D. 2. p. 11. §. 5. n. 3. cum Suar. & Ugol. Sporer Suppl. p. 124. n. 55. cum Avila, & Salm. d. n. 44. cum Con.* quod hanc absolutionem Parochi, & alii Confessarii impertiri possunt tam infra, quam extra Confessionem. Ratio, quia Decreta Pontificum præcipue forum externum spectare solent, & cum favores Principis ampliari debeant, non est cur tantum ad forum internum restringantur. Advertunt 3. *Salm. c. 2. n. 49. cum D. Th. Pal. Sot. Vasq. ac aliis cit. n. 45.* contra *Candid.* quod Confessarii possunt absolvere non solum ab excommunicatione, sed ab omnibus aliis censuris non reservatis, nempe a suspensione, & interdicto personali, etsi absolutio earum non requiratur ad perceptionem Sacramenti Pœnitentiæ. Ratio, quia illa concessio, cum sit favorabilis, merito ampliatur ad omnes censuras.

71 Certum est autem, & commune inter DD. omnes Episcopos, & Confessarios absolvere posse innodatos excommunicatione minori. Vide *Salm. c. 2. n.* 164. Sed valde dubitatur, an simplex Sacerdos possit absolvere ab excommunicatione minori? Affirmant *Salm. c. 3. n.* 166. *cum Navar. Arm. & Hurt.* ac probabile putant *Bon. qu. 3. n. 15. & Viva q. 2. art. 2. n. 5.* quia (ut ajunt), cum Sacerdos probabiliter possit absolvere a culpis venialibus, potest etiam a censuris eis annexis, juxta id quod dicit *D. Th. in 4. D. 28. q. 2. art. 1. q. 1.* ibi. *A minore excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest absolvere a peccatis.* Sed omnino negandum cum *Suar. D. 7. sect. 4. n. 17. Pal. D. 2. p. 21. n. 22. & Soto Cajet. Corn. & Led. ar. Salm. c. 3. n.* 165. tum quia in *c. Nuper de Sent. excomm.* dicitur excommunicatio minor absolvenda esse vel ab Episcopo, *vel a proprio Sacerdote*, qui sane intelligi nequit simplex Sacerdos; tum quia juxta Decretum Innocentii XI. relatum in tr. *de Pœnit. n.* 553. *v. Quær.* hodie veritum est Sacerdotibus simplicibus absolvere a venialibus. Hæc reddunt primam sententiam omnino improbabilem.

72 Dicendum II. quoad censuras *ab homine* latas, quod si censura feratur per modum sententiæ particularis contra determinatam personam, non potest illa absolvi, nisi ab ipso ferente, vel ab ejus Superiore, vel ab ejus successore, aut delegato. Est certum & commune; vide *Croix l. 7. n.* 121. *& Salm. t. 2. n.* 50. Quod si autem Judex in foro externo testetur censuratum jam satisfecisse partibus, vel esse emendatum, tunc censetur vel ipse jam absolvere, vel cuilibet absolvendum remittere; *Salm. ib.* Et hic obiter notandum I. Quod Episcopus etiam in alieno territorio potest suos subditos absolvere in foro tam externo, quam interno, semper ac absolutio sit sine strepitu judiciali ut *Sylv. Henr. Avil.* cum *Salm. c. 2. n.* 36. Notand. II. quod si quis in alieno territorio delinquit, & ab illius Episcopo specialiter excommunicatur, non potest absolvi ab Episcopo proprio, nisi de Episcopi loci licentia. Ita *Cont. Tourn. Diana, Cand.* & cum *Salm. n.* 37. Dixi *specialiter*, nam si excommunicatus sit per sententiam generalem, potest a quocunque absolvi, ut mox dicetur.

73 Si vero censura feratur ab homine per modum statuti; sive sententiæ generalis contra personas indeterminatas, sive in futurum, v. g. in omnes, qui hoc crimen patrabunt, sive in præteritum in omnes, qui hoc crimen commiserunt (posita contumacia, juxta dicta *n.* 54.); tunc alii; ut *Suar. D. 7. sect. 2. n. 23. et Vasq. Fill.* &c. ap. *Salm. c. 2. n.* 59. tenent non ab alio, quam ab ipso ferente absolutionem impendendam esse, quia censura ab homine, juxta regulas juris, ab eo duntaxat auferri potest, a quo est lata. Sed probabilius dicendum, absolutionem tunc a quocunque Confessario impertiri posse, si censura non sit reservata, ut cum *Bus.* tenent *Pal. §. 4. n.* 10. *Laym. c. 7. n. 3. Ronc. Qu. 3. Resp.* 11. *Conc. p. 343. n.* 6. *Holzm. p.* 365. *n.* 127. *Sporer Suppl. pag.* 124. *n.* 53. *et Salm. c. 2. n.* 51. cum *Con, Sayr. Tol. Sot. Avil. Bon. et Croix l. 7. n.* 128. cum communi. Ratio, quia hæ censuræ æquiparantur censuris latis a jure, & ideo a quocunque absolvi possunt, cum agatur de re favorabili, quæ ampliand̄a est, quantum res patiatur, ex *cit. cap. Nuper, de Sententia excommunicationis.*

„ Resp. 2. Episcopi secundum *Trident. sess. 24.* 74
„ *c.* 6. possunt 1. absolvere in foro conscientiæ
„ per se, vel Vicarium ab omnibus censuris occultis, etiam in Bulla Cœnæ Papæ reservatis,
„ excepta hæresi, a qua per seipsos tantum absolvere possunt, quantum est ex vi hujus decreti.
„ Dicitur autem censura occulta, quæ contracta
„ est ob delictum non publicum, nec ad forum
„ contentiosum deductum, aut si deductum fuit,
„ a quo reus ob defectum probationis fuit absolutus. *Bonac. dub. 1. q. 3. part. 1. n. 15. & part.*
„ *sec. n. 1. ex declar. Cardin.* &c. 2. Possunt
„ etiam sæpe absolvere a censura Papæ reservata,
„ propter impedimentum ejus qui incurrit, vel
„ quando propter senium, morbum, sexum, pauperiem Pontifex non potest adiri. *Bon. l. c. ex*
„ *Nav. Sanch. Avila, Conc.* &c.

Quoad facultatem, quam habent Episcopi circa 75
peccata reservata Pontifici, ante omnia notanda sunt verba *Trid. in Cap. Liceat 6. sess. 24. Liceat Episcopis in irregularitatibus, et suspensionibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; Et in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem et in hæresis crimine in eodem fere conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.*

Hinc notand. I. quod Episcopi, licet non possint 76
absolvere ab hæresi occulta, juxta sententiam, quam mox exponemus, possunt tamen dispensare in irregularitate ex hæresi occulta contracta. Ita *Potest. t. 1. n.* 3338. *Salm. de Cons. c. 2. n.* 54. Notand. II. quod, ut crimen dicatur non occultum, requiritur, ut vel sit deductum ad forum contentiosum, vel sit notum fere omnibus, ut ait *Viva cum Suar.* aut saltem majori parti Oppidi, Viciniæ, Parochiæ, Collegii, seu Monasterii, ut dicunt *Bon. §. 4. Sanch. de Matr. l. 8. D. 34. n. 55. Salm. c. 2. n.* 39. cum *Pal. Pell.* &c. Ita ut occultum adhuc dicatur crimen, si illud sciat quinque vel sex personæ, ut ait Auctor cit. (*Istr.* &c.) *p. 2. c. 13. n.* 300. Vide dicta *l. 6. n.* 593. *v. Hic autem, & n.* 1111. Tunc autem crimen censetur ad forum deductum, cum ibi est probatum saltem per unum testem. Secus, si nullo modo fuerit probatum, etsi Reus malis artibus hoc obtinuerit, & ibi absolutus fuerit, quia tunc adhuc censetur occultum; ita *Sanch. de Matr. l. 8. D. 34. n. 47. Bon. q. 3. p. 2. n. 2. et Salm. c. 2. n.* 60. *cum Con. Avila, Henr.* &c. Imo dicitur occultum, etiamsi crimen complicis sit ad forum deductum, quia ex *l. 1. C. Res inter, &c. Res inter alios acta, non potest afferre præjudicium aliis, quibus res judicata non nocet.* Ita *Salm. ibid.* cum *Nav. Bon.* & *Sanch.*

Sed hic dubit. 1. An possit absolvi ab Episcopo Reus alicujus casus Papalis, qui jam punitus sit in foro alterius Episcopi, ubi judicium sit finitum? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Sanch. l.*

l. 2. *t.* 11. *n.* 21. *& Salm. c.* 2. *n.* 62. *cum Reg. Avila, Leandro &c.* Ratio, quia intentum Concilii fuit servare auctoritatem Judicum, & vitare scandalum, si publica crimina publice non punirentur; at eo casu neque scandalum adest, neque auctoritati Judicum præjudicatur. *Secunda* vero sententia communior & verior negat, eamque tenent *Suar. D.* 4. *sect.* 2. *n.* 6. *Pal. t.* 1. *tr.* 4. *D.* 4. *p.* 3. §. 1. *n.* 17. *Barb. All.* 39. *n.* 3. *Conc. p.* 445. *n.* 12. *Bon. de Irreg. q.* 5. *p.* 1. *n.* 6. *cum Garcia, & Rodr. ac Croix lib.* 6. *p.* 2. *cum Mascard. Menoch. &c.* Ratio quia, licet tunc Judici sit satisfactum, tamen cum crimen juridice publicum factum fuerit, manet simpliciter publicum, & ut tale omnino est Poutifici reservatum.

78 Dubit. 2. an crimen in uno loco publicum possit absolvi ab Episcopo in alio, ubi est occultum? Negat *Bon. D.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 3. *& Suar. t.* 4. *D.* 30. *sect.* 2. *n.* 3. Sed probabiliter affirmant *Sanch. l.* 2. *c.* 11. *n.* 20. *Cont. Tourn. t.* 2. *p.* 115. *cum Piasce. Barb. All.* 45. *n.* 28. *cum Gutt. & Salm. c.* 2. *n.* 62. cum *Trull. Leand. Avila, & aliis apud Croix l.* 7. *n.* 144. Dummodo locus, ubi crimen est notum, ita distet, ut non sit timor, quod publicetur ubi est occultum.

79 Notand. III. quod nomine Episcoporum veniunt Abbates, & alii jurisdictionem Episcopalem habentes, ut *Sanch. n.* 6. *& Salm. n.* 55. *cum Henr. Dic.* & *Avers.* (contra *Bon. & Suar. ap. Croix l.* 7. *n.* 141.) vide dicta *l.* 6. *n.* 593. *v. Eandem.* Venit etiam Capitulum, Sede vacante, ut *Bon. n.* 1. *Sanch. n.* 4. & *Salm. ib.* Notand. IV. Nomine subditorum veniunt etiam vagi, & omnes habentes animum permanendi in loco illo per majorem partem anni, ut *Croix l.* 7. *n.* 136. cum *Sanch. Suar. Bon. Barb.* &c. Notand. V. quod Episcopi vi concessionis in dict. *c. Liceat*, possunt absolvere a casibus Papalibus etiam post Tridentinum reservatis, ut probabile esse diximus *l.* 6. *n.* 594. *Dub.* 9.

80 Notand. VI. circa facultatem a Tridentino concessam Episcopis in *c. Liceat*, absolvendi, aut dispensandi a casibus Papalibus, vel ab irregularitatibus occultis, id quod dicit *Fagn. in c. Dilectus* 15. *de Temp. Ordin.* ubi ait: *Ex sententia Sancti Conc. Episcopi illarum Regionum, in quibus Concilium adhuc receptum non est, non possunt uti facultate in hoc Decreto concessa.* Notat deinde ibidem declaratum fuisse a Greg. XIII. prædictam facultatem nec etiam Cardinalibus competere, etsi Ecclesiarum Urbis Titulum habeant.

81 Quær. I. An Episcopus possit dispensare in irregularitatibus & suspensionibus occultis cum suo subdito, qui in aliena Diœcesi moratur? *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Avila, Henriq. & Ugolin. ap. Barb. in Trid. sess.* 24. *c.* 6. *n.* 44. Ratio (ut ajunt), quia Concilium tribuit Episcopis facultatem dispensandi tantum in sua Diœcesi. *Secunda* vero sententia communior & probabilior affirmat, & hanc tenent *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 11. *n.* 12. *Suar. D.* 41. *sect.* 1. *n.* 10. *&* 12. *Bon. D.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 1. *v. Tertio, &* 7. *q.* 5. *p.* 1. *n.* 4. *Diana p.* 4. *tr.* 4. *R.* 96. *Cont. Tourn. p.* 448. *R.* 3. *Salm. c.* 2. *n.* 53. *& Barb. l. c. cum Boss. Marchin. Fag. &c.* Ratio, quia Dispensatio per se potest concedi absenti; ergo non oportet, ut dispensandus adsit in Diœcesi, cum actus jurisdictionis voluntariæ bene possit exerceri etiam extra territorium. Nec obstat quod in Trident. dicatur *in Diœcesi sua;* nam respondetur, quod vel particula illa satis verificatur, cum aut Episcopus aut subditus existit in propria Diœcesi, ut dicunt *Cont. Tourn. p.* 448. *R.* 3. *& Salm. n.* 53. Vel quod præfata particula refertur tantum ad secundam partem, ubi agitur de absolutione casuum, ut respodent *Suar. n.* 10. *& Sanch. n.* 13. *Holzm. p.* 413. *n.* 227. *cum Pal. Pignat. & Croix n.* 470. Ex quo hi Auctores inferunt, quod etiamsi uterque tam Episcopus quam subditus sint extra Diœcesim, bene poterit Episcopus dispensare ab irregularitate, & absolvere a suspensionibus. An autem Episcopus possit absolvere, & delegare facultatem absolvendi casus Papales occultos extra Sacramentum Pœnitentiæ. Affirmat *Sanch. Suar. Bon. Salm.* Sed id hodie omnino negandum ex Declarat. Greg. XIII. relata *lib.* 6. *n.* 593.

Quær. II. An prædicta facultas a Trident. Episcopis concessa fuerit revocata per Bullam Cœnæ quoad hæresim, & alios casus in ea reservatos? Adest duplex sententia. *Prima* negat, & hanc tenent *Nav. Man. c.* 27. *n.* 260. *ac Bannez, Vega, Sa, Arag. Angl. Henr. Fag. &c. ap. Barb. All.* 40. *n.* 21. item *Conink., Avila, Becan. Granad. P. Led. &c. ap. P. Milant.* in Prop. 3. Alex. VII. & probabilem putant *Salm. tr.* 18. *c.* 4. *n.* 163. Ratio (ut ajunt) quia in Bulla Cœnæ nulla fit mentio concessionis factæ Episcopis per Trident. sed per clausulam generalem minime revocantur facultates a Conc. Generali alicui tributæ, ut habetur ex *c. Ex parte de Capell. Monach. cum Glossa ib.* verbo: *Nulla mentio*, & ex *cap. Nonnulli de Rescriptis*, & ib. Glossa verbo; *Fecerit mentionem.* 82

Et juxta hanc primam sententiam notant *Salm. c.* 2. *n.* 54. *cum Nav. Henr. & Gran. ac Felix Potestas, cum Dic. & Diana*, quod Episcopus circa crimen hæresis, licet non possit concedere alteri generalem facultatem absolvendi ab illa, cum talis facultas fuerit tributa a Concilio Episcopis *tantum, non eorum Vicariis:* bene tamen eam potest delegare alteri in casu particulari, quia cum ipsa sit annexa dignitati Episcopali, competit Episcopis jure ordinario, & ideo potest ab eis delegari omni modo quo eisdem expresse non est veritum.

Secunda vero sententia verior affirmat, & hanc tenent *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 11. *n.* 27. *Pignat. to.* 1. *Cons.* 291. *Lugo de Pœnit. D.* 23. *sect.* 2. §. 1. *Anacl. de Fide D.* 4. *p.* 124. *n.* 30. *Tolet. in explic. B. Cœnæ n.* 14. *in fin. Diana p.* 7. *tr.* 2. *R.* 23. *Ronc. de Cens. tr.* 4. *q.* 1. *c.* 6. *q.* 4. *Croix l.* 6. *p.* 2. *n.* 1617. *Viva in Prop.* 3. *Alex. VII. nu.* 7. *Vidal. in ead. Prop. Holzm. tom.* 1. *p.* 386. *n.* 218. *Mazz. tom.* 3. *p.* 460. *n.* 2. *Elbel t.* 2. *p.* 486. *n.* 233. *Barb. All.* 40. *n.* 23. *cum Say. Molin. Philiarch. Homob. Ugol.* & pluribus aliis: item *Fagn. l.* 1. *in c. Quoniam de Constit. n.* 28. ubi id affert decisum a S. C. Duasque similes Declarationes affert *Pitton. de Episcop. n.* 960. *& n.* 1026. unam emanatam die 4. Dec. 1642. alteram 28. Octob. 1741. Eandem sententiam omnino tenendam docet Bened. XIV. *de Syn. t.* 7. *c.* 32. *cum* 83

Card.

Card. Petra, *Duard. Cleric. &c.* ibique testatur quod *P. Suar.* prius censuit probabilem primam opinionem, sed deinde in *tr. de Fide D.* 1. §. 4. *n.* 13. ab illa recessit, & asseruit ipsam revera omni probabilitate esse destitutam. Probatur nostra sententia ex verbis ipsius Bullæ Cœnæ, ubi dicitur *Nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo, absolvi possit, prætextu quarumvis facultatum & indultorum; quibuscunque personis, etiam Episcopali vel majori dignitate præditis ... per Nos & dictam Sedem, ac cujusvis* (nota) *Concilii Decreta concessorum, vel concedendorum.* Per quæ ultima verba jam apparet derogatum concessioni Tridentini. Nec obstat ratio opposita, quod per clausulam generalem non revocantur facultates concessæ per concilium Generale. Nam respondetur 1. Id locum habere, quando revocatio fit per Rescripta, non vero cum fit per Constitutiones Pontificias; in præfatis enim textibus adductis (ut legenti patet) tantum de Rescriptis habetur sermo. Valde autem dispar est ratio inter Rescripta, & Pontificias Constitutiones; nam Rescripta, quia sunt contra jus, & propter importunitatem ac multitudinem petentium non fiunt ea maturitate & consilio, quo Constitutiones Pontificum & Decreta Conciliorum emanantur, ideo id quod dicitur de Rescriptis, non procedit de Constitutionibus, ut bene advertunt *Fagn. in d. c. Nonnulli, de Rescript. & Ronc. de Leg. p.* 47. *q.* 4. *cum Card. de Luca*, & communi. Ac propterea observat *Fagn. n.* 24. Tridentinum derogasse pluribus Decr. Concil. Generalium, nulla ipsorum facta mentione; imo testatur idem *Fagnan. l.* 3. *in c. Nulla de Concess. præb. n.* 86. S. Pium V. in quodam Motu proprio (relato ad literam a *Nic. Garcia*) declarasse, satis esse ad revocandum Concilium, quod Papa contrarium disponat, supplicationem manu propria signando. Insuper laudatus Bened. XIV. testatur, S. Pium V. & Greg. XIII. (& idem asserit *P. Viva l. c. p.* 4. ac alii *apud Barb.*) de hac re signanter interrogatos, respondisse; nulli præter Papam hodie integrum esse absolvere ab hæresi etiam occulta. Item in Vita S. Francisci Salesii descripta a Petro Galitia *l.* 2. *c.* 32. narratur (ut notat idem Bened.) quod, cum Papa Clem. VIII. Salesium pro examine ad Episcopatum præsentatum interrogasset, an posset Episcopus ab hæresi absolvere; respondit affirmative. At Papa subjunxit: *Sed Nos non ita sentimus.* Et tunc S. Franciscus dixit: *Beatissime Pater, si S. V. non ita sentit, nec ego deinceps sic sentiam.*

Respond. 2. quod, etiamsi ad derogandum Decr. Trid. fuisset requisita specialis illius mentio, hæc jam adfuit in præfata Bulla Cœnæ, cum ibi dictum fuerit Episcopum non posse absolvere a casibus Bullæ, *prætextu facultatum per cujusvis Concilii Decreta concessarum.* Quænam hic expressior mentio fieri debebat? Tanto magis quod solum Conc. Trident. & non aliud talem facultatem Episcopis concesserat.

Accedit ad hæc damnatio Propositionis 3. ab Alex. VII. quæ dicebat: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum quando publica sunt; & id non derogare facultati Tridentini, qua de occultis criminibus sermo est, anno* 1629. 18. *Junii in Concistorio S. C. Eminentiss. Card. visa & tolerata est.* Merito hinc dicunt *Viva*, *Holzm.*, *Elbel*, & *Bened. XIV.* quod per hanc damnationem prima sententia ita a sua probabilitate (si quam habeat) deturbata est, ut nunc probabilis non amplius videatur. Nec obstat dicere cum *Coreglia*, *Conc. Salm. & Milante*, quod pontifex non damnavit sententiam, sed tantum quod ipsa in Concistorio visa & tolerata fuerit; & ideo putant, illam in sua probabilitate reliquisse. Nam respondetur, quod licet Pontifex directe solum damnaverit factum, nempe quod visa fuerit, & tolerata, indirecte tamen aperte ipsam sauciavit opinionem; nisi enim falsam existimasset, non utique tam sollicitus fuisset de mendacio illo damnando; cum igitur declaravit eam non fuisse toleratam, implicite declaravit non esse dignam ut toleretur. Ex his omnibus concludit præfatus Bened. XIV. *l. c. n.* 4. hodie *Episcopos non sine temeritatis nota hanc auctoritatem* (nempe absolvendi ab hæresi) *posse sibi ostentare, & tanto minus delegandi.* Poterit ergo solummodo Episcopus ut Delegatus Apostolicus hæreticum notorium pro foro externo absolvere, ut dicit *Ronc. loc. cit.* cum *Pal. & Farinac.* Postquam autem ab Episcopo sublata fuerit excommunicatio, a quovis Confessario peccatum hæresis absolvi potest.

Quær. III. An Episcopi absolvere possint a cen- 84
suris Bullæ Cœnæ impeditos Romam adire? Adsunt tres sententiæ. *Prima* absolute negat cum *Bonac. de Cens. Disp.* 1. *Qu.* 22. *punt.* 2. *n.* 22. qui citat *Suar. & Innoc.* (sed dicit *in simili*, ergo prædicti DD. non loquuntur proprie de hac sententia). Ratio *Ronac.* tum quia in Bulla excipitur tantum articulus mortis, tum quia contrarium nullo jure probatur; Non autem suffragatur epikeia (ut ait) in hoc casu, ubi constat de contraria intentione Pontificis; Nec obstare addit textus infra citandos, quia vel ibi non datur facultas absolvendi Episcopis, vel, si datur, hæc revocata fuit per Bullam Cœnæ; sicut fuit revocatum Decretum Tridentini. Excipit tamen *Bonac. n.* 23. casum gravis necessitatis, v. gr. celebrandi, communicandi, & similis. *Secunda* sententia concedit Episcopis absolvere a ceteris casibus, sed negat ab hæresi. Ita *de Alex. Conf. Mon. c.* 6. §. VIII. *Qu.* 3. *&* 4. Ratio, cur excipit hæresim, quia in generali concessione (puta in Jubilæo) absolvendi a casibus Bullæ, non datur facultas absolvendi ab hæresi, ut declaravit Greg. XIII. Sed hæc ratio debilis est, nam ex infra dicendis, hæc facultas non oritur ex concessione, sed ex epikeja, & præsumpta mente Pontificis. *Tertia* communis sententia, cui subscribo, docet Episcopos posse per se, vel per alios ab eis specialiter delegatos, absolvere in utroque foro legitime impeditos ab omnibus casibus, & etiam ab hæresi, præstito tamen juramento ab eo, qui absolvitur, de se præsentando postea Superiori, ut infra dicetur. Ita *Pal. Disp.* 1. *punct.* 2. §. 5. *n.* 6. *Ronc. d. Qu.* 2. *R.* 11. *Laym. de Censur. c.* 2. 65. *Conc. p.* 44. *n.* 13. cum comm., *Lugo de Pœnit. n.* 218. *Salmant. tr.* 10. *c.* 2. *n.* 72. *& tr.* 18. *c.* 4. *n.* 164. *Viva in Prop.* 3. *Alexand. VIII. n.* 5. *Milante, ibid.* cum *Con. Avil. Corn. &c. Potest. t.* 1. *n.* 3347. cum *Tamb. Donat. Leand. Pelliz. &*

com-

communi Theologorum, & Canonistarum, ut testatur *Ronc. l. c.* Ratio, quia, existente impedimento adeundi Papam, restituitur Episcopis potestas ordinaria, non jam vi Tridentini, sed vi juris communis; Et probatur ex *c. Ea noscitur.* 13. *De Sentent. excomm.* ubi: *Mulieres, senes, & valetudinarii, seu membrorum destitutionibus impediti, licet ad Apostolorum sedem non veniant, ab Episcopis valeant fidelium communioni restitui.* Idem sancitur in *c. Quamvis* 58. *eod. tit.* ubi habetur, quod percussor Clerici a Sede Apostolica absolvi debet: *Nisi* (additur) *Imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut inopia, puerili vel senili ætate, fragilitate sexus, seu alia corporis impotentia, sive quolibet impedimento Canonico retrahatur, quominus Romanum Pontificem possit adire.* Idem *in c. De Cetero, & in c. Nuper* 20. *eod. tit.* ubi in fine generalius dicitur, quod quoties difficulter quis ex justa causa possit accedere pro absolutione excommunicationis ad eum a quo absolvendus esset, *a suo absolvatur Episcopo, vel proprio Sacerdote.* Quamvis autem prædicti Canones loquantur de censura ob percussionem Clerici, quia hæc frequentior est, tamen communiter DD. extendunt ad omnes alias censuras, in quibus currit eadem ratio salutis Animarum, ex *c. Cum dilecta, de Confirmat.* &c. nam ibi notat *Glossa: Ubi eadem ratio, idem jus debet esse.* Ita *Salm. Potest. Ronc.* &c. *l. c.* Immo (ut bene notat *Ronc. loc. ibid.*) *in c. Eos, qui* 22. *De Sent. excomm. in* 6. universe sancitur, omnes Casus Papales, quando adest impedimentum Papam adeundi, posse ab alio absolvi; Sic enim ibi habetur: *Eos, qui a sententia Canonis, vel hominis, cum ad illum, a quo alias de jure fuerant absolvendi, nequeunt propter impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio absolvantur.* Per quæ verba To, *a sententia Canonis*, intelliguntur omnes casus Papæ reservati, ut notat *ibi Glossa*, verbo, *Canonis.*

85 Quær. IV. Quinam dicantur legitime impediti? Dicuntur (ut habetur ex *d. c. Ea noscitur.* 13. *de sentent. excom.*) mulieres, senes, valetudinarii. Adduntur in *c. Quamvis*, pueri, pauperes, habentes inimicitiam, *vel alias justas excusationes* (ut dicitur in *c. De cetero eod. tit.*), *quibus ab itinere rationabiliter excusentur.* His verbis comprehenduntur omnia alia justa impedimenta, quæ infra adnotabimus.

86 Sed hic præcedenter advertendum, quod si impedimentum sit ad breve tempus, tunc innodatus censura reservata non potest ab alio absolvi, nisi urgeat necessitas celebrandi, aut communicandi, nempe ad evitandum scandalum, aut infamiam. Si tamen impedimentum sit ad longum tempus, puta ad annum, vel sex menses (imo *Mendoza ap. Viva in prop.* 3. *Alex. VII. n.* 6. ad unam noctem, sed *Viva* non adimittit neque ad biduum, quia in tali spatio non adest morale periculum mortis), tunc, excepto impedimento ætatis pueritis, quisque alius impeditus non debet absolvi, nisi præstito prius juramento, quod cessante impedimento, ad Sedem Apostolicam quantocius se præsentabit, ut habetur ex *c. De cetero de Sent. exc.* Alias omittens se præsentare reincidet in eandem excommunicationem, ex *c. Eos qui. De Sent. exc. in* 6. vide *Ronc. d. q. 4. R. II.* cum *Mansi*; Et iste ab hac obligatione se præsentandi non excusatur, etiamsi Confessarius omittat illam ei imponere, cum ea sit imposita a jure. *Sanch. l. 2. c.* 13. *n.* 30. *Salm. c. 2. n.* 46. Sufficit autem, ut Reus se præsentet per procuratorem, *Salm. c. 2. n.* 66. cum *Caj. Leand. Avil. & Potest. n.* 3351. qui excipit casum percussionis Clerici, pro quo in *c. Quod de his. De Sent. exc.* taxative exigitur persona.

Sed hic dubitatur, an si aperte constet Reum 87
esse omnino emendatum, & partibus satisfecisse, ipse excusetur a tali præsentatione? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Nav. Man. c.* 26. *n.* 26. item *Avila, Cornejo, & Henr. apud Salm. d. n.* 66. qui putant probabilem saltem extrinsece. Ratio, quia (ut dicunt) finis Pontificis non est alius quam emendatio Rei, & partium satisfactio; idque inferunt ex *c. Quamvis de Sent. exc.* ubi nulla alia ratio præsentationis exprimitur, quam ut Reus excipiat mandatum satisfaciendi: *Ad Apostolicam sedem accedant, mandatum ipsius humiliter susceperit. Secunda* vero sententia communior & probabilior negat, quam tenent *Suar. t. 4. in 3. p. D.* 30. *s.* 3. *n.* 6. *Sanchez Dec. l. 2. c.* 13. *n.* 29. *Laym. de cens. c.* 6. *n. 4. & Salm. c. 2. n.* 66. Ratio, quia mandatum ad quod suscipiendum tenetur Reus se præsentare, non solum suscipi debet ad implendam satisfactionem partis læsæ, obligatio enim hæc de ipso jure naturæ in omni læsione est insita, sed etiam ad exequenda cetera quæ a Pontifice imponuntur ad cavendum idem crimen futurum, ut dicit *Croix l. 7. n.* 147. *cum Suar. Sanch.* &c. tanto magis quod in *eod. c. Quamvis*, supponitur casus de eo qui satisfecerit. Et pro casibus Bullæ Cœnæ id in eadem Bulla circa finem expressum est, his verbis, *A prædictis censuris nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo* (*cautione præstita*) *absolvi possit.* Ubi observa bene distingui obligationem standi Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendi, idest parti læsæ.

Si autem impedimentum sit perpetuum, absolu- 88
ti omnino manent liberi ab onere comparendi; *Bon. D. 1. q. 3. p. 2. a. 4. Conc. p.* 445. *num.* 13. *Tourn. p.* 430. *Viva de Sacr. Pœnit. Q. 9. Art. 2. n.* 8. *Potestà n.* 3349. *Ronc. d. q. 4. R. 11.* Dicuntur autem perpetuo impediti, I. Filiifamilias, *argum. c. Mulieres, & c. Relatum, De Sent. exc.* II. Regulares ex *c. Monachi & c. Cum illorum.* 32. §. *Qui de Sent. excom.* etiamsi censura incursa sit ante ingressum in Religionem, ut *Ronc. p.* 82. *q.* 6. *Barb. All.* 41. *n.* 17. *& Holzm. p.* 564. *n.* 126. Hi enim absolvi possunt a suis Prælatis: Nisi (excipitur in *d. c.* 32.) *excessus exstiterit enormis.* Vide alia circa percussionem *n.* 280. III. Senes ex *c. Ea noscitur, de Sent. exc.* quamvis hi sint potentes ad ambulandum, ut *Barb. n.* 27. *cum Sylv. Sayr. & Graff.* Nomine autem *senium* veniunt non solum septuagenarii, ut ait *P. Milant. in Prop.* 3. *Alex. VII.* sed etiam sexagenarii, ut probabiliter *P. Viva l. cit.* juxta dicta *de Jejun. l.* 3. *n.* 1036. Non vero quinquagenarii, ut improbabiliter dicit *Farin. ap. Barbosa* & alii

ap.

ap. Viva. IV. Servi. V. Pauperes, scilicet qui ob inopiam nequeunt Romam petere, ut in *c. Quamvis, de Sent. excom.* Secus, si inopia iter non impediret, ut evenit in mendicis vagabundis; & sic intelligitur textus in *c. Ea noscitur, eod. tit.* ut explicat ibi Glossa *v. Pauperes*. Nemo autem tenetur accedere mendicando (ut ait *Potestà*), si ad hoc non sit solitus, ut notat *Pal. p.* 23. *n.* 18. VI. Carceribus, vel triremibus perpetuo damnati, & similes. VII. Infirmi, scilicet laborantes longa, & gravi ægritudine, licet non mortifera, puta, quartana, ut dicunt *P. Milante in prop.* 3. *damn. ab Alex. VII.* ex Innoc. III. *Salm. & Potestà cum Pal.* Qui his addunt debiles, sive delicatos, non valentes ferre labores itineris. Sed pro istis, nisi periculum sit in mora, consulendus est Papa, ex *c. Mulieres de Sent. excom.* VIII. Cura obstricti alendi, sive administrandi familiam, vel publicum gerendi officium, quod non possit relinqui sine publico detrimento, *Laym. Potestà, & Pal.* IX. Mulieres, non solum Moniales, de quibus est certum ex *c. De Monialibus* 33. *de Sent. exc.* ubi earum absolutio remittitur Episcopis; sed omnes mulieres: Ratio quia, dum in *c. Quamvis de Sent. excom. & c. Ea noscitur, eod. tit. in* 6. feminæ excusantur a se præsentando, non alia ratio assignatur, nisi quia feminæ sunt. Ita *Salm. c.* 2. *n.* 88. *Milante in d. prop.* 3. *Tourn. t.* 2. *p.* 450. *& Pal. p.* 23. *n.* 8. *ac Barb. n.* 30. *cum Nav. Bonac. &c.* Hic autem advertendum, quod Moniales non possunt absolvi ab Episcopo a censura ob violationem clausuræ etiam occultam, excepto mortis articulo, ex Declaratione Gregorii XIII. ut diximus *l.* 6. *n.* 594. Pontifex enim illam sibi specialiter reservavit, quamvis sciret Moniales esse perpetuo impeditas. X. Impuberes, quorum absolutio ex jure ordinario datur Episcopis in *c. fin. de Sent. exc.* Ideoque hi sunt exempti ab opere comparendi, etiamsi post pubertatem absolutionem petant. *Salm. n.* 67. *cum Con. Corn. Avila & c. fid. de Sent. exc.* ubi assignatur ratio: *Cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit temperandus*. Recte autem *Avila* ibi advertit, quod si Sacerdos carens facultate absolvendi absolvat impuberem in periculo mortis a censura Papali, debet ei imponere, ut extra periculum se præsentet Episcopo. Etiam impediti censentur illi, qui simul vitam ducunt, ut milites, vel qui in Seminario morantur; Unde hi ab Episcopis absolvi possunt a casibus Romano Pontifici reservatis, ut *Milante in d. prop.* 3. *& Barbosa All.* 41. *n.* 16. *cum Nav. Bon. &c. ex c. Quoniam de Vita, & honest. Cler.* ubi datur facultas Episcopo absolvendi eos, qui simul vivunt, si quis eorum Clericum socium percusserit, modo percussio non fuerit enormis. Denique censentur impediti, quicumque iter arripere nequeunt sine gravi damno spirituali, vel temporali suo, vel suorum. *Viva l. c. ex c. Quamvis de Sent. excom.* ubi dicitur excusari, *sive quolibet impedimento canonico retrahatur*. Ut autem hi supra enumerati dicantur perpetuo impediti, sufficit, ut tali impedimento laborent per decennium, & secundum *Tamb. in Dec.* etiam per quinquennium, & consentit *Viva in prop.* 3. *Alex. VII. n.* 6. *& Ronc. d. qu.* 4. *R. II.* Leviter autem Clericos percutientes semper possunt absolvi ab Episcopo, ex *arg. cap. Pervenit, De Sent. excom.* vide dicenda *n.* 279.

Quær. V. An impediti adire Romam in persona, teneantur adire saltem per Epistolam, aut procuratorem, ad absolutionem a prædictis casibus obtinendam? Affirmat *Bon. D.* 1. 3. *p.* 2. *n.* 4. (cui adhæret *Potestà t.* 1. *n.* 3346.) putans, quod pro casibus occultis recurrendum sit per epistolam ad S. Pœnitentiariam, quando commode fieri possit, & aliqua necessitas non impediat; quia ad hoc est S. Pœnitentiaria a Pontifice constituta. Hæc sententia est probabilis, sed probabilior, & communis est sententia negativa cum *Ronc. d. q.* 4. *R. II.* (qui vocat tutissimam sententiam) *Milante in prop.* 3. *Alex. VII. Viva ib. n.* 7. *Pal. D.* 1. *p.* 11. §. 5. *n.* 6. *& Spor. p.* 264. *n.* 750. cum communi, & *Salm. c. n.* 65. *cum Con. Henr. Dic. Avil. Dian. Conin.* Vide dicta *l. c. n.* 563. *v. Dub.* 3. Idem dicit *Sanch. Dec. l.* 4. *n.* 13. qui excipit casum hæresis, at hanc exceptionem rejiciunt *Pal. D.* 1. *p.* 2. §. 5. *cum Avers. & Dic.* apud *Croix l.* 6. *p.* 2. *n.* 1623. Ratio, tum quia, stante impedimento Romam adeundi, restituitur (ut diximus) ex jure Episcopis potestas ordinaria absolvendi per reservationem Bullæ ablata; Tum quia (ut ait *Ronc. l. c.*) jus non obligat Reum, nisi ut personaliter adeat Papam: Unde, si id præstare nequit, ad aliud non tenetur. Præterea (addit bene *Ronc.*) obtinere absolutionem a S. Pœnitentiaria, est privilegium, sed privilegia, utpote favorabilia, nullam inducunt obligationem iisdem utendi. Et sic pariter ab Episcopo in casu impedimenti Reus absolvi potest; etiamsi adsit Nuntius Apostolicus, qui possit facile adiri; ut probabilius tenent *Ronc. & Salm. eod. n.* 65. *cum Corn. Dian. Avil. Henr. & Lugo* apud *Croix l. cit.* (contra *Mol. Bon. Conc.* &c. apud *Salm.*) Sicut enim Nuntius, ita & Episcopus tunc absolvere potest ex delegatione Pontificis. 89

Quær. VI. An casu quo Hæreticus sit impeditus recurrere ad Papam, possit Episcopus eum absolvere (juxta sententiam mox supra relatam in Quæst. III.), non solum per se, sed etiam per alios? Jam diximus supra in Quæst. II. *n.* 82. quod extra casum impedimenti non potest Episcopus absolvere ab ullo casu in Bulla Cœnæ reservato, & tanto minus delegare. In casu vero impedimenti dicimus cum *Bonac. in Bulla Cœnæ D.* 1. *qu.* 22. *p.* 2. *nu.* 14. *Ronc. p.* 81. *c.* 6. *q.* 4. *R.* 2. *v. Quod si, & de Alexandro Confess. Monal. c.* 6. §. 8. *q.* 3. valde probabiliter posse Episcopum ab omnibus casibus Pontificis, etiam hæresis absolvere, & delegare, non solum specialiter in casu particulari, sed etiam generaliter. Nec obstat Tridentinum in laudato *c. Liceat*, ubi, cum sermo fit de hæresi, dicitur: *Eis tantum, non eorum Vicariis*, (absolvere) *sit permissum*. Nam recte respondent AA. citati, quod id procedit juxta antiquum præscriptum Tridentini, ubi concessum erat Episcopis absolvere ab hæresi occulta etiam extra casum impedimenti; sed cum agitur de impedito ab adeundo Pontificem, facultas hæc absolvendi ab hæresi, aliisque casibus Bullæ Cœnæ competit Episcopis non jam vi Tridentini, sed vi juris communis, ut communiter loquuntur DD. utque late probavimus in *dicta Quæst. III. n.* 84. 90

ex

ex pluribus textibus ibi allatis. Unde, cum in casu impedimenti prædicta facultas de jure ordinario spectet ad Episcopos, eo quod est annexa ipsa Episcopali officio, & dignitati, ideo ipsi bene possunt generaliter eam delegare. Et hoc est juxta communem doctrinam AA. nempe quod omnes qui habent potestatem ordinariam possunt eam delegare, ut docent *Salm. tr.* 11. *de Legib. c.* 5. *n.* 51. *& tr.* 17. *de Voto n.* 83. cum communi, *Contin. t.* 2. *de Leg. p.* 194. *v. Quod spectat*, *Holzm. t.* 1. *p.* 98. *n.* 485. & alii passim ex *l. More* 5. *de Jurisdict. omnium Judic.* ubi id expressum habetur: *Is demum jurisdictionem mandare potest, qui eam suo jure* (idest *ordinario*, ut explicat ibi Glossa), *non alieno beneficio habet*. Certum contra est, quod cum alicui Prælato aliqua potestas conceditur, & ejus officio sive dignitati annectitur, illa est, vel saltem æquiparatur potestati ordinariæ, ut docent iidem *Salm. d. c.* 5. *de Leg. n.* 50. *& Laym. l.* 1. *tr.* 5. *c.* 22. *n.* 6. qui id probat ex *l.* 1. *ff. de Offic. ejus cui comm. est jurisd.* & ex *c. Quoniam de Offic. deleg.*

91 Quær. VII. An quando ob mortis periculum, vel ob aliud impedimentum absolvitur ab inferiore peccatum reservatum, sed absque censura, imponendum sit onus Pœnitenti, ut Superiori se præsentet? Negant *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 13. *n.* 24. *cum Corduba*, *Zambran*, item *Salm. de censur. c.* 2. *n.* 46. qui citant *Suar. in* 3. *p. t.* 3. *D.* 50. *s.* 3. *n.* 6. sed non bene, ut infra videbimus. Ratio (ut ajunt), tum quia eo casu directe absolvitur peccatum, tum quia nullo jure cavetur tale onus comparendi. Sed omnino distinguendum: si peccatum sit absolutum in articulo sive periculo mortis, tunc nulla remanet obligatio se præsentandi ad Superiorem, quia tunc vere directe peccatum fuit absolutum, cum eo casu cesset omnis reservatio, ut recte docent *Suar. dict. n.* 6. *& Salm. de Pœn. c.* 11. *n.* 21. *cum Palud. & Nav. ac Dian. p.* 5. *tr.* 3. *R.* 66. *cum Gran. Præp. Hurt. &c.* Secus vero, si peccatum est absolutum ab inferiore propter aliquod impedimentum adeundi Superiorem extra mortis articulum, quia tunc nullus inferior potest directe absolvere a reservatis, sed tantum indirecte, juxta dicta *lib.* 6. *num.* 585. *v. Dub.* 1. Unde Pœnitens, ut postea directe a Superiore absolvatur, omnino cum convaluerit tenetur eum adire; ita communissime *Suar. l. c. n.* 8. *Laym. de Pœn. c.* 12. *n.* 10. *cum Nav. Soto*, *Con. Ricc. &c. & Ciera de Cas. reserv. n.* 164. cum communi, ut asserit.

92 Quær. VIII. An impediti adhuc Episcopum adire pro his censuris, vel aliis reservatis, possint a quocunque Confessario absolvi? Negant communius *Suar. Lug. Dec. &c. ap. Viva de Pœnit. Qu.* 9. *Art.* 2. *n.* 9. Quia hoc in jure conceditur tantum Episcopis, nec in lege positiva valet argui a pari. Sed probabiliter affirmant (cum onere tamen comparendi ad Episcopum, cessante impedimento) *Ronc. d. c.* 6. *Qu.* 4. *R. III. Pal. D.* 2. *p.* 11. §. 5. *n.* 6. *Spor. p.* 264. *n.* 750. *Croix lib.* 7. *p.* 2. *n.* 1624. *cum Nav. Abb. Ang. & Tab. Salm. de cens. c.* 2. *n.* 93. *in fine* cum *Tann. Sylv. Henr. Viva l. c.* cum *Perez*, *Hurt. Gran. Dicast. Boss. & Cælest.* Ratio, tum quia, ubi eadem est ratio, idem jus debet esse, ut dicit *Glossa in c. Cum Dilecta. De Confirm.* Tum quia non deest lex hoc expresse indulgens; nam in *c. Nuper.* 29. *De Sentent. excom.* habetur, ut supra adnotavimus, quod impeditus ex justa causa adire Superiorem jus habentem absolvendi a censura, *a suo absolvatur Episcopo, vel proprio Sacerdote*. Sub nomine autem *proprii Sacerdotis* venit quidem quilibet Confessarius, ut notat ibi *Glossa* ex *c. ult. q.* 26. & recte inferunt *Salm. c.* 3. *n.* 164. *ex c. Omnis*, *de Pœnit. & rem.* ubi præcipitur quemque semel saltem in anno confiteri *proprio Sacerdoti*, qui communiter intelligitur quivis Confessarius, ut probavimus *l.* 6. *n.* 564. *&* 670. Si igitur non potest verificari casus quod Sacerdos absolvat Reum a censuris Pontifici reservatis, quando Episcopus adiri potest, saltem verificari debet quando Episcopus adiri non potest, ut recte arguunt *Roncagl., & Salm. ll. cc. cum Henr. & Diana*. Imo *Pal. l. c.* dicit ex vi prædicti textus, impeditum adire Papam, posse indistincte absolvi a proprio Sacerdote. Sed probabilius puto cum *Sporer p.* 264. *n.* 761. *Salm. d. n.* 63. *Ronc. l. c.* & aliis communiter, ut supra, hoc non admittendum, nisi quando non patet facilis recursus ad Episcopum; nam Tò *a suo Episcopo*, *vel proprio Sacerdote*, communissime DD. interpretantur non disjunctive, sed subrogative, nempe quando Episcopus nequit adiri. Tanto magis quod in *c. De cetero*, 11. *& c. Ea noscitur*. 13. expresse disponitur, quod cum non potest adiri Pontifex, adeatur Episcopus. Satis etiam probabile est cum *Suarez*, *Sanch. & Mol.* ut notavi *l.* 6. *n.* 563. *v. Dub. I.* quod in articulo sive periculo mortis quilibet Confessarius possit, etiam præsente Episcopo, absolvere a casibus Papalibus, quia tunc omnis reservatio cessat. Nec obstant textus mox supra citati in *c.* 11. *&* 13. *de Sent. excom.* Nam probabiliter respondet *Sanch.* cum aliis, ut supra, eos procedere tantum in casu percussionis Clericorum, de quo loquuntur, non vero in alii. Præterquamquod nullum expressum inveni textum, qui in articulo mortis præscribat, quod infirmus ab Episcopo absolvatur a censuris Pontifici reservatis. Excipit tamen *Sanch. l. c.* cum aliis, si casus Pontifici reservatus, esset occultus, quia tunc jure ordinario potest Episcopus ab illo absolvere, vi Tridentini in laudato *c. Liceat*. Unde censet tunc omnino adeundum Episcopum, si ad eum est recursus, cum ipsi tunc reservatus sit casus. Sed hoc non obstante, mihi & aliis junioribus videtur probabile, etiamsi crimen fuerit occultum, posse absolvi in periculo mortis a simplici Confessario, adhuc præsente Episcopo, quia in tali periculo (ut diximus) cessat omnis reservatio quorumcumque peccatorum, & censurarum, ut docet Trident. *sess.* 14. *c.* 7. Neque in hoc mihi contradixi *dicto n.* 563. *Dub.* 1. ubi videor oppositum tradidisse, nam ibi sermo fit de censuris ab eodem Episcopo reservatis & eo casu cum Confessarius debeat imponere Pœnitenti, ut postquam convaluerit se præsentet Episcopo ad congruam pœnitentiam ab eo accipiendam (ut communiter docent DD. cum *Salm. de Pœnit. c.* 11. *n.* 21. *& Tamb. de Cas. res. l.* 5. *c.* 10. §. 4. *ex c. Quo de his, & c. Sæpe, de Sent. excomm.* ac signanter ex *c. Eos qui*, ubi id expressum habetur: notantque ibi *Tamb.*

n.

n. 7. *cum Fill. Boss. & Pasqualig. ac Viva in in prop.* 3. *Alex. VII. n.* 5. *cum Val. Nav. Bordone, &c.* quod eo casu pro foro externo Confessarius debet exigere a Pœnitente juramentum se præsentandi ad Superiorem, cum primum poterit, (sed pro foro interno dicunt sufficere promissionem), ideo præsente Episcopo infirmus nequit absolvi a simplici Confessario: At quando agitur de censuris Papalibus, non debet infirmus elapso periculo, se præsentare Episcopo, sed Pontifici, unde cessat ratio cur præsente Episcopo non possit absolvi. An autem in articulo mortis Laicus, aut simplex Clericus possit absolvere a censuris, deficiente Sacerdote? Probabilius negandum juxta dicta *l.* 6. *n.* 540.

An vero habens peccata, & censuras reservatas teneatur ea exponere Confessario non habenti super eis potestatem, casu quo urgeat necessitas, communicandi, aut confitendi, & aditus non pateat ad Superiorem? Vide dicta *de Euchar. l.* 6. *n.* 265. *v. Quær. II.* ubi diximus teneri; vide ibi rationem.

Si quis autem est impeditus adire Episcopum, an possit simplex Confessarius eum absolvere a casibus, & censuris ab eodem Episcopo reservatis? Respondet *Ronc. tr.* 4. *c.* 6. *q.* 5. cum *Hurtado*, & *Diana*, quod si impedimentum esset diuturnum, poterit absolvi, cum obligatione tamen comparendi coram Superiore, cessante impedimento. Si vero impedimentum sit perpetuum, poterit absolute absolvi. Attamen *Laym. de Pœnit. cap.* 12. *n.* 10. cum *Suar. Soto, Coninch. &c.* dicunt, casu quo urgeat necessitas, & Episcopus longe distet, simplicem Confessarium posse Pœnitentem absolvere directe tantum super non reservata, & indirecte super reservata.

93 Quær. IX. Quomodo Episcopi hanc facultatem eis concessam in *d. c. Liceat*, tam dispensandi in irregularitatibus, quam absolvendi a casibus reservatis occultis, possint aliis delegare? *Prima* sententia quam tenent *Henriq. Menoch. & Cord. ap. Sanch. de Matr. l.* 2. *D.* 40. *n.* 16. dicit non posse Episcopos hanc facultatem generaliter delegare, sed tantum specialiter in aliquo casu particulari qui occurrit. *Secunda* vero probabilior sententia quam tenent *Suar. t.* 4. *D.* 30. *s.* 2. *n.* 9. *Sanch. l. cit. n.* 17. *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 2. *ac Croix l.* 1. *n.* 153. docet bene posse Episcopos generaliter committere hanc facultatem tam dispensandi, quam absolvendi, alteri specialiter ad hæc deputato. Idque testatur. *Suar.* sic esse receptum, & interpretatum a consuetudine, quæ est optima legum interpres. Imo probabiliter dicunt *Sanch. ibid. n.* 25. *Barb. in Trid. d. c.* 6. *sess.* 24. *n.* 45. *v. Ego tamen;* (& idem clare sentit *Suar. l. cit. D.* 41. *sess.* 2. *n.* 8.) quod non solum alius specialiter deputatus, sed etiam quicunque, cui Episcopus generaliter suam facultatem committit, potest dispensare in irregularitatibus, & absolvere a suspensionibus reservatis occultis. Ratio, quia Concilium facultatem circa hæc non limitat, sicut limitat in secunda parte facultatem absolvendi a casibus: Unde, cum eam habeant Episcopi de jure ordinario, generaliter possunt eam delegare, nulla facta speciali deputatione ad ipsa. Bene autem advertit *Pal. de Leg. D.* 6. *p.* 8. §. 2. *n.* 7. Episcopum non posse dispensare in irregularitatibus (vel absolvere a suspensionibus reservatis) cum alienigenis, etiamsi ipsi habeant quasi domicilium in sua Diœc. ex Decl. Greg. XIII. relata *l.* 6. *n.* 563.

„ Resp. 3. Multi Religiosi, præsertim Mendi- 94
„ cantes, possunt ex privilegiis, in foro tamen in-
„ terno tantum, a variis censuris absolvere. V.
„ *Diana p.* 9. *t.* 4. *Resp.* 63. Quare a superiori-
„ bus suis illa privilegia petant, cum ad confes-
„ siones audiendas exponentur, & circa ea sequen-
„ tes regulas sequantur.

Quoad Regularium autem facultatem in reserva- 95
ta, distinguenda est facultas, quam habent erga seculares, ab illa erga subditos.

Et I. Quoad *Seculares*, olim Regulares absolvere poterant eos a censuris tam a Pontifice, quam ab Episcopis sibi reservatis, ex diversis privilegiis, quæ referunt *Salm. de Sacr. Pœnit. c.* 13. *n.* 51. nempe Eugenii IV. Urbani IV. Pauli III. Julii II. S. Pii V. &c. Verum (ut testantur ipsi *Salm. ib. & Viva in Trut. Prop.* 12. *Alex. VII. n.* 1.) Clemens VIII. die 26. Nov. anni 1602. & Paulus V. 7. Jan. 1617. limitarunt talem facultatem, & declaraverunt eos extra Romam, & intra Italiam non posse absolvere seculares a casibus Papæ reservatis in Bulla Cœnæ; Nec ab aliis sex celebribus illis, nempe percussionis Clericorum, Duelli, Violationis Immunitatis, Violationis Clausuræ Monialium ad malum finem, Simoniæ realis, & Simoniæ confidentialis in Beneficiis (Decretum Clementis in extensum refert *P. Milante in prop.* 12. *Alex. VII. t.* 1. *p.* 98. Nec pariter a casibus quos Ordinarii sibi reservant). Deinde S. Congr. de mandato Urb. VIII. 17. Nov. 1627. sic sancivit: *Per confirmationes privilegiorum, quas Regulares a sede Apostolica post sacrum Conc. Trid. obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolvendi a casibus Ordinario reservatis; quemadmodum nec indulta absolvendi a casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consueverunt, utpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires ac robur acquisivisse ex sequentibus privilegiorum confirmationibus. Ac proinde Regulares cujusvis Ordinis, &c.* Ibique additum fuit: *Ab aliis casibus & censuris* (præter casus Bullæ Cœnæ) *sedi Apostolicæ reservatis absolvendi facultatem extra Italiam minime sublatam fuisse ejusdem S. C. Decretis hac de re editis jussu Clem. VIII.*

Sed dubit. 1. an regulares possint absolvere se- 96
culares a casibus Papalibus? *Prima* sententia negat cum *Viva in prop.* 12. *Alex. VII. n.* 14. *Bord. & Floron.* ex Decr. Pauli V. quo sancitum fuit: *Ac insuper, ut nulli ex sacerdotibus prædictis* (scil. Secularibus & Regularibus) *quibuscumque privilegiis, indultis, & facultatibus suffulti ab excommunicationibus, vel casibus eisdem Ordinariis, vel sedi Apostolicæ reservatis, præterquam in articulo mortis, absolvere audeant, vel præsumant. Secunda* tamen probabilior sententia, quam tenet *Bona. p.* 2. *n.* 18. *Salm. tr.* 18. *de Privil. c.* 4. *n.* 53. atque *Aversa, & Pelliz.* apud *Viva l. c. n.* 13. & 14. & sequitur *Potest. t.* 1. *De Min. Pœnit. c.* 5. *n.* 3458. cum *Peyr. Donat. Rodr. Vidal.*

dal. Jo. 40. de la Crux, & ipse *Viva* se revocans id admittit in *Tract. de cens. Q. 2. Art. 2. n. 6. &* 8. docent Regulares posse absolvere seculares a casibus Papalibus occultis, & probant ex privilegio Soc. Jesu (in quo communicant omnes Regulares, ut notat *Potestà n.* 3459.) concesso a Paulo III. anno 1545. In dicto privilegio, cujus verba refert *Potestà ibidem*, conceditur absolvere Fideles *ab omnibus peccatis etiam sedi Apostolicæ reservatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ &c. Necnon vota quæcunque, exceptis votis castitatis, Religionis, &c.* Nec obstare dicunt *Pell.* apud *Viva*, & *Bon. n.* 19. laudatum Decretum Pauli V. Nam prohibitio ibi facta de absolvendis casibus Papalibus, refertur ad casus in Decr. Clementis VIII. reservatos, quod Paulus V. & inde Urbanus VIII. confirmarunt, & innovarunt, ut referunt *Bon. Viva, &c.* Ibi enim tantum casus Bullæ Cœnæ, & alii sex enunciati excepti fuerunt.

97 Quod autem tuentur *Pelliz.* apud *Viva*, & *Rodriq.* apud *Potest.* scilicet ex præfato privilegio posse Regulares absolvere etiam a Papalibus pro foro fori, merito rejicit *Potestà n.* 3465. Nam ex verbis Privilegii, *Confessionibus auditis*, atque *Pœnitentiam salutarem injungendi*, satis constat facultatem pro solo foro interno esse concessam.

98 Dubit. 2. an Religiosi possint absolvere seculares a casibus ab Episcopis sibi specialiter reservatis? Affirmarunt *Suar. Hurt.* &c. apud *Salm. de cens. c. 2. n. 40.* Ratio, quia qui potest majus (nempe absolvere a Papalibus), potest etiam minus, scil. absolvere ab Episcopalibus. Et huic opinioni inclinarunt *Rodriq. Quint. Cand.* &c. apud *Viva in d. prop. 12. n. 4.* ob privilegia postea, & iterum Regularibus concessa. Nec obstare dicebant Decr. S. Congr. de mandato Clem. VIII. & Urb. VIII. cum talia Decreta non habeant vim legis. His tamen non obstantibus, omnino tenendum est oppositum, cum præfata Decreta fuerint, confirmata ab iis Pontificibus pro tota Ecclesia ipsorum speciali mandato, & ideo vere habent vim legis, juxta communem doctrinam relatam *Tom. I. lib. 1. n.* 106. Insuper (ut recte dicunt *Salm. l. c.* & *Vide cens. Qu. 2. Ar. 2. n. 7.*) prædicta opinio satis evasit improbabilis post *prop. 12.* damnatam ab Alex. VII. quæ dicebat: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Hæc enim proscriptio sola sufficit ad privilegia revocanda.

99 Dub. 3. an Regulares privilegiati possint absolvere a censuris Episcopis reservatis a jure, vel a consuetudine? Adest duplex sententia probabilis. *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Cabassut. T. I. l. 1. c. 11. Conc. de Pœn. p.* 571. *n.* 8. *Milante in prop. 12. damn.* ab Alex. VII. *& Viva in d. prop. 12. n. 14. cum Bordon. & Floron.* Quia in Decreto citato Pauli V. fuit Regularibus sublata facultas absolvendi a censuris Ordinariis reservatis. *Secunda* tamen probabilior sententia affirmat, quam tenent *Conc. de cens. p.* 447. *n.* 17. *Spor. de Pœnit. p.* 264. *n.* 745. *Croix l.* 6. *p. 2. n.* 1628. *Salm. d. Sacram. Pœnit. c. 13. n. 52. cum Sanch. Aversa, Lez. Pelliz. Peyr. Dian.* &c. Et sequitur se revocans *Viva in Tract. de cens. Qu. 2. Art. 2. n. 7.* qui docet posse absolvi a Re-

gularibus censuras Episcopis reservatas a jure communi. Quænam autem sint Censuræ, vide infra apud *Busemb. l. 7. n.* 213. Excipe tamen eas quas Episcopi sibi reservant. Ratio, quia, licet in Decretis Pauli V. & Urb. VIII. Regularibus vetetur absolvere a casibus Ordinariis reservatis, attamen hoc verius intelligitur, ut dicunt *Salm. l. c.* & *Avers. Lez. Leand.* ap. *Viva d. prop. 12. n.* 13. de casibus tantum ab Ordinariis sibi reservatis, cum hæc Decreta sint (ut supra diximus) confirmativa Decr. Clem. VIII. ubi dicitur: *Nec a casibus, quos Ordinarii reservarunt, aut in posterum sibi reservabunt.* Notantque recte *Suar. de Pœn. D. 29. s. 3.* quod casus a jure Episcopis reservati reipsa magis dicendi sunt Episcopis delegati, quam reservati. Omnino tamen excipiendi sunt sex casus expressi in Decreto edito jussu Clem. VIII. ut supra. At hoc intelligendum intra Italiam, ut explicavit Urban. VIII. (prout supra *n.* 95.) nam extra Italiam, vel in Urbe, ut dicitur in Decr. Clementis, bene possunt Regulares absolvere ab omnibus censuris, quæ a jure sunt Episcopis reservatæ, & intra Italiam Regulares possunt absolvere a censura propter abortum fœtus animati, cum hic casus non sit in casibus expressis a Clem. VIII. Ita communiter DD. Vide *T. I. l. 3. n.* 397. *vers. Pariter.* Si vero Episcopus hunc casum specialiter sibi reservaverit, tunc nullo modo Regulares possunt illum absolvere, ut diximus *l. c. in fine, & lib.* 559. *vers. Certum, circa fin.*

Quod autem dicit *Viva de Cens. q. 5. ar. 3. n.* 100
10. *& in Prop. 12. damn. ab Alex. VII.* cum aliis, nempe Regulares posse absolvere etiam a sex casibus Clemen. VIII. quando sunt occulti, ob eamdem rationem ut supra, quia prædicti casus, cum sint occulti, reservantur Episcopis, non Papæ, vi Trident. in *c. Liceat;* Id minime probatur: nam in tantum Regulares possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, sive delegatis, in quantum ipsi etiam sunt Papales; quare, ablata Regularibus facultate absolvendi a casibus Clem. uti Papalibus, non habent illi unde hac facultate uti possint, sive casus sint publici sive occulti. Probabiliter autem *Viva q. 2. art. 2. n. 7. cum Comit.* & communiori sententia, cui adhæret etiam *Conc. p.* 447. *n.* 17. dicit posse Regulares absolvere casus in Synodo reservatos, quando Episcopus eos in tabella non exponit; quia eo ipso, quod in tabella non reservat, censetur velle omnibus Confessariis facultatem concedere absolvendi ab iis ex regula. *Non expressum habetur pro omisso.*

II. Quoad facultatem autem, quam Prælati Regulares habent erga *suos subditos*, communiter docent DD. posse ipsos subditos absolvere ab omnibus Papæ casibus reservatis extra Bullam Cœnæ. Ita *Salm. de Cens. c. 2. n.* 70. *Conc. p.* 444. *ex n.* 19. *Viva in Prop. 4. Alex. VII. n. 6. & Potest. De Min. Pœnit. t. 1. n.* 3372. ex variis privilegiis, quæ congerunt *Salm. l. c.* (Quidquid in contrarium dicat *Croix l.* 8. *n.* 141. cum *Dic.*) Nam licet ex vi Trid. in *c. Liceat*, non censeatur data Prælatis Regularibus facultas ibi concessa Episcopis, quia videtur concessa tantum iis, qui habent Diœcesim propriam, cum in Trident. dicatur, *in Diœcesi sua;* Attamen adest Privilegium a S. Pio V. (quod in extensum referunt *Conc. l. c. & Salm. de Sacr.*

Pœnit. c. 13. *n.* 33.), cujus vi prælati Regulares in suos Fratres, & Moniales possunt idem, quod Episcopi in suos subditos vi Trident. in *c. Liceat.* Et licet *Mendo ap. Croix l. c.* astruat confutare Privilegium S. Pii, tamen illud authentice referunt, *Salm. de Sacr. Pœn. c.* 13. *n.* 13. *Viva*, & *Conc.*, qui etiam asserit ipsum confirmatum fuisse cum aliis a Bened. XIII. *in Const.* 79. *Pretiosus*, edita an. 1727. quam refert etiam *P. Milante in prop.* 3. Alex. VII. *p.* 23. Qui insuper refert ab eodem Pontifice concessam fuisse facultatem absolvendi etiam a casibus Bullæ Cœnæ, exceptis *Relapsu in hæresim, Falsificatione literarum Apostolicarum, & Delatione prohibitorum ad Infideles;* Generali vero Ordinis concessit, *ut ipse solus possit ab irregularitate hujusmodi* (orta ex homicidio) *dispensare cum Fratribus sibi subditis, dummodo homicidium non fuerit appensatum, & intra claustra extiterit consummatum.* Nomine autem Prælatorum veniunt Provinciales, & eorum Vicarii in ipsorum absentia, vel alii ab eis deputati, ut asserunt *Salm. de Cens. c.* 2. *n.* 80. Necnon veniunt omnes Superiores locales, Rectores, Priores, Guardiani, &c. ut ait *Potest. l. c. n.* 3579. Sed post hæc scripta inveni, quod Clemens XII. in Bulla, *Romanus*, die 30. Maji 1742. revocavit omnes Constitutiones, & Privilegia (præsertim contenta in præfata Bulla, *Pretiosus*) concessa a Bened. XIII. omniaque reduxit ad pristinum statum. Insuper hic notandum, quod cum disceptatum fuisset, an revocatio per Tridentinum facta Privilegii Regularibus concessi absolvendi Hereticos esset vel ne intelligenda pro Secularibus, non vero pro Religiosis subditis: S. C. dijudicavit intelligi pro omnibus; ita refert *P. Ferraris Bibl. verb. Absolvere art.* 1. *n.* 40.

102 Possunt etiam Prælati Regulares absolvere Novitios sui Ordinis a censuris Papalibus (excœptis casibus Bullæ) ante ingressum in Religionem contractis. Ita *Salm. d. n.* 80. cum *Rod. Cand.* &c. ex Privilegio a Clemente VII. concesso anno 1530.

103 Sed dubit. 1. An dicti Prælati possint Novitios absolvere etiam a censuris ab Episcopis sibi specialiter reservatis? Respondetur negative ex Decreto S. C. edito de mandato Urb. VIII. ut supra relato; Quamvis etiam contradicat *Jo. de la Crux* apud *Salm. c.* 2. *n.* 80. cui ipsi adhærent *n.* 81. quia (ut ajunt *Salm.*) per tale Decretum revocata est facultas concessa per Privilegium Clementis VII. quoad absolutionem casuum Episcopalium: non autem illa quæ per consuetudinem est obtenta, ut est ea, qua habentes facultatem absolvendi a reservatis Papæ, possunt absolvere etiam ab illis, quæ Ordinarii sibi reservant, ut testantur *ib. Suar. Alter.* & *Hurt.* Addunt, alii apud *Viva in d. prop.* 12. *Alex. VII. n.* 6. Decretum illud non habere vim legis, quia non fuit de ejusdem Pontificis speciali mandato solemniter promulgatum pro tota Ecclesia, juxta sententiam relatam *n.* 106. Omnes tamen hæ rationes ex supradictis non videntur amplius probabiles post *prop.* 12. damnatam ab Alex. VII. ut supra allatam, qua oppositum apparet satis declaratum.

104 Dub. 2. an Prælati Regulares possint absolvere suos subditos Religiosos & casibus reservatis in Bulla Cœnæ, ac etiam ab hæresi? Quoad Seculares, jam damnata fuit ab Alex. VII. Propositio 4. quæ dicebat: *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione ob ipsam incursa.* Quoad subditos vero, adsunt tres sententiæ: *Prima* universe affirmat cum *Pal. Rodr. Peyrin.* &c. ap. *Salm. de cens. c.* 2. *n.* 75. & hanc sequitur, & enixe defendit *Potest. t.* 1. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 3375. cum *Villal. Donat. & aliis*, ex diversis privilegiis, & juribus quæ ibi congerit.

Secunda sententia, quam tenent *Salm. l. c. ex n.* 76. & 77. cum *Suar. Bann. Cand. Arag. & aliis*, dicit non posse absolvere ab hæresi, sed bene posse a ceteris casibus Bullæ. Ratio istorum, quia, licet per Bullam Cœnæ revocentur quæcunque privilegia Regularibus indulta, per verba: *Non obstantibus privilegiis*, &c. *alicui, vel aliquibus cujuscunque Ordinis concessis;* attamen S. Pius V. extendit ad Prælatos Regulares privilegium Episcopis concessum per Trident. in *c. Liceat*, ut supra, eodem modo ac in Episcopis invenitur. Sicut igitur (dicunt *Salm. n.* 77.), non obstante dicta Bulla, possunt Episcopi vi illius privilegii absolvere suos subditos, etiam a casibus Bullæ occultis; sic etiam possunt Regulares. Excipiunt autem *Salm. n.* 76. hæresis crimen, quia ex Constit. Pauli V. ut referunt, hæretici omnino remitti debent ad Inquisitores. Sed hoc explicant in *Tract. de Sacr. Pœnit. c.* 13. *n.* 5. valere pro locis, ubi viget Tribunal S. Inquisit.; & ideo pro aliis locis referunt doctrinam *Suarii*, qui dicit Prælatos posse absolvere subditos etiam in hæresim relapsos ex concessione Greg. XIII.

Tertia demum sententia, quam tenendam esse dicunt *Viva in prop.* 4. *damnata* ab Alex. VII. 106
& *Croix l.* 6. *p.* 1. *n.* 1622. citans *Sanch. Suar. Dian.* & *Mendo*, dicit non posse absolvere ab ullo casu Bullæ Cœnæ. Ratio est, tum quia Decr. Urbani VIII. (ut supra allatum) expresse declaravit per annuam Bullæ publicationem sublatam esse Regularibus facultatem a casibus Bullæ Cœnæ absolvendi; tum quia (ut recte arguit *Viva in d. prop.* 4. *n.* 3.), si hodie nec etiam Episcopi a casibus Bullæ absolvere possunt post Prop. 3. damnatam ab Alex. VII. ut diximus supra *n.* 83. Ergo tanto minus poterunt Prælati Regulares. Sed hodie quæstio finita est, nam (ut referunt *P. Milante in dicta prop.* 3. *tom.* 1. *pag.* 24. & *P. Conc. tom.* 10. *pag.* 449. *num.* 21. & 22.) Bened. XIII. in Bulla *Pretiosus*, (cujus verba retulimus *num.* 101.) novissime concessit Superioribus Ord. S. Dominici, & per communicationem aliorum Ordinum, posse absolvere suos subditos, nempe Fratres, & Moniales sibi subjectas a quibusvis censuris etiam in Bulla Cœnæ, aliquibus tamen exceptis.

Dubit. 3. an Prælati Regulares possint absolve- 107
re suos subditos a censura ob percussionem alterius Religiosi, aut Clerici secularis? Diximus *suos subditos*, nam circa seculares nihil Regulares possunt, cum facultas absolvendi seculares ab hac censura sit ipsis expresse adempta a Clem. VIII. & Paulo V. extra Romam, & intra Italiam; vide dicta *n.* 95. In *c. Cum illorum*, 32. §. *Qui de sent. excom.* Affirmatur, si religiosus percusserit alium ejusdem Ordinis, *nisi excessus* (ut ibi di-

ci-

citur) *extiterit difficilis & enormis, utpote si ad mutilationem membri, vel ad effusionem sanguinis est processum, aut in Episcopum, aut Abbatem violenta manus injecta.* Si vero percusserit Religiosum alterius Claustri, dicitur ibid., quod *per Abbatem proprium, & ejus qui passus est injuriam, absolvatur.* Si autem percusserit Clericum secularem, dicitur, *nonnisi per Apostolicam sedem absolutionis gratiam poterit promereri.* Idem autem quod dicitur de Religioso, dicunt communiter *Pal. D. 3. p. 23. §. 4. ex n. 10. Laym. tr. 5. p. 2. c. 5. circa finem*, & alii passim de Novitio percussore etiamsi ipse crimen commiserit ante ingressum, quia in favorabilibus Novitii habentur ut Religiosi. Addunt tamen *Laym. l. c. in fin., & Pal. ib. cum Mol. & Sayr.* quod Novitius, si egrediatur ante professionem, tenetur se præsentare Sedi Apostolicæ, juxta *c. Eos qui de sent. excomm. in 6.* adhuc si fuerit a Prælato absolutus, quia illa absoluto fuit concessa ob temporale impedimentum, ne vagaretur. Hic vero notandum 1. quod si Religiosus levi percussione læserit Clericum secularem, bene poterit absolvi ab Episcopo illius, ut communiter dicunt iidem *Laym. & Pal. ll. cc.* cum aliis ex *c. Religioso, de sent. excomm. in 6.* Notand. 2. cum eisdem AA. & *Sal. c. 2. n. 69.* quod prædicta procedunt juxta jus commune, nam, spectatis Privilegiis, Religiosi bene possunt absolvi a suis Prælatis, etiamsi percussio fuerit enormis, ex pluribus Privilegiis, quæ referunt *Pal. n. 10. in fin. Salm. l. c. & Ronc. p. 104. c. 2. q. 2.* Idque dicunt præfati AA. valere; etiamsi Religiosus percusserit alium alterius Ordinis, vel Clericum sæcularem. Additque *Croix l. 7. n. 32. cum Krimer.* etiamsi percussio fuerit publica: ac posse Abbatem absolvi per Confessarium a seipso electum. Notandum 3. quod licet Regulares possint absolvi a suis Prælatis ob hujusmodi Privilegia, bene tamen valent etiam se subjicere Episcopis, ut ab eis absolvantur: intellige, si percussio fuerit levis, vel enormis occulta. Et in eo casu illi qui sunt Prælati alicujus Ordinis, possunt per se exposcere talem absolutionem ab Episcopis: reliqui vero Religiosi de suorum Prælatorum licentia, nisi hæc injuste denegetur, ut docent *Sanch. Dec. lib. 2. cap. 12. n. 10. & Salm. cap. 2. num. 52. cum Boss. Henr. Diana, &c.*

108 A quibus autem censuris possint absolvi recipientes Bullam Cruciatæ. Vide *Salm. c. 2. n. 82. & Croix toto l. 8.*

109 „ Regulæ: *Prima*, Qui habet potestatem absol-
„ vendi a censuris reservatis Episcopo, non pot-
„ est vi illius absolvere a reservatis Papæ.

110 „ *Secunda*. Qui habet potestatem absolvendi a
„ reservatis Papæ, non censetur posse absolvere
„ a censuris Bullæ Cœnæ, eo quod hæ censean-
„ tur majores, nec comprehendi in concessione
„ generali. *Dian. p. 5. t. 12. Res. 14.*

111 Ita *Bon. q. 3. p. 1. n. 12. & Suar. Ugol. &c. ap. Salm. c. 2. n. 41.* Ceterum quotiescumque conceditur a Papa facultas absolvendi a censuris, etiam de Papalibus intelligitur, alias nihil concederetur, quia quilibet approbatus potest absolvere a non reservatis, ut *Bon. n. 11. & Salm. l. c. cum Nav. Azor. Cand. &c.* Pariter in Jubilæo, concessa facultate ab omnibus censuris reservatis, intelliguntur comprehensæ ex communi usu etiam reservatæ Episcopis, *Croix l. 7. n. 132. & 149. cum Suar. & Dic.* An autem, data potestate absolvendi a censuris tam a jure, quam ab homine latis, comprehendantur censuræ ab Episcopo specialiter latæ? Affirmant apud *Croix n. 133. Avil. Henr. &c.* Negant *Vasq. Hurt. &c.* Utraque est probabilis. Facultas autem concessa ab Episcopo de absolvendis casibus reservatis, non intelligitur data pro peccatis, quibus annexa est censura reservata; *Tamb. de Cas. R. c. 9. §. 1. n. 11.* Secus si talis concessio fiat a Papa; *Croix l. 7. n. 134.* Ratio, quia omnes casus Papales sunt principaliter reservati cum censura, & propter censuram; vide *l. 6. n. 580.*

„ *Tertia*. Qui habet potestatem absolvendi a 112
„ censuris Bullæ Cœnæ, habet etiam a quibusvis
„ Papalibus, & Episcopalibus a jure latis, etsi
„ aliqui negent de excommunicatione contracta
„ propter hæresim de qua aliqui probabilius affir-
„ mant, præsertim pro quibus alioqui concessio
„ per magnam partem esset inutilis.

Concessa facultate absolvendi a casibus Papali- 113
bus, non intelligitur a casibus Bullæ Cœnæ; quia in generali concessione non veniunt ea quæ Superior non fuisset concessurus, si specialiter de iis rogatus fuisset, ut dicunt *Bon. q. 3. p. 1. n. 12. Croix l. 7. n. 132. Salm. c. 12. n. 41. cum Suar. Cand. Ugolin. &c.* Certum autem est hodie, quod concessa facultate absolvendi a casibus Bullæ Cœnæ, non comprehenditur facultas absolvendi ab hæresi, licet occulta, ut decrevit Alex. VII. die 23. Martii 1656. & novissime rursus declaravit Bened. XIV. in Bulla *Convocatis*, emanata pro Jubilæo anni 1750. *n. 53.* Qui tamen *n. 7.* concessit in eodem Jubilæo facultatem absolvendi ab hæresi occulta, modo Pœnitens non habuerit complicem.

„ *Quarta*. Possunt Regulares per sua privile- 114
„ gia, sicut ab aliis censuris Papæ reservatis, ita
„ etiam absolvere duello certantes. Idem dic de
„ similibus casibus, post Constitutionem Clemen-
„ tis VIII. sicuti poterant ante eam: præterquam
„ in Italia extra Urbem; idque ex declaratione
„ ipsiusmet Clementis apud *Comitolum l. 6. mor.*
„ *Reg. l. 21. d. 83. Filliuc. t. 1. tr. 15. c. 1. Laym.*
„ *l. 3. t. 3. p. 3. c. 5.*

„ Resp. 4. Ampla etiam solet dari potestas a 115
„ censuris absolvendi in Jubilæis: in quibus dili-
„ genter considerandum, quid, quantum, & quo-
„ modo concedatur. Si enim detur potestas ab-
„ solvendi a casibus reservatis Papæ, etiam con-
„ ceditur potestas absolvendi a censuris Papæ re-
„ servatis; quia is non solet reservare casus, nisi
„ ratione censuræ adjunctæ. * (*Ceterum univer-*
„ *se loquendo, qui absolvere potest a peccato re-*
„ *servato, potest etiam a censura annexa, cum*
„ *nequeat absolvi peccatum, nisi prius censura*
„ *absolvatur, Salm. c. 2. n. 38. cum Avil. Card.*
„ *&c.*) * Porro absolutio data confitenti bona fi-
„ de in Jubilæo, cum intentione lucrandi illud,
„ etsi postea vel sua negligentia, vel propter aliud
„ impedimentum non lucretur, est valida, tollit-
„ que censuram; secus si ab initio indulgentias
„ lucrari noluerit, eo enim casu probabilius est
„ absolutionem non valere, & tam peccata reser-
„ vata, quam censuram de novo debere tolli ab
„ eo,

„ eo, qui potest extra Jubilæum. * (Vide *dicta de Pœnit. l. 6. n. 536. ad n. XIII. & XXVI.*) *

DUBIUM VI.

Quomodo danda sit absolutio a censura?

116 *Quomodo absolvendæ censuræ in foro externo? et quomodo in interno?*
117 *An possit absolvi absens?*
118 *De eo qui absolutus est in Jubilæo.*
119 *De absolutione metu extorta.*
120 *An valeat absolutio, non satisfacta parte?* 121. *Quid si cum hac conditione sit concessa facultas?*
122 *An, secuta satisfactione, de se auferatur censura?*
123 *An valeat, et liceat absolutio sub conditione?*
124 *An possit dari absolutio ad reincidentiam?* 125. *An ad reincidendum requiratur nova culpa?*
126 *An censura possit absolvi extra Confessionem?*
127 *Ad absolvendas Censuras requiritur I. Satisfactio partis.* 128. *In quibus casibus possit reus absolvi ante satisfactionem?* 129. *Requiritur II. ut reus præstet juramentum non amplius committendi crimen, si sit valde enorme.* 130. *Requiritur III. ut censuratus petat absolutionem.* 131. *Plura notanda. Quid si reus adhuc sit contumax, vel invitus, vel oblitus non petierit?*
132 *An valeat absolutio, si reus falsum exponat?*

116 „ Resp. Id statuendum esse ex natura tum „ censuræ, tum cujusvis absolutionis.

Ex qua circa absolvendi modum resolves.

„ 1. Ex natura rei non requiruntur certa verba, „ sed sufficiunt ea signa, quibus aperte significetur absolutio impendi. * (*Ad absolvendam censuram sufficiunt quæcunque signa externa, sed non sufficit sola voluntas Judicis. Suar. D. 6. sect. 9. n. 2. 5. et 6. Pal. D. 1. p. 11. §. 3. n. 1. & Salm. c. 2. n. 14. cum Cornejo, et Giball.*) *

„ In foro tamen externo communiter ferenda „ est forma cujusque Episcopatus. In foro autem conscientiæ hæc fere est in usu. *Ego te absolvo*, v. gr. *a vinculo excommunicationis, suspensionis* &c. *quam incurristi propter* NN. (talem causam) *et* (si sit excommunicatus) *restituo te Sacramentis Ecclesiæ, et communioni fidelium*, (*aut* si sit suspensus) *executioni tuorum ordinum, vel officiorum.* In *nomine Patris*, &c. In publica autem ac solemni absolutione præmittitur Psalmus Miserere, & ad singulos versus pœnitentis humeri denudati leviter percutiuntur (nisi ex justa causa talis cæremonia videatur omittenda, præsertim in fœminis); tum adjectis precibus absolvitur, & in Ecclesia introducitur. Idem modus fere „ servatur in absolutione mortuorum, nisi quod „ sepulchrum virga percutiatur. *Rituale Romam.*

„ 2. Absolvi a censura potest absens; * (*Certum est quod absens sicut potest ligari censura, ita absolvi, ex c. De manifesta. 2. q. 1. c. Quanto. 2. q. n. 5. Ceterum sine urgenti causa non licet absolvere absentem, Sanch. l. 2. c. 11. n. 14. Salm. c. 2. n. 16. cum Pal. Avil. Sayr. etc. qui notant, quod si obtinetur absolutio per procuratorem hic debet habere speciale mandatum censurati de obtinenda absolutione, ut constet de emendatione; debetque procurator implere, quæ mandans implere deberet, si præsens esset*) *, imo & invitus; etsi hoc communiter non liceat, ne censura contemnatur. Ratio, quia sicut pœna in absentem, & invitum potest statui, sic & auferri *Turr. Dian. p. 5. t. 9. R. 10.* * (*Vide infra n. 131.*) * 117

„ 3. Is, qui pluribus censuris est astrictus, potest absolvi ab una, relictis aliis, quia inter ea „ non est necessaria connexio. Unde si dicatur, „ *absolvo te ab omni vinculo, etc.* valet pro omnibus: ideoque si sic absolutus in Jubilæo forte „ omisisset invincibiliter peccatum habens annexam „ censuram idest excommunicationem, posset is „ postea ab eo peccato, per quemvis approbatum „ absolvi, cum non sit amplius reservatum, eo „ quod censura, ratione cujus tantum erat reservatum, sit sublata. (*Vide d. n. 131. in fine*) * 118

„ 4. Absolutio vi, aut metu gravi injuste incusso extorta non valet; imo novam excommunicationem incurrit, qui metum incutit. „ (*Ex c. unic. De his, quæ vi, etc. in 6. Secus tamen si metus non fuerit injuste incussus, nempe si extorta sit absolutio a Judice, qui nolebat absolvere, adhuc cessante contumacia. Ronc. c. 6. q. 6. et Cont. Tourn. t. 2. p. 459.*) * 119

„ 5. Absolutio data ab Ordinario, non præstita satisfactione, etsi sit illicita, valida tamen „ est, imo etiam data a delegato, modo non delegetur cum conditione satisfactionis: quæ si impossibilis sit, sufficit præstare cautionem, aut „ juramentum de satisfaciendo cum poterit. 120

Quær., utrum sit invalida absolutio censuræ data a delegato, non satisfacta parte, si illi facultas concessa est absolvendi cum clausula, *satisfacta parte?* Probabiliter negant *Sanch. de Matr. l. 3. D. 33. n. 6. Pal. D. 1. p. 51. §. 3. n. 6. Bon. q. 3. p. 9. Ronc. c. 6. q. 6. et Salm. c. 2. n. 25.* Nisi exprimatur in concessione, nullam fore absolutionem, hac conditione non impleta: alias, cum illa conditio sit de jure, intelligitur apposita ad monendum delegatum non ad limitandam facultatem. Sed probabilius affirmant *Suar. D. 7. s. 5. n. 42. Sporer suppl. p. 279. n. 214.* item *Vasq. Con. Sayr. ap. Pal. l. c.* & alii citati *l. 6. n. 537. v. Qu. VII.* cum communiori sententia, ut fatetur ipse *Palaus*. Ratio, quia prædicta clausula probabilius importat veram conditionem, ut in simili dictum est *eod. l. 6. n. 1115. circa fin.* Tanto magis quod cum Pontifices volunt tantum monere de aliqua obligatione, monitionem exprimunt per verbum, *hortamur, monemur*, & simile, cum vero adhibent ablativum absolutum, aliquid aliud 121

ex-

exprimere intendunt. Hoc tamen non obstante, non puto improbabilem (ut dixi) primam sententiam saltem ob auctoritatem DD. qui hic illud *satisfacta parte*, non interpretantur pro conditione. Omnes autem conveniunt graviter peccare Confessarium qui censuratum absolveret, parte non satisfacta. Vide tamen alia dicta *cit. n.* 537. *v. VII.*

122 Certum autem est, quod etiam secuta emendatione, vel satisfacta parte, ad cujus instantiam lata est censura, hæc non aufertur sine absolutione, quia licet, cessante contumacia, censura debeat statim absolvi, ex *c. cum consideres, De Sent. exc.* ex hoc tamen non infertur, quod sit jam absoluta; patet ex Prop. 44. damnata ad Alex. VII. *Quoad forum conscientiæ, reo correpto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*

123 „ 6. Dari potest absolutio sub conditione de futuro contingenti, cum sit actus jurisdictionis „ externæ, qui conditionatus esse potest. Communiter tamen non expedit sic absolvi: si enim reus absolutionem meretur, non debet apponi conditio; si non meretur, non debet absolvi. * (*Ideo illicita de se est talis absolutio, quamvis ex aliqua causa posset cohonestari, ut Ronc. ib. q. 2. cum Suar. Con. et Salm. c. 2. n. 11. et 12. Si quis excommunicet sic:* „ excommunico te, donec solvas: *Vel si quis ita absolvat*: Absolvo te, si infra mensem solvas: *facta solutione, tollitur censura, ut Pal. Henr. Avil. Con. Vasq. etc. cum Salm. ib. n.* „ 13.) *

124 „ 7. Potest etiam dari absolutio ad reincidentiam, idest pro certo actu, & tempore, quo „ transacto, reincidit: item sub certo onere, quo „ non impleto, censura reviviscat.

125 Quær. autem, utrum, censura absoluta cum reincidentia, (v. g. si intra mensem non satisfacias) requiratur nova culpa ad reincidendum? *Prima* sententia negat, quia tunc manet eadem prima censura, quæ non fuit sublata, nisi sub tali conditione. Ita *Suar. D. 7. sect. 8. n. 27. Bon. q. 3. part. 3. n. 16.* item *Hurt. Fill.* &c. ap. *Salm. c. 2. n. 5. Secunda* tamen probabilior sententia, quam tenent *Ronc. c. 6. q. 2. in fin. Pal. D. 1. p. 11. §. 2. n. 10. & Cont. Tourn. t. 2. p. 460. et Salm. n. 6. cum Avil. Henr. Con. Laym.* &c. docet requiri novam culpam. Ratio, quia primo censura non potest dici suspensa, cum non possit suspendi censura, nisi auctoritate Pontificis, ut dicunt *Salm. l. c. n. 2.* Ergo fuit sublata, & ideo sine nova culpa renasci non potest. Et idem dicendum ajunt *Salm. cum iisdem AA. ib.* si Pontifex a censura absolverit ad omnem effectum, etsi ad reincidentiam, quia, nisi aliud exprimat, censetur absolvisse modo ordinario. Secus tamen, si a censura absolverit ad aliquem effectum tantum, nempe ut censuratus reddatur habilis ad Beneficium obtinendum, &c. manente censura quoad alios effectus.

126 „ 8. Probabilius est, eum, qui habet potestatem absolvendi in foro conscientiæ a censura, „ posse id facere etiam extra confessionem, ut „ contra, *Nav. Suar.* & alios docet *Sanch. l. 8. de Matr. d. 16. Con. Dian.* &c. * (*Idem tenent Salm. c. 1. n. 44. cum Con. Ugol. Vide „ tamen l. 6. n. 593. v. Eandem, ubi diximus „ Episcopum non posse absolvere a casibus Papalibus occultis extra Sacramentum Pœniten- „ tiæ ex Declar. Gregorii* XIII.) *

Sed pro complemento hujus puncti hic sedulo 127 recensendæ sunt solemnitates requisitæ a jure, ut absolutio debite impendatur.

Requir. I. Ut reus prius satisfaciat parti, in cujus damnum commissum fuit crimen, ob quod censura lata fuit, nimirum furtum, percussio, &c. Nam, licet absolutio data, parte non satisfacta, fuisset valida, graviter tamen peccat absolvens, & tenetur illi damna restituere, quia ex officio tenebatur ei consulere. Ita communiter *Avil. Con. Henr. Card.* cum *Salm. c. 2. n. 22.* Sufficit tamen, cum creditor est in loco distanti, si reus pecuniam in loco tuto depositet, ut possit absolvi, ut bene notant *Salm. n. 21.* cum *Avila.*

Tribus tamen casibus posset reus absolvi, non 128 satisfacta parte. 1. Quando pars injuriam remittit; sufficit enim satisfactio damnificati, quin satisfiat Ecclesiæ, ut tenent *Salm. n. 20. Vide l. 6. n. 536. ad n.* XVI. Hinc, si percussus a Clerico remittat injuriam expresse, vel tacite, percussorem familiariter tractando, hic bene posset absolvi, *Avil. Nav. Sylv.* ap. *Salm. ibid.* II. Quando pars læsa rejicit justam satisfactionem oblatam, quia tunc jam per se satisfacit: *Salm. cum Card. ibid.* III. Quando reus impotens est ad satisfaciendum, quia tunc Judex eum absolvere bene potest, imo tenetur, & valet compelli, ut ait *Con.* ap. *Salm. c. 2. num. 21. ex c. Qua fronte. De Appell.* quia, cessante contumacia, debet reus absolvi. Reus tamen, qui non est solvendo, neç in toto, nec in parte, debet cautionem præstare, si potest: alias saltem juramentum solvendi, cum poterit, ex *c. Odoardus de Solut. & c. Ex parte 23. de verb. sign.* sed vide dicta *l. 6. n. 537. v. Si vero.* Hoc autem currit, si reus certe est debitor; nam si habet opinionem probabilem pro se, vel si sit dubius, cum melior sit conditio possidentis, non potest obligari, nisi ad summum ad præstandum juramentum solvendi, si de obligatione constiterit. Quod si debitor statim solvere non posset, nisi cum magno damno, aut incommodo, potest etiam, præstita cautione, absolvi; nisi pars idem incommodum ex dilatione pateretur, ut *Nav. Con. Avil.* cum *Salm. d. n. 21.* De hoc vide dicta *l. 3. ex n. 701.*

Requir. II. Ut reus ante absolutionem censuræ, 129 præstet juramentum de non committendo amplius tale crimen, colligitur ex *c. De cetero, & c. Ex tenore. De Sent. exc.* Hoc juramentum tamen exposcitur tantum ab iis, qui ob enorme crimen excommunicationem incurrunt, utpote sunt scandalose violantes Ecclesias, graviter percutientes Clericum, incendiarii, usurarii publici, notorii percussores Episcopi, vel Cardinalis, &c. Secus, si excommunicatio sit contracta ob alia peccata non ita gravia; & hoc currit tam in foro interno, quam externo. Ita comm. *Pal. D. 1. p. 11. §. 3. n. 4. & Salm. cap. 2. n. 18.* cum *Suar. Con. Hurt. Avil. Dian. Henr.* &c.

Requir. III. ex *c. Per tuas, De Sent. exc.* ut 130 censuratus absolutionem petat; ibi: *Nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sen-*

ten-

tentiam Ecclesiasticam contemnere videatur. At quia textus dicit, *non debet*, non autem *non potest*, ideo bene docet *S. Th.* 3. *p. q.* 24. *art.* 2. quem sequuntur *Pal. D.* 1. *p.* 11. §. 3. *n.* 9. *& Con. Avila, &c. cum Salm. c.* 2. *n.* 29. censuratum, modo sit emendatus a peccato, etiam renitentem valide posse absolvi.

131 Hinc autem notandum I. quod, si reus non sit emendatus, & peccatum habeat tractum successivum, ut hæresis, furtum, non potest absolvi, nisi a ferente censuram; secus tamen, si peccatum non habeat tractum successivum, ut perjurium, blasphemia, ut *Cont. Tourn. t.* 2. *p.* 457. *& Salm. n.* 28. Notandum II. cum *Ronc. c.* 7. *q. ult.* & *Salm. c.* 2. *n.* 30. & *ibi Pal. Suar. Sayr. Dian.* &c. quod aliquando ex justa causa etiam licite datur absolutio censurato adhuc contumaci, puta ob bonum publicum, vel ut reus facilius resipiscat. Notandum III. quod si privilegium sit factum Pœnitentibus, prout in Jubilæo, ubi datur eis facultas eligendi sibi Confessarium a quo absolvantur, tunc nequit absolvi invitus, quia usus privilegii pendet a voluntate privilegiati; ita *Pal. & Tourn. ll. cc.* item *Avil. Con. Corn.* apud *Salm. c.* 2. *n.* 39. cum *Ronc. l. c.* Secus, si privilegium sit in favorem Confessariorum, ut sunt privilegia Regularium, prout recte notant *Salm. ibid.* cum *Ant. a Spir. Sanct.* Notandum IV. quod aliquis pluribus censuris innodatus posset absolvi ab una, & non ab aliis; quare, si censuratus unius tantum petat absolutionem, odiose alias celando, ab illa tantum censetur absolutus, nisi Superior aliud exprimat, ex *cap. Cum pro causa c. Officii, de Sentent. excomm.* Vid. *Salm. c.* 2. *n.* 32. Si autem sine dolo alias celasset, judicatur absolutus ab omnibus, nisi constet absolventem aliud intendisse. Ita *Salm. ib.* cum *Cand. Gibal.* Et hæc absolutio valet etiam pro foro externo, si absolvens jurisdictionem habet in contentioso; si vero in foro conscientiæ tantum, sive in Sacramento Pœnitentiæ jurisdictionem solum habet, tunc reus qui omiserit confiteri inculpabiliter peccatum, cui annexa erat censura reservata, poterit tantum pro foro conscientiæ a quocunque postea absolvi, ut cum *Bus.* dicunt *Salm. n.* 33. *&* 34. cum *Con. Avil. Gibal.* &c. Idem dicunt ibi cum *Nav. Cov. Avil. Sylv.* &c. de absolutione generali, quam Prælati impertiuntur suis subditis in Visitatione. Excipiunt tamen cum *Bonacina, Avil.* &c. si aliqua censura exposcat satisfactionem partis, quia tunc non præsumitur Prælatus velle ab illa absolvere contra juris præscriptum, & in alterius præjudicium; ita præfati AA. & quidem probabiliter: sed *l.* 5. *n.* 597. probabilius esse diximus cum *Suar. Sylv. Conc. Antoine, & aliis*, quod Pœnitens confessus Superiori, etiamsi inculpabiliter fuerit oblitus peccati reservati, non est ablata reservatio, quia reservatio imposita est, ut culpæ cognoscantur a Superiore, utque debitis pœnitentiis puniantur, monitisque in futurum vitentur. Secus vero dicendum, si privilegium sit ipsi Pœnitenti concessum, ut in Jubilæo, &c. Vide *d. n.* 597.

132 An autem valeat absolutio, quando datur ob falsam causam, nempe si Judex absolvat, quia reus dicit jam se emendatum; vel parti satisfecisse, quod verum non sit? Respondetur negative, si deficiat causa principalis, secus, si minus principalis; vel si Judex certo conscius sit falsitatis, ut *Cont. Tourn. t.* 2. *p.* 459. *cum Suar. & Bonac. ac. Salm. c.* 2. *num.* 35. *cum Pal. Sayr. Avil. Henr. communiter*.

CAPUT II.

DE EXCOMMUNICATIONE.

DUBIUM I.

Quid sit, & Quotuplex?

133 *Quid excommunicatio? Quænam veniat illius nomine major ne, aut minor? & qui sint vitandi?* 134. *Resolutiones*.

135 *Quid requiratur, ut quis sit vitandus? Vide Constitutionem Conc. Constantiensis*. 136. *De* 1. *conditione, ut sit nominatim excommunicatus*. 137. *De* 2. *conditione, ut sit publice denunciatus*. 138. *An liceat toleratis cum aliis communicare?* 139. *An peccet inducens excommunicatum toleratum ad communicandum in Divinis, sine necessitate?* 140. *An idem de suspenso, & interdicto vitando?*

141 *Quando percussor Clerici sit vitandus?* 142. *An ad vitandum eum requiratur notorietas facti?* 143. *An sufficiat, ut alicui factum sit notum?* 144. *An requiratur etiam notorietas juris?* 145. *An percussor notorius in uno loco, sit vitandus in aliis, ubi non est notus*.

146 *Quando possit credi vitandus absolutus?*

„ Resp. Excommunicatio est censura, per 133
„ quam quis privatur communione Ecclesiæ. Est-
„ que duplex, minor, quæ tantum privat usu pas-
„ sivo, seu receptione Sacramentorum: & major
„ quæ etiam dicitur Anathema, ac in jure fere
„ semper nomine excommunicationis intelligitur.
„ * (*Habetur in c.* 5. *Si quem* 59. *De Sentent. excomm. quod nomine Excommunicationis intelligatur major, non minor, & ita AA. ap. Croix l.* 7. *n.* 177. *Per Anathema autem intelligitur Excommunicatio major lata cum majore solemnitate*) *; privatque omni communione Ecclesiastica, secundum dicenda. * (*Non dicitur simpliciter* omni communione: *nam etiam excommunicatus cum fidelibus tamquam membris unius corporis communicat in pluribus bonis spiritualibus; sed additur* Ecclesiastica, *idest pro bonis, quorum distributio ad Ecclesiam pertinet. Vide Salm. de Cens. c.* 3. *n.* 1.) *
„ Per hanc majorem excommunicatus rursus est
„ duplex: Toleratus, quem fideles non tenentur
„ vitare: non toleratus, quem tenentur vitare. Et
„ quidem post Conc. Constantiense, non tolerati
„ sunt hi tantum. 1. Notorius Clerici percussor,
„ de quo infra. 2. Quivis nominatim excommuni-
„ catus, & specialiter; ac publice denunciatus.

Un-

Unde resolves.

134 „ I. In Germania Catholici secure communicant „ cum iis, qui notorie sunt hæretici, & consequenter excommunicati, ac publice denunciati.

„ 2. Non teneris vitare eum, quem scis peccasse contra legem, per quam illi, etiam in particulari, sub pœna excommunicationis aliquid est vetitum, vel præceptum, quia requiritur, ut per sententiam expressam, & specialem, contra personam in particulari, post peccatum commissum, censura sit publicata, v. g. ut Joannes sit denunciatus, excommunicatus, vel saltem ita exprimatur persona, ut non liceat de ea dubitare, v.gr. excommunicamus talis loci Decanum, Prætorem. * (*Nota hic, quod agere rem sub excommunicatione majori vetitam, non excusatur a culpa gravi Salm. c. 3. n. 7. cum S. Th. Suar. Lez. & comm. Nota deinde, quod, si peccatum est vetitum sub censura ex eodem motivo, puta si vetetur homicidium, peccans unum peccatum committit; secus, si ex diverso motivo, ut si vetetur homicidium Clerici ob reverentiam status. Est commune cum Laym. c. 5. n. 1. Pal. Avil. & Salm. c. 3. n. 8.*) *

„ 3. Licet dicatur: *Excommunicamus Petrum*, v. g. *incendiarium, & ejus complices*, solus Petrus vitandus est, non vero alii, etsi sunt notorii: quia sententia quoad illos est tantum generalis, & non specialis contra certam personam.

„ 4. Non teneris vitare eum, qui privatim in conclavi est denunciatus, quia id non est factum publice; ad hoc enim requiritur, ut sententia legatur, vel affigatur alicui loco celebri, v. g. in templo tempore concionis, vel aliter pro more regionis ".

135 Notandum hic olim omnes excommunicatos fuisse vitandos; post Constitutionem vero Concilii Constantiensis, quæ incipit, *Ad evitanda*, (cujus exemplum nunc non extat, sed legitur ap. *S. Anton.* & *Sot.* ultra quod sufficit fuisse confirmatam a Martino V. in *Extrav. Ad Evitanda*) vitandi tantum sunt nominatim excommunicati, ac denunciati, ut publici percussores Clericorum; verba Const. relatæ *a Salm. de Cens. c. 3. n. 10.* hæc sunt: *Ad evitanda scandala... indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, vel aliis quibuscumque Divinis, vel extra prætextu cujuscunque sententiæ, aut censuræ a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare: nisi sententia vel censura ejusmodi fuerit contra personam, vel Collegium &c. vel locum certum, aut incertum a Judice publicata, & denunciata specialiter, vel expresse. Salvo, si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari: nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstineri, juxta Canonicas Sanctiones.* Sed inde additur: *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos suspensos, & interdictos, seu prohibitos, non intendimus in aliquo revelare, nec eis quomodolibet suffragari.*

Sunt igitur vitandi tantum nominatim excommunicati, ac denunciati, & deinde notorii percussores Clericorum. De singulis hic discutiemus.

Et quoad primos, ut aliquis excommunicatus 136
sit vitandus, juxta prælaudatum Decretum, requiritur I. Ut sit nominatim excommunicatus, expresso nomine per verba, aut signa indubitata, v. g. *Excommunico Prætorem Salmantinum*, & ita ut non possit cum alio Prætore æquivocari: ut notant *Sotus*, *Avil. Salm. c. 3. n. 15.* Ex quo infertur, quod non tenemur vitare hæreticos, etiamsi notorium sit hos esse a jure excommunicatos, nisi sint insuper nominatim excommunicati, & denunciati. Nec obstat 1. Decretum posterius Concilii Basileensis, quo sancitum fuit esse vitandos omnes notorie excommunicatos. Nam respondetur 1. cum *Turrecr. Salm.* & *aliis DD. comm.*, quod Decreta dicti Concilii edita post Schisma (prout hoc Decretum editum fuit) ab Eug. IV. fuerunt revocata; vide dicta *T. I. l. 1. n. 133.* Resp. 2. quod tale Decretum, quamvis legitimum fuisset, a contraria tamen consuetudine Ecclesiæ fuit abrogatum, & Decretum Concilii Constantiensis communiter fuit receptum. Ita communiter DD. Vide *Salm. n. 13.* Nec obstat 2. dicere; quod saltem ex jure divino tenemur publice excommunicatos, maxime hæreticos, vitare, ex illo ad *Titum 3. Hæreticum hominem post primam, & secundam correptionem devita.* Et ex *Ep. 2. Joan. Nolite eum in domum recipere, nec ave ei dixeritis.* Hoc enim respondetur intelligi præceptum, quando esset periculum, quod ab eo inficeremur, vel si scandalum adesset, aut si spes esset, quod delinquens ex vitatione resipisceret, *Salm. ib.*

Requir. II. ut reus publice excommunicatus pu- 137
blice etiam denuncietur. Circa quod non sufficit; si denunciatio fiat coram litigantibus, sed debet fieri in loco publico (prout in Ecclesia, tempore Missæ, vel concionis), & in charta affigi in loco publico, vel alibi juxta usum Regionis. *Pal. Disp. 2. part. 4. Salm. c. 3. n. 15. Croix l. 7. n. 185.* cum *Suar. Henr. Con. Avil. Hurt.* Et in dubio, an quis excommunicatus sit sufficienter denunciatus, non tenemur eum vitare, ut notat *Croix n. 186.* cum *Dic.* & *aliis*, nisi adesset periculum scandali. Sufficit tamen, ut teneamur vitare, si constet nobis esse illum denunciatum ſper famam publicam, vel per testimonium ſetiam unius personæ gravis authoritatis, ut *Croix ibid.* cum *Nav. Dic.* &c. Notandum II. quod excommunicatus a jure (nisi crimen sit notorium) debet prius a suo proprio Superiore citari, ut se defendat; *Salm. ib. n. 16.* juxta dicta supra *n. 55. in fine*. Et deinde debet publice ut excommunicatus denunciari, seu declarari. Sufficit autem, ut excommunicatus a jure tantum denuntietur tanquam talis, ut jam sit vitandus; *Salm. ibid. n. 15.* Non vero sufficit, si reus sententia declaretur tantum, quod commiserit crimen, cui annexa est excommunicatio, ut alias tenent sufficere *Suar. Sayr. Avil.* &c. apud *Salm. c. 5. n. 17.* Nam verius requiritur, ut expresse declaretur excommunicatus, ut docent *Sanch. Dec. l. 2. c. 9. n. 4. Pal. n. 6. Ronc. p. 84. q. 2. R. 1.* & *Salm. d. n. 17.* cum *Bon. Reg. Dian.* &c. quod probabile putat *Croix l. 7. n. 183.*) Ratio, quia in Decreto *Conc.*

Con-

Constant. & in Extrav. Martini V. dictum est, neminem esse vitandum, *nisi censura vel sententia ejusmodi fuerit a Judice publicata, vel denunciata specialiter, & expresse*. Ex quibus verbis *Gibal.* cum *Sanch.* addit nec sufficere, si declaretur reus incurrisse omnes censuras crimini annexas, nisi in specie denuntietur excommunicatus. Notandum III. quod, licet vitare non teneamur excommunicatum non denunciatum, possumus tamen vitare, etiam publice, eum qui publice est notus ut excommunicatus, uti recte dicunt *Avil.* & *Dic.* apud *Croix l. 7. n.* 184.

138 Notand. IV. quod etsi permissum sit aliis communicare cum excommunicato tolerato, attamen, prout patet ex verbis Concilii, ut supra, cuicunque etiam clam excommunicato interdictum est cum aliis communicare tam in Divinis, quam in humanis. Sed dubium hic fit, an liceat fidelibus cum illo communicare in Divinis, & sine necessitate? Dixi *in Divinis;* nam in humanis certum est semper licere. Dixi item *sine necessitate*, quia in casu necessitatis, vel specialis utilitatis, puta, si alius æque utilis non inveniatur, licite potest quisque ab excommunicato Sacramenta petere; ita *Suar. D.* 11. *sect.* 1. *n.* 15. *Pal. D.* 2. *p.* 5. *n.* 3. *& Salm. c.* 3. *n.* 23. *cum Con. & Cornejo*.

139 Quær. igitur, an liceat communicare in Divinis cum excommunicato tolerato sine necessitate, vel utilitate? Negant *Pont. l.* 5. *c.* 18. §. 9. *Suar. D.* 11. *sect.* 4. *n.* 10. *& Avila, Pal. ac Con. ap. Salm. c.* 3. *n.* 34. quia, licet communicans non agat contra præceptum censuræ, agit tamen contra charitatem, inducendo excommunicatum ad actum illicitum; nisi (excipiunt) ille esset paratus Sacramenta ministrare, aut nisi teneatur ea præstare ex officio, nempe si esset Parochus quia tunc alter utitur jure suo. Probabilius vero affirmant universe *Sanch. de Matr. l.* 7. *D.* 9. *n.* 8. *Pal. D.* 2. *p.* 5. *n.* 5. *Bon. p.* 2. §. 3. *n.* 4. *& Salm. c.* 3. *n.* 25. *cum Soto, Hurt. Sayr. Corn. Gib. Henr. &c.* Ratio, quia, quando excommunicatus rogatus communicat, v. g. Sacramenta ministrat, nec ipse tunc peccat; nam, si ipse adhuc peccaret, inutilis evaderet concessio facta fidelibus a Concilio, dum eis saltem indirecte, ratione charitatis, prohiberetur communicatio. Quare, cum fidelibus communicatio cum excommunicato universe concessa sit, indirecte indultum est etiam excommunicatis cum fidelibus petentibus communicare. Hoc tamen currit, si Sacramenta petantur ab excommunicato, quia, si petantur a Ministro existente in mortali, ad licite petendum requiritur equidem causa justa, secundum dicta *l.* 6. *n.* 88. *v. R. III.*

140 Notand. V. quod hæc, quæ huc usque dicta sunt de excommunicato, currunt pariter de suspenso, aut interdicto vitando in iis rebus, in quibus vi suspensionis, vel interdicti vetitum est eis communicare; ita ut usquedum non sint publice denunciati, possumus indifferenter communicare cum illis, quia Concilium loquitur universe de quacunque censura; *Pal. p.* 5. *n.* 8. & *Salm. c.* 3. *n.* 21. cum *Sayr. Caj. Gutt.* &c. *comm.* Et idem asserit *ib. Avila* de irregulari, qui si non sit denuntiatus non est vitandus; hinc ait licite posse fideles a Parocho irregulari, etiam ob publicum homicidium, sed non denunciato, petere Missam, & Sacramenta, cum Concilium loquatur tam de impeditis per censuram, quam per quamcunque sententiam, per verba to, *Cujuscunque sententiæ, vel Censuræ*.

Quoad vero *percussores Clericorum*, hi, ut sint 141
vitandi, requiritur ut sint notorii. Sed hic quæritur, an requiratur notorietas juris, vel facti? Notorium *juris* dicitur, quod notum est vel per sententiam Judicis, vel per confessionem rei in judicio, vel per sufficientem depositionem judicialem testium. Notorium autem *facti* dicitur, quod notum est majori parti Collegii, Monasterii, viciniæ, vel magno numero personarum, sive quod creditur mox venturum ad earum notitiam; nam ut bene notant *Salm. de Cens. cap.* 3. *num.* 19. cum *Bon. Hurt. Nav.* in magna Civitate non requiritur, ut factum sit notum majori parti civium; verum non sufficit contra, ut sciant 14. testes, ut dicunt *Salm.* cum *AA. cit.* Licet *Dicast. ap. Croix l.* 7. *n.* 128. putet, quod si percussio fiat in foro coram septem, dicenda sit notoria; secus, si fiat in domo privata, aut in Monasterio, vide dicta *T. I. l.* 3. *n.* 975. sufficit autem fama communis orta a viris fide dignis, & integre probata, quæ quidem jam præbet moralem certitudinem, ut *Pal. D.* 2. *p.* 4. *n.* 8. *Bon. D.* 2. *qu.* 2. *part.* 1. §. 1. *n.* 9. *Salm. c.* 2. *n.* 19. cum *Sayr. & aliis*. Putant tamen *Viva Q.* 3. *A.* 2. *n.* 5. *Avil.* & *Dic.* apud *Croix l.* 7. *n.* 447. non sufficere famam quod quis percusserit, sed requiri etiam famam quod publice percusserit. Imo docent *Suar. Mol.* & *Dic. ib.* non sufficere publicam hujusmodi infamiam, quando hæc non procedit ex notorietate facti per testes oculatos: alias dicetur crimen famosum, sed non notorium, & hoc *Croix* probabile censet ex verbis Bullæ, *Ad evitanda*, ut supra *n.* 135. ubi: *Si sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari*. Hinc, ut dicit *Viva l. c.* non erit notorius percussor, qui laborat publica infamia, quod Clericum percusserit, si revera ipse non percusserit publice.

His positis dubitatur 1. an sufficiat, ut percus- 142
sor Clerici sit vitandus, sola notorietas juris? Resp. negative cum communi; namque licet olim ante Concilium Constantiense sufficiebat notorietas juris, quia tunc omnis excommunicatus erat vitandus, nunc tamen requiritur etiam notorietas facti, ex verbis illis: *Quod factum non possit aliqua tergiversatione celari*. Ita *Suar. D.* 9. *sect.* 2. *n.* 11. *Pal. D.* 2. *p.* 4. *n.* 7. *Bon. D.* 2. *p.* 1. §. 1. *n.* 3. *Croix l.* 7. *n.* 180. *cum Laym. & Salm. c.* 3. *n.* 18. *cum Con. Avila*, &c. Advertendum tamen est, quod sicut est vitandus is quem per publicam famam constat fuisse notorium Clerici percussorem, ut dictum est supra, ita etiam vitare debemus eum qui per sententiam Judicis (juxta Concilium Constant.) denunciatus est vitandus, quia tunc per talem sententiam satis certi evadimus etiam de notorietate facti; vide *Croix l. c.*

Sed dubit. 2. an sufficiat, ut factum sit alicui 143
notum, quamvis aliis sit occultum, ut ille percussorem vitare teneatur? Affirmant *Suar. Dic. & alii* apud *Croix l.* 7. *n.* 179. quia factum jam illi notorie constat. Sed probabilius negant *Bonac.*

D.

D. 2. q. 2. p. 1. §. 1. cum Avilu, & Pal. l. 2. n. 6. cum Nav, Hurt. ac Con. & *Croix ibid. cum Pignat.* Quia ex verbis mox relatis jam satis apparet requiri ut crimen sit simpliciter notorium, idest pluribus notum, ita ut celari non possit.

144 Dubit. 3. An ultra notorietatem facti, ut percussor sit vitandus, requiratur notorietas juris, idest quod reus sit etiam in judicio confessus, vel per sententiam damnatus? Visum est alicui omnino negandum, casu quo factum nulla possit tergiversatione celari, ut supra; at probabiliter quidem affirmant *Avil. Cælest. Fag. Cov.* quos sequuntur *Salm. c. 3. n. 18. & 19.* & *Roncæ. p. 84. q. II. R. 2.* Ratio, quia dicit textus (vide *n. 135.*) quod ad obligationem vitandi percussorem requiritur ut constet, non solum percussisse, sed etiam censuram incurrisse, ita ut factum non possit celari, *nec* (nota ut additur) *aliquo suffragio excusari*. Ideo usquedum reus non sit in judicio confessus, aut condemnatus, semper aliquo suffragio valet excusari, dicendo v. g. se ad defensionem percussisse, ebrium fuisse, ignorasse censuram, &c. Huic sententiæ adhæret *Diana p. 5. tr. 9. Res. 60.* ubi dicit: „ quamobrem raro contingit percussionem Clerici ita notoriam esse facto, ut non possit aliquo juris remedio, aut probabilitate aliqua excusari". Et idem docent *Viva Q. 3. A. 2. n. 5.* & *Pignat.* apud *Croix l. 7. n. 181.* Quare, nisi saltem constet facto, quod percussor advertenter voluerit censuram incurrere, probabiliter nunquam est vitandus.

145 Dubit 4. an percussor Clerici notorius in uno loco, sit vitandus in alio, ubi non est notorius? Affirmant *Hurt. Bonac. Vasq.* apud *Salm. c. 3. n. 20.* quia a Concilio universe fuit declaratus ut vitandus, qui alicubi fuit notorius Clerici percussor. At probabiliter negant *Pal. n. 9. Sanch. Dec. l. 2. c. 12.* & *Salm. c. 3. n. 20.* Quia, ut dicunt, factum publicum in uno loco, non vere est publicum in alio, ubi communicatio cum excommunicato occulto non affert scandalum, quod præcipue voluit Concilium evitari. Et idem quod dicitur de Clerici percussore, dicendum de excommunicato in aliquo loco denunciato, modo notitia denunciationis non sit brevi in illum alium locum perventura, ut dictum est supra *n. 78.*

146 Ultimo hic notandum, quod, postquam noscitur quis semel esse denunciatus sive declaratus excommunicatus, tenemur eum vitare; donec constet nobis de absolutione vel per publicam famam, vel saltem per testimonium unius fide digni, uti habetur in *c. Sicut, 39. De Sen. exc.* Potest tamen ipsi excommunicato fides adhiberi, si alias sit fide dignus, & timoratæ conscientiæ, asseratque absolutionem recepisse, vel se gerat ut absolutum. Ita *Croix l. 7. n. 188.* cum *Nav. Avil. Dic.* & *Henr.*

DUBIUM II.

Ob quam causam incurratur, & quem effectum habeat excommunicatio minor?

147 *Ob quam causam incurratur excommunicatio minor?* 148. *An Episcopus possit alicui interdicere Sacramenta? effectus directus excommunicationis minoris est privatio suscipiendi Sacramenta.*

149 *An sit privatio etiam ministrandi?*

150 *Effectus indirectus est privatio electionis passivæ ad Beneficia.*

151 *Incurritur communicando cum vitando.*

152 *An sit mortale recipere Sacramenta cum excommunicatione minori? An ministrare?* 153. *An incurratur cum solo veniali?* 154. *Et an hoc veniale possit omitti in Confessione?*

155 *Quis possit absolvere ab ea? An etiam a quocunque, qui potest absolvere venialia?* 156. *Quis incurrat remissive.*

„ Resp. incurritur ob unicam tantum cau- 147
„ sam, si quis nimirum cum excommunicato ma-
„ jore excommunicatione communicet iis casibus,
„ quibus non licet; effectus est privatio Sacramen-
„ torum perceptionis. V. *Laym. l. 1. t. 5. p. 2.*
„ *c. 3.*

Quoad causam igitur, excommunicatio minor 148
de jure incurritur tantum ob communicationem cum excommunicato vitando. Hoc tamen non impedit, ut docent *Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 5.* quominus Episcopus in pœnam alicujus criminis possit nominatim alicui interdicere usum passivum Sacramentorum, vel saltem Communionis. Quoad effectum vero, excommunicatio minor unicum tantum effectum directum habet, nempe privare perceptione Sacramentorum, ex *c. Si celebrat, de Cleric. exc.* Ibique dicitur graviter peccare, qui hac excommunicatione irretitus Sacramentum aliquod suscipit, ut est commune apud DD. valide tamen recipere. Vide *Salm. de Cens. c. 3. n. 159.*

Sed magnum dubium est, an hic peccet, Sacra- 149
menta ministrando? Commune est inter DD. (contra *Vasp.*) non peccare graviter, quia in *d. c. Si celebrat*, postquam Pontifex dixit peccare graviter, si Sacramenta recipiat, addidit: *Peccat autem conferendo Sacramenta*, sed non dixit *graviter*. Hinc probabiliter sentiunt *Pal. D. 2. p. 21. n. 8. Sayr. Con.* & *Avil.* apud *Salm. c. 3. n. 160.* saltem peccare venialiter. Attamen *Bon. D. 2. q. 3. n. 4.* & *Nav. Sayr. Vill.* aliique multi apud *Croix l. 7. n. 190.* cum *Bos. hic n. 3.* & *Salm. c. 3. n. 161.* tenent nec etiam venialiter peccare quia in nullo jure reperitur vetita ei ministratio, sed tantum perceptio Sacramentorum; immo expressum in cit. textu habetur: *Cum non videatur a collatione, sed participatione Sacramentorum remotus.* Cum autem dicitur ibi, *Peccat conferendo*, intelligendum, (dicunt citati DD.) quando Minister ad conferendum aliquod Sacramentum, ante illud aliud Sacramentum suscipere debet, nempe cum Episcopus confert Ordines Sacros, vel cum Sacerdos Communionem dispensat in Missa, opus est ei antea celebrare, & Eucharistiam suscipere, de quo casu specialiter loquitur textus, & tunc certe peccat, imo graviter. Utraque sententia est satis probabilis.

Habet autem excommunicatio minor & alium 150
effectum indirectum, qui est privatio electionis pas-

sivæ ad Beneficia, ut habetur ex *eod. c. Si celebrat*. Qui enim directe privatur susceptione Sacramentorum, prohibetur etiam indirecte Beneficia recipere, quæ ex institutione Ecclesiæ ordinantur ad receptionem Ordinum, & ad Missæ celebrationem. Et quamvis textus loquatur tantum de receptione per electionem; idem tamen communiter DD. intelligunt etiam de receptione per collationem, & præsentationem, tum quia eadem ratio currit; tum quia collatio, & præsentatio sunt quædam virtualis electio. Quare tam excommunicatus Beneficium recipiens, quam eligentes, præsentantes, & conferentes tunc graviter peccant, cum transgrediatur præceptum Ecclesiæ in re gravi. Ita *Laym. l. 1. Tr. 5. p. 2. c. 3. n. 5. Pal. D. 2. p. 21. n. 13. Bon. Disp. 2. q. 3. n. 7. Croix l. 7. n. 193. Salm. c. 3. n. 162.* cum *Suar. Avil. Sayr. Hurt. Henr. & communi*. Talis autem electio, &c. non erit de se irrita, sed irritanda, ut legitur in eodem textu, ubi sancitur: *Si scienter excommunicatus electus fuerit, ejus electio est irritanda*. Dubitatur ex cujus parte hæc scientia requiratur, ut electio sit irritanda. Adest triplex sententia. *Prima* docet requiri scientiam tantum ex parte electi, qui sciverit suam excommunicationem, & inhabilitatem ad Beneficium: ita *Pal. D. 2. p. 21. n. 19. Laym. l. c.* citans *Glossam d. c. Verb. scienter*, quæ dicit sufficere quod electus scienter communicarit cum excommunicatis. *Pal.* & *Laym.* adhæret *Croix l. 7. n. 195.* qui dicit saltem requiri quod electus memor sit suæ excommunicationis, dum Beneficium ei confertur; nam contra cum ipse ignorans bene capax sit Sacramentorum, sic etiam capax est Beneficiorum. Et hoc probabilius mihi videtur, quia illud, *Scienter*, verius ad *tò electus*, quam ad *tò excommunicatus* refertur. *Secunda* autem sententia requirit scientiam ex parte Electorum, ut *Avil. & Sylv.* apud *Laym. l. c.* atque idem tenent *Bon. Hurt. Reg.* apud *Salm. c. 3. n. 163.* Ex quibus sententiis *tertiam* demum probabilem sententiam deducunt *Salm. ib.* nempe requiri tam scientiam excommunicationis ex parte Electorum, quam scientiam inhabilitatis ex parte electi. Electores autem scienter conferentes Beneficium excommunicato nullam pœnam incurrunt. *Salm. d. n. 165. Avil. Dian.* &c.

151 „ 1. Cum jura dicunt, communicantem cum „ excommunicato incurrere similem excommuni„ cationem, sensus est, quod similiter, id est, „ vere excommunicetur, licet minore excommu„ nicatione.

„ 2. Propter communicationem cum excommu„ nicato minore excommunicatione, etiam nomi„ natim denunciato, nulla incurritur censura.

152 „ 3. Etsi excommunicatus minore excommuni„ catione recipiendo aliquod Sacramentum, non „ incurrat irregularitatem, graviter tamen peccat: „ administrando vero, probabilem est nec venialiter „ peccare. * (vide dicta *n.* 149.) *

153 „ 4. Incurritur hæc censura, etsi quis propter „ levitatem materiæ tantum venialiter peccet, v. „ g. confabulando cum nominatim excommunica„ to, quando non licet: secus, si sit veniale pro„ pter imperfectum usum rationis, quia pœna in„ fligitur propter actum, qui, quantum est ex se, „ sufficit ad mortale.

„ 5. Etsi peccatum veniale possit omitti in con- 154
„ fessione, non tamen illud, cui hæc censura est
„ annexa, ne Sacramentum in ea recipiatur. Un„ de etiam Confessarii ordinarie prius absolvunt
„ fideles ab omni vinculo excommunicationis, e„ tiam minoris, deinde a peccatis.

„ 6. Ab hac excommunicatione lata a jure ab- 155
„ solvere potest Parochus, & quisquis potest a
„ mortalibus: cum non sit reservata. An vero qui
„ potest absolvere a veniali habente annexam hanc
„ excommunicationem, possit etiam ab ipsa? Qui„ dam affirmant, ut *Nav.* & *Tolet.* & alii pro„ babilius negant: ut *Suarez, Coninc.* quia, sicut
„ hæc absolutio est distincta a Sacramentali, ita
„ etiam ad eam requiritur distincta jurisdictio;
„ quæ nusquam conceditur omnibus Sacerdotibus.
„ V. *Laym. l. 1. t. 2. p. 2. c. 3.*"

Quomodo, & quando incurratur hæc excommu- 156
nicatio minor ob communicationem cum excommunicato vitando? Vide *Dub. seq. ex n.* 168

DUBIUM III.

Quos effectus habeat excommunicatio major?

157 *Qui sint effectus mediati excommunicationis majoris? I. Irregularitas ob exercitium Ordinis. II. Suspicio de hæresi, si per annum insordescat.*

158 *Qui sint effectus immediati? I. Privatio susceptionis Sacramentorum licitæ; & etiam validæ quoad Pœnitentiam.* 159. *An excommunicatus sine culpa suscipiens Pœnitentiam valide absolvatur ante absolutionem censuræ?* 160. *Plura notanda.* 161. *An excommunicatus teneatur tollere impedimentum excommunicationis ad implenda præcepta?*

162 *II. Privatio communium suffragiorum, &c.* 163. *An possint offerri Sacrificia &c. nomine Ecclesiæ pro excommunicato vitando, si non stet per ipsum quominus absolvatur* 164. *Ab possint offerri pro excommunicato tolerato?*

165 *III. Privatio administrandi Sacramenta. An peccent fideles sine causa recipientes Sacramenta ab excommunicato tolerato?* 166. *An excommunicatus vitandus valide ministret Sacramenta?* 167. *An Sacram. Pœnitent.?* 168. *Quid si sit toleratus? & quid in articulo mortis?* 169. *An excommunicatus licite ministret Sacramenta?* 170. *Quando etiam vitandus?* 171. *Quam pœnam incurrat excommunicatus illicite Sacram. ministrans? An vitandus incurrat irregularitatem ministrans Pœnitentiam?* 172. *Quam pœnam incurrat recipiens Sacramenta sine necessitate a vitando?*

173 *IV. Privatio Divinorum Officiorum. Quomodo peccet communicans in Divinis cum vitando? Et an liceat recitare privatim Officium cum ipso?* 174. *An vitando liceat usus Sacramentalium, orare privatim in Ecclesia?* 175. *Quid si vellet interesse Missæ, &c.* 176. *Ad quid teneantur Clerici si excommunicatus nolit recedere? An alii assistentes peccent tunc mortaliter? Et an incurrant excommunicationem minorem?*

177.

177. *Quæ veniant nomine Divinorum Officiorum? An vitandus possit audire concionem, lectionem, &c. Quo modo debet expelli, alias Missa interrumpi? Et an inchoato Canone?* 178. *An excommunicatus teneatur ad Horas? Et an quando peccet dicendo Dominus vobiscum? Aut recitando cum alio privatim?*

179 *V. Nullitas Beneficii collationis, præsentationis, &c.* 180. *Plura notanda, & an idem dicendum de collatione Dignitatum, &c. Quid si ante excommunicationem fuisset præsentatus? Et an Beneficiatus faciat fructus suos?* 181. *An toleratus sit inhabilis ad Beneficia, Officia, &c.* 182. *An valida sit collatio Beneficii alicui, qui ignoret se esse excommunicatum?* 183. *An excommunicatus privetur fructibus Beneficii ante sententiam?*

184 *VI. Privatio communicationis forensis. An possit se defendere in judicio? An Agere? An testificari? An tueri alios?*

185 *VII. Privatio usus jurisdictionis.*

186 *VIII. Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ: Vide ib. plura notanda de pollutione Ecclesiæ, vel Cœmeterii, de exhumatione, comitantibus, sepelientibus, &c.* 187. *Quid si sit Hæreticus non denunciatus?*

188 *IX. Privatio communicationis civilis. Et* 189. *I.* Os. 190. *II.* Orare. 191. *III.* Vale. 192. *An liceant signa urbanitatis sine verbis?* 193. *An liceat resalutare?* 194. *IV.* Communio, *idest contrabere, cubare, habere societatem &c.* 195. *V.* Mensa. *Quid si casu accidat?*

196 *Quale peccatum sit communicare cum vitando?* 197. *Peccat graviter communicans I. In Divinis? II. In eodem crimine.* 198. *An sit mortale communicare frequenter cum vitando?*

199 *In quibus casibus communicans cum vitando incurrat excommunicationem majorem?*

200 *In quibus casibus liceat cum vitando communicare?*

157 „ Resp. Habet duplices mediatos, & immediatos, Mediati, sive remoti sunt hi.

„ I. Irregularitas, quam excommunicatus incurrit, exercendo actum alius ordinis.

„ II. Si excommunicatus toto anno in excommunicatione contumaciter persistat, &, ut jura loquuntur, insordescat, fit suspectus de hæresi, & contra eum, ut talem, procedi potest; *Trid. sess.* 25. *c.* 4. ideoque, si crimen grave, & beneficii privatione dignum commisit, privandus est beneficio; imo, etsi crimen non sit adeo grave, si tamen ad hæresis suspicionem purgandam citetur, tamquam hæreticus privari debet. *Bon. d.* 2. *q.* 2. *p. ul. ex Rebuff. Dian. Nav.* &c. * (*Insordescere est per annum animo pertinaci, & cum contemptu potestatis Ecclesiæ perseverare in eadem excommunicatione, sive in alia censura, ut dicit l.* 7. *n.* 287. *& probat ex Trid. sess.* 25. *c.* 5.) *

158 „ Immediati effectus sunt sequentes.

„ I. Privat susceptione, & usu passivo Sacramentorum; unde nullus excommunicatus, sive toleratus, sive non, potest ea licite recipere sub mortali, nisi excuset ignorantia invincibilis, metus mortis, infamiæ, jacturæ bonorum, &c. quia censura non obligat cum tanto rigore; *Laym. l.* 5. *t.* 5. *p.* 2. *c.* 2. (* *Et ita comm. docent Bon. D.* 2. *p.* 1. §. 1. *n.* 4. *& Salm. de Cens. c.* 3. *n.* 43. *cum Fill. Dian. Con. &c. nisi fiat in contemptum censuræ*). *

„ Dixi, *licite*, quia valide suscipit omnia, saltem quoad substantiam, præter Pœnitentiam, imo etiam hoc, si adsit ignorantia inculpabilis, dummodo cetera ad essentiam Sacramenti requisita non desint, quia per censuram non fit incapax absolutionis, nisi prohibeatur eam recipere, priusquam absolvatur a censura. *Bon. d.* 2. *p.* 2. *q.* 2. *ex Fill. Suar. Conc.* Nec obstare, etiamsi excommunicatio sit reservata, vel confessarius sciens peccata habere annexam excommunicationem, tamen ex malitia absolvat, docet *Dian. p.* 3. *t.* 4. *R.* 78. *ex Conin. Suar.* &c. & *p.* 5. *t.* 9. *R.* 53.

Duplex est sententia super hoc puncto; Alii negant excommunicatum, qui adhuc sine culpa suscipit Sacramentum Pœnitentiæ ante absolutionem censuræ, valide suscipere. Ita *Vasq. Sylv. Hurt.* &c. ap. *Salm. de Cens. c.* 3. *n.* 48. Ratio istorum, quia hic, ut membrum abscissum, excluditur omnino ab Ecclesia, ut possit in bonis ejus communicare. Sed oppositum verius est tenendum cum *Suar. D.* 10. *sect.* 3. *n.* 9. *Pal. D.* 2. *pag.* 2. *n.* 4. *Bon. p.* 2. §. 1. *n.* 1. *Croix l.* 7. *n.* 191. *Salm. n.* 47. & *Con. Cajet. Sayr. Dian. Fill. ac communissima.* Ratio potissima, quia Ecclesia non irritat Sacramentum Pœnitentiæ, neque ex parte Ministri auferendo illi potestatem, cum censura afficiat solum censuratum; neque ex parte Pœnitentis, cum hoc nullibi habeatur sancitum; nec Ecclesia sancire posset, dum Ecclesia nequit directe inhabiles reddere ad Sacramentum eos, qui ex jure divino habiles sunt. Vide dicta *l.* 6. *de Euch. n.* 265. *v. Quær. III.* 159

Hic autem notandum I. quod Minister conferens Sacramentum excommunicato tolerato peccaret quidem contra jus divinum, dando Sacramentum indigno; sed non peccaret contra præceptum Ecclesiæ, quia per Concilium Constantiense, ut supra, cuique permissum est communicare cum tolerato, etiam in Divinis; ita probabilius *Suar. D.* 10. *sect.* 2. *n.* 9. *Pal. D.* 2. *p.* 7. *n.* 4. *& Salm. c.* 3. *n.* 51. cum *Vasq. communiter*. Ex quo inferunt *Salm. ibid.* quod si excommunicatus cum ignorantia inculpabili, & alias dispositus petat Sacramenta, licite potest Minister illa ei conferre, eundem relinquendo in sua bona fide. Notandum II. quod excommunicatus, si recipit Sacramentum Ordinis, remanet suspensus, ex *cap.* 32. *de Sent. exc.* Utrum autem excommunicatus Ordinem suscipiens incurrat irregularitatem? Vide dicta *l.* 6. *de Ordine n.* 799. *v. Utrum autem*. Si vero suscipit alia Sacramenta, peccat quidem graviter, sed nullam pœnam incurrit; *Croix l.* 7. *nu.* 198. *cum Dic.* & *Salm. vid. l. c.* Notandum III. quod in articulo mortis probabilius potest ministrari excommunicato vitando Eucharistia, etsi ipse Sacramentum 160

tum

tum Pœnitentiæ non suscepisset, ut *Croix* cum *Suar.* & *Dic.* contra *Avilam*, &c. quia præceptum divinum de Viatico sumendo fortius obstringit, quam prohibitio generalis Ecclesiæ non sumendi Eucharistiam. Idem ait *Croix loc. cit.* de Sacramento Extremæ Unctionis citans *Suar. & Dicast.* Sed probabilius negant *Avila*, &c. *ibid.* juxta dicta *lib.* 6. *n.* 88. nisi infirmus non potuerit aliud Sacramentum recipere. Notandum IV. quod in dubio, an quis sit absolutus, an non, ab excommunicatione contracta, non est negandum ei Sacramentum, si ille petat, maxime si asserat esse absolutum, quia nemo præsumitur delinquere; ita *Suar. D.* 10. *sect.* 2. *num.* 12. *Con. p.* 2. §. 12. *num.* 2. *Pal. D.* 2. *p.* 7. *num.* 7. *Croix cap.* 7. *n.* 199. *& Salm. c.* 3. *n.* 3. *n.* 49. cum *Nav. Con.*

161 Quæritur hic, an excommunicatus teneatur tollere impedimentum excommunicationis ad implendum præceptum Missæ, vel annuæ Confessionis, & Communionis? Negant communiter DD. teneri quoad Missam, etiamsi negligens sit in obtinenda absolutione, nisi hoc faciat animo se eximendi ab obligatione audiendi Sacrum; ita cum *Bus. Bonac. q.* 2. *p.* 3. §. 1. *n.* 4. *& Salm. de Cens. c.* 5. *n.* 74. *& de Sac. Mis. c.* 6. *n.* 53. cum *Sa*, *Nav. Az. Con.* & alii, contra paucos. Secus tamen dicunt, quoad annuam Confessionem, & Communionem, cum hoc sit unum ex præceptis divinis, erga quæ tenemur tollere impedimenta. Ita *Salm. d. c.* 3. *n.* 74. *Cr. l.* 1. *n.* 794. *Tamb. de Comm. c.* 4. *n.* 41. V. dicta *lib.* 6. *de Euch. num.* 587. *& de Pœnit. n.* 663.

162 „ II. Privat, saltem non toleratos, communibus „ Ecclesiæ suffragiis, orationibus, & fructu Indul„ gentiæ, non tamen privatis. Unde non tantum „ quivis privatus, sed etiam Sacerdos potest, tam„ quam persona privata, pro excommunicatis ora„ re, etiam in publicis precibus, & sacro: imo „ actionem sacrificandi, prout pendet a merito pri„ vato operantis, offerre, vel ejus in Memento in „ particulari meminisse (*Hoc est certum cum S.* „ *Th. Sot. Pal. Salm. c.* 3. *n.* 38. *&c. comm.*

„ Dixi tamquam privata; quia, ut minister Ec„ clesiæ non potest. Hinc irritæ sunt, ac nullæ „ omnes preces, quas pro excommunicato, in per„ sona Ecclesiæ intercedentis pro ipso, Deo offert: „ adeoque privatur omnibus bonis, quæ in gratiam „ Ecclesiæ Deus concessurus fuisset.

163 Sed duæ quæstiones hic agitantur. Quæritur I. An possint offerri Sacrificia, suffragia, & Orationes communes Ecclesiæ pro excommunicato vitando, qui sit in gratia, nec per ipsum stet quominus absolvatur? Affirmant *Nav. Henr. Sayr. Avil. & alii* apud *Salm. c.* 3. *n.* 55. qui probabile putant; quia non præsumitur Ecclesia velle suis bonis privare amicum Dei, & non amplius contumacem. Negant vero longe probabilius *Croix l.* 7. *n.* 205. *ac Suar. Dian. Sot. Con.* &c. cum *Salm. n.* 56. Et videtur patere ex *c. A nobis*, 28. *De sent. Excom.* ubi dicitur, quod excommunicatus, *quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus*. Ratio, quia juste Ecclesia vult, ut non remittatur vinculum a se positum, nisi illud per absolutionem ab ipsamet auferatur.

164 Quær. II. An autem pro excommunicato tantum tolerato possint offerri Sacrificia, &c. etiam nomine Ecclesiæ? Adest duplex sententia probabilis. *Prima* negat cum *Bellar. l.* 2. *de Missa cap.* 6. *Suar. D.* 9. *sect.* 2. *n.* 17. item *Sotus*, *Avil. Bon.* &c. *ap. Salm. c.* 3. *n.* 59. Quia concessio communicandi fuit facta a Concilio in commodum solum fidelium, non autem excommunicatorum. Sed non minus probabilis est *secunda* sententia, quam tenent *Navar. c.* 27. *n.* 36. *Pal. D.* 2, *p.* 6. *n.* 16. *ac Con. Reg. Hurt. Dian.* &c. *cum Salm. n.* 60. Ratio, quia leges favorabiles cum omni amplitudine intelligendæ sunt; dum igitur fidelibus concessum fuit communicare cum toleratis, concessum etiam fuit orationes publicas pro eis offerre: nam communicare id etiam importat, ut habetur ex *c.* 28. *& c.* 38. *de Sent. excomm.* Tanto magis, quia jure antiquo non erat vetitum pro excommunicatis occultis suffragia pubblica offerre, prout colligitur ex *c. Cum ab homine*, *eod. tit.* & ipse *Suarez* fatetur; offerre autem Sacrificia pro excommunicato, hoc etiam directe cedit in commodum fidelium, tum spirituale ob meritum charitatis, tum temporale ob stipendia, &c. quæ hi percipere possunt ex oblationibus pro illo exhibitis.

„ III. Privat usu activo Sacramentorum, & ad- 165
„ ministratione. Quæ tamen excommunicato tole„ rato, & ad id requisito & se non ingerenti, „ quandoque est licita, v. g. si sit Pastor, cujus „ subditi teneantur audire sacrum, nec sit alius, „ qui celebret: imo, si etiam non Parochus forte „ rogetur, & invitetur ad celebrandum. Ac, licet „ communis doctrina sit apud *Laym. hic c.* 4. pec„ care fideles, si sine causa necessitatis, vel ma„ gnæ utilitatis talem inducant ad Sacramentorum „ administrationem, quando alius minister haberi „ potest, contrarium tamen est probabile ob fa„ cultatem concessam a Concilio Constant. cum „ talibus communicare; & hinc nec illum qui pe„ tit a tali Sacramentum, nec ipsummet excom„ municatum, si conferat, præcise ob censuram „ peccare, *Laym. l. c. n.* 5. ex *Soto*, *Sanch. l.* 7. „ *de matr. d.* 9. *n.* 8. Idem docet *Bon. d.* 2. *q.* 2. „ §. 2. *& Vasq. Suar.* &c. (*Vide dicta n.* 138. „ *&* 139.). * Non tolerato autem illicita est Sa„ cramenti administratio præterquam in casu ex„ tremæ necessitatis, extra quam valide illud ad„ ministrat, præterquam pœnitentiam, quia requi„ rit jurisdictionem, qua ipse caret. V. *Laym. hic* „ *c.* 2. *Bon. l. c.*

Ad majorem claritatem hujus puncti, videndum est, quando excommunicati conferant Sacramenta valide, & quando licite.

Hinc quær. I. An excommunicatus valide mini- 166
stret Sacramenta? Respondetur affirmative (excepto Sacram. Pœnitentiæ, ut infra). Ita docent *S. Th.* 3. *p. qu.* 64. *art.* 9. *ad* 2. & alii communiter cum *Salm. c.* 3. *n.* 26. Ratio, quia ubi essentialia Sacramenti concurrunt, non præsumitur (nec etiam posset) Ecclesia illud invalidare. Excipiunt aliqui Sacramentum Matrimonii; sed in eo adhuc probabile est cum *Croix l.* 7. *num.* 197. *Salm. de Matr. c.* 3. *n.* 46. utque diximus *l.* 6. *num.* 1082. quod valide assisteret Parochus excommunicatus, etiam vitandus; & etiam licite præberet licentiam alteri assistendi Matrimonio, juxta dicta *lib.* 6. *n.* 1084, *contra Croix l. c.*

Sa-

167 Sacramentum vero Pœnitentiæ certum est invalide ministrari ab excommunicato vitando sine necessitate. Ratio, quia ad hoc Sacramentum requiritur in Ministro potestas non solum Ordinis, sed etiam Jurisdictionis, qua ille privatus est ab Ecclesia, ut ex *cap. Omnis, De Pœnit. & Rem.* & ex *c. Ad probandam. De Sent. & re jud.* Et ita communiter DD. cum *Pal. Suar.* & *Salm. c.* 3. *n.* 27. Et hoc, etsi Confessio sit de solis venialibus, ut *Salm. ib.* Ex eadem ratione Parochus vitandus nequit alteri delegare jurisdictionem ad Confessiones suorum audiendas; *Croix l.* 7. *n.* 167. Intellige, nisi hoc posset Parochus vi privilegii specialis.

168 Dixi autem invalide ministrari Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato vitando; quia, si sit toleratus, profecto valide hoc Sacramentum ministrat: nam hic non privatur Jurisdictione, cum hoc expediat ad utilitatem fidelium; *Croix l.* 7. *n.* 217. & *Salm. n.* 30. *in fine cum communi*. Utrum autem excommunicatus vitandus possit valide & licite absolvere in articulo mortis? Vide dicta *l.* 6. *n.* 560. *v. Q. I.* ubi sententiam negativam tenuimus cum *D. Th. Fagn. Petrocor. Conc., &c.* contra sententiam communiorem, non vero communem, ut propter non omnem diligentiam adhibitam diximus *l.* 6. *n.* 88.

169 Quær. II. An excommunicatus aliquando licite conferat Sacramenta? Et hic distinguere oportet excommunicatum vitandum a tolerato. Toleratus enim, licet ei universe sit vetitum sub gravi Sacramenta ministrare, ex *c. Apostolicæ, De Cler. excom. min.* quando tamen est requisitus, semper licite potest quæcumque Sacramenta conferre, prout diximus *nu.* 139. Et probabiliter addit *Pal. D.* 2. *p.* 8. *n.* 3. quod, si festus dies occurrat, nec alius Sacerdos sit, qui Missam populo dicat, bene potest toleratus celebrare, etsi non rogetur; quia juste præsumitur populum petere Missam ad præceptum implendum; nisi alias hoc scandalum afferret.

170 Excommunicatus vero vitandus nequit etiam requisitus Sacramenta ministrare. Probabiliter tamen potest ministrare Viaticum, & etiam Extremam Unctionem, quando infirmus nequit aliud Sacramentum suscipere. An autem Parochus excommunicatus possit assistere Matrimonio? vel alteri licentiam assistendi præbere? Vide dicta de *Matr.* ex *n.* 1082. *ad* 1084. Dicunt autem probabiliter *Ronc. pag. ... qu.* 3. *Pal.* & *Salm. c.* 3. *n.* 36. cum *Con. Dian.* & *Corn.* quod excommunicatus vitandus etiam licite Sacramenta ministrat, quando alias grave incommodum, puta jacturam famæ, vel bonorum timeret; quia Præcepta Ecclesiæ non obligant cum incommodo gravi.

171 Quær. denique III. Quam pœnam incurrat excommunicatus illicite Sacramenta ministrans? Resp. Incurrit irregularitatem, sive sit vitandus, sive toleratus, ex *c. ult., de Cler. excomm. min.* Sic pariter, si solemniter baptizet, aut nuptias solemniter benedicat: secus si privatim, ut *Salm. c.* 3. *n.* 40. Sed dubium est, an excommunicatus vitandus invalide Sacramentum Pœnitentiæ ministrans, incurrat adhuc irregularitatem? Negat *Rich.*, & probabile putat *Suar.* apud *Salm. c.* 3. *n.* 41. quia tunc deficit actus consummatus. Sed communissime affirmat *Pal. D.* 2. *p.* 8. *n.* 15. *Suar. D.* 11, *sec.* 3. *n.* 15. *Bon. de Irreg. D.* 7. *q.* 3. *p.* 5. *n.* 6. *Tourn. t.* 2. *p.* 108. *Concl.* 1. & *pag.* 190. *n.* 3. & *Salm. c.* 3. *nu.* 41. Quia hic punitur actus etiam attentatus, quia jam satis consummatus dicitur, cum Minister intentat contra jus absolvere. Sed hæc ratio non suadet; potius hæc sententia mihi probatur ex *c. Si quis.* 7. *Causa* 11. *qu.* 3. ubi Martinus V. declarat irregularem quemlibet constitutum in Sacris, qui *post excommunicationem præsumpserit quasi in officio suo agere sicut prius*. Nota illud *quasi*, quod importat similitudinem actionis; ergo etiamsi invalide absolvat, irregularitatem incurrit.

Qui recipit igitur Sacramentum a vitando sine 172
necessitate, peccat graviter, & excommunicationem minorem incurrit. Qui autem recipit Ordinem ab Episcopo excommunicato vitando, incurrit etiam suspensionem ab exercitio Ordinis suscepti, ex *c. Cum illorum*, §. *fin. de Sent. Excomm.* Vide *Salm. n.* 42.

„ IV. Privat usu divinorum officiorum, ita ut
„ excommunicatus non tantum careat eorum fru-
„ ctu, sed etiam sub mortali iis nequeat interes-
„ se, parte notabili, ita ut moraliter censeatur
„ cum aliis communicare, nisi excuset ignoran-
„ tia, vel necessitas vitandi scandali. * (*Seclu-*
„ *so tamen scandalo, excommunicatus, etiam*
„ *Miss. inchoata, tenetur eam relinquere, si non-*
„ *dum consecraverit. S. Th.* 3. *p. q.* 83. *art.* 6.
„ *ad* 2.) *, aliave justa causa: *Bon. l. c. p.* 5.
„ §. 5. *ex Suarez, Fill.* &c. Similiter peccant
„ etiam alii, qui cum excommunicato vitando ei-
„ dem Missæ intersunt, ut ex communi docet
„ *Bon. l. c. n.* 9. contra *Durand.* quia participant
„ cum illo in divinis. Aliud tamen esset, si trans-
„ iens per Ecclesiam aliud tractaret, vel breviter
„ privatim, aut omnino separatim oraret, aut si
„ aliis unum sacrum audientibus, ipse aliud audi-
„ ret, quia sic moraliter non censeretur commu-
„ nicare cum aliis, nec conjungi ad unam ora-
„ tionem fundendam *Bon. l. c. n.* 6. *ex Suar.*
„ *Henr. Fill. Coninc.* &c. Ac, licet peccatum
„ hoc ex genere suo sit mortale, ex parvitate ta-
„ men materiæ subinde tantum est veniale, ut si
„ exigua pars Missæ, v. g. usque ad Evangelium
„ tantum cum illo audiatur. *Avila, Dian. p.* 3. *t.*
„ 5. *Res.* 21. vel si Horæ privatim cum eo reci-
„ tentur, *Dian. p.* 5. *t.* 8. *R.* 89. *ex Suar.*, & a-
„ liis novem. (*Ut tenent etiam Salm. c.* 3. *n.*
„ 63. *cum Con. Bon. & pluribus. Graviter ta-*
„ *men peccaret, qui cum vitando in Choro, vel*
„ *publice, & solemniter recitarent, ut Salm. n.*
„ 62. *in fine cum S. Th. Famulus autem, qui*
„ *jussu Domini excommunicati Officium cum il-*
„ *lo recitat, ne leviter quidem peccat, quia tunc*
„ *non communicat, sed tantum obsequium famu-*
„ *latus sui præstat. Ita probabiliter Croix l.* 7.
„ *n.* 211. *cum Suar. & Dic. ex c. Quoniam* 11.
„ *q.* 3.) *

Ad majorem intelligentiam advertendum, quod 174
non prohibetur excommunicato usus Sacratum Imaginum, & Reliquiarum, eas venerando; imo nec usus Aquæ benedictæ; & aliorum Sacramentalium, non quidem ut parcicipet fructum, quem illa producunt ex Benedictione Ecclesiæ, sed tantum ut ea veneretur, *Suar. D.* 12. *sect.* 3. *n.* 3.

Pal.

Pal. D. 2. p. 9. n. 14. & *Salm. c. 3. n. 67. cum Henr. & Sayro.* Potest etiam tempore, quo non celebrantur Divina, Ecclesiam ingredi ad orandum privatim, & seorsim ab aliis in distincto Sacello, ut communiter *Suar. n. 1. Pal. l. c. Bon. q. 2. p. 3. §. 2. n. 8. & Salm. c. 3. n. 68. cum Conin. & Cajet.* Qui addit posse etiam in eodem Sacello, ubi alii orant, privatim & ipsum orare, quia, private orando, minime cum aliis communicat. Imo dicunt *Salm. ib. cum Con. Bon. Dian. Turr. Palud. &c.* quod etiam dum Divina celebrantur, non prohibetur excommunicatus ab ingressu Ecclesiæ, ut se liberet a satellitibus; vel ex alia causa, etsi ibi privatim oret; quia tunc nullam habet cum aliis communicationem. Et ideo tunc non tenentur Sacerdotes cessare, nec eum repellere, nec alii a templo discedere.

175 Graviter autem peccaret excommunicatus, qui vellet audire Missam, vel interesse Officiis, & similibus publicis functionibus, ex *c. Illud, de Cler. exc. min.* & ex *c. fin. de Sent. exc.* Et, si monitus a Sacerdote nolit exire, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, ex *c. Eos, de Sent. exc.* Sicut illam etiam incurrit interdictus denunciatus, pertinaciter assistens Missæ, & omnes qui impediunt, ne excommunicatus, aut interdictus recedat, ut *Pal. D. 2. p. 9. n. 4. Bon. q. 2. p. 3. §. 1. n. 7. & Salm. c. 3. n. 70. ex c. Gravis de Sent. exc.* Item notandum, quod Sacerdos excommunicatus faciens coram se Missam celebrari, incurrit irregularitatem, *ex c. Tanta, de Excess. Prælat.* Vide *Salm. ib.*

176 Item si excommunicatus sit vitandus, & monitus non velit ab Ecclesia exire, tenentur Clerici eum (etiamsi esset Sacerdos) expellere, si possunt; aut si non possunt ab Officiis cessare & alia agere, quæ leguntur ap. *Bus.* alias graviter peccant, & excommunicationem minorem incurrunt, ex *c. Is qui de Sent. exc.* & *Clem. 2. eod. tit.* Sicque pariter dicunt *Bon. q. 2. p. 3. §. 1. n. 9.* & *Salm. c. 3. n. 72.* graviter peccare assistentes eidem Missæ, quam audit excommunicatus, nisi excuset aliqua necessitas, aut parvitas materiæ. Et hoc videtur probabilius quia in Missa necessario omnes audientes conveniunt in una oblatione. Quamvis *Suar. ap. Salm.* non improbabiliter dicat hanc communicationem adstantium culpam venialem non excedere; & hoc probabile putant *Pal. D. 2. p. 6. n. 5. & iidem Salm. c. 3. n. 82.* & *Sayr. Fill. Henr. Krim. ap. Croix l. 7. n. 207.* quia talis communicatio videtur nimis remota, & accidentalis, nisi illi sint etiam causa ut excommunicatus intersit. Hac tamen ratione non obstante, nullus Author hujusmodi assistentes excusat saltem a culpa veniali, & ab excommunicatione minori. Communiter autem docent *Bus. hic*, & *Pal. l. c.* cum *Suar. Sayr. Henr. Fill. Bon.* & *aliis* cum *Salm. c. 3. n. 73. ac Ronc. Q. 5.* quod, si adstantes audiant aliam Missam ab illa, quam audit excommunicatus, tunc nec ipsi, nec celebrans tenentur recedere, quia tunc nulla adest communicatio in eodem divino, & illa assistentia in eodem loco materialiter se habet.

177 „ Porro per divina officia intelliguntur sacrificium Missæ, publica oratio, processio, cantus „ horarum, benedictio olei, aquæ, candelarum, & „ cetera annexa ordini clericali, quæ solemniter „ fiunt, excepta concione * (*Nam audire concionem, sive lectionem Theologiæ, Canonum, &c. „ nec excommunicato, nec aliis cum ipso prohibetur, cum ibi nulla sit communicatio, argumento ex c. Responsio. De Sent. exc. Salm. „ c. 3. n. 73. Croix l. 7. n. 181. Ipse autem excommunicatus nequit concionari, aut legere, nisi sit toleratus, & ab aliis requiratur; aut „ nisi ad hoc teneatur ex officio, quia tunc præsumitur ab aliis requiri, ut Suar. D. 12. s. 2. „ n. 5. Pal. D. 2. p. 9. n. 5. cum Bon. & adhærent Salm. l. c. in fin.*) *, in quibus, licet „ alii fideles non teneantur vitare toleratum, tenentur tamen non toleratum sub mortali vitare * (*ex c. Is qui, de Sent. Exc.*) *; nisi „ vel levitas materiæ, vel ignorantia, aut simile „ quid excuset. Unde si talis præsens sit, moneri debet, ut recedat; si nolit, debet extrudi, „ vel exportari, licet sit Sacerdos * (*Ex c. Venient. de Sent. Exc.*) *; nisi tamen grave inde timeatur incommodum, ob quod si expelli „ non possit, omittendum est officium, etiam die „ festo; & celebrans nondum inchoato Canone, „ debet abrumpere Missam; si inchoavit, potest „ ceteris abeuntibus sacrum prosequi * (*Ut tenet Suar. & Henr. contra Bon. & Corn. ap. „ Salm. n. 71. in fin. qui merito utrumque probabile putant*) *, vel abrumpere, ob sententiæ utriusque probabilitatem; si consecravit, debet, solo ministro manente, pergere usque ad „ communionem inclusive; & reliqua perficere in „ sacristia, vel alio decenti loco. * (*ut certum „ est cum Salm. d. n. 71.*) * Quod si excommunicatus negligat procurare absolutionem, eo fine ut non audiat sacrum die festo, peccat mortaliter omissione sacri: secus si alia de causa negligat, * (*V. d. n. 161.*) *

„ Quod si etiam obligatus est ad Horas, non 178
„ excusatur ab illis, * (*Ita comm. Laym. c. 2. „ n. 7. Sayr. Cov. Avil. &c. cum Salm. c. 3. n. „ 66. Etiamsi teneatur ad Officium ex solo titulo Beneficii. Et si fructus illius Beneficii non „ recipit, hoc provenit ex culpa sua; Croix l. 7. „ n. 324. cum Pal. Suar. Nav. Laym. & Salm. n. „ 66. qui notat cum Cov. & Avila, quod si „ omnino privetur Beneficio, tunc non tenetur „ amplius ratione Beneficii recitare*) *. Etsi „ non debet dicere: *Dominus vobiscum*, sed, „ *Domine exaudi*. &c. * (*Si tamen diceret, „ Dominus vobiscum, venialiter tantum peccaret, ut Salm. c. 3. n. 64. cum Bon. & Henr. „ Immo Avila, & Hurt. ap. Pal. D. 2. p. 9. n. „ 8. & Nav. ap. Salm. l. c. dicunt nullo modo peccare, quando solus recitat, quia ly* Dominus vobiscum *erit tantum privata oratio pro „ aliis, sicut quando dicit in Inviatorio:* Venite adoremus) *. Si autem Horas cum alio „ privatim legat, venialiter tantum videtur peccare. * (*Quamvis enim in c. Excommunic. 11. „ q. 3. interdicitur excommunicato communicare „ cum aliis, etiam in oratione privata; at secluso scandalo & contemptu, non videtur materia gravis uti socio ad recitandum Officium „ privatim, sicut ad dicendam Rosarium. Ita „ probabiliter Tourn. t. 2. p. 482. Bon. q. 2. p. 3.*

„ §.

„ §. 2. *n.* 4. *& Con. Dian. Cov. Corn. Ugol. apud Salm. c.* 5. *n.* 63. *Si autem sit toleratus, nullo modo peccat, si recitet cum alio, ab eo requisitus, juxta dicta n.* 138. *v. Utrum*) *.

179 „ V. Collatio Beneficii facta excommunicato nulla est, uti & præsentatio, vel electio, institutio, „ & confirmatio. Ratio, quia excommunicatus, „ etiam toleratus, non potest communicare in officio, proindeque incapax est Beneficii, quod datur propter officium. Idque, licet ignoretur excommunicatio, quia ignorantia vincibilis, etsi „ excuset a culpa, non tamen supplet defectum „ conditionis requisitæ ad valorem actus; *Vid. Less. l.* 2. *c.* 14. *d.* 21. Imo probabile est, excommunicatum, quamvis Beneficio ante obtento „ non privetur, fructus tamen, & distributiones non „ facere suas; ideoque eas teneri restituere etiam „ ante sententiam judicis, quia est privatus officio; fructus autem datur propter officium, velut „ merces propter opus. Ita *Suar.*, & alii contra „ *Sanch.* & *Con.* qui probabiliter putant, ex consuetudine non teneri ante sententiam, modo per „ se vel alium inserviat Beneficio.

180 Plura hic notanda, & examinanda. Equidem nulla est omnis Beneficii collatio, electio, &c. facta in favorem excommunicati, ex *c. Postulastis, De Cler. exc. min.* Hinc notandum I. quod tunc non solum recipientes, sed etiam conferentes, &c. peccant graviter, & incurrunt, ultra excommunicationem minorem, etiam suspensionem a collatione, ex *cit. c.* Vide *Salm. cap.* 3. *num.* 96. & 97. Valida tamen est collatio, si Papa scienter conferat Beneficium excommunicato: vel si in concessione Pontificis adsit clausula absolutionis a censura ad effectum valide consequendum, nisi quis excommunicatus sit ob hæresim, quæ non comprehenditur sub generali absolutione; *Salmantic. n.* 98.

Notand. II. Quod idem quod dictum est de Beneficiis, dicitur de collatione, & receptione Dignitatum Ecclesiasticarum habentium jurisdictionem, prout Episcopatus, Prioratus, & similis; ita communiter *Suar. D.* 13. *sect.* 1. *n.* 6. *Bon. q.* 2. *p.* 4. §. 1. *n.* 2. *Pal. p.* 10. *n.* 9. *& Salm. c.* 3. *n.* 102. An autem idem procedat quoad Dignitates seculares? Affirmant *Salm. n.* 103. *cum Bon. Cornejo, Henr. Garcia, Ugol. &c.* quia excommunicati invalide exercent actus jurisdictionis. Negant vero *Pal. D.* 2. *p.* 10. *n.* 11. *ac Con. Fill. Giball. & Hurt. ap. Salm. ib.* (qui recte probabile vocant). Ratio, quia nullum habetur expressum jus de facto irritans collationem hujusmodi Dignitatum. Nec obstat, quod acta Judicis excommunicati sint nulla, prout probabilius docent *Suar. D.* 16. *s.* 1. *n.* 2. *Dian. p.* 5. *tr.* 9. *R.* 108. *Salm. c.* 3. *n.* 121. *cum Con. & Hurt.* ac ipse *Pal. D.* 2. *p.* 14. §. 2. *n.* 2. *cum Innoc. Panorm. Vasq. Laym. Bon. &c.* eo quod consuetudine jam receptum est, annullationem actorum pro Judice Ecclesiastico præscriptam in *c. cum audimus* 24. *q.* 1. *& in c. Tanta. De Excess. Prælat.* extendi etiam ad Judicem secularem. Nam respondetur quod licet excommunicatus impediatur a suo Officio externo, hoc tamen non efficit ut officii collatio sit nulla, post enim absolutionem valide & licite poterit talis Judex suo munere fungi.

Notand. III. Idem quod de Beneficio, dicendum esse de pensione Clerici, quæ datur in titulum Beneficii ob ministerium Ecclesiasticum; & de pensione Ecclesiastica, licet temporali, quæ datur ob Officium Ecclesiasticum prout Vicario, aut Coadjutori Episcopi; ita *Salm. c.* 3. *n.* 107. cum *Pal. Suar.* & *comm.* Secus autem, si pensio sit mere laicalis, vel etiamsi mixta (juxta dicta apud *Bus. l.* 4. *n.* 137.), ut probabiliter *Pal. Avil. Laym. Sa*, &c. cum *Salm. c.* 3. *n.* 108. Notand. IV. quod, si quis ante excommunicationem fuisset præsentatus, vel electus ad Beneficium, valide acceptat, & possessionem obtinet, etiamsi tempore acceptationis sit excommunicatus, quia acceptatio, seu possessio non sunt actus jurisdictionis, sed privati; ita *Pal. p.* 10. *n.* 18. *Bon.* §. 1. *n.* 6. *Cov. Avil.* &c. *cum Salm. c.* 3. *n.* 110. (contra *Suar. ap. Tourn. p.* 485. *q.* 2. qui sententiam *Suarii* vocat æque probabilem). Secus dicendum, si is erat excommunicatus tempore collationis, licet postea tempore acceptationis absolutus sit: est commune, vide *Salm. ib. n.* 111. Quare requiritur tunc nova collatio, quamvis probabile putent *Salm. ib.* cum *Less. Bon. Nav. Henr.* sufficere, quod collator sciens in prima voluntate perseveret. Notandum V. Quod excommunicatus Beneficium recipiens non potest facere suos fructus perceptos tempore excommunicationis; etiamsi postea absolvatur, & rite Beneficium reobtineat. Attamen eo casu, si pro illo tempore per se, vel alios satisfecerit officio annexo, potest fructus retinere; quia fructus Beneficii vacantis, ubi non est usus *Spolii*, spectant ad successorem, ut dicunt *Bon. D.* 2. *q.* 2. *p.* 4. §. 1. *n.* 5. *& Salm. c.* 3. *n.* 101. *cum Con. Alter. Henr. Diana, & Leand.* Ubi autem est lex *Spolii*, recte ait *Pal. D.* 2. *p.* 11. *n.* 1. *cum Nav. Henr. Con. & Avila*, posse tantum retinere fructus correspondentes servitio præstito. Imo probabiliter dicunt *Suar. D.* 13. *sect.* 1. *n.* 3. *Tourn. p.* 486. *v. Hic, Dian. p.* 3. *tr.* 9. *R.* 89. *& Salm. c.* 3. *n.* 100. *cum Con. & Cornejo*, quod si ille bona fide Beneficium recepit, & servitium præstitit, tunc licet teneatur Beneficium dimittere, potest tamen retinere, aut exigere fructus suæ congruæ sustentationi correspondentes pro tempore servitii præstiti; quia reipsa Ecclesiæ inservivit, & ratione illius operis dignus est congrua sustentatione.

Sed quær. I. An excommunicatus etiam tolera- 181
tus sit inhabilis ad Beneficia, Officia, &c.? Negant *Giball. Navarr. Dian. Hurt.* & probabile vocat *Less.* ap. *Salm. c.* 3. *n.* 104. quia Concilium Constantiense, concedens fidelibus cum excommunicato tolerato communicare, consequenter concedit excommunicato Beneficium recipere. Verius tamen affirmant *Pal. q.* 10. *n.* 3. *Suar. d.* 13. *s.* 1. *n.* 29. *Tourn. t.* 2. *p.* 484. *Qu.* 5. item *Avil. Con. &c. cum Salm. n.* 105. Ratio, quia, etsi concessum sit aliis cum tolerato communicare, excommunicatus tamen non potest officia præstare; quare collatio semper fit indigne. Exciperem, si in aliquo casu officia præstanda essent in commodum conferentium Beneficium, & petentium illius communicationem in prædictis officiis. Hinc licet in *c. Postulastis. De Cler. exc.* lata sit suspensio contra conferentes Beneficium excommunicato, tamen re-

cte

cte dicunt *Salm. n.* 106. hanc suspensionem sublatam fuisse ex Concilio Constantiensi.

182 Quær. II. An valida sit collatio Beneficii facta alicui inculpabiliter ignoranti, se esse excommunicatum vel non esse ab excommunicatione absolutum? Negant communius *Pal. n.* 4. *Less. l.* 2. *c.* 34. *n.* 117. *& Sanch. Cons. l.* 2. *c.* 2. *d.* 10. *n.* 6. *Suar. D.* 13. & alii *cum Salm. c.* 3. *n.* 99. Ratio, quia ignorantia excusat quidem a culpa, sed non tollit inhabilitatem. Dicunt tamen *Less. & Salm. ll. cc.* probabilem esse sententiam *Dianæ, & Baunii* cum *Fabro*, quod collatio tunc satis sit valida, quia Collator ad cautelam solet absolvere a censuris, dum alicui de beneficio providet, ad effectum scil. tantum præsentis collationis consequendum. Idque revera est satis probabile cum *Cabass. T. J. l.* 5. *c.* 11. *n.* 11.

183 Quær. III. An qui est excommunicatus post Beneficium obtentum, privetur fructibus ante sententiam Judicis, etiamsi per se aut per alium officium præstet? Affirmant *Conc. p.* 462. *n.* 29. *cum Suar. Fill. &c.* Sed probabilius negant *Pal. Sanch., Laym. Tourn. Salm. &* alii quos retulimus *l.* 3. *n.* 676. Post sententiam vero excommunicatus restituere quidem tenetur omnes fructus, donec absolvatur, etiamsi per se non stet, quominus absolvatur. Nisi esset pauper, quo casu sibi fructus tamquam pauperi applicare posset; ita *Laym. lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 10. *Pal. Dub.* 2. *p.* 11. *n.* 6. *& Salm. c.* 3. *n.* 117. cum *Avila, Sylv. Corn. &c.*

184 „ VI. Privat communicatione forensi. Unde ex-
„ communicatus nequit esse Judex, Advocatus, pro-
„ curator; licet pro semetipso respondere possit
„ ipse. *Conink. Præpos. Dian. p.* 5. *t.* 9. *Res.*
„ 111. * (*Et etiam Actorem reconvenire; &*
„ *hoc, etiamsi per alium commode possit se tue-*
„ *ri, ut Conink. Pal. Suar. &c. contra alios a-*
„ *pud Salm. c.* 3. *n.* 125.) * Item Actor, Tabel-
„ lio, Testis, &c. ita ut contra excommunicatum,
„ etiam toleratum, semper possit reus excipere.
„ * (*Ita ex c. Veniens, de Testib. c. Pia, de*
„ *Except. in* 6. *& c. Nullus* 3. *q.* 4. *Quamvis is*
„ *Actor excommunicatus valide agat, donec re-*
„ *pellatur, ut ex d. c. Pia. Dicunt tamen Dian.*
„ *& Lez. ap. Salm. c.* 3. *n.* 118. *non peccare gra-*
„ *viter Actorem, qui juste petit suum, si non re-*
„ *pellitur. Toleratus vero licite tuetur se, & a-*
„ *lios in judicio, ut Pal. punct.* 14. *n.* 14. *Salm.*
„ *ib. cum Avil. Vitandus tamen non potest alios*
„ *in judicio defendere; quamvis, si faciat, &*
„ *stipendium recipiat, non teneatur illud resti-*
„ *tuere: Nav. Av. Lez. Salm. ib. Exceptio au-*
„ *tem opponi potest etiam post sententiam ante*
„ *ejus executionem: Salm. n.* 119. *ex d. c. Pia*) *
„ Quod si non faciat, nec Judex eum repellat,
„ valida ejus acta erunt, si sit toleratus. Secus
„ est de Judice non tolerato, cum sit privatus ju-
„ risdictione. * (*Hoc recte putant esse probabilius*
„ *Salm. c.* 3. *n.* 121. *juxta dicta supra n.* 180.
„ *ad Not. II. Testis pariter vitandus valide te-*
„ *statur, si non repellitur; toleratus autem vali-*
„ *de, & licite, si ab una partium requiritur;*
„ *Salm. n.* 123. *cum Avil. & Pal.*) * Vid. *Lay.*
„ *c.* 2. *Dian. p.* 5. *t.* 9. *Resp.* 112. *et* 113. Non
„ potest etiam esse Tutor, aut Curator, *Dian.*
„ *p.* 5. *t.* 9. *Resp.* 115. *ex Sylv.* Neque testamen-
„ ti executor. *Dian. p.* 8. *t.* 9. *Resp.* 2. *ex Carp.*
„ &c. contra *Sanch. Lugo*, &c. si tamen non
„ fiat oppositio, valide exequitur, *ib.* Nec potest
„ ipse testari licite, etsi faciat valide, etiam cum
„ excommunicatum instituit hæredem. *Suar. Vill.*
„ *Merc.* &c. cum *Dian. l. c. Res.* 129. Denique
„ contractus omnes ab eo facti (etsi sint illiciti,
„ & ratione eorum non detur actio in foro exter-
„ no) durante executione, valent, nisi fiant ab
„ eo, ut persona publica, vel ministro ratione mu-
„ neris, & Beneficii; quia tunc spectant ad juris-
„ dictionem, quæ suspensa est. *Dian. p.* 5. *t.* 9.
„ *R.* 128. *ex Con. Fill. Merc.* &c.

„ VII. Excommunicatus non toleratus privatur 185
„ usu jurisdictionis. Unde non potest valide eli-
„ gere, conferre, præsentare, ferre leges, vel sen-
„ tentiam; & qui sic Beneficium a non tolerato
„ accepit, dicendus est intrusus, ac proindeque te-
„ netur, sine alia juris declaratione, Beneficium
„ una cum fructibus relinquere, * (*Ita commun.*
„ *Salm. c.* 3. *n.* 121.) *

„ Dixi, *non toleratus*, quia acta tolerati pro-
„ babile est esse valida ob bonum commune; gra-
„ viter tamen peccat, si absque necessitate talia
„ exerceat, * (*Et hoc certum est cum Salm. d.*
„ *n.* 121. *quod Judicem Ecclesiasticum in c. Tan-*
„ *ta de Exc. Prælat.*) *

„ VIII. Non toleratus privatur Ecclesiastica se- 186
„ pultura, ita ut non possit in loco sacro, seu
„ benedicto sepeliri; & si contrarium fiat, ac cor-
„ pora discerni possint, debet exhumari, nec in
„ eo loco divina peragi ante reconciliationem.

Ita ex *cap. Sacris. De Sepult.* Polluta autem Ecclesia, manet pollutum & cœmeterium, sed non contra, ex *c. Consuluisti de Cons. Eccl. in* 6. Si vero excommunicatus decessit cum signis pœnitentiæ, non est exhumandus, sed absolvendus, petita absolutione ab hærede; *Salm. c.* 3. *n.* 70. *cum Pal. & Corn.* Peccant graviter comitantes vitandum ad sepulturam, Clerici canentes &c. Vide *Salm. ibid.* Sepelientes autem illum incurrunt excommunicationem majorem, ex *Clement.* 1. *De Sepult.* Per *sepelientes* autem non intelliguntur comitantes, canentes, &c. An autem intelligantur procurantes sepeliri? Affirmant *Salm. c.* 3. *n.* 82. *Pal. Con. Suar.* Sed negant *Caj. Con. Avil. Henr. &c. ib. n.* 81. Recte dicunt *Salm. n.* 80. *in fin.* utramque esse probabilem.

„ Dixi *non toleratus*: quia Ecclesia non pollui- 187
„ tur, etsi hæreticus non speciatim denunciatus in
„ ea sepeliatur, ut docent *Suar. Laym.* & alii.
„ * (*Hinc tolerati licite sepeliuntur in loco sa-*
„ *cro, si cum signis pœnitentiæ a vita migra-*
„ *verint; Palaus q.* 6. *n.* 12. *Salm. c.* 3. *n.* 75.
„ *Nav. Con. Sayr.*) * Jure nihilominus id pro-
„ hibent Episcopi in Germania, eo quod inter ce-
„ teras pœnas non communicantium in Pasch., e-
„ tiam statuatur privatio sepulturæ Ecclesiasticæ.

„ Excommunicatus privatur omni alia civili com- 188
„ municatione fidelium, ita ut ipse non possit cum
„ aliis, &, si non sit toleratus, etiam alii cum
„ ipso non possint communicare; idque in casibus
„ hoc versu comprehensis:

„ I. *Os*, II. *Orare*, III. *Vale*, IV. *Commu-*
„ *nio*, V. *Mensa negatur*.

Ista eruuntur ex iis quæ declaravit Calistus Papa

pa in *c. Excommunic.*, 11. *Qu.* 3. ubi dixit: *Nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet; nec ave eis dicat, quia quicunque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta Apostolorum institutionem, & ipse simili excommunicationi subjacebit.* Non autem hic illud *simili* importat æqualitatem (scil. excommunicationem majorem), sed tantum similitudinem, prout excommunicatio minor similis est majori.

189 „ Dicitur I. *Os*, per quod intelligitur osculum, „ & omne colloquium, etiam privatum; item per „ nutus, literas, interuuncium, & quodvis signum „ benevolentiæ. (*Ut missio vel acceptatio munerum; Salm. c.* 3. *n.* 135. *cum Bon. Avila*, „ *Reg. &c.*) *

190 „ Dicitur II. *Orare*, id est omnis communica- „ tio in divinis, de qua supra. * (*Vide dicta* „ *n.* 173.) *

191 „ Dicitur III. *Vale*, quod comprehendit omnem „ salutationem (saltem honorificam) verbo, vel „ signo, vel amplexu, secundum quosdam, etiam „ resalutationem, eo quod sit actus observantiæ; „ sed contrarium videtur verius, quia est solutio „ debiti. Imo *Sayr.* &c. cum *Dian. t.* 5. *p.* 9. „ *Res.* 16. putant probabile, quod sola verbalis „ salutatio sit prohibita, non autem alia signa, „ v. g. aperiendo caput, &c. quæ urbanitatis cau- „ sa fieri solent.

192 Dubit. igitur 1. an liceat exhibere excommunicato signa urbanitatis, v. gr. adsurgendo, aperiendo caput, dando locum, sine tamen ulla expressione verborum? *Prima* sententia valde probabilis negat; & hanc tenent *Suar. D.* 15. *s.* 1. *n.* 3. *Pal. D.* 2. *p.* 17. *n.* 4. *cum Laym. Salm. c.* 3. *n.* 136. *cum Hurt. Escob. l.* 50. *num.* 254. *cum Vasq. & Silvest. ac Bon. D.* 2. *q.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 4. *cum Henr. Ugol. & Reg.* Ratio quia hujusmodi actus reverentiæ, esto solis nutibus fiant, & sine animo honorandi, sunt tamen quædam communicatio, & vera signa amicitiæ ac salutationis. *Secunda* vero sententia affirmat, modo absit animus salutandi; hanc tenent *S. Anton.* 3. *p. tit.* 25. *c.* 2. *in princ. cum Guil. Nav. c.* 27. *n.* 20. *cum Major. & Ang. Fill. tr.* 13. *n.* 85. *Spor. Suppl. p.* 134. *n.* 97. item *Sotus*, *Avila*, *Graff. & Sayr. ap. Pal.* Ratio, tum quia tales actus non exhibentur ut signa amicitiæ, aut communicationis, sed ut vitetur nota inurbanitatis; tum quia, esto hujusmodi actus involvant quandam salutationem, talis tamen salutatio videtur consuetudine introducta ut necessaria, non quidem ad honorandum excommunicatum, sed ne ille contemnatur. Hanc autem secundam sententiam merito vocant probabilem ipsi fautores primæ sententiæ, nempe *Bon. Pal. Salm. & Escob.* Maxime (ut ajunt *Croix l.* 7. *n.* 277. *Mazz. t.* 4. *p.* 316. *Bon. cum Suar. loc. cit. & Renzi t.* 1. *p.* 542. *qu.* 4. *cum Laym. & Pelliz.*) si excommunicatus sit Superior, vel persona publica, uti Episcopus, Prætor, &c. quia tunc prædicta signa potius exhibentur ad vitandum damnum, vel indignationem illius.

193 Dubit. 2. an liceat excommunicatum resalutare? Affirmant *Bus.* ut supra, *ac Fill. tract.* 13. *c.* 5. *q.* 3. *n.* 84. *Henr. & Krimer ap. Croix l.* 7. *n.* 277. & probabile putat *Pal. D.* 2. *p.* 17. *n.* 4. quia, ut ajunt, resalutatio illa non est exhibitio honoris, sed debiti solutio, quæ non videtur ab Ecclesia vetari. Sed probabilius negant *Bon. D.* 2. *q.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 4. *Holzm. p.* 382. *n.* 197. *& Salm. c.* 3. *n.* 136. *cum Avila*. Ratio, quia, cum vetitum sit salutare excommunicatum, ille non habet jus, ut resalutetur, eo quod in pœnam sui criminis est ille privatus. Et sic pariter probabilius dicunt *Bon. l. c. Croix d. n.* 277. *Viva de cens. q.* 3. *art.* 2. *n.* 9. *Salm. c.* 3. *n.* 136. *cum Avila*, *& Renzi p.* 541. *q.* 2. *cum Pelliz.* (contra *Sa*, *et Henr. ap. Vivam l. c.* quorum opinionem probabilem putat *Mazz. t.* 4. *p.* 316.) neque esse licitum excommunicato rescribere. Ratio est eadem, ut supra, quia, cum prohibitum sit communicare cum excommunicato, ille non habet jus, ut ei rescribatur. Ceterum quoad resalutationem non audeo primam sententiam dicere improbabilem, quia licet excommunicatus non habeat jus, ut resalutetur, tamen resalutatio illa non videtur proprie actus honoris, & contra negatio illius videtur quidam actus contemptus, vel saltem inurbanitatis. Quoad rescriptionem vero non valeo acquiescere sententiæ oppositæ, quia rescriptio videtur vera communicatio.

Qui autem excommunicatum injuriis afficeret, vel ei diceret, *Deus te illuminet*, *convertat*, *etc.* nullam quidem censuram incurrit; ita communiter *S. Anton. p.* 3. *tit.* 25. *c.* 2. *in princ. Salm. c.* 3. *n.* 136. & *Croix l.* 7. *n.* 276. & 277.

„ Dicitur IV. *Communio*, quæ comprehendit o- 194
„ mnem contractum: qui tamen validus est, si
„ fiat (*Ita Salm. c.* 3. *n.* 138. *cum Pal. Con. Av.*
„ (*contra aliquos*), *ex c.* 32. *de Sent. Exc. etc.*
„ *illicitum autem est excommunicato testari, licet testamentum sit validum, nisi ille sit usu-*
„ *rarius. V. Salm. c.* 3. *n.* 139.) *, item cohabitationem, cooperationem, societatem, v. g.
„ in contractibus, ita ut moraliter censeatur communicare; quod prudens æstimabit: unde nec
„ iter cum eo, tanquam cum socio, facere licet.
„ * (*Nec licet cum eo collaborare, sedere, sub*
„ *eodem tecto vivere, dormire: intellige per modum societatis; nam alias cubare tantum ad*
„ *quiescendum, etiam in eodem lecto, non vetatur, ita probabiliter Suar. D.* 15. *sect.* 2. *n.* 8.
„ *Bonac. part.* 6. §. 2. *n.* 8. *Pal. D.* 2. *p.* 17. *n.*
„ 5. *et Salm. c.* 3. *n.* 137.)

„ Dicitur V. *Mensa*, per quam intelligitur o- 195
„ mnis convictus, & convivia, per modum societatis, & commercii; qualis non est, si casu in-
„ cidas in idem hospitium, iter, mensam, imo le-
„ ctum. V. *Bonac. dist.* 2. *q.* 2. *p.* 6. §. 1. *et* 2.

Non licet igitur communicare cum excommunicato in eadem mensa formaliter; idque accidit quando excommunicatus invitat alterum ad cœnam; aut quando aliquis vitam communem agit cum excommunicato, esto non vescatur eisdem cibis, ut evenire solet in Monasteriis, & Seminariis, in quibus tametsi diversæ sint mensæ in eodem Refectorio; nihilominus omnes censentur communicare in eadem mensa & refectione. Idem est quando multi invitantur ab excommunicato, & in eodem cubiculo accumbunt, licet in diversis mensis; secus si accumbant in mensis valde disjunctis, seu dispositis in diversis cubiculis; ita *Suar. D.*

15. *sect.* 2. *n.* 6. *Salm. d.* 3. *n.* 140. *& Bon. D.* 2. *q.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 6. *cum Henr. Avil. Sayr. Fill. Reg. & Ugol.* Secus etiam, si quis ederet cum excommunicato in diversorio, adhuc in eadem mensa, ubi, tamen unusquisque sibi intendit, ut *Suar. Salm. & Bon. ll. cc. cum Sayr.* & alii. Item secus, si quis casu conveniat cum excommunicato in eadem domo, itinere, vel mensa; *Holzm. p.* 382. *n.* 197. *Spor. Suppl. c.* 3. *n.* 97. *& Pal. D.* 2. *p.* 17. *n.* 5. *cum Suar. Laym. Sayr. & Hurt.*

196 „ Quæres 1. Quale peccatum sit communicare „ cum excommunicato non tolerato? Resp. Com„ municatio in divinis censetur mortale propter „ gravitatem materiæ; in civilibus autem (etsi „ inducat minorem excommunicationem), secluso „ tamen contemptu, tantum est veniale regulari„ ter. *Suar. Bon.* &c. *Dian. p.* 7. *t.* 11. *R.* 47. * „ (*Ita etiam S. Th.* 3. *p. q.* 23. *n.* 3. *Salm. c.* 3. „ *n.* 7. *& n.* 127. *cum Lez. Suar. & comm.*) quod „ addo, quia aliquando est mortale, ut si quis cum „ excommunicato communicet in eodem crimine, „ v. g. si quis concubinam excommunicatam co„ gnoscat.

197 Distinguendum inter peccatum, & pœnam communicationis cum vitando. Quoad peccatum in duobus casibus communicans certe peccat graviter. I. Si communicat cum eo in divinis nisi excuset parvitas materiæ, juxta dicta *n.* 173. *&* 176. II. Si communicat in crimine criminoso, idest in eodem crimine, sive contumacia, ob quam lata est excommunicatio, v. g. si quis suam concubinam excommunicatam post excommunicationem iterum cognoscat, ut habetur ex *c. Concubinæ; De Sentent. excomm.* Vel si quis post excommunicationem latam in aliquem ob furtum, concubinatum, &c. impendit ei auxilium, aut consilium, ne restituat, ne concubinam dimittat, vel ne exeat ab excommunicatione; ita *Bon. q.* 2. *p.* 6. §. 1. *n.* 8. *Suar. D.* 15. *s.* 7. *n.* 4. *& Salm. t.* 3. *n.* 133. *ex c. Nuper.*

198 Dubit. autem, an sit mortale frequenter communicare in civilibus cum vitando? Adest duplex probabilis sententia. Negant *Nav. c.* 27. *n.* 30. *Pal. q.* 18. *n.* 3. *ac Sayr. Avila, Henr. Reg. Dian. Leand.* &c. apud *Salm. c.* 3. *n.* 128. Quia communicatio in civilibus de se est tantum veniale: veniale autem per quamcunque multiplicationem non fit mortale. Tunc autem dicunt *Nav. & Pal. cum Sayr. & Avila ll. cc.* frequentem communicationem esse mortale, quando ex ipsa communicatione crederet communicans excommunicatum sumere occasionem in sua contumacia perseverandi. Affirmant vero probabilius *Suar. D.* 15. *s.* 2. *n.* 11. *Bon. q.* 2. *p.* 6. §. *I. n.* 6. *Holzm. p.* 382. *Spor. Suppl. p.* 134. *n.* 99. *et Salm. c.* 3. *n.* 129. *cum Vill. Con. et Fill.* Ratio quia communicatio etiam civilis cum excommunicato vitando de se videtur materia gravis, quod maxime probatur ex *c. Excommunic.* 11. *q.* 3. ubi (ut diximus *n.* 188.) Calixtus Papa æque prohibet communicationem in Divinis, quam in humanis. Item probatur ex *cap. Exceptionem.* 7. *de Except.* ubi communicans civiliter cum excommunicato dicitur, *in periculum animæ suæ communicare;* periculum autem animæ utique importat periculum damnationis, quod nonnisi per culpam mortalem incurritur. Communicatio igitur etiam civilis tantum ex parvitate materiæ potest esse venialis; ergo si actus multiplicantur, & conjunguntur, erit mortalis. Advertunt vero *Tourn. t.* 2. *p.* 489. *v. Dico* 1. *ac Suar. Holz. Sporer, et Salm. cum Con. ll. cc.* ad peccandum graviter non sufficere, si quis frequenter etiam per longum tempus sejunctim communicet cum excommunicato, sed requiri quod tales communicationes sint connexæ saltem per modum unius objecti voliti, nempe cum quis habet propositum formale, aut virtuale seu quasi ex habitu, sæpius communicandi longo tempore cum excommunicato, vel adsciscat eum sibi in socium, aut famulum.

Quoad pœnam vero, communicans cum vitan- 199
do sive in humanis, sive in Divinis, incurrit tantum excommunicationem minorem. In tribus autem casibus incurrit etiam majorem. I. Quando Clericus scienter communicat in Divinis cum excommunicato a Papa nominatim, & denunciato, ex *c. Significavit de Sent. exc.* Vide *Salm. c.* 3. *n.* 131. *cum comm.* II. Quando excommunicatio est lata contra aliquem, & simul contra participantes; tunc enim qui cummunicat cum illo (post monitionem tamen), incurrit excommunicationem majorem, & non potest absolvi, nisi ab eo qui absolvere potest principalem ita *S. Th. Suppl. q.* 23. *art.* 3. *Pal. p.* 18. *n.* 6. *et Salm. n.* 131. *cum Avila, Hurt.*, &c. III. Quando quis scienter communicat cum excommunicato vitando in crimine criminoso, juxta mox dicta *n.* 197.; & hic absolvendus tantum a quo principalis absolvi potest, ex *c. Nuper, de Sent. exc.* Ita *Salm. ex n.* 133. cum *aliis.* Addunt autem *ibidem* etiam Episcopum excommunicantem, excommunicationem majorem incurrere, si communicet in crimine criminoso.

Quæres 2. an aliquando liceat cum non tolerato 200
communicare?

„ Resp. quod sic, extra Divina, in his quinque „ casibus: * (*Qui habentur in c. Quoniam mul„ tos, Can.* 11. *q.* 3. *et in sequenti versiculo „ continentur.*

„ I. Utile. II. Lex, III. Humile, IV. Res i„ gnorata, V. Necesse.) *

„ I. *Utile* intelligitur in casu utilitatis ipsius 201
„ excommunicati, v. g. ut convertatur; sive al„ terius, ut ab excommunicato consilium petat, „ quod ab alio habere non potest; sive etiam u„ tilitatis temporalis, v. g. ut ab eo restitutio vel „ debitum ex contractu exigatur. Contractus ta„ men novos cum ipso inire non licet, etsi, si i„ neantur, sint validi, cum nulla sit lex irritans.

Licet igitur ob bonum spirituale excommunicatum monere verbis, vel literis, & ideo ante, vel postea, alia verba inserere, ex *c. Cum voluntate, de Sent. excom.* ac signa benevolentiæ ostendere. *Sot. Bon. Av. Salm. c.* 3. *n.* 142. Licet etiam concionem coram eo facere. An autem liceat in Theologia eum instruere? Negant *Con. Avil. etc.* Sed affirmant *Salm. c.* 3. *n.* 143. *cum Soto et Sayr.* quia in hoc jam est utilitas spiritualis excommunicati. Ob bonum autem sive spirituale, sive temporale aliorum, licet ab excommunicato concionem audire, consilium petere, si desit alius æque idoneus; *Salm. d. n.* 134. *cum Con. et Bon.* Licet etiam societatem prius initam cum eo continuare; item ab eo medicinas, vel eleemosynam

pe-

petere; ita *Pal. p.* 19. *n.* 2. *Suar. D.* 15. *s.* 4. *n.* 8. *p.* 6. §. 2. *n.* 10. *& Salm. c.* 3. *n.* 194. *cum Con. & Avila.*

202 „ II. *Lex*, idset in casu legis matrimonialis, „ quomodo uxori licet communicare cum marito, „ & contra, nisi factum sit divortium. *Dian. p.* „ 5. *r.* 8. *R.* 122. non tamen sponso de futuro cum „ sponsa, *l. c. R.* 126. *ex Sayr. Sanch. & Fill.*

Tam igitur excommunicato, quam ejus Conjugi, licet petere, & reddere debitum, ut periculum incontinentiæ vitetur, & in aliis omnibus mutuo conversari: ita *D. Th. in* 4. *D.* 18. *q.* 2. *ar.* 4. *Bon. q.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 18. *& Salm. c.* 3. *n.* 14. *cum Suar. Sanch. et Pal.* ex *c. Inter alia.* 31. *de Sent. exc.* ubi permittitur tam Conjugibus quam filiis, famulis, &c. communicare cum excommunicato, ut debitum ei obsequium præstent. In tribus autem casibus nequeunt tales Conjuges inter se communicare. 1. Quando ipsi sunt jam per divortium separati, ut cum *Busemb.* ut supra, dicunt *Bon. n.* 21. *Salm. n.* 148. & alii communiter. 2. Quando excommunicatio lata est propter dubium valoris Matrimonii, ut *Tourn. t.* 2. *p.* 512. *Holzm. t.* 1. *p.* 383. *n.* 202. *et Bonac. ac Salm. ll. cc.* 3. quando alter Conjugum est ob hæresim excommunicatus, ex *c. Decrevit de Hæret. in* 6. vide *Salm. l. c.*

Dubit. autem 1. An quis possit communicare etiam in Divinis cum Conjuge excommunicato? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Salm. c.* 5. *n.* 143. *et* 154. *ac Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 14. *n.* 5. *cum Nav. et Henr.* Et probant ex *c. Quoniam*, ut supra, 11. *q.* 3. ubi generaliter Gregor. VII. videtur eximere Conjuges (sicut etiam filios, famulos, &c.) ab anathemate, si communicent cum excommunicato in iis, in quibus sunt soliti communicare. *Secunda* tamen verior sententia negat, & hanc tenent *Bon. q.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 22. *Conc. p.* 464. *n.* 36. *et Cajet. ac Armill. ap. Sanch. l. c.* Ratio, quia in *c. Inter alia* 31. *de Sent. exc.* Innoc. III. declarans præfatum textum Gregorii dicit uxores, & alios ut supra tunc tantum posse, imo & teneri cum excommunicato communicare, quando id est necessarium ad præstandum obsequium ei debitum; uxori autem, ut præstet debitum obsequium viro, minime est necessarium, quod cum eo communicet in Divinis.

Dubit. 2. An Conjux qui scienter nupsit cum excommunicato, possit deinde cum ipso communicare? *Prima* sententia valde probabilis, & communior negat, eamque tenent *D. Th. Suppl. q.* 23. *ar.* 1. *Suar. D.* 15. *s.* 4. *n.* 36. *Pal. D.* 2. *p.* 19. *n.* 15. *et Salm. c.* 3. *n.* 152. *cum Con. Ang. et Sayr. Tourn. t.* 2. *p.* 512. *Conc. p.* 464. *n.* 36. item *Fill. Cornejo, Gordon. etc. apud Boss. de Usu Matr. c.* 1. *n.* 286. Probatur ex dicto *c. Inter alia*, 31. *de Sent. exc.* ubi dicitur concedi facultas uxoribus, & aliis personis subjectis communicandi cum excommunicatis, eodem modo quo possent, & tenerentur ante excommunicationem; ergo, si subjectio contrahitur post excommunicationem, non datur ipsis licentia communicandi. Id probatur etiam ratione, quia subjectio illa fuit inique contracta, & inique acquisita, unde non debent eximi ab onere censuræ qui contra eam deliquerunt.

Secunda vero sententia affirmat, & hanc tenent *Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 14. *n.* 3. *Bon. D.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 18. *cum Ugol. et Alter. ac Boss. l. c. n.* 288. *cum Con. Turrian. Diana, et Villal.* & merito probabile vocant *Pal. et Salm. ll. cc.* Ratio, quia in *c. Quoniam multos.* 11. *q.* 3. Gregorium indistincte, & absque ulla restrictione concedit personis subjectis facultatem communicandi cum excommunicato. Nec obstat textus oppositus in dicto *c. Inter alia*, ex eo enim quod ibi dicitur, nempe subjectos teneri ad præstandum obsequium excommunicato eodem modo ac ante excommunicationem, minime evincitur non posse communicare, qui tempore excommunicationis subjectionem contraxerunt; imo in tantum ibi dicuntur subjecti teneri communicare, quia obligatio contracta præstandi debitum obsequium non eliditur ob excommunicationem supervenientem; unde sicut obligatio illa non cessat ob excommunicationem supervenientem, ita nec ob antecedentem. Neque obstat, quod nemo potest se obligare ad illicitum, prout est communicare cum excommunicato, nam hoc curreret quando quis directe se obligaret ad communicandum, non vero quando indirecte se obligat ratione contractus; Unde quamvis illicite subjectio fuerit contracta, cum tamen contractus fuerit validus (prout certum est esse validum Matrimonium cum excommunicato), ex eo bene oritur & viget obligatio debitum obsequium præstandi. Et quod hic dicitur de Conjugibus, idem dicunt præfati AA. de filiis, & famulis.

„ III. *Humile*, idest in casu subjectionis; quo- 203
„ modo possunt filii etiam emancipati. * (*Ut probabiliter dicunt Suar. D.* 15. *sect.* 5. *n.* 3. *Bon.* „ *p.* 6. §. 2. *n.* 29. *& 33. Pal. p.* 19. *n.* 10. *&* „ *Salm. c.* 3. *n.* 149. *cum Cornejo, & Sayr. con-* „ *tra Soto, Nav. &c. ib.*) * addit *Dian. p.* 5. „ *t.* 9. *R.* 118. *& 119. ex Con. Fill. Hurt.* &c. „ etiam adoptivi, imo etiam nepotes, pronepotes, „ & in eodem genere affines * (*Ut nurus, privigna, &c. Salm. c.* 3. *n.* 149. *cum Suar. Pal.* „ *Bonac. &c.*) * communicare parenti; servi, & „ ancillæ domino, si ante excommunicationem fue- „ rint in servitio. Similiter religiosi Prælato: non „ tamen, nisi quoad eam communicationem, quæ „ ab habitantibus in eadem familia evitari non po- „ test. *Dian. l. c. R.* 117. contra *Sotum*. V. *Fill.* „ *t.* 12. *c.* 8. *n.* 203. *Laym.* & *Bon. l. c.*

Sic pariter excusantur omnes servientes, etiam gratis, & tota familia excommunicati, ex *c. Quoniam*, & *c.* 34. *de Sent. exc.* V. *Salm. c.* 3. *n.* 150. Ita etiam Milites possunt communicare cum Duce excommunicato ex *d. c.* 34. Non autem vassalli cum suo Domino, ex *c. Nos Sanctorum* 15. *q.* 6. nisi quoad solutionem tributorum, si ligati sint juramento fidelitatis, ut *Salm. c.* 5. *n.* 150. cum *Suar. Av. Corn.* Attamen judico sæpe istos alias excusari, ratione necessitatis, vel utilitatis. Item Religiosi possunt communicare cum suis Prælatis excommunicatis; *Suar. D.* 15. *s.* 7. *n.* 2. *et Pal. D.* 2. *p.* 19. *n.* 18. *cum Bon. Sayr.* & communi, contra paucos.

An vero famuli excommunicati ejusdem Domini possint inter se communicare? Per se certe non possunt, cum in *cit. c. Quoniam* 11. *q.* 3. id eis non conceditur; possunt tamen per accidens, eo quod

quod moraliter obligantur simul cohabitare; ita *Suar. n.* 13. *Nav. c.* 27. *Bonac. D.* 2. *q.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 52. & *Pal. n.* 23. *cum Hurt. Sayr. et Ugol.* Hoc tamen intelligendum quando ipsi serviunt impulsi a necessitate se sustentandi, & insuper non possunt commode Dominum illum relinquere.

204 Notandum autem I. quod sicut filii, uxores, & famuli possunt cum excommunicato communicare, ita Parentes, Mariti, & Domini possunt communicare cum filiis, uxoribus, & famulis excommunicatis, *S. Th. suppl. q.* 23. *ar.* 1. *Pal. D.* 2. *p.* 19. *n.* 31. *Bon.* §. 2. *n.* 28. *et Salm c.* 3. *n.* 153. *cum Soto, Henr. Corn. Avila, Con. et Hurtado.* Notandum II. famulos, uxores, aut filios non posse communicare cum excommunicato in Divinis, nisi tantum in iis in quibus communicatio est necessaria ad præstandum obsequium illi debitum, ut mox supra diximus *n.* 202. Dub. 1. Hinc famuli licite comitantur Dominum ad Missam, ac licite jussi ministrant celebranti excommunicato, aut cum eo Officium recitant, ut dicunt *Suar. D.* 15. *s.* 5. *n.* 22. *et Salm. c.* 3. *n.* 154. Hoc tamen intelligendum, quando famuli vi contractus tenentur ad hujusmodi obsequia exhibenda; secus si non obligantur vi contractus, aut si obsequia illa sint extraordinaria, nec ad suum famulatum pertineant, ut recte ait *Suar. l. c.* Ubi bene pariter advertit non posse celebrantem uti Clerico excommunicato, si commode alium adhibere possit. Notandum III. quod si famuli veniunt in familiam Domini excommunicati, vel locant ei operas suas ante excommunicationem, vel etiam post excommunicationem, sed bona fide, quia nesciunt excommunicationem, vel quia coguntur a necessitate gravi, non peccant, & bene possunt communicare cum illo eodem modo, ut supra; Peccant vero, si scientes veniunt; & sine necessitate; ita *Suar. l. c. n.* 13. *Pal. p.* 19. *n.* 14. *et Salm. c.* 3. *n.* 151. *cum Con.* An autem in hoc casu teneantur postea discedere, & peccent communicando? Vide mox supra dicta *n.* 202. *Dub.* 2. de eo qui Matrimonium contraxit cum excommunicato; idem currit pro famulis locantibus excommunicato operas suas, ut dicunt AA. ibi citati.

„ IV. *Res ignorata*, idest in casu ignorantiæ „ juris, & facti.

205 Certum est quamlibet ignorantiam, aut inadvertentiam inculpabilem, sive juris, sive facti, excusare communicantes cum excommunicato, ex dicto *c. Quoniam multos.* 11. q. 3. Sed dubitatur, an excuset etiam ignorantia culpabilis, & crassa? Negant *Bon. D.* 2. *q.* 2. *p.* 6. §. 2. *n.* 14. *et Salm. c.* 3. *n.* 155. quia Ecclesia imponit excommunicationem communicantibus cum vitando, semper ac communicatio est peccaminosa. Affirmant vero satis probabiliter *Suar. D.* 13. *s.* 3. *n.* 3. *Holzm. p.* 583. *n.* 202. *Pal. D.* 2. *p.* 19. *n.* 24. *cum Con. et Hurt.* Et probatur ex eod. *c. Quoniam multos.* Primo, quia, cum ibi expresse excusentur ignorantes, videntur omnes quomodocunque ignorantes excusari, & damnari tantum scienter communicantes; secundo quia, cum Pontifex excuset ignorantes, videtur aliquem favorem velle concedere culpabiliter ignorantibus, dum ignorantes inculpabiliter ipso jure naturæ excusantur; tertio quia (& hoc fortius urget) in dicto Canone Pontifex asserit moveri ad prædictam indulgentiam concedendam, *Quoniam multos* (sic enim ibi incipit loqui) *pro causa excommunicationis perire* (nota) *quotidie cernimus, partim ignorantia, partim simplicitate*, &c. Ergo Pontifex intelligit excusare etiam vincibiliter ignorantes, nullus enim perit ex ignorantia invincibili.

„ V. *Necesse*, idest in casu necessitatis, sive a- 206
„ nimæ sive corporis, sive bonorum temporalium.

Excusat igitur quævis necessitas gravis, sive spiritualis, sive temporalis, sive communicantis, sive excommunicati, sive aliorum, si res non possit haberi ab alio, quam ab excommunicato, ut communiter *Bon. p.* 6. §. 2. *n.* 59. *Pal. p.* 19. *n.* 20. *& Salm. c.* 3. *n.* 157. *cum Avila, Hurt. Sayr. et Lez.* Idque patet signanter ex *c. Si vere*, 34. *de Sent. exc. et dicto c. Quoniam multos.* Sic pariter excusat necessitas per coactionem metus, quia lex humana non obligat cum gravi incommodo, ut recte ibid. addunt *Salm.* juxta dicta *l.* 1. *n.* 175.

Ultimo autem hic advertendum, quod nemo te- 207
netur excommunicatum vitare, nisi moraliter ei constet illum esse vitandum, vel ad minus sciat per publicam famam, vel per testimonium duorum saltem dignorum fide, cuivis enim unico testi credere non tenemur; ita *Sanch. Dec. l.* 1. *c.* 19. *n.* 63. *Nav. c.* 22. *n.* 82. *Pal. p.* 19. *n.* 26. *Tourn. t.* 7. *p.* 512. *q.* 4. *& Salm. c.* 3. *n.* 156. *cum Bon. Avila, & Corn.* Bene tamen advertit *Tourn. l. c.* quod in dubio an quis sit vitandus, non licet ab eo suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, propter periculum illud invalide percipiendi. Dicunt autem *Suar. D.* 15. *s.* 3. *n.* 7. *Pal. n.* 27. *Bon.* §. 2. *n.* 54. *& Salm. d. n.* 156. *cum Cov. Avila, Corn. et Hurt.* quod licite communicare possumus cum eo qui fuit excommunicatus si adsit fama publica de ejus absolutione; vel etiam si ipse excommunicatus (qui alias sit fide dignus) se absolutum fuisse asserat, possumus ei credere.

DUBIUM IV.

Ob quas causas incurratur excommunicatio Major?

„ Cum hæ multæ sint, variæ sunt etiam ex- 208
„ communicationes, quæ in 4. potissimum classes
„ dividuntur, nam aliæ nulli, aliæ Episcopo, aliæ
„ pontifici per Bullam Cœnæ, aliæ eidem extra il-
„ lam reservantur.

ARTICULUS I.

Quæ sint excommunicationes non reservatæ.

209 *Excommunicationes contra omnes.* 201. *Contra Clericos.* 211. *Contra Religiosos.* 212. *Excommunicationes adjectæ a Tridentino. Dub.* 1. *an incurrant excommunicationem cogentes puellas ingredi Monasteria, tantum ut educentur? Dub.* 2. *an cogentes ex metu reverentiali? Dub.* 3. *an cogentes mares? An impedientes ingressum puellæ?*

„ Resp. 1. Ex jure antiquo usitatiores sunt 209
„ sequentes: Contra omnes 1. In vexantes Eccle-
„ siasticos, quod non elegerint eum, pro quo ro-

ga-

„ gati fuerant, *c. Sciant, de Elect. in* 6. 2. In „ directores Monialium, si foveant discordias in „ electione, *c. Indemnitatibus, eod.* 3. In extor- „ quentes absolutionem a censura per vim, aut „ metum, *c. de His quæ vi, etc. in* 6. 4. In „ compellentes Ecclesiasticos, ut laicis submittant „ jura Ecclesia, *c. 2. de Reb. Eccl. non alien. in* „ 6. 5. In docentes leges, vel medicinam Religio- „ sos, qui dimiserunt habitum, vel eos retinentes „ in suis scolis, *n. 2. Ne Clerici, etc. in* 6. 6. „ In sepelientes tempore interdicti, vel interdictos, „ vel excommunicatos non toleratos, vel manife- „ stos usurarios *Clem. 1. in* 6. 7. In impedientes „ Visitatores Monialium, *Cle. Attendentes de sta- „ tu Monach.* 8. In contrahentes matrimonium in „ gradibus prohibitis, vel cum Monialibus. *Clem. „ un. de Consang.* 9. In edentes glossas in Triden- „ tinum, Bulla 73. Pii IV. 10. In imprimentes li- „ bros sine superiorum licentia, *Bulla 12. Leonis „ X.* 11. In præcipientes suis subditis, ne officia „ communia Reipub. exhibeant Ecclesiasticis, v. „ gr., ne iis vendant, coquant panes, &c. *c. Eos „ qui, de Imm. Eccl.* (Et videtur reservata in „ Bulla Cœnæ §. 15.) 12. In Doctores, & Pro- „ fessores non facientes professionem fidei, ubi re- „ cepta est Bulla 88. Pii IV. 13. In negligentes „ administrare justitiam Ecclesiasticis, *c. Admini- „ strationis 12. q.* 5. 14. In potestates foventes „ usuras, *Clem. un. de Usur.*

Item 15. qui, ratas habent collationes Ordinum, & Beneficiorum a Schismaticis, *c. 1. de Schismat.* 16. Qui titulo Regaliæ, aut defensionis occupant bona Ecclesiæ vacantis, *c. Generali de Elect. in* 6. 17. Qui procurant, ut Conservatores Regula- rium se immisceant in aliis quam in manifestis in- juriis, & violentiis, *c. fin. de Offic. Deleg. in* 6. 18. Qui ex judicibus accedunt ad mulieres ex cau- sa ficta ad excipiendum testimonium, *c. 2. de Jud. in* 6. 19. Qui mandat interfici Christianos per as- sassinos, *c. 1. de Homicid. in* 6. 20. Qui conce- dunt, vel concessas repræsalias extendunt adversus Ecclesiasticos, *c. un. de Injur. in* 6. (Repræsaliæ enim fiunt, quando passi injustum damnum aucto- ritate Principis, invadunt bona eorum, qui damni- ficaverant usque ad justam compensationem) 21. Qui sequestrum ab Ordinario super Beneficio fa- ctum impediunt; vel fructus occupant. *Clement. un. de Sequest. posses.* 22. Qui pingunt, inaurant &c. Agnos Dei a Pontifice benedictos, *Bulla 2. Greg. XIII.* 23. Qui non denunciant S. Officio, vel Ordinario Hæreticos, Magos, Sortilegos, vel hæreticaliter blasphemantes Deum, B. Virginem, & Sanctos, *Editum S. Officii.* 24. Domini qui permittunt agitationes taurorum in Terris suis, nem- pe periculosas. *Bulla 48. S. Pii V.* (Exceptis Re- gnis Hispaniarum, juxta dicta *Tom. I. l.* 3. *n.* 365.) 25. Qui faciunt servari statuta contra libertatem Ecclesiasticam, *c. Noverit; de Sent. exc.* & hæc videtur reservari in Bulla Cœnæ.

210 „ Contra Clericos. 1. In Clericos in dignitate „ constitutos, aut Sacerdotes audientes publice jus, „ aut medicinam, *c. fin. Ne Clerici etc.* 2. In „ Sacerdotes recipientes præfecturas seculares, *c. „ Clerici, eodem.* 3. In Clericos minores Episco- „ pis locantes domos usurariis. 4. In alienantes „ bona Ecclesiæ, vel locantes ultra triennium, „ *Extrav. Ambitiose de Reb. Eccles. etc.* 5. In „ impugnantes in concionibus Montes pietatis, Bul- „ la 11. Leonis X. 6. In contrahentes matrimo- „ nium, si sint in sacris, *Clem. un. de Cons.* 7. „ in ficte resignantes, vel permutantes beneficia, „ Bulla 58. S. Pii V. 8. In præsumentes absolvere „ a casibus Bullæ Cœnæ.

Item 9. In eos qui se ingerunt in alterius Epi- scopatum ad Officium, sine licentia proprii Episco- pi, *c. Quoniam de Offic. Ordinar.* 10. Qui procu- rant ut alii occupent jura, & bona Ecclesiarum vacantium, *c. Generali, de elect. in* 6. Et hæc vi- detur reservata in *Trid. sess.* 22. *c.* 21.

„ Contra Religiosos. 1. In audientes leges, vel 211 „ medicinam extra claustra. *c. Non magnopere, „ et c. super spectacula. Ne Clerici, etc.* 2. In „ habitum temere dimittentes, vel matrimonium „ contrahentes *Clem. un. de Consang.* 3. In insti- „ tuentes novum Ordinem, * (*vel locum acqui- „ rentes sine licentia Papæ, c. un. de Relig. Dom. „ in* 6.) * 4. Adeuntes curias Principum, ad no- „ cendum suis Monasteriis, vel Prælatis, *Clem. Ne „ in agro, §. Quia vero de Statu Monach.* 5. Te- „ nentes arma sine licentia intra claustra. *ib.* 6. „ Non servantes interdictum, quando servatur a „ Cathedrali. Vide *Fill. t. 1. tr. 22. c. 84. Bonac. „ D. 3. p. 5. §. 1. n.* 36.

Item 7. Qui non adimplent disposita in Bulla Alexandri VII. quæ incipit *Felici* in Visitatione Monialium sibi subjectarum. 8. Qui occupant De- cimas Ecclesiis debitas, vel illas solvi prohibent, *Clem. 1. de Decim.* 9. Qui ex Mendicantibus reci- piunt novas Domus, vel receptas alienant sine li- centia Papæ. *Clem. Cupientes, de Pœnit.* 10. non observant interdictum a Papa, vel ab Episcopo po- situm, *Clem. 1. de Sentent. excomm.* 11. Qui de Capuccinis recipiunt Minores de observantia sine licentia Papæ, aut Ordin. Gener., & qui recipiun- tur, *ex Bulla 20. Sixti V.*

Item contra Episcopos. 1. Qui veniunt ad Ur- bem, & inde recedunt sine licentia Papæ, *Extrav. 2. et 3. de Major. et Obed.* 2. Qui impetrant a Principibus literas ad Dignitates, Bulla 96. Pii IV.

„ Resp. 2. Supradictis adjectæ sunt a Tridenti- 212 „ no sequentes, quæ valent, ubi illud est rece- „ ptum. 1. In imprimentes, imprimi mandantes, „ vendentes, apud se retinentes, vulgantes libros „ de rebus sacris, sine nomine auctoris, & appro- „ batione ab Ordinario obtenta * (*In Trid. sess. „ 4. Decr. de edit. etc. sic habetur;* Nulli liceat „ imprimere libros de rebus sacris, vel imprimi „ facere; neque vendere, aut retinere sine nomi- „ ne Auctoris, nisi primum examinati probatique „ fuerint ab Ordinario, sub pœna anathematis.) „ * 2. In docentes non esse necessariam confes- „ sionem ante sumptionem Eucharistiæ. *Trid. sess. „ 13. can.* 11. 3. In raptores mulierum, juvan- „ tes, faventes. *Sess.* 13. *c.* 9. *n.* 4. In cogentes „ contrahere matrimonia cum præscriptis. *Sess.* 24. „ *c.* 9. 5. In Magistratus, qui requisiti non juvant „ Episcopos, ad restituendam clausuram Monia- „ lium. *Sess.* 25. *c.* 5. *de Regul.* 6. In ingredien- „ tes (cujuscumque conditionis, vel sexus fuerint) „ Monasteria Monialium, sine licentia in scripto „ obtenta. *Ib.* 7. In cogentes mulieres ingredi Mo- „ nasterium, & profiteri. *Sess.* 25. *c.* 18. *de Re-*

„ *gul.*

„ *gul.* * (*Sed de hac excommunicatione vide mox* „ *infra dicenda vers. Quoad etc.*) * 8. In impe- „ dientes, sine justa causa, sanctam voluntatem „ mulierum emittendi votum. *ib.* 9. In dominos „ temporales, concedentes in terris suis locum pro „ duello, *sess.* 25. *c.* 9. *de Ref.*

Quoad excommunicationem mox supra relatam in cogentes mulieres ad ingrediendum Monasterium, Dubit. 1. An eam incurrant qui cogunt feminam ad Monasterii ingressum, non ut profiteatur, nec ut habitum sumat, sed ut ibi honeste educetur? Affirmant *Suar. de Censur. D.* 23. *se.* 7. *n.* 9. *Nav. consil. l.* 5. *cons.* 56. *et Bon. t.* 3. *D.* 2. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 14. *cum Fill.* Id probant ex Trid. *sess.* 25. *c.* 18. *de Regul.* ubi excommunicantur *quicumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam* (*præterquam in casibus in jure expressis*) *ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscunque Religionis, vel ad emittendam professionem.* Concilium igitur hic tria membra distinguit, & inurit censura omnes cogentes feminam, sive ad ingressum Monasterii, sive ad susceptionem habitus, sive ad emissionem professionis; spectavit enim Trid., ne occasione ingressus detur ansa mulieri suscipiendi habitum, aut profitendi minus libere propter suasionem monialium, vel ob exeundi pudorem. Negat vero *Sanch. Dec. l.* 4. *c.* 4. *n.* 12. *cum Manuel.* Ratio, quia in prædicta sanctione Tridentini videntur non tria, sed duo membra contineri; Ibi enim damnantur cogenter *ad ingrediendum Monasterium* (quod est quiddam commune habens duos fines, nempe) *vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem.* Ergo qui cogit ad ingressum, tantum causa educationis, non vero ad habitus susceptionem, vel ad Professionis emissionem, ibi minime improbatur. Et cum simus in pœnalibus, juxta regulam juris, benignior facienda est interpretatio. Sed hoc non obstante prima sententia mihi est probabilior, & ducor, quia Concil. postquam principales cogentes damnat; eandem fert censuram contra eos, *qui consilium, auxilium, et favorem dederint; quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium* (nota), *aut habitum suscipere, aut professionem emittere; quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.* Ex hac igitur secunda parte sensus primæ colliditur; sicut enim in hac secunda parte tria membra distinguuntur, cum damnentur præbentes consensum actui coacto in tribus casibus; nempe quando mulier invita aut ingreditur Monasterium, aut habitum suscipit, aut professionem emittit; sic etiam intelligendum prima parte quoad principaliter cogentes. Quia tamen Concil. excipit casus in jure expressos, dicunt probabiliter *Suar. et Bonac. cum Fill. ll. cc.* licite posse cogi mulierem delinquentem ad ingrediendum in sui criminis pœnam, vel ne labatur in aliquam incontinentiam, ut eruitur ex *c. Significavit*, & *c. Gaudeamus de Convers. Conjug.*

Dubit. 2. An incurrant excommunicationem Parentes inducentes puellam ad ingressum Monasterii, vel susceptionem habitus, ex metu reverentiali? Si metus concipitur a puella ex se, absque illorum cooperatione, certum est non incurrere. Dubium est, si metus oriatur ex declaratione voluntatis Parentum. Affirmat incurrere *de Alex. Cons. Mon. c.* 2. §. 2. *q.* 9. quia, ut ait, qui non contradixit ob reverentiam, in jure non censetur consentire, ex *l. Si cum dotem*, §. *Eo autem*, *ff. de Soluto Matr.* Sed probabilius negat *Barbos. in Trid. sess.* 25. *c.* 18. *n.* 4. *cum Rod. Portel. Riccio, et Tamb.* quia tunc revera non incutiunt metum Parentes, sed ipsa ob reverentiam metum concipit, juxta dicta *l.* 3. *n.* 717. *v. Idem et l.* 6. *n.* 1056. Simplex enim inductio sive suasio non est coactio, ut fatetur idem *de Alex. c.* 7. §. 8. *q.* 4. & decisum refert *Barbosa All.* 104. *n.* 3. *ex Armentar.* Et hoc etiamsi addantur preces importunæ, ut probabiliter subdit idem *Barb. l. c. in Trid. cum Portella et Rodr.* (contra *de Alexand.*) quia suasio etiam importuna non est vera coactio, quæ requiritur a Concilio ad excommunicationem incurrendam; & cum agatur de pœnis, talis coactio stricte est intelligenda. Secus vero ait *Rodriq. ap. Barb.* si preces excederent limites simplicis suasionis, nempe (ut dicit *Sanch. Dec. l.* 3. *D.* 7. *n.* 8.) si preces sint instantissimæ, & sæpius inculcatæ: ipsæ enim videntur involvere gravem metum ex probabili indignatione futura Parentum. Addunt *Suar., et Bon. ll. cc.* licite posse cogi puellas ad ingrediendum Monasterium propter cautionem, vel ob aliam justam causam secundum jura. Hinc dico, quod etsi absolute loquendo non liceat eas cogere ad ingressum causa melioris educationis, si tamen contra prudens accedat suspicio, quod illa in seculo manens pravis moribus imbueretur, puta si videretur nimis propensa ad conversandum cum maribus, vel si domi haberet unde facile sumeret scandalum ex propinquis, aut famulis, tunc non auderem damnare cogentes eam, ut cautionis gratia Monasterium intraret; nam eo casu utique finis Concilii prohibentis hujusmodi coactionem cessaret, non solum adæquate, sed etiam contrarie, cum alias, si non fieret coactio, majus malum eveniret; vide dicta *l.* 1. *n.* 199. Ad hoc refert id quod scripsit D. Hieronymus ad Lætam: *Procul sit ætas lasciva puerorum: ipsæ puellæ, et pedissequæ a sæcularibus consortiis arceantur, ne quod male didicerint, pejus doceant.*

Dubit. 3. An incurrant excommunicationem, qui cogunt mares ad Religionem ingrediendam? Affirmant *Palac. ap. Sanch. l.* 4. *c.* 2. *n.* 3. quia eadem ratio finalis currit in maribus, quæ in feminis. Sed communiter, & verius negant *Suar. de Censur. D.* 23. *sess.* 3. *n.* 8. *Sanch. l. c. cum Bannez, Bon. t.* 3. *D.* 2. *qu.* 2. *n.* 15. *cum Fill. Barb. All.* 104. *n.* 7. *cum Miranda, ac Boss. de Effect. Matr. c.* 10. *n.* 74. *cum Nav. Fag. etc.* Ratio, quia a Concilio excommunicatio duntaxat fertur contra cogentes feminas, non mares: in pœnalibus autem non fit extensio de casu ad casum, licet eadem ratio procedat: præterquamquod pro maribus non currit eadem ratio, quam pro feminis, quia facilius & frequentius mulieres quam mares inducuntur invitæ ad Religionem suscipiendam. Quamvis vero hujusmodi cogentes excusentur a censura, nullo tamen modo excusari possunt a gravi culpa.

Insuper in Trident. *ib. sess.* 25. *c.* 18. excommunicantur, *qui sanctam virginum, vel aliarum mu-*

mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint. Nomine veli intelligitur professio religiosa, quæ fit per veli susceptionem. Nomine autem *voti*, non intelligitur votum simplex castitatis, aut Religionis, sed eadem professio cum tribus votis, sine tamen susceptione veli, ut fit in aliquibus Monasteriis; ita *Suar. de Censur. D.* 23. *sess.* 7. *n.* 20. *Boss. de Defectu Matr. c.* 10. *n.* 67. *cum Pal. et Bon. t.* 3. *de Censur. D.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 2. *et* 4. *cum Fill.* Sed dubium fit, an incurrat excommunicationem qui tantum impedit puellam ne Monasterium ingrediatur ad habitum suscipiendum. Negant *Sanch. Dec. l.* 6. *c.* 4. *n.* 15. & *Bon. l. c. cum Palao*, quia Decretum Concilii est cum rigore accipiendum: nempe tantum cum professio impeditur. Sed probabilius affirmant *Suar. l. cit. et Bon. n.* 3. *cum Fill.* Qui enim impedit puellam, ne habitum suscipiat, vel ne ingrediatur Monasterium ad habitum suscipiendum, impedit consequenter ejus professionem. Et recte subdunt *Bonac. n.* 6. *et Sanch. n.* 1. *vers. ad finem, cum Salon.* hanc excommunicationem incurrere etiam qui dolo (non autem qui solis precibus) impediunt puellam, ne fiat Religiosa.

ARTICULUS II.

Quæ sint excommunicationes reservatæ Episcopis?

213 *Excommunicatio I. in eum qui leviter percutit Clericum. II. In eos qui absolvuntur in articulo mortis; et postea non se præsentant Superiori. III. In Fratres Minores etc. IV. In procurantes abortum fœtus animati, effectu secuto. V. In eos qui communicant in eodem crimine etc. VI. Excommunicationes quas Episcopi sibi reservant.*

214 *De Excommunicatione imposita ex monitorio.* 215. *An obligatus revelare damnum, si non revelet, etc.* 216. *An sit obligatio revelare crimen emendatum?* 217. *Qui facto Monitorio, excusentur a revelando?*

213 „ Resp. Sunt hæ: I. Quæ contrahitur ex levi percussione Clerici, vel gravi si sit mulier * (*De hac excommunicatione vide infra ex n.* 279.) * II. In eos, qui absoluti in articulo mortis a censura, vel peccato habente censuram annexam, ab eo, qui alias non poterat, non præsentant superiori se, postquam convaluerunt. * (*Intellige, quando censura reservata erat ab Episcopo, vide dicta n.* 92. *) V. *Fill. t.* 1. *c.* 10. *n.* 241. 242. III. In Fratres minores, si admittant in suis Ecclesiis ad officia divina Fratres tertii Ordinis. IV. In procurantes abortum fœtus animati, effectu secuto. * (Vide dicta T. I. l. 3. n. 395. & 327. *Quando autem fœtus censeatur animatus, vide ib. n.* 394. *v. Qu. III. Ab hac excommunicatione absolvere possunt etiam Regulares; vide ib. n.* 397. *v. Pariter, et l.* 7. *n.* 99. *in fin.*) * V. In eos, qui communicant in eodem crimine cum excommunicatis ab Episcopo. VI. Hæ omnes, quas ferunt Episcopi per propria statuta, & sibi reservant, quas Confessarii videant in Agendis.

Hic breviter agendum de excommunicatione, 214
quæ imponitur ex vi Monitorii ad revelanda aliqua crimina, vel ad restituendam rem alienam, & similia. Et dicendum I. Si crimen non vergit in alicujus tertii damnum, nemo tenetur illud revelare, nisi præcedat infamia, sive rumor ortus ex probis hominibus per majorem partem Viciniæ, aut Collegii; Ratio, quia sine tali infamia non potest Superior de illo crimine inquirere; ita *Sylv. Avil. Gib.* cum *Salm. c.* 4. *n.* 2. Dicendum II. Si delictum vergit in damnum commune, etiamsi sit occultum, tunc revelandum est, nisi tamen firmissima sit spes, quod correctio foret profutura; *Salm. ib. n.* 2. cum *S. Th. Bonac.* &c. Dicendum III. Si delictum cedit in damnum tertii, distinguendum. Quando crimen est jam commissum, & ita occultum est, ut probari non possit, non est revelandum; Secus vero, ut dicunt *Sotus, Corduba, et Avila*, si crimen probari possit saltem per unum alium testem; vel si sit in fieri, & non possit per monitionem impediri. Sed in hoc ultimo casu negant *Salm. c.* 4. *n.* 4. cum *S. Thoma, Bon.* &c. Quando autem in Monitorio non præcipitur denunciare, sed testificari, tenetur quisque manifestare, si præcedat semiplena probatio; etsi non possit probare. *Salm. num.* 5. cum *Nav. et Avila*.

Quær. hic I. An obligatus revelare ex Monito- 215
rio, si non revelet, teneatur tertio damnum restituere? Resp. Si ipse aliqua arte impedit, ne Monitorium sibi intimetur, ad nihil tenetur, neque incurrit excommunicationem, nec peccat non revelando. Peccat vero, & incurrit, si jam sit citatus, ut *Less. l. c. c.* 30. *n.* 54. *Salm. c.* 4. *n.* 6. cum *Reb.* &c. Vide *Tom. I. l.* 4. *n.* 280. An autem teneatur ad restitutionem? Affirmant *Tourn. t.* 2. *p.* 508. *et ap. Salm. c.* 4. *n.* 7. *Nav. Sot. Val. Sayr.* &c. quia dicunt, quod hic peccaret contra justitiam, cum pars læsa habeat jus ad ejus testimonium, posito Judicis præcepto. At verius negant *Bon. de Præc. D.* 10. *q.* 5. *p.* 3. *n.* 13. *Sylv. Bon. Bann. Tan.* &c. cum *Salm. c.* 4. *n.* 9. Ratio, quia talis revera non peccat contra justitiam commutativam, sed contra legalem, vel contra obedientiam, quæ non obligat ad restitutionem; Vide dicta *d. l.* 4. *n.* 270. *v. Dub.* 2. Excipiunt tamen tamquam certum *Salm. l. c.* cum *Bon.* &c. si testis susceperit munus testis ex præcepto Judicis, & cœperit respondere, quia, tali acceptatione posita, tenetur ex justitia veritatem detegere: Sed vide dicta *l.* 4. *eod. n.* 250. *Dub.* 3.

Quær. II. An sit obligatio ex vi Monitorii reve- 216
lare crimen emendatum? Resp. Negative, nisi crimen habeat effectum in futurum, puta si sit homicidium cum adulterio, quæ inducant impedimentum Matrimonii, & similia, vel nisi crimen sit publicum, & emendatio occulta: vel denique nisi Superior non tantum emendationem Rei, sed etiam reatus punitionem intendat; ita *Salm. c.* 4. *n.* 16. *cum S. Anton. Sylvest. et Avila*.

Quinam autem, facto Monitorio, excusentur a 217
revelando? Vide dicta *l.* 4. *n.* 248. *Qu. II.* Adde dumtaxat hic, quod si in Monitorio præcipiatur re-

revelatio omnibus scientibus, non tenentur revelare, qui tantum audierunt; Et si etiam audientibus, non tenentur qui audierunt a parum fide dignis, Vide *Salm. d. c. 4. n.* 15.

Advertit autem *Cont. Tourn. t. 2. p.* 499. peccare graviter I. qui petunt Monitoria levibus de causis. II. Judices sic concedentes, vel quando res potest aliter probari; vel si præviderent Populum illa contempturum; item si debitores non sunt solvendo, aut si res sit adeo antiquata, ut non sit qui revelet; item si delictum fuit factum coram iis, qui non tenentur denunciare.

ARTICULUS III.

Quæ sint Papæ reservatæ extra Bullam Cœnæ.

218 *Excommunicationes reservatæ Papæ contra omnes.* 219. *Excommunicationes reservatæ contra Clericos et Religiosos.*

220 *Specialiter agitur I. de excommunicatione contra Duellantes, et cooperantes.*

221 *Agitur II. de Excommunicationibus latis contra violantes Clausuram Monialium.* 222. *Dub.* 1. *An ingredientes sine licentia incurrant excommunicationem reservatam, si non intrent prætextu facultatum? Dub.* 2. *An incurrant omnes introducentes in Clausuram?* 223. *Dub.* 3. *An talis licentia debeat esse in scriptis? Dub.* 4. *An licentia debeat esse specialis?* 224. *Dub.* 5. *A quo debeat concedi?* 225. *Dub.* 6. *Quæ causa requiratur ad licentiam concedendam?* 226. *Plura notanda circa ingressum Medicorum, et aliorum Officialium.* 227. *De ingressu Confessariorum.* 228. *Dub.* 7. *An ingrediens cum licentia teneatur statim egredi?*

229 *De alia excommunicatione reservata in Moniales violantes Clausuram, et in alios cooperantes.*

230 *De alia excommunicatione reservata contra mulieres violantes Clausuram Religiosorum.* 231. *Quæ feminæ excipiuntur ab hac prohibitione? Et quæ domus veniant nomine Conventuum?*

232 *De prohibitione colloquendi cum Monialibus, juxta jus commune. Quid circa Regulares?* 233. *Dub.* 1. *An vetetur solus accessus sine collocutione?* 234. *Dub.* 2. *An loquentes per nutus, aut signa, incurrant casum reservatum?* 235. *Dub.* 3. *An peccet graviter semel colloquens cum Moniali?* 236. *Dub.* 4. *An in tali locutione detur parvitas materiæ? et an detur in Regularibus?* 237. *Dub.* 5. *An liceat colloqui cum Moniali ob utilitatem, sine licentia?* 238. *Dub.* 6. *An cum Abbatissa?* 239. *Dub.* 7. *Qui eximantur ab hac prohibitione?* 1. *Consanguinei in primo, et secundo gradu.* 2. *Metu coacti.* 3. *Pauperes, et quæstuantes.* 240. *D.* 8. *An impuberes?* 241. *D.* 9. *An Regulares incurrant excommunicationem latam ab Episcopo?* 242. *D.* 10. *An Peregrini?* 243. *An Episcopi colloquentes cum Monialibus in aliena Diœcesi incurrant excommunicationem latam ab Ordinario loci?*

244 *DISSERTATIO super Censuris circa sententias pertinentes ad Conceptionem B. V. Mariæ. Enuntiantur Bullæ editæ super hac materia.* 245. *Quando incurrant pœnas contradictores piæ sententiæ* (usque ad n. 247.) 248. *Quando ejus fautores?* 249. *Probatur pia sententia usque ad n.* 262.

263 *An liceat emittere votum profundendi vitam ob defensionem præservationis B. V. Mariæ a labe originali?*

„ Resp. 1. *Contra omnes*, magis obviæ sunt 218
„ sequentes. 1. In incendiarios, *c. Tua nos de*
„ *Sent. exc.* * (*Modo sint ab homine excom-*
„ *municati, et denunciati, ut notat Cabrin. de*
„ *Cas. res. p.* 129.) * 2. In habentes literas A-
„ postolicas falsas, & non destruentes; item in
„ falsarios literarum Apostolicarum *c. Durand.*
„ *eod. et c. Ad falsariorum, de Crim. falsi.* 3.
„ In effringentes, & spoliantes Ecclesias, *c. Con-*
„ *questi eod.* 4. In communicantes eodem crimine
„ cum excommunicatis a Papa, *c. Nuper eod.* 5.
„ In vexantes eos, qui censuram in alios tulerunt,
„ *c. Quicunque de Sent. exc. in* 6. 6. In absolu-
„ tos ab excommunicatione, sub conditione, &
„ non implentes, *c. Eos qui, ib.* 7. In violantes
„ interdictum Papale, *Extrav. Etsi de Pœn.* 8.
„ In dantes, & recipientes aliquid ex pacto, ob
„ admissionem ad religionem, *Extrav. comm.* 1.
„ *de Simon.* 9. In Simoniacos reales, circa ordi-
„ nem, vel beneficium, *Extrav.* 2. *eod.* 10. In
„ committentes simoniam confidentialem, *Bulla*
„ *Pii IV.* 86. *et Bulla S. Pii V.* 11. In impe-
„ dientes executionem litterarum sacræ Pœnitentia-
„ riæ, *Bulla* 1. *Jul. III.* 12. In dantes, & reci-
„ pientes aliquid pro gratia, aut justitia, ap. Se-
„ dem Apostolicam, *Extrav.* 1. *de Sent. exc. et*
„ *Bulla Bonif. VII.* 1. *et Greg. XIII.* 4. 13. In
„ committentes duellum, & ad id cooperantes,
„ suadendo, &c. *Trid. c.* 19. *sess.* 25. *et Bulla*
„ *Clem. VIII.* 11. *illius vices.* * (*Vide de hac*
„ *excommunicatione dicenda n.* 220.* 14. In mu-
„ lieres ingredientes Monasteria Regularium. *Bul-*
„ *læ S. Pii V.* 20. * (*Vide n.* 230.) * 15. In
„ impugnantes institutum Societatis JESU. 16.
„ In facientes jurare illicita, & contraria libertati
„ Ecclesiasticæ, *Bulla Greg. XIII.* 93. 17. In ra-
„ pientes bona Ecclesiastica, item in exigentes tri-
„ buta ab Ecclesiasticis. 18. In violantes liberta-
„ tem Ecclesiasticam, quoad fugientes ad Eccle-
„ siam, *Bulla Greg. XIV.* 7. 19. In docentes pos-
„ se fieri confessionem in absentia. *(*V. hic inf.*
„ *n.* 37.)* 20. In eos, qui alterutram opinionem
„ de Conceptione B. Virginis damnant peccati mor-
„ talis, vel hæreseos; item in eos, qui in concio-
„ nibus, aliisque publicis actionibus, ut lectioni-
„ bus, conclusionibus, asserunt S. Virginem con-
„ ceptam in originali, *Extrav. Grave nimis de*
„ *Relig. etc. et Bulla* 97. *S. Pii V.* * (*Vide ex*
„ *n.* 244.)* In percussores Clericorum (*c. Si*
„ *quis suadente* 17. 4.). Quæ cum celebris sit,
„ & multa scitu necessaria habeat, agetur de ea
„ peculiariter infra ex *n.* 264.

I-

Item excommunicantur 22. Perseverantes per annum in excommunicatione lata a Delegato Papæ, *c. Quærenti, de offic. deleg.* 23. Offendentes Cardinales, *c. Felicis de Pœn.* 24. Exigentes tributa a personis Ecclesiasticis, *c. Clericis de Immun. in* 6. 25. Violantes interdictum modis prohibitis, *Clem. Gravis de Sent. exc.* 26. Exenterantes corpora Sanctorum, *Extrav. 2. de Sepult.* 27. Mentientes personas in literis Apostolicis, ut earum expeditionem gratis assequantur, *Bulla Leonis X.* 27. 28. Simulantes & supponentes se alios esse pro obtinendis Beneficiis a Dataria, *Bulla* 12. *Pauli IV. Inter ceteras.* 29. Mittentes literas aut nuncium in Conclave, vel inde recipientes, *Bulla Pii IV.* 63. *in eligendis.* 30. Occupantes bona Ecclesiarum, Montium pietatis, seu alterius loci pii, vel impedientes ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, *Conc. Trid. c.* 11. *sess.* 22. *de Ref.* 31. Feminæ & masculi ingredientes septa Monasteriorum Monialium prætextu licentiarum in casibus non necessariis, *Bulla Greg. XIII.* 28. *Ubi gratia.* Vide *inf.* 32. Capientes & retinentes Christianos habitantes intra Turcas, & illorum bona eripientes, aut remigare cogentes, *Bulla S. Pii V.* 149. *Licet.* 33. Publicantes Indulgentias, & facultatem dantes eligendi Confessores iis qui aliquid solvuntur, *Bulla S. Pii V.* 99. *Quam plenum.* 34. Accipientes & retinentes fructus Beneficii vacantis, vel impedientes Beneficii possessionem non solventibus dulciaria, sive aliam solutionem, *Bulla ejusdem Pontif.* 104. *Durum nimis.* 35. Diripientes animalia, & bona, vel illa ablata ementes ex Statu Ecclesiastico, *Bulla Greg. XIII.* 98. *Non sine.* 36. Docentes fieri Confessionem Sacramentalem in absentia per litteras, *Bulla Clem.* VIII. 87. *Sanctissimus.* 37. Extrahentes frumentum, blada, legumina, & oleum extra Statum Ecclesiasticum sine licentia, *Paulus V. Bulla* 12. *Inter gravissimas.* 38. Docentes aut defendentes etiam disputative opiniones damnatas, *Decret. S. C. & S. Officii, quæ emanavere annis* 1665. 1666. & 1690.

129 „ Resp. 2. *Contra Clericos, et Religiosos*, sunt „ hæ: 1. In participantes in sacris cum excom- „ municatis a Papa, *c. Significavit de Sent. exc.* „ 2. In procurantes alienationes Ecclesiarum. 3. „ in Concionatores, qui Scripturæ sensum a Do- „ ctorum interpretatione alienum circa tempus An- „ tichristi, & extremi judicii, aliaque similia re- „ velata prædicant. 4. In Parochos non implentes „ juramentum de residentia factum. 5. In Men- „ dicantes transeuntes ad alium Ordinem præter „ Carthusianum, *Extr. Viam de Reg.* 6. In Mo- „ niales exeuntes claustris sine licentia, *Bulla S.* „ *Pii V.* 8. 7. In religiosos, qui sine privilegio, „ vel speciali licentia Parochi, Clericis, aut Lai- „ cis Sacramentum Eucharistiæ, vel Unctionis mi- „ nistrare, vel Matrimonia solemnizare præsumunt, „ *Clem.* 1. *de Privil.*

Item 8. Inducentes ad jurandum de eligenda, vel electa non immutanda sepultura in eorum Ecclesiis, *Clem. Capientes*, §. *Sane, de Pœn.* 9. Commissarii, seu delegati interponentes Decretum per gratiam, aut timorem, vel sortes in alienatione bonorum Ecclesiæ, aut per alios fieri alienationem dolose procurantes, *Bulla* 2. *Pauli II. Cum in omnibus.* 10. Prædicatores non servantes Decreta circa eos lata in Conc. Lateranensi, *Bulla Leonis X.* 21. *Supernæ.* 11. Absolventes sub prætextu Privilegiorum a casibus Bullæ Cœnæ, vel Ordinariis reservatis. *Decr. S. C. Episc. & Reg. a Clem. VIII. appr. ann.* 1601. 12. Consentientes usurpationibus bonorum Ecclesiarum, *Conc. Trid. c.* 11. *sess.* 22. *de Ref.* 13. Euntes ultra mare sine licentia Superiorum, *Extr. Ad nostra, de Regul.* 14. Superiores non denuntiantes Religiosos qui sunt suspecti de hæresi, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum, *Bulla Pauli V.* 26. *Rom. Pontif.* 15. Minores de Observantia subornantes vota in electionibus, *Bulla S. Pii V.* 128. *Pastoralis.* 16. Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ, *Bulla Julii II. Virtute conspicuus, extra Bullar.* 17. Tertiarii portantes habitum Minorum, *Bulla Leonis X. Liceat alias, extra Bullar.* 18. Episcopi qui conferunt Beneficia contra præscriptum S. Pii V. in eorum manibus resignata, *Bulla* 50. *Quanta.* 19. Cardinales ambientes Papatum, & simoniace ejus causa, *Pauli IV. Bulla* 16. *Cum secundum.* 20. Cardinales simoniaci in Beneficiis, *Bulla S. Pii V.* 85. *Hodie in Consistorio.* 21. Judices, officiales, Laici, ac Prælati Ecclesiastici trahentes personas Ecclesiasticas ad forum laicale, *Bulla Martini V.* 10. *ad reprimendas, ut supra.* 22. Domini temporales, qui in Terris suis suppositis interdictis cogunt celebrare, & audire Divina Officia; *Clem. Gravis de Sent. exc.* 23. Officiales ac Domini temporales bannientes, seu facientes, & mandantes banniri Personas Ecclesiasticas, *Bulla Urb. VI.* 3. *Quia sicut.* 24. Officiales, Judices, & Domini temporales percutientes, vel bannientes Episcopos, vel hæc mandantes, aut facta ab alio ratificantes, *Clem.* 1. *de Pen.* 74. 25. Principes & Domini temporales concedentes locum, vel permittentes duellum in Terris suis, *Conc. Trid. sess.* 25. *de Ref. c.* 19. *Bulla Clem. VIII.* 11. *Illius vices.* 26. Episcopi & Inquisitores, eorumque substituti, qui faciendo vel omittendo contra diffamatos de hæresi, delinquunt in Officio, *Clem. Multorum*, §. *Verum, de Hæret.* 27. Gubernatores Civitatum, & Locorum Status Ecclesiastici, recipientes munera præter comestibilia, *Bulla Pauli II.* 3. *Munera.*

Adde 28. Violantes Clausuram Religiosorum aut Monialium ad malum finem; *Decretum S. Congr. Concil.* éditum jussu *Clem. VIII.* 22. *Nov.* 1722. Item viri & mulieres ingredientes Claustra Monialium prætextu facultatum, & Superiores ingredi facientes aut permittentes; Bulla Gregorii XIII. *ubi gratia*, 13. Junii 1575. Item mulieres ingredientes Claustra Religiosorum prætextu facultatum; eadem Bulla Gregor. XIII. Item ex Bulla S. Pii V. *Decret. Romanum*, 16. Julii 1570. omnes mulieres intrantes Monasteria Religiosorum, etiam sine prætextu facultatum; Superiores autem, ac quicumque Religiosi introducere illas præsumentes ipso facto contrahunt privationem Officiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia obtinenda, nec non suspensionem a Divinis sine alia declaratione. Item notandum quod Bened. XIV. in Bulla *Regularis*, sub die 3. Januar. 1742. decrevit quod feminæ ingredientes Clausuram Religiosorum incurrant ipso facto excommunicationem pariter reser-

vatam, etiamsi prætextu pietatis & religionis ingrediantur.

Adde 29. Defendentes esse licitam praxim excipiendi nomen complicis in Confessione scripto, aut verbo, aut impugnantes Decreta contra hujusmodi praxim; aut temere ea detorquentes seu interpretantes in alienum sensum, *constit. Ubi primum*, Bened. XIV. 2. Jun. 1746. vide in initio Tom. I.

Hic operæ pretium est adjicere plura advertenda præsertim circa duas excommunicationes supra enunciatas *n.* 218. ad *n.* 13. & *n.* 219. & ad *n.* 29. nempe contra duellantes, & contra violantes Clausuram Regularium.

220 Et I. contra Duellantes, & ad duellum cooperantes, notandum 1. ex quinque Propositionibus nuper damnatis a N. SS. P. Bened. XIV. in sua Constitut. quæ incipit, *Detestabilem*, edita die 13. Nov. 1752. non esse licitum offerre, aut acceptare duellum, ne quis privetur officio, etiamsi ex eo aliquis se suosque sustentet, vel spem habeat promotionis alias sibi debitæ, nec licere acceptare duellum ad vitandam vilipensionem, quamvis certo sciatur quod pugna non secutura sit; vide alia *Tom. I. lib. 3. ex n.* 400. *v. Quær.* Notandum 2. quod ex Trid. *sess.* 25. *de Ref. c.* 9. excommunicantur non solum duellantes, patrini, suadentes duellum, & spectatores; sed etiam Reges, Domini in Terris suis locum ad duellum concedentes; atque illi privantur dominio territorii; & duellantes, ac patrini privantur suis bonis, ac sepultura Ecclesiastica. S. *Pius* V. hanc excommunicationem reservavit Pontifici; Et Greg. XIII. in sua Bulla quæ incipit, *Ad tollendum*, edita anno 1582. hæc omnia extendit ad duella privata, etiam sine patrinis, & ad Dominos ea non prohibentes in locis suis, atque ad quoscunque cooperantes. Tandem Clem. VIII. in alia Bulla quæ incipit, *Illius vices*, emanata an. 1592. pro locis, ubi duella a Dominis permittuntur, interdictum Papale imposuit. Vide *Salm. c.* 4. *n.* 42. & vide dicta *l.* 3. *n.* 401. Sed hæ pœnæ, præter excommunicationem, non incurruntur, nisi post sententiam saltem declaratoriam criminis, ut *Sanch. Pal.* & *Salm. n.* 43. Notandum 3. nomine *Spectatorum* non intelligi omnes duellum spectantes, sed tantum qui data opera ad duelli locum accedunt, & duello assistunt, cum in Bulla Greg. dicatur, *ex composito spectatores*; unde recte ajunt *P. Milante* in Propos. 2. damnata ab Alex. VII. *& Salm. n.* 43. ex communi sententia, non incurrere excommunicationem, qui obiter & causa per locum duelli transeuntes aspiciunt curiositate ducti; Imo dicunt *Cont. Tourn. tom.* 3. *p.* 437. *& Salm. l. c.* etiam ex communi sententia, eos tantum spectantes incurrere, qui socii sunt duellantium, aut qui sua præsentia ad pugnam videntur illos incitare, non autem qui spectant a longe, vel in secreto, vel alio modo nihil ad pugnam acuendam inducente. Item bene addunt *Salm. ib.* neque incurrere qui comitantur pugnaturos, animo impediendi duellum. Notandum 4. quod licet ex Tridentino, & ex Bulla Gregorii non incurrant excommunicationem provocantes & acceptantes duellum, si duellum non sequatur, quia tam in Tridentino quam in dicta Bulla solum excommunicantur committentes duellum; tamen in Bulla Clementis §. *Præterea* (quam in extensum refert *Bon. D.* 2. *qu.* 6. *p.* 1. *n.* 23.) excommunicantur tam provocantes scripto aut verbo, quam duellum acceptantes, etiamsi pugna non sequatur, neque accessus nec actus ad pugnam proximus; necnon comitantes, nuncii, suadentes, consulentes, dictantes libellos provocatorios, aut eos scribentes vel affigentes, & quomodolibet ad duellum cooperantes, publice vel occulte ineundum. Notandum 5. quod, nisi duellum sit notorium, aut deductum ad forum contentiosum, bene possint Episcopi absolvere excommunicatos, vi facultatis datæ a Trid. in *c. Liceat* 6. *sess.* 24. ut recte notant *Salm. c.* 4. *num.* 45. *cum Sanch. Bon. Pal. Barb.* & aliis communiter. Regulares vero extra Urbem, & intra Italiam non possunt vi Privilegiorum ab hac excommunicatione absolvere; secus tamen in Urbe, vel extra Italiam, ex Decr. S. C. mandante Clem. VIII. prout diximus *n.* 96.

II. Circa autem violantes Clausuram Monialium, 221
aut Religiosorum, notandum quod ingredientes Monasteria Monialium sine licentia in scriptis incurrunt excommunicationem ipso facto ex Trid. *sess.* 25. *c.* 5. *de Reg.* ibi: *Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis.* Hujusmodi ingressus prohibetur etiam Prælatis, sive secularibus, sive regularibus, ex Motu Greg. XIII. incipiente, *Dubiis* (*ap. Barb. All.* 102. *n.* 43.) edito die 23. Dec. ann. 1581. sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ Prælatis secularibus, si præter casum necessitatis prima vice ingrediuntur, suspensionis a munere Pontificali, & a Divinis pro secunda, & excommunicationis pro tertia: Prælati vero Regulares incurrunt excommunicationem, & privationem omnis officii & ministerii, etiam pro prima vice, ut censet *Sanch. Dec. l.* 7. *c.* 16. *n.* 102. Quamvis *Bon. to.* 1. *tr. de Clausura p. mihi* 760. *n.* 11. *cum Llamas* putat probabile tantum pro tertia vice incurrere pœnas excommunicationis & privationis. In casu autem necessitatis, causa Visitationis possunt præfati Superiores ingredi Monasteria Monialium; sed tunc (ut dicitur in eadem Bulla) debent esse *a paucis, iisque senioribus ac religiosis personis comitati. Pauci* intelliguntur quatuor vel quinque, ut putat *Bonac. & Victor. Religiosi*, idest probatæ vitæ. Dicit tamen *Tamb. cum Victor. ap. de Alex. Confess. Monial. c.* 7. §. 4. *qu.* 5. quod si Episcopus solus intraret, vel non adhiberet comitantes senes, aut non religiosos, aut non paucos, non incurreret pœnas, quia pœnæ tantum afficiunt Prælatos ingredientes sine necessitate. Pro Superioribus autem regularibus habetur in *Constit.* Alexand. VII. *ap. de Alex. l. c.* quod si visitet Generalis, potest ipse habere secum duos sui Ordinis socios, qui sint exemplares & maturæ ætatis; si vero alius a Generali, unum tantum; & insuper debent assistere quatuor Moniales ex senioribus, quæ non separentur a Visitatore.

Excommunicationes hæ non sunt reservatæ, sed adest excommunicatio Papæ reservata (ut supra

pra innuimus) contra violantes Clausuram Monialium ad malum finem, ut habetur in Decreto S. C. Concilii, edito jussu Clementis VIII. an. 1602. Quomodo autem intelligatur illud *ad malum finem? Mazzot. tom. 3. pag. 510.* intelligit finem quomodocunque pravum; sed melius *Pellizzarius*, apud ipsum intelligit tantum finem libidinosum, quia finis Clausuræ est, ut castitas custodiatur; & ideo vetatur etiam accessus, & collocutio.

Adest alia excommunicatio Papæ reservata, *lata* a Greg. XIII. die 13. Junii 1575. in Bulla, *Ubi gratia*, contra quascunque personas utriusque sexus, etiam Comites, Marchiones, & Duces ingredientes Monasteria Monialium, vel feminas ingredientes Claustra Religiosorum prætextu facultatum ibi revocatarum; & contra omnes Superiores Monasterii utriusque sexus, qui præter excommunicationem reservatam incurrunt insuper privationem Officiorum, & inhabilitatem ad ipsa, si ingredi faciant, vel permittant aliquem ingredi prætextu facultatum; & contra Abbatissas aliasve Superiores, si admissum quoquo modo retinere ausæ fuerint, ut declaravit Paulus V. in alia Bulla incipiente, *Monialium*, *apud de Alexand. c. 7. §. 11. q. 3.* Hic tamen advertendum, quod Episcopi, & Prælati Regulares, qui ratione sive prætextu Officii, sed absque justa causa, ingrediuntur Monasteria, hanc excommunicationem reservatam non incurrunt: nam licet in hac Bulla omnes comprehendantur, tamen in Bulla, *Dubiis*, citata *n. præced.* emanata post aliam, *Ubi gratia* ut supra, eximuntur Episcopi, & Superiores regulares, ut bene advertit *Fagnan. l. 5. in c. Nuper, de Sentent. excomm. n. 38.* contra aliquos, cum in dicta Bulla, *dubiis*, fiat diversa dispositio circa pœnas in Episcopos, & Regulares, ibique excommunicatio lata in ipsos, si ingrediantur tertia vice sine justa causa, non sit reservata; probat enim *Fagnanus*, illam fuisse novam Constitutionem respectu pœnarum; non autem declaratoriam primæ Bullæ. Demum notandum, quod N. SS. P. Bened. XIV. novissime die 5. Jan. 1742. duabus Bullis (quas invenies in initio hujus Operis, incipiente una, *Salutare*, altera *Regularis*) confirmavit omnes Constitutiones antecessorum Pontificum tam ante, quam post Conc. Decr. emanatas; Et signanter in Bulla, *Regularis*, prohibuit quibuscunque feminis ingredi Clausuram Religiosorum sub prætextu pietatis ac Religionis; tantum id concessit nobilibus feminis de familia Fundatorum, vel insignium Benefactorum, qui de hoc Indultum Apostolicum obtinuerint ingrediendi solum, ut ad Ecclesiam recto tramite pergant. Quo revocata manet Constitutio S. Pii V. Incipiens, *Decet Romanum Pontificem*, (*ap. Holzm. tom. 1. p. 480. n. 592.*) ubi permittebatur mulieribus ingredi Claustra Religiosorum causa Processionis, audiendæ Missæ, vel Concionis, aut Sepulturæ, aut magni concursus.

222 Sed dubit. 1. An ingredientes Monasteria Monialium sine licentia incurrant præfatam excommunicationem reservatam, si non intrent prætextu facultatum? Affirmant *de Alexandr. c. 7. §. 11. q. 2. cum Nav. Azor. Grass. &c.* quia (ut ait) relata Constit. Greg. XIII. *Ubi gratia*, ex Stylo Curiæ intelligitur generaliter emanata in omnes intrantes Monasteria, etiam sine tali prætextu. Sed probabilius negant *Sanch. Dec. l. 6. c. 16. n. 79. Bon. de Claus. q. 4. p. 5. n. 4. Suar. de Cens. D. 22. Se. 6. n. 11. Fagnan. l. c. n. 1. 12. Holzm. p. 338. n. 31. Mazzot. tom. 3. p. 521. n. 3. & Barbos. All. 102. n. 37. cum Sayr. Rodriq. Miranda, Sa, & Zerol.* quia expresse in citata Bulla Gregorii requiritur ingressus prætextu facultatum.

Dubit. 2. An præter Superiores incurrant excommunicationem omnes qui alios introducunt in Clausuram? Affirmant *Bonac. q. 4. p. 7. n. 3. & de Alexand. c. 7. s. 11. q. 4. cum Fill. & Llamas*, quia in eadem Bulla Gregorii dicuntur incurrere *Superiores, & personæ, quocunque nomine vocentur*, admittentes extraneos in Clausuram, nomen autem *personæ* (ut dicunt) genericum est, & quascunque personas comprehendit. Attamen negant *Sanch. l. 6. c. 16. n. 83. cum Manuel, & Diana apud de Alexand.* Ratio enim opposita tunc valeret, si in Bulla diceretur, *Superiores, et quæcunque personæ*, sed cum dicatur, *Superiores, et personæ, quocunque nomine vocentur*, nequeunt utique intelligi omnes Religiosi qui diversum nomen quam Religiosorum non habent, sed potius intelliguntur Superiores qui in diversis Ordinibus diversa habent nomina, nempe Abbatum, Præpositorum, Priorum, Guardianorum, Correctorum; idque clare explicavit S. Pius V. in Bulla, *Regularium*, *apud Bonac. q. 5. p. 3. n. 2.* His tamen non obstantibus adest Decr. S. C. Episcop. & Regul. apud *Ferrar. tom. 2. v. Conventus, art. 3. n. 7.* ubi dictum fuit respectu ad Fratres Minores de Observantia, quod si ingrediantur Mulieres ipsorum Clausuram, tam Prælati, quam subditi eas introducentes incurrant eandem excommunicationem reservatam, & remaneant ipso facto privati eorum Officiis, & inhabiles in futurum.

Dubit. 3. an licentiam ingrediendi Monasteria 223
Monialium quoad forum conscientiæ debeat esse in scriptis? Affirmant *Sanch. Dec. l. 6. c. 16. n. 50. Pal. p. 3. D. 4. par. 10. §. 2. n. 6. et Suar. ap. Diana par. 3. tr. 2. R. 129.* quia, deficiente scriptura, licentia est nulla, cum deficiat forma in ejus concessione a Trident. præscripta in *Sess. 25. c. 5.* ubi: *Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat cujuscumque generis aut conditionis, sexus aut ætatis, sine Episcopi, vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub pœnæ excommunicationis ipso facto incurrenda.* Negant vero *apud Diana l. c. Homobon. et Bellochius*, qui citat pro se *Innoc. Abb. et Felin.* Ratio, quia scriptura videtur requiri tantum pro foro externo: Idque non videtur improbabile, cum non constet, an scriptura ibi requiratur pro forma, prout diximus in simili casu *l. 4. n. 123. v. Hic.* Dicit autem *Diana l. c. cum Rodriq. et Villab. ac Barbos. All. 102. n. 57. cum Delacrux*, quod etiam juxta primam sententiam (quamvis adhuc repugnet *Sanchez*), licentia in scriptis non requiritur in casibus ordinariis, quando causa est manifesta, puta in ingressu Medici, Confessarii, Cœmentarii, & similium Operariorum, quorum repentina opera passim indigent Moniales, prout explicat Glossa *v. Causa in capite Periculoso, de Statu Regulari in 6.*

Dubit. 4. An hujusmodi licentia debeat esse specia-

cialis? Resp. affirmative, ita ut non sufficiat, si alicui concedatur licentia ad quoscunque casus, ad quos Superior potest eam præbere, ut expresse habetur in dicto *c. Periculoso*, ibi: *Nisi speciali licentia etc.* Dicit tamen *de Alexand. c.* 5. §. 2. *q.* 5. *cum Miranda*, hoc non obstante; validam esse licentiam generalem, ut omnes Medici, Bajuli, & similes ingrediantur, quia licet sit generalis quoad personas, est tamen specialis quoad causam ingressus: Sed huic minime acquiesco, quia censeo textum præfatum, & Concilium exquirere licentiam specialem, non tantum ut Superior sciat ministerium ingredientium, sed etiam qualitates personarum, nimirum an ingressuri sint viri probi, maturæ ætatis, & similia. Bene tamen poterit Prælatus generaliter committere Abbatissæ, vel Confessario aut alteri viro prudenti facultatem concedendi licentiam aliis ad ingrediendum, ut dicetur in sequenti Dubio in fine.

224 Dubit. 5. A quo debeat concedi licentia ingrediendi Monasteria Monialium? Si Monasteria sint Episcopo subjecta, certum est ipsi competere jus concedendi licentiam, *auctoritate propria*, *delegata* vero, si Monasterium immediate subsit Summo Pontifici, ut in Trid. *sess.* 26. *c.* 5. Idem probabiliter docent *Sanch. Dec. l.* 6. *c.* 15. *n.* 30. *et Bon. de Claus. q.* 4. *p.* 2. *n.* 2. *cum aliis* de Prælatis habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem in aliqua Diœcesi, & de Vicariis Generalibus Ordinum Militarium, quia hi sunt vere Ordinarii, aut saltem nomine Ordinariorum comprehenduntur, ut probat idem *Sanch. de Matrim. l.* 3. *D.* 29. *n.* 35.

An autem possit hanc licentiam dare Vicarius Generalis Episcopi? Negant *de Alexandro c.* 7. §. 2. *qu.* 2. nisi de hoc habeat speciale Episcopi mandatum; & idem sentit *Barb. All.* 102. *n.* 38. citans *Bonac. loc. supra cit.*, sed ibi hoc *Bonac.* non dicit: Unde satis probabiliter docet *Sanch. Dec. d. n.* 30. *cum Navar. et Llamas*, quod in Monasteriis subjectis Episcopo Vicarius Generalis bene potest licentiam concedere sine speciali mandato. Idque probatur 1. Motu proprio S. Pii V. incipiente. *Decori*, dum ibi Pontifex explicuit, *Episcopum*, *aut alium loci Ordinarium*; Vicarius autem Generalis Episcopi bene dicitur Ordinarius, & nomine Ordinarii jam comprehenditur in omnibus Decretis, ut probat idem *Sanch. eadem D.* 29. *de Matrim. n.* 10. *et* 35. Probatur 2. ratione, quia Episcopus in Monasteriis ei subjectis procedit auctoritate ordinaria, Vicarius autem Generalis (ut probant *Fagnan. l.* 1. *in c. Quoniam in offic. deleg. n.* 15. *cum Imola*, *Cardinal. etc.* & idem *Sanch. d. D.* 29. *n.* 16.) potest omnia quæ potest Episcopus de jurisdictione ordinaria, quia cum Episcopo unum facit Tribunal. Secus vero dicendum de iis quæ potest Episcopus de jurisdictione delegata, unde recte subdit *Sanch. Dec. eod n.* 30. in Monasteriis Sedi Apostolicæ subjectis Vicarium Generalem non posse dare licentiam sine speciali mandato Episcopi.

Vicarius autem Capituli Sede vacante potest utique concedere licentiam in Monasteriis Episcopo subjectis, quia succedit in omnia quæ competunt Episcopis de jure ordinario. Sed difficultas est, an possit etiam in iis quæ subduntur Sedi Apostolicæ? Affirmant *de Alex. c.* 6. §. 2. *q.* 2. *cum Mol. Pal. Barbos. et Tamb.*, quia talis jurisdictio ex delegatione Sedis Apostolicæ in perpetuum committitur muneri Episcopali, unde cum ipsa competat Episcopo de Officio, bene transit in Capitulum, sive ejus Vicarium. Hanc rationem non approbat *Sanch. d. n.* 30. Attamen id alia ratione etiam concedit, quia (ut ait) Concilii mens est ut Capitulum bene possit dare licentiam, ne Monasteria remaneant absque Prælato, ad quem pro licentia recurrant.

Major difficultas est, a quo sit concedenda licentia, si Monasterium Regularibus subsit? *De Alexandr. c.* 7. §. 2. *q.* 1. propugnat licentiam esse impertiendam tam a prælato Regulari, quam ab Episcopo, afferens de hoc Dec. S. C. Concilii editum 13. Nov. 1610. Sed probabilius docent *Fagnan. l.* 5. *in c. Nuper de Sent. exc. n.* 17. *Bon. q.* 4. *p.* 2. *n.* 3. *cum Rodriq. Graff. & Miranda*, *Croix l.* 4. *n.* 76. *cum Pal. & Piasec.* ac *Barb. All.* 102. *n.* 41. asserens oppositum Decr. ejusdem S. C. Conc. ab ipso visum, editum eodem anno quo ipse scribebat, nempe circiter annum 1628. *ac Sanch. l.* 6. *c.* 16. *n.* 13. *cum Azor. Manuel.*, *Llamas*, *& Navarro*, qui (ut refert *Sanch.*) testatur etiam declaratum fuisse a S. Pio V. nempe quod licentia concedi potest & debet a solo Prælato Regulari, scilicet a Generali aut Provinciali (vel etiam ab immediato Superiore Monasterii, ut sentiunt *Sanch. n.* 15. *& Bonac. l. c. cum aliis* ab eo citatis, contra *de Alex. l. c. qu.* 2. *& Suar.* ab eo citatum). Ratio, quia Trident. prohibet ingressum, *sine Episcopi*, *vel Superioris licentia*; ergo loquendo disjunctive, declarat licentiam posse respective concedi vel ab Episcopo, vel a Prælato Regulari, prout cui Monasterium subest. Bene tamen advertit *de Alex. d. q.* 2. ex Decreto S. C. 21. Maji 1630. approbato ab Urbano VIII. licentiam concedendam a solo Episcopo, etiam quoad Monasteria exempta, ubi talis viget consuetudo.

Abbatissa autem nequit de jure ordinario hanc licentiam dare, ut dicunt *de Alex. c.* 7. §. 2. *q.* 2. *& Sanch. n.* 22. *cum Nav. Azor. Man. &c.* contra aliquos ibi citatos n. 21. Bene vero Episcopus potest delegare Abbatissam, vel Confessarium, aut alium prudentem virum, ad hanc licentiam concedendam, ut addunt *Bon. p.* 2. *n.* 5. *de Alex. l. c. Sanch. n.* 23. *cum Nav. Man. & Graff. ac Barbosa*, *l. c. n.* 53. contra *Suarez*.

Dubit. 6. Quæ causa requiratur ad hanc licen- 225
tiam concedendam? Resp. Ad licentiam impertiendam non sufficit quidem quælibet causa, sed requiritur necessitas, ut præscribit *Trid. c.* 5. *sess.* 25. illis verbis: *Dare autem tantum Episcopus*, *vel Superior licentiam debet in casibus necessariis*. Necessitas autem hæc debet esse ex parte ipsius Monasterii, quia ad ipsius Monasterii solam utilitatem permittitur ingressus; non enim sufficit si sit tantum ex parte extraneorum, nisi jus naturale aut Divinum aliud suadeat, ut ex communi dicunt *Bon. q.* 4. *p.* 4. *n.* 8. *& Alex. c.* 7. §. 3. *q.* 2. ex Declar. S. C. die 9. Sept. 1611. Unde ait *Diana p.* 3. *tr.* 3. *R.* 30. ex alio Decr. S. C. non effugere excommunicationem uxores, quæ adhuc

cum

cum licentia Ordinarii intrarent Monasterium causa adulterii, vel dissensionis cum viris, cum S. C. raro hanc licentiam concedat. Et sic pariter nec valet licentia ad collocandam in Monasterio aliquam feminam, ne redeat ad vomitum, ut de *Alex. l. c.* ex alio Decr. S. C. 18. Aug. 1588. Neque ad docendam Monialibus artem, nisi quando in Monasterio nulla adesset alia perita; *præfatus de Alexand.* ex alio Decr. S. C. 11. Mart. 1586. Notant tamen *Pignatel. t. 7. Con. 47. n. 42.* & ipse *de Alex. ibid.* ex S. Congr. bene posse Ordinarium dare licentiam intrandi puellæ, de qua controvertitur, ut in Monasterio ad tempus maneat, donec lis terminetur.

Talis vero necessitas ex parte Matrimonii, non stricte, sed late sumitur, intelligitur enim necessitas moralis, nempe cum intervenit quævis causa rationabilis, sive probabiliter justa; ita *Sanch. Dec. l. 6. c. 16. n. 4. Bon. q. 4. p. 4. n. 2. de Alex. c. 7. §. 3. q. 1. cum Delbene, & Barb. All. 102. n. 48. cum Miranda, Portel. & Campanile.* Dicitur, *causa probabiliter justa*, nam dubie justa non sufficit, ut recte advertunt *ib. Sanch.* & *Barbos.* qui insuper (contra *Bon.*) censet minorem causam requiri pro ingressu feminæ in Monasterium Monialium, quam viri: & pro ingressu diurno, quam nocturno, & pro ingressu consanguineæ, quam extraneæ: & pro ingressu in priora receptacula, quam in interiora. In necessitatibus autem urgentibus, quæ moram non patiuntur, & alias grave damnum immineret, non requiritur ulla licentia ad ingrediendum, prout in casu mortis, incendii, violentiæ, & similium, quia lex humana in tanto discrimine non obligat, ut recte docent *Sanchez n. 34. & de Alex. c. 7. §. 2. q. 6. cum Nav. Graff.* & communi. Hinc potest quivis Sacerdos in causa repentinæ mortis ingredi ad ministrandum Moniali Sacramentum Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ, & etiam extremæ Unctionis, ut probabiliter ait *de Alex.* Et tunc ne Abbatissæ quidem licentia requiritur, ut etiam probabiliter censet idem *de Alex. q. 7. cum Nav. Graff.* & aliis pluribus (contra *Sanch. n. 36.*), quia tunc licentia rationabiliter præsumitur concedi immediate a Papa. Excipe nisi Abbatissa habeat generalem facultatem a Prælato præbendi licentiam.

226 Hic autem notandum, quod Medicus non potest ingredi nisi ex licentia renovata in singulis trimestribus, ut ex Decret. Sacr. Congr. edito die 27. Mart. 1588. (vide *de Alex. c. 7. §. 5. qu. 1.*) Necnon debet associari a duabus Monialibus senioribus: & intrare solus nisi infirmitas sit valde gravis. Medicus autem non potest ingredi sub initio Quadragesimæ ad cognoscendum, quæ Moniales sint dispensandæ, quia hoc bene potest præstari ad crates, *de Alex. ib. qu. 2.* Posset tamen ingredi ad invisendam Monialem decumbentem in lecto, & dubitantem an febri laboret, licet posset ipsa sine gravi damno accedere ad januam, si illuc renueret ire ob erubescentiam. Ita *Bonac. qu. 4. p. 4. n. 5. & de Alex. d. qu. 2.* Medicus vero extraordinarius nequit ingredi ad libitum Monialium, sed tantum in defectu ordinarii, vel quando cum ordinario habendum est collegium; *de Alex. qu. 3. cum Barchio.* Chirurgus potest quidem intrare ad secandam venam, & etiam Pharmacopola ad docendum (si opus sit), quomodo medicamentum sit parandum; *Sanch. l. 6. c. 16. n. 59. & de Alex. qu. 4.* Factores, Notarii, & similes etiam ingredi possunt, si necessitas urgeat, puta ad judicandum de ruina imminente, ad inveniendam scripturam necessariam in Archivio, ad faciendum testamentum puellæ, *de Alex. qu. 5.* Sic etiam ingredi possunt ex licentia fabri, hortulani, fabricatores, putearii, putatores, molitores, & similes, qui artem suam non possint extra commode exercere: Item bajuli ad ferenda, quæ a Monialibus ferri non possunt. Si autem licentia nominatim sit data pro uno bajulo, isto deficiente, non potest alius substitui, nisi licentia esset indeterminata, v. gr. *ut bajulus ingredi possit;* ita *Alex. qu. 7. Sanch. c. 16.* Admittit etiam *Sanch.* Sartores, si extra non possent commode aptare vestes; & consentit *Cassian.* si adsit usus. Sed merito id negant *Bon. q. 4. p. 4. n. 11. & Pal. D. 4. p. 10. §. 3. n. 11.* An autem, concessa licentia pro magistro artis cum discipulo, possit ingredi, vel immorari discipulus sine magistro? Negant *Barchius apud de Alex. §. 5. q. 8.* Nisi ex aliquo impedimento magister non potuerit ingredi, aut immorari. Affirmant vero alii, & *de Alex.* putat probabile, quia dictio *Cum* æquivalet dictioni *Et.* An autem possint admitti in Clausuram infantes nondum doli capaces? Affirmat *Barb. cum Navar. Azor. Bonac. com. &c.*, quia prohibitio principaliter afficit ingredientes: cum ergo infantes non ligentur præcepto ob carentiam usus rationis, nec etiam Moniales. Attamen S. C. sæpius declaravit oppositum: vide *de Alex. qu. XI. l. c.* Et tanto magis hoc dicendum de amentibus, ex quibus insuper potest facile timeri periculum scandali.

Confessarius vero ingredi potest ad ministran- 227
da Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis Moniali ægrotanti, quæ ad Confessionale non potest accedere. Et non solum in periculo mortis, sed quoties ex præscripto Regulæ dispensatur Communio: Item quoties illa Monialis communicare consueverit; ita communiter *Bon. q. 4. p. 4. n. 4. Barb. All. 12. n. 49. & de Alexand. cap. 7. §. 6. qu. 2. cum Sanch. Rodr. & communi*, ex Declar. S. C. Debet autem Confessarius ingredi indutus superpelliceo, & stola, atque sic ibi morari; deberque egredi, quin ad aliam Monasterii partem se divertat, etiamsi esset ad visitandam aliam infirmam, quæ tamen non indigeat Sacramentis; *de Alex. q. 2. & Barb. d. n. 59.* Confessarius secularis intrare debet sine socio, ut S. C. declaravit; Regularis vero debet habere socium probatæ vitæ, & maturæ ætatis, ex Bulla Alexandr. VII. Dum autem Confessarius Confessionem audit, debet assistere Comitatrices ad januam, ita ut eum videre possint; vide *de Alex. ibid.* Potest etiam Confessarius ingredi, & pernoctare in Monasterio, si Monialis laboret in extremis; *de Alex. §. 6. q. 3.* ex Declar. S. Congr. Potest etiam ingredi Confessarius ad benedicendum Monasterium a Spiritibus infestatum; *de Alex. q. 9.* cum *Nav. Nald. ex Declar. S. Congr.* An autem ad exorcizandam obsessam, S. C. die 10. Nov. 1582. annuit posse, si Sacerdos sit proba-

tæ

tæ vitæ; Sed postea 1. Julli 1606. id prohibuit, & dixit potius impetrandam esse a S. C. licentiam; ut Monialis illa exorcizetur in Ecclesia exteriori Monasterii, vide *de Alex. ib. q.* 5. Potest etiam Confessarius post Sacramentum collatum dare Reliquiam ad osculandum, benedicere cellam, &c. & etiam tunc de aliquo negotio temporali loqui; ita *de Alex. c.* 7. §. 6. *q.* 9. Probabiliter dicunt plures *de Alex. q.* 10. ex *Glossa in c. Decret. verb. Debet*, *de Reg. Jur. in* 6. quod si Confessarius extraordinarius, ingrediens cum licentia data pro una vice, non possit Confessionem excipere, vel perficere propter morbum, poterit postea iterum ingredi sine alia licentia; Et idem dicunt, si Monialis confessa statim advocet Confessarium egressum, ad dicendum peccatum oblitum, cum illud spectet ab idem judicium. Præterea sentit *de Alex.* quod Confessarius, postquam Confessionem Monialis infirmæ audierit, bene potest aliquod novum ædificium Monasterii benedicere, & etiam deferre cuidam aliæ infirmæ quandam insignem Reliquiam, sic etiam, ait posse ob aliquam justam causam immorari in Monasterio ad breve tempus ad intuendas Officinas, & ad tractandum aliquod temporale negotium.

228 Dubit. 7. an qui est ingressus Monasterium cum licentia, incurrat excommunicationem, aut graviter peccet, si finito negotio statim non egredietur? Resp. 1. non incurrit censuram, licet ipse multum immoretur, quia Clausura tum solum violatur, cum sine licentia usurpatur ingressus; ita *Sanch. Dec. l.* 6. *c.* 16. *n.* 60. *Bonac. q.* 4. *p.* 5. *n.* 22. *& Bordon. de Zerol. apud de Alexand. c.* 7. §. 3. *q.* 4. Et hoc ait *Sanch. l. c.* (contra *Rodriq.*) procedere etiamsi quis immoretur ad malum finem, quia hic jam est cum licentia ingressus, ut Concilium permittit. Sed *Bonac. l. c.* censet quod esto hic non incurrat excommunicationem Tridentini, incurrit tamen excommunicationem Papæ reservatam in Decr. S. C. edito jussu Clem. VIII. die 22. Nov. 1622. ubi excommunicantur omnes *violantes Clausuram ad malum finem*; hunc enim ait jam violare Clausuram immorando cum prava intentione; sed huic responderi potest, quod cum agatur de pœnis, violatio illa stricte intelligenda est, prout intelligit Concilium, nempe de ingressu & egressu sine licentia.

Resp. 2. E contrario non excusatur a peccato mortali, si mora sit longa, quia delinquit adversus obligationem Clausuræ; Secus si mora sit brevis, cum in hoc præcepto non immorandi bene admittatur parvitas materiæ; ita communiter *Sanch. & Bon. ll. cc. ac Barbos. All.* 102. *n.* 56. *cum Miranda, & Rodriq.* Imo *Sanch. ib. ac Molin. Rodr. & Miranda apud Bon.* dicunt eum qui parum immoratur excusari etiam a veniali, tum quia sic usu receptum est etiam apud viros timoratæ conscientiæ, tum quia, cum hoc præceptum sit morale, morali modo accipiendum est. In hoc autem brevem moram censet *Diana p.* 3. *tr.* 2. *R.* 51. *cum Vill.* esse quadrantem.

Dubit. 8. an incurrat excommunicationem qui ingreditur cum licentia, & ex causa justa, sed simul cum intentione prava? Sentit *Bon. Dub.* 3. *p.* 5. *n.* 18. esse probabile quod hic incurrat, quia non præsumitur Superior in eo casu licentiam concessisse. Sed oppositum tenet *de Alex. c.* 7. §. 3. *qu.* 5. & merito id probabile censet ipse *Bonac. cum Rodriq. & Zerola*, quibus adhæret quoque *Sanch. l.* 6. *c.* 16. *n.* 68. *& c.* 17. *n.* 28. quia censura fulminatur tantum in ingredientes sine licentia, non autem in eos qui cum licentia intrant etsi cum malo fine; pœnæ enim stricte sunt intelligendæ, & prava intentio non tollit primam ingrediendi causam, propter quam data est licentia.

Moniales autem Clausuram violantes, necnon 229
alii concedentes illis violare; sive eas comitantes, aut receptantes, pariter excommunicationem papalem incurrunt, Const. S. Pii V. quæ incipit, *Decori*, edita 1. Febr. 1509. *ap. Sanch. Dec. l.* 6. *c.* 11. *n.* 35. ubi contra excusatur egressio, si adsit justa causa, nempe (ut ibi dicitur) *magni incendii, vel infirmitatis, lepræ, aut epidemiæ*. Nomine autem *Epidemiæ* declaravit S. Congr. *ap. Alex. c.* 7. §. 9. *q.* 2. intelligi tantum veram & realem pestem. Sed dicunt *Bon. q.* 1. *p.* 9. *n.* 2. *Holzm. t.* 1. *p.* 480. *n.* 592. *& Sanch. l. c. n.* 35. *cum Nav. Manuel, & Cenedo*, venire non solum morbum vere pestilentem, sed quemcumque morbum contagiosum, qui alios inficere soleat, prout est morbus S. Lazari, ignis sacri, & similium, casu quo Monialis infirma non possit curari in Monasterio sine periculo infectionis aliarum. Idque infertur ex *cap. Periculoso de Statu Reg. in* 6. ubi prohibetur egressus Moniali, *nisi forte tanto & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non possit cum aliis sine gravi periculo seu scandalo commorari*: E converso recte ajunt *Bon. l. c. n.* 18. *cum Rodriq. Zerola, Gutt. & Cord. ac Barbos. All.* 102. *n.* 20. *cum Miranda, Sorbo, & Cenedo* (contra *Nav. Azor. Suar. & Graff.*) non sufficere ad egrediendum infirmitatem gravem sine periculo infectionis aliarum, tum quia hic casus non excipitur in Const. S. Pii; tum quia alias magnum sequeretur damnum Clausuræ, cum tales morbi in Monasteriis sint frequentes. Docent autem *Sanch. c.* 15. *n.* 60. *& 61. Bon. n.* 21. Monialem, finita curatione, aut cessante causa egressus, statim teneri reingredi: illud tamen *statim* recte dicunt intelligi moraliter; unde excusant Monialem a mortali, si moretur extra per unum vel duos dies. Item ait *Sanch. c.* 16. *n.* 69. illam non incurrere excommunicationem, si extra commoretur, quia ipsa jam egressa est cum licentia. Quamvis autem in *c. Periculoso*, fiat mentio de sola causa incendii, &c. ut supra, bene tamen ajunt *Sanch. c.* 15. *n.* 37. *& 44. Bon. n.* 6. *& 7. ac de Alex. c.* 7. §. 9. *qu.* 2. *cum Nav. et Barb.* sufficere ad egrediendum causas, similes, ut bellum imminens, inundatio fluminis, aut ædificii ruina. Quando vero patet aditus & tempus, nempe si periculum patitur moram, requiritur omnino ex præfata Bulla S. Pii V. ad egrediendum licentia in scriptis ab Episcopo, etiam a Prælato regulari, si Monasterium sit exemptum, cum ibi dicatur *Sitque causa hæc cognita, probata, atque in scriptis expressa per Superiores, et simul per Ordinarium*.

An autem incurrat excommunicationem Monialis egrediens extra Monasterium ad unum tantum

pe-

pedem? Negant *Graff. Nald. Meroll.* & adhæret *Croix l. 4. n. 85. & l. 1. n. 673.* si statim redeat. Sed probabilius affirmant *Bon. qu. 1. p. 8. n. 6. & Sanch. lib. 6. cap. 16. n. 70.* Valde tamen rationabiliter excusanda est cum *Sanch.* Monialis, quæ non egreditur toto corpore extra Clausuram, ut dicunt *Sanch. & Bon. ll. cc.*

Notandum hic ex Decr. Clem. VIII. (apud *Pelliz. c. 7. qu. 7. n. 22.*) unamquemque Monialem debere solam dormire, ideoque tot cellas in unoquoque Monasterio faciendas esse, quot ibi degunt Moniales. Idem declaravit S. C. Episcop. & Regular. *apud. Ferrar. Bibl. t. 5. v. Moniales art. 2. n. 7.* Sic etiam S. C. Episcop. & Regular. *ap. eundem Ferrar. l. c. art. 1. n. 5.* pluries statuit, Puellas commorantes in Monasteriis Monialium causa educationis debere habere locum separatum a Monialibus pro earum dormitione, sicut & pro operibus.

230 Hæc quoad Clausuram Monialium. Adest autem alia excommunicatio Papæ reservata contra mulieres violantes Clausuram Religiosorum, lata a S. Pio V. in Bulla *Regularium*, an. 1566. & in alia Greg. XIII. *Ubi gratia*, edita 13. Jun. 1575. quas referunt *Bon. de Claus. qu. 5. p. 3. n. 1. Salm. tr. 15. c. 5. n. 176. & Sporer t. 3. pag. 100. n. 159.* Hancque excommunicationem incurrunt non tantum feminæ quæ prætextu facultatum prætendunt ingredi in Monasteria virorum vel mulierum, ut declaravit Greg. XIII. sed etiam illæ quæ sine tali prætextu Conventus virorum ingrediuntur, ut per aliam Bullam editam die 16. Jul. 1570. quæ incipit, *Romanum Pontificem*, idem S. Pius V. declaravit, dicens: *Declaramus fuisse & esse mentem nostram, quod dictæ literæ non solum comprehendant mulieres habere prætendentes Indultum ingrediendi Monasteria, sed etiam quascunque alias, tam in genere quam in specie &c.* Et ita communissime & recte tenent *Pal. tr. 16. D. 3. p. 8. n. 1. Suar. de Rel. to. 4. tr. 8. l. 1. c. 7. num. 9. Bon. l. c. Nav. c. 27. n. 105. & Salm. l. cit. n. 276. cum Lez. Pell. Garc. &c.* (contra *Laym. Delb. &c.*) Idemque docet *Sanch. Dec. l. 6. c. 16. num. 79.* qui cum *Suarez* dicit, quod Auctores ideo contrarium tutati sunt, quia non legerunt præfatam Declarat. S. Pii V. Nec obstat id quod objiciunt *Laym. & Delbene ap. Salm. n. 195.* nempe quod cum Gregorius XIII. innovaverit solam priorem Const. S. P. V. *Regularium*, faciendo tantum mentionem de feminis prætextu facultatum ingredientibus, videtur secunda Const. S. Pii, *Romanum Pontificem*, vel non fuisse promulgata, vel non recepta. Nam respondetur, ex eo quod præfata secunda Constitutio fuit posita in Bullario S. Pii, & ex praxi atque stylo S. Pœnitentiariæ satis ostendi, quod præfata secunda Constitutio jam fuit promulgata, & usu recepta. Et hic insuper notandum, quod ex Bulla Gregorii, *Regulares*, præsertim Superiores, præter pœnas suspensionis a Divinis, & privationis Officiorum, ac inhabilitatis ad alia, latas in Bulla S. Pii, incurrunt etiam excommunicationem, si ingredi faciunt, vel permittunt mulieres prætextu facultatum in eorum Monasteria. An autem Regulares admittentes feminas ingredientes sine prætextu incurrant excommunicationem? Negat *Fill. tr. 15. c. 5. q. 7. n. 119.* ac *Bonac. p. 3. n. 2.* putat probabile, quia S. Pius jam declaravit mentem suam, quod in prima Bulla comprehendebantur mulieres intrantes etiam sine prætextu, sed Gregorius hoc non declaravit.

Excipiuntur tamen ab hac prohibitione I. Re- 231
ginæ Electrices, & similes, earumque filiæ, ut docent *Suar. de Censur. D. 22. sess. 6. num. 12. Sanch. lib. 6. cap. 17. n. 9. Bon. qu. 4. p. 2. n. 5.* II. Fundatrices, quæ fundum concesserunt, vel situm Monasterii, vel propriis sumptibus illud ædificare fecerunt, aut reditibus dotaverunt: quibus insuper permittitur decens comitatus aliarum; *Sporer l. c. et Elbel n. 650.* Hoc tamen declaravit regnans P. Bened. XIV. in Bulla *Regularis*, (quam reperies in initio hujus Operis) intelligi, dummodo habeant privilegium a Sede Apostolica in forma Brevis, illudque exhibeant locorum Ordinariis, vel Præsulibus Monasterii. III. Feminæ necessariæ ad curationem alicujus Religiosi (intelligendum cum licentia Superioris): vel quæ fugerent ad evitandam necem, *Sporer, et Elbel ll. cc.* Nomine autem *Conventus*, dicunt *Pal. tract. 16. D. 4. p. 4. num. 6. et Elbel p. 642. cum Sanch. Laym. et aliis*, non venire domos privatas, seu Residentias, ubi unus vel alter Religiosus habitare consuevit, quia hæ nequeunt dici conventus. Nec venire domos, addit *Elbel*, ubi Religiosi degunt causa ædificandi Monasterium, nisi ibi sufficientia sint habitacula, ita ut Communitas regulariter jam vivere possit. Ceterum ait idem *Elbel n. 671.* quoad modum servandi Clausuram, attendendas esse legitimas consuetudines ac rationabiles, auctoritate Superiorum approbatas: non autem eas, quæ potius abusus, & corruptelæ dicendæ sunt. Dicunt autem *Barb. Bonac. etc.* Sacristia Regularium esse Clausuram; sed *P. Ferraris* (*Bibliot. verb. Convent. n. 14.*) asserit praxim fere undique esse contrariam.

Hic autem refert plura adnotare circa prohibi- 232
tionem indictam in Jure, & in Casu reservato in Diœcesi Neapolitana, viris colloquendi cum Monialibus. Pro hac sciendum quod in Concilio Lateranensi anno 1179. ut habetur in *c. Monasteria de Vita, et Honest. Cleric.* latam fuisse excommunicationem ferendæ sententiæ ab Episcopo contra Laicos, & suspensionem in Clericos frequentantes Monasteria Monialium, his verbis. *Monasteria Monialium, si quisque Clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare præsumserit, per Episcopum arceatur; et si non destiterit, ab Officio Ecclesiastico reddatur immunis; Si Laici, excommunicationi subdantur.* Per quot autem vices hæc frequentia constituatur, Glossa in *cit. c. Monasteria*, censet constitui per duas vices, scil. in uno die, vel duobus continuis, ut dicit *Gratianus*. Verum communius *Nav. et Manuel* putant constitui per tres vices in tribus diebus continuis, ut etiam *Sanch. Dec. l. 6. c. 16. n. 22. et Bon. de Claus. t. 1. q. 3. p. 2. n. 4.* vel per unam vicem singulis mensibus, ut iidem *Sanch. et Bon.* aut quater in eadem hebdomada, ut ait *Bon.* qui contra addit cum *Nav. et Manuel apud Sanch.* non constitui frequentiam; si sit quater in anno, sive semel in trimestri. In hoc tamen ultimo casu dicit *Barb. All. 102. n. 70.* posse

se Episcopum excommunicare accedentes, si velit.

Circa autem Regulares ipsis jam prius specialiter interdictus fuerat accessus ad colloquendum cum Monialibus in VIII. Synodo an. 787. ut habetur in *c. Definimus* 21. *Caus.* 28. *qu.* 2. ubi: *Adulterium intercipi, si habeat aditus Monachus ad Monacham secreto singulariter ad collocutionem.* Præterea, in Decreto S. C. edito jussu Sixti V. an. 1590. Regularibus colloquentibus cum quibuscumque Monialibus, sive sui, vel alterius Ordinis, vel cum qualibet muliere in Monasterio degente, imposita est pœna privationis Officii, vocis activæ & passivæ, ipso facto incurrenda. Confessariis autem Regularibus fuit interdictum, in ædibus Monialium Monasterio contiguis pernoctare, aut facere ut alii pernoctent, vel alias secum retinere; item ne in iis cibum sumant extra tempus Confessionum generalium. Et hæc lex verius obligat sub mortali, ut docent *Bonac. q.* 3. *p.* 4. *n.* 4. *cum Sayro, Homob. et Barchio, ac Ciera D.* 6. *n.* 26. *v. Verum, cum Potestà, Verricel. Donato, Llamas, et Manuel* (contra *Navar. et Pal.*) ex Decreto S. C. Conc. edito 1. Jul. 1626. ubi declaratum fuit, Regulares accedentes ad Monasteria Monialium contra formam præfati Decreti editi mandato Sixti V. *ultra pœnas incurrere etiam pœnam peccati mortalis.* Item hic notandum, quod in præfato Decreto Sixti V. dictum fuit, Regulares tantum a S. C. impetrare posse licentiam ad colloquendum cum Monialibus; Sed eadem S. C. Conc. in alio Decreto (in extensum relato a *Bon. q.* 3. *p.* 4. *n.* 4. & a *Ciera D.* 6. *n.* 26.) de mandato Urb. VIII. 20. Nov. 1623. concessit *locorum Ordinariis, ut quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere possint per quatuor vices ad summum quolibet anno cuique Regulari, ut Moniales sibi in primo et secundo tantum consanguinitatis gradu conjunctis convenire, et alloqui possit. Id vero ut nullo modo liceat diebus festivis, aut Adventu, Quadragesima, feria sexta, sabbato, et vigiliis: prædictaque licentia obtenta ab Ordinario, et ab alio ad quem spectat eam concedere; assignetur Confessario ordinario Monasterii, qui penes se retinere debeat, isque associet et præsens sit: et Auscultatrices de more, non aliæ, assistant: prædictaque licentia pro die et hora certa, et in scriptis concedatur, in librisque Cancellariæ ejusdem Ordinarii adnotetur. Quod si Ordinarii aliter quam servata forma supradicta licentiam concesserint vel permiserint, sciant se intentionis SS. D. N. transgressores; Regulares autem pœnis in supradicto Decreto* (scilicet Sixti V.) *contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, se noverint addictos, etc.*

Sed postquam hæc scripsi inveni, quod cum apud S. C. Conc. factum fuisset Quæsitum, an Regulares accedendo ad colloquendum cum Monialibus sine licentia Episcopi, peccent mortaliter, etiamsi accedant ex rationabili causa? S. C. die 26. Nov. 1682. ut habetur apud *Monacell. Tom. I. Append. p.* 436. respondit, non licere sine licentia Episcopi. Et idem habetur in Bulla *Gravissimo*, edita die 31. Octob. 1749. a Bened. XIV. (vide in *Bullar. t.* 2. *ibi n.* 52.) in qua refertur vetitum fuisse Regularibus a S. C. accedere sine licentia Episc. ad Monasteria Monialium, nec etiam ipsis subjecta. His autem positis videtur hodie Regulares (quicquid alia Decreta prius statuerint, quæ in desuetudinem abierunt) licite posse accedere toties quoties ad colloquendum cum Monialibus ex licentia Episcopi.

Hæc præscripta sunt de jure communi; In omnibus autem fere Diœcesibus, & signanter in Neapolitana adest casus reservatus cum excommunicatione *in loquentes sine Archiepiscopi, vel Vicarii Monialium licentia cum Monialibus in Monasteriis etiam exemptis, vel cum aliqua aut aliquibus earum, etiamsi sit Conversa, aut Novitia, sive educationis, sive alterius rei causa ibi commoretur, conjunctis in primo vel secundo consanguinitatis gradu duntaxat exceptis. Declarantes, quod qui facultatem obtinuerit loquendi cum aliqua prædictarum, non possit data opera et ex professo cum aliis loqui. Insuper* (excommunicantur) *ii præsertim qui cum aliqua ex prædictis aut coram ipsis, tam in Monasteriis, quam Conservatoriis, seu Collegiis commorantibus, de rebus obscœnis per verba aut actus impudicos præsentes egerint, absentes vero per literas aut internuncios. Necnon viri aut mulieres, sive intra sive extra Monasterii vel Conservatorii aut Collegii septa, qui prædictas literas vel mandata detulerint.*

Dubit. 1. An in tali prohibitione vetetur solus accessus sine collocutione? Affirmant *Sanch. Dec. l.* 6. *c.* 16. *n.* 112. *& Ronc. de Clas. D.* 3. *p.* 1. *n.* 3. *cum Nav. & Rodr.* Hinc dicunt prohiberi accessum ad Monasterium, etiam ad inspiciendas Moniales. Sed probabilius *de Alex. c.* 7. §. 10. *q.* 1. *ex Januar. & Jordan.* dicit vetari accessum formalem, scilicet cum effectu; Unde accessus prohibitus duo importat copulative, nempe accedere ad locum, & colloqui; sic enim clare colligitur ex *cit. c. Definimus*, in quo simultanee prohibetur *aditus ad collocutionem:* & ex Decr. mox supra relatis editis de mandato Sixti V. & Urb. VIII. ubi semper fit mentio copulative de accessu, & colloquio. 233

Hinc probabiliter dicunt *Diana p.* 3. *tract.* 2. *R.* 48. *de Alex. l. c. cum Lez. Tamb. et Januar.* & consentit idem *Bon. l. cit. n.* 2. *cum Graff. & Homob.* (contra *Meroll. et Pasqual.*) per se loquendo, non esse vetitum colloqui cum Monialibus e domo propinqua, quia deficit accessus; Sicut nec etiam scribere, ut *Bon. D.* 3. *p.* 2. *n.* 5. *Mazz. t.* 3. *p.* 534. *et de Alex. ib. cum Barbos. Riccio, Tamb. Januar. et aliis.* Sic etiam non prohibetur colloqui per nuncium transmissum, *Bon. p.* 1. *n.* 2. *cum Graff. et Homob. ac Mazzot. l. c. cum Quarti, Januar. et Diana.* Dixi *per se loquendo*, nam juxta casum reservatum Neapoli, ut bene notant *Ciera D.* 6. *n.* 26. & idem *Mazz. p.* 528. *v. Not.* 1. incurrunt excommunicationem etiam qui colloquuntur e domibus propinquis, & etiam qui loquuntur cum Moniali nihil respondente; ibi enim excommunicantur non solum colloquentes, sed simpliciter *loquentes:* Item omnes *absentes*, qui cum Moniali, vel alia degente in Monasterio, vel Conservatorio, *de rebus obscœnis egerint per litteras, aut internuncios.*

Dub. 2. An loquentes per nutus aut signa non ob- 234

obscœna, incurrant casum reservatum? Affirmant *Mazzotta t. 3. p. 534. cum Quarti, Januar. Graff. & Baucio*, quia conceptus bene alteri manifestantur tam verbis quam signis. Sed merito probabile putat oppositum ipse *Mazzotta cum Pelliz. Tamb. & Diana*, nam locutio per signa non est proprie locutio; prohibitiones autem tanquam odiosæ stricte sunt intelligendæ.

235 Dubit. 3. An sit peccatum mortale semel colloqui cum Moniali? Loquendo de jure communi, *Sanch. Dec. l. 6. c. 16. n. 120. cum Nav.* censet, quod etiam frequenter, & sine justa causa cum Monialibus colloquentes non peccant mortaliter, nisi ipsi post monitionem Episcopi non desistant. At dicunt *Bon. de Claus. q. 3. p. 3. n. 1. & de Alex. c. 7. §. 10. q. 2. cum Miranda, Rodr. & aliis*, ex Decreto S. C. 1. Jul. 1606. quod hujusmodi Monasteria frequentantes, licet non incurrant pœnas nisi post monitionem Episcopi, tamen non excusantur a mortali, quia in Decreto S. C. Conc. (edito ut supra jussu Sixti V.) imponitur pœna valde gravis, quæ non solet imponi nisi pro gravi culpa. Sed huic responderi potest, id ibi dispositum esse tantum circa Regulares. Loquendo vero de casu reservato in nostra Diœcesi, nulli dubium peccare mortaliter qui adhuc semel per tempus notabile loquitur cum Moniali, ut bene ajunt *Mazzot. p. 343. & Ciera Dist. 55. n. 9. cum Januar. & Quarti:* ibi enim non frequentatio, sed sola locutio vetita est.

236 Dubit. 4. An in hujusmodi locutione detur parvitas materiæ? Negant *de Alexand. c. 7. §. 10. qu. 3.* idque probat ex Decr. S. C. edito 1. Maji 1669. approbato ab Innoc. IX. ubi: *S. Congreg. Conc. Trid. habita notitia quod nonnulli Regulares absque licentia crates Monialium adire & frequentare non dubitent, prætendentes non esse prohibitum per breve tempus etiam ad quadrantem horæ cum dimidio, Moniales alloqui; ad hujusmodi perniciosos errores eliminandos, opinionem prædictam improbans ac damnans, declaravit, Regulares qui ad Monasteria Monialium, quamvis ipsis Regularibus subjecta, absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum Monialibus, peccare mortaliter, eosque pœna excommunicationis, privationis vocis activæ & passivæ, aliisque statutis pœnis posse ab Ordinario tanquam Sedis Apostolicæ Delegato coerceri.* Ex verbis igitur illis, *per quodcunque modicum temporis*, infert *de Alexandro*, non dari parvitatem materiæ in tali collocutione.

Affirmant tamen communiter *Bon. de Claus. q. 3. p. 3. n. 1. Diana p. 3. tr. 2. R. 48. v. Nota 6. Mazz. p. 534. cum Quarti, Veric. & Tamb. ac Ciera D. 6. n. 9.* (*cum Januar.*) qui ait parvitatem materiæ ab omnibus in hoc admitti debere: & merito, nam adhuc in præceptis divinis datur materiæ parvitas, quæ excusat a mortali, nisi (ut communiter DD. tradunt) in quibus parva materia reperiatur tota malitia culpæ, ut est in perjurio, re venerea, & simonia. Discrepant vero AA. in assignando, qualis sit in tali collocutione parva materia. *Ciera l. c. cum Januar.* censet esse pauca verba, quæ *Merolla ib.* putat esse decem verba. *Diana* autem, *& Mazz.* putant esse spatium unius *Miserere*, & aliquid amplius. Demum *Quarti, & Vericelli ap. Mazz.* dicunt esse unum quadrantem. Neque videtur (ut putat *de Alex.*) in Decreto Clem. IX. reprobatam fuisse hanc opinionem; licet enim prohibeatur collocutio per quodcunque modicum spatium, id tamen declaratum est tantum de Regularibus, quibus utique valde strictius vetita est collocutio cum Monialibus. Nec etiam ibi omnino videtur, ut censet *Ciera*, rejectam esse opinionem *Quarti*, nempe quadrantem esse materiam parvam; nam ibi verius non fuit damnata, nisi opinio de quadrante cum dimidio, verbis illis: *Prætendentes non esse interdictum per breve tempus, etiam usque ad quadrantem horæ cum dimidio.* Propositio copulative damnata est, scilicet, quod sit breve tempus, etiamsi extendatur ad quadrantem cum dimidio. Si quis autem multoties per plurimos dies colloqueretur cum aliqua Moniali per aliquod tempus continuatum, etiam per se non notabile, difficulter eum excusarem a mortali, & ab excommunicatione: quia tales collocutiones, licet non physice, moraliter tamen conjungi videntur.

Dubit. 5. An liceat colloqui cum Moniali ob ne- 237
cessitatem, vel utilitatem spiritualem sine licentia? Affirmant *Diana p. 3. tr. 2. R. 104. & Lez. Januar. Peyrin. Bord. &c. ap. Mazz. p. 534.* quia non præsumitur Prælatus velle impedire spirituale Monialium profectum; sicut enim taliter loquens potest colloqui cum excommunicato, ita cum Moniali. Sed negat *Ciera D. 6. n. 8.* & illi omnino ipse adhæreo; nam si aliis permitteretur loqui cum Monialibus propter hanc causam boni spiritualis sine licentia, id noceret bono communi, cum facile plurimi hallucinarentur; & ideo bonum commune præferri debet privato. Præterquamquod in nostro casu vix unquam cessat adæquate (nec etiam in particulari) finis prohibitionis, eo quod de facili in tali collocutione subest periculum, quod inter se loquens & Moniales aliquo affectu capiantur, & ipsorum conversatio ex spirituali deveniat carnalis. Hinc recte decrevit S. Congr. die 26. Novembris 1632. (ut Refert Bened. XIV. *de Synodo l. 7. c. 41. n. 7.*) nullam quamvis honestam & rationabilem causam a gravi culpa excusare Regularem, qui colloquitur cum Moniali.

Dubit. 6. An liceat sine licentia loqui cum Ab- 238
batissa? Affirmant *Diana p. 5. tr. 2. R. 49. v. Not. 3. & p. 10. tr. 14. R. 49. cum Vidal. & Zambello, Pelliz. c. 5. n. 208. Mazzott. p. 536.* item *Lez. Tamb. & Januar. apud de Alex. c. 7. §. 10. q. 5.* ac adhæret *Felix Potestas p. 2. n. 1477.* quia nomine Monachorum non venit Abbas, ut censet Glossa in *c. fin. de Simonia*, & ibi *Panorm. ac Cardin. ap. Dian. l. c.* Negant vero *de Alex. l. c. cum Megala, Calderin. & Rotæ Rom. ac Ciera D. 6. n. 11. cum Graff. & Meroll.* Ratio, tum quia prædicta prohibitio non est odiosa, sed potius est favorabilis, cum ipsa valde prosit spirituali profectui Monialium; tum quia in Decreto S. C. edito jussu Sixti V. relato *n. 232. v. Circa autem*, vetatur locutio non solum cum Monialibus, sed cum qualibet persona intra Claustra degente, & in Constitut. Alex. VII. *Sacrosancti* (*ap. de Alex. d. q. 5.*) prohibetur hujusmodi allocutio etiam cum *Abbatissis, Priorissis, &c.* Sed his non obstan-

stantibus non audeo improbare primam sententiam, præsertim quia Abbatissæ ut plurimum eliguntur ex senioribus & prudentioribus, ipsæque frequentiorem necessitatem habent ratione officii tractandi cum extraneis. Ad decretum autem Alexandri respondet *Potestas l. c.* illud fuisse particulare pro Urbe Roma, forte ob peculiares causas ibi emergentes, Præterquamquod respectu Urbis ibi expressum est, comprehendi etiam Abbatissas. Si igitur Pontifex ubi voluit eas comprehendi illas expressit, ergo ubi non exprimuntur, videntur non comprehendi, alias non erat opus eas exprimere.

239 Dubit. 7. Quinam eximantur ab hac prohibitione? Eximuntur 1. Conjuncti in primo & secundo gradu consanguinitatis, ut exprimitur in casu Neapoli reservato. Putat autem *Ciera D.* 6. *n.* 5. eximi etiam qui sunt consanguinei in secundo & tertio gradu, quia in favorabilibus lata facienda est interpretatio. Sed huic opinioni non acquiesco, nam qui est in secundo & tertio, revera non potest dici esse in secundo; ille enim secundus gradus computatur in Moniali respectu ad stipitem, respectu vero ad colloquentem reipsa est in tertio, juxta regulam a nemine dubitatam, nempe consanguineos tot gradus distare inter se, quot gradibus remotior distat a stipite. Eximuntur 2. qui gravi metu ducti, honeste alloquuntur Moniales, quia in tali discrimine lex Ecclesiastica non obligat; est commune, vide *Ciera n.* 20. Eximuntur 3. Pauperes & publice quæstuantes, ex usu & ex tacita licentia Superiorum. Et sic etiam famuli deferentes dona, breviterque se expedientes; *de Alex. c.* 7. §. 10. *q.* 14. *& Mazz. p.* 534. *cum Pelliz.*

240 Dubit. 8. An pueri impuberes eximantur a prohibitione loquendi cum Monialibus? Nulli dubium quod ipsi, si essent doli capaces, si talem collocutionem frequentarent, non excusarentur a peccato, cum prohibitio in *cap. Monasteria de Vita, & honest Cler.* omnes comprehendat. An autem in illis Diœcesibus, in quibus collocutio prohibetur sub excommunicatione Ordinario reservata, impuberes ab ea excusentur? Negat *Graff.* Sed verius affirmant *de Alex. c.* 7. §. 10. *q.* 9. *cum Bon. Diana*, & aliis, ex *c. Pueris, de Delict. puer.* ubi dicuntur pueri non esse puniendi sicut puberes. Et hoc certum est in Diœc. Neapolit., ubi pueri minores 14. ann. expresse eximuntur a casibus reservatis.

241 Dubit. 9. An Regulares colloquentes cum Monialibus incurrant excommunicationem reservatam latam ab Episcopo? Adsunt quatuor sententiæ. *Prima* absolute negat cum *Diana, Lez. Quarti*, & *Merolla ap. Ciera D.* 6. *n.* 24. quia, licet Episcopi circa Clausuram Monialium ex Trid. *Sess.* 25. *c.* 5. procedant ut Delegati Sedis Apostolicæ; tamen ibi nulla fit mentio facultatis ferendi censuras contra Religiosos. *Secunda* sententia omnino opposita, quam tenent *Navar. Graff. & Campanil. ap. Barb. All.* 102. *n.* 73. & cui adhæret *Ciera n.* 26. dicit omnes Regulares, etiam speciali privilegio donatos, incurrere excommunicationem latam ab Episcopo. *Tertia* sententia, quam tenent *Januar. Durand. Fagund. & Riccius ap. eund. Ciera n.* 25. distinguit & dicit non incurrere, si monasteria sint Episcopo subjecta, quia cum in illis Episcopus procedat Jurisdictione ordinaria, ei non subduntur Regulares; secus vero si sint exempta, quia in his Episcopi procedunt ut Papæ delegati. *Quarta* demum sententia communior, cui magis adhæreo, & tenent *Sanch. de Matrim. l.* 7. *D.* 33. *n.* 23. *Barbos. All.* 103. *n.* 73. *Bon. de Claus. q.* 3. *p.* 4. *n.* 8. *Fagnan. l.* 4. *in c. Quanto, de Priv. n.* 9. *& de Alex. c.* 7. §. 10. *q.* 12. cum Decr. S. C. 9. Apr. anno 1583. aliter distinguit & ait, quod Regulares si habeant speciale privilegium, quod non possint excommunicari aut suspendi ab Episcopis (prout habent Mendicantes ex *Compend. Privileg. v. Exemtio n.* 9. 23. & 24. & Religiosi Soc. Jesu ex Bulla Pauli III. anno 1549.) hi non incurrunt excommunicationem ab Episcopo latam; secus vero, si tali privilegio careant. Idque probatur ex Bulla *Inscrutabili*, edita 5. Febr. 1522. a Greg. XV. ubi sic dictum fuit: *Ad hæc tam seculares quam Regulares nullis privilegiis & exemptionibus tueri se possint, quominus si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, aut circa administrationem bonorum Monasteriorum Monialium etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo loci similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, quoties & quando opus fuerit, puniri & corrigi valeant.* Unde infertur quod Regulares speciali privilegio non muniti, bene incurrunt excommunicationem latam ab Episcopo in colloquentes cum monialibus, sive Monasterium sit exemptum, sive subjectum Episcopo; quia etiam in hoc Episcopus procedit contra Regulares tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ, alias in eos nullam haberet jurisdictionem puniendi & corrigendi; sicut habere dicitur in Bulla. Secus vero dicendum de Regularibus speciali privilegio gaudentibus; tale enim privilegium hoc importare debet, ut contra eos Episcopus nec etiam ut Delegatus Sedis Apostolicæ possit procedere, quia, cum Regulares ordinarie in aliis sint exempti a jurisdictione Episcopi, quando contra eos Episcopus procedit, semper ut Delegatus procedere debet. Hoc tamen intelligendum, si privilegium post Bullam Gregorii sit concessum, non vero si ante; dum in Bulla dicitur, *nullis privilegiis & exemptionibus tueri se possint, &c.*

Dubit. 10. An peregrini colloquentes cum Mo- 242
nialibus in aliena Diœcesi incurrant excommunicationem ibi reservatam? Adsunt tres sententiæ. *Prima* sententia absolute affirmat, & hanc tenent omnes Auctores citati *l.* 3. *de Voto n.* 332. *in fin.* qui dicunt peregrinum etiam ad breve tempus commorantem in aliquo loco, fieri illius Ordinarii subditum. Eandem sententiam tenent *de Alex. c.* 7. §. 10. *q.* 10. *& Ciera D.* 6. *n.* 31. sed aliis rationibus ducti, quæ meo judicio non suadent. *Secunda* vero sententia, quam tenent *Januar. de Casib. reservat. Res.* 34. *n.* 24. *& Donatus in Praxi t.* 4. *de Access. ad Monial. tr.* 6. *q.* 22. *n.* 8. dicit comprehendi Peregrinos, si Monasteria sint exempta, quia in his Episcopi ex Trid. *sess.* 25. *c.* 5. procedunt ut Papæ Delegati; unde ipsi etiam peregrini subjiciuntur. Secus si Monasteria sint Episcopo subjecta, quia ex eod. Trid. in illis Episcopus procedit jurisdictione ordinaria, cui non subsunt peregrini per breve tempus commorantes, ut tenet probabilior sententia, juxta dicta *l.* 1. *de Le-*

gi-

gibus n. 156. *v. Pro majori. Tertia* vero sententia, quam tenent *Pellizz. Diana*, & alii *ap. Mazz. p.* 536. qui non reprobat, dicit peregrinos brevi alicubi commorantes non incurrere excommunicationem latam ab Episcopo loci, sive Monasterium sit ei subjectum, sive exemptum, propter rationem supra allatam, quia peregrini non tenentur legibus loci. Nec obstare dicunt quod ex Trident. Episcopi circa Clausuram Monasteriorum exemptorum procedant ut Papæ Delegati; nam hoc habent tantum in ordine ad restrictionem & conservationem Clausuræ, ad quam non pertinet simplex locutio. Sed huic responso merito contradicunt *Januar. de Casib. res. Res.* 34. *n.* 19. *& Fagn. l.* 5. *in c. Quanto de Privil. n.* 15. *&* 16. quia accessus ad colloquendum, juxta sensum Doctorum, spectat ad Clausuram, idque colligitur ex *c. Periculoso de Statu Regul.*) renovato a Trid. *sess.* 25. *c.* 5. ubi dicitur: *Nullique ingressus, vel accessus* (nota) *pateat ad easdem, ut sic a publicis & mundanis conspectibus separatæ omnino servire Deo valeant liberius, & lasciviendi opportunitate sublata eidem corda & corpora in omni sanctimonia diligentius custodire.* Ergo non solum ingressus, sed etiam accessus prohibitio pertinet ad Clausuram, dum etiam accessus præbet Monialibus lasciviendi opportunitatem, eisque obstat ne corda Deo diligentius custodiant. Et ideo Episcopi in Monasteriis exemptis procedunt ut Papæ Delegati, quia ut tales sunt destinati a Trident. circa Clausuram Monialium, prout declaravit S. C. *ap. Fagnan. l. c. n.* 31. His tamen non obstantibus, vide mox dicenda in fine numeri sequentis *v. Sed quicquid.*

Dubit. 11. An Episcopi colloquentes cum Monialibus in aliena Diœcesi incurrant excommunicationem latam ab Ordinario loci? Non videtur dubitandum, quia ex *c. Periculoso, de statu Regul. in* 6. etiam Episcopi prohibentur a colloquendo cum Monialibus extra suam diœcesim, vel intra cum exemptis, dum ibi dicitur *nullique ingressus, vel accessus pateat ad easdem.* Nullibi enim habetur quod Episcopi, ut etiam Cardinales, sint exempti a communibus legibus ut docet *Bon. de Leg. D.* 1. *q.* 6. *n.* 35. cum Rot. Rom. & aliis; & hoc dicit cum *Ugolin.* procedere etiam in odiosis. Quoad excommunicationem vero, *Mazz. to.* 3. *p.* 534. *in fin., & Diana ac Graff. ap. de Alexand. c.* 7. §. 10. *q.* 6. negant Episcopos eam incurrere, quia lex non ligat æqualem, ex *c. Cum inferior de Major. & obed.* Sed affirmant *de Alexand. l. c. cum aliis*, quia Episcopi in alieno territorio censentur privatæ personæ ex *Panorm. Hostiensi*, & aliis; unde ipsi subjiciuntur ac alii eisdem pœnis: & sic *de Alexand.* refert decisum a S. C. *ap. Navarr.* die 20. Maji 1619.

243 Sed quicquid dixerint Doctores præfati, hodie concludendum, tam exteros, quam Episcopos peccare quidam accedendo ad colloquendum cum Monialibus existentibus in aliena Diœcesi, sed non incurrere excommunicationem; nam in Bulla *Gravissimo* Bened. XIV. edita die 31. Octobr. 1749. dicitur, quod tam Episcopi, quam exteri sunt quidem subjecti Constitutionibus Ordinarii loci quoad auctoritatem directam, non vero quoad coactivam; quapropter, licet peccent, non tamen pœnas incurrunt, quia Episcopi, & externi non subjiciuntur auctoritati ordinariæ Episcoporum: *Cum vero* (verba bullæ) *iidem ordinariæ Episcoporum jurisdictioni minime subsint, ideoque sint immunes a pœnis.* Ratio quippe est, quia etsi Episcopi sint Delegati Apostolici circa Clausuram Monialium; eorum tamen jurisdictio est ordinaria, tanquam perpetuo annexa Episcopali officio, juxta dicta *l.* 7. *n.* 694. *Dub.* 9.

BREVIS DISSERTATIO.

Super Censuris circa Immaculatam B. V. Mariæ Conceptionem.

Ante omnia operæ pretium est recensere di- 244
versas Bullas a summis Pontificibus super hac materia emanatas.

Et I. Sixtus IV. in sua Extrav. *cum præexcelsa*, quæ habetur in 6. *Decretal. Extrav. Comm. de Reliq. & Vener. SS.* sic ait: *Cum præexcelsa meritorum insignia, quibus Regina cælorum Virgo Dei Genitrix... utpote via misericordiæ, mater gratiæ & pietatis, amica humani generis, consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula oratrix, & pervigil, ad Regem, quem genuit, intercedit, debitum reputamus universos Christi fideles, ut Omnipotenti Deo de ipsius immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias & laudes regerant, & institutas propterea in Dei Ecclesia Missas, & alia divina Officia, dicant & illis intersint.* Inde S. Pontifex eis, qui Missam, & Officium hujusmodi in die festivitatis Conceptionis Mariæ, & per Octavam dicunt, & illis intersunt, eandem Indulgentiam impertitur, quam lucrantur in festo Corporis Christi. Idem Pontifex in sequenti Extrav. *Grave nimis, eodem tit.* edita ann. 1483. excommunicationem ipso facto imposuit asserentibus in concionibus, vel alias quomodolibet, esse hæreticos, vel graviter peccare, qui tenent B. V. Mariam præservatam fuisse a peccato originali, vel qui celebrant Officium Conceptionis, vel audiunt de hac conciones. Et pariter ibi excommunicantur qui pro veris tenent, vel legunt libros idem, ut supra, asserentes. E converso etiam ibi excommunicantur qui dicunt esse hæreticos, vel peccare graviter tenentes oppositam sententiam.

II. S. Pius V. in sua Bulla 114. edita ann. 1570. incipiente, *Super speculam*, statuit: *Quatenus nemo cujusque ordinis, gradus, &c. in popularibus concionibus, vel ubicumque promiscua virorum, & mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutra parte disputare, rationibus vel DD. authoritate asserendo propria sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac quæstione... vulgari sermone scribere, vel dictare, præsumat. Qui contra fecerit suspensionis pœnam a Divinis ipso jure incurrat, si fuerit in Sacris constitutus, & quocunque gradu, dignitate, & administratione sit ipso facto privatus, & ad eadem vel similia munera obtinenda vel obeunda perpetuo inhabilitatis censura ipso etiam facto sit obnoxius; super quibus nisi a Romano Pontifice dispensari, aut absolvi non pos-*

possit. Ceterum additum fuit: *Liceat doctis in publicis Academiæ disputationibus, ubi intersunt qui rem capere possunt, nec scandali substet occasio, de illa quæstione disserere; dum tamen neutra veluti erronea prædicetur*. Insuper S. Pius V. in Festo Conceptionis B. V. mandavit recitari Officium de Nativitate, mutato verbo *Nativitatis* in aliud *Conceptionis*.

III. Paulus V. in sua Bulla 97. emanata anno 1616. (ut refert Illustriss. Episcopus *Torni in Adnot. ad Estium l. 2. Dist. 3. §. 2.*) interdicit sub pœna suspensionis, & aliis contentis in Bulla S. Pii V. mandavit, *ne audeant cujusque conditionis*, &c. *personæ, in publicis lectionibus, concionibus, conclusionibus, aliisque actis publicis asserere B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse*. Ulterius idem S. Pontifex mandavit sub eisdem censuris, & pœnis, *quod negativam opinionem, videl. quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent*.

IV. Greg. XV. in sua Bulla 29. edita anno 1622. quam refert *Bon. Tom. 3. Disp. 3. de Susp. q. 6. p. IV. n. 2.* prohibitionem extendit, & mandavit omnes sub eisdem pœnis, ut supra, *ut neque etiam in sermonibus, & scripturis audeant asserere, quod Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali: nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere seu tractare. Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei prorsus præjudicium inferre*, &c. Tantum autem ab hoc Pontifice indultum fuit Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut in privatis colloquiis seu conferentiis inter se duntaxat, & non alios, possint de opinione affirmativa disserere, sine ulla censura.

V. Demum accessit Constitutio Alex. VII. *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, edita ann. 1661. (quam refert illustriss. *Torni in Adnot. ut supra, l. c.*) ubi Pontifex sic incipit loqui: *Vetus est Christi fidelium erga ejus Beatiss. Matrem Virginem Mariam pietas, sentientium ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, & privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus Filii humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis præservatam immunem; atque in hoc sensu Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium & celebrantium. Crevitque eorum, atque hujusmodi cultus post editas a fel. rec. Sixto IV. Prædecessore nostro in ejus commendatione Apostolicas Constitutiones, quas S. Conc. Trid. innovat*. Deinde addit: *Aucta rursus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam ... ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Accademiis ad hanc sententiam, jam fere omnes Catholici eam complectantur*. Deinde prosequitur: *Decreta Sixti IV. Pauli V. & Gregor. XV. edita in favorem sententiæ asserentis animam B. M. Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam, & a peccato originali præservatam fuisse; necnon & in favorem Festi, & cultus Concept. ejusdem Virg. Deiparæ secundum piam istam sententiam exhibiti, innovat, & sub pœnis, & censuris in eisdem Constitutionibus contentis observari mandat. Insuper omnes, qui præfatas Constitutiones ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ, & Festo, & cultui secundum illam exhibito, frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, seu cultum in disputationem revocare, & aut contra ea quoquo modo directe, vel indirecte quovis prætextu, scripto, seu voce loqui; concionari, tractari, contra ea quicquam determinando, aut asserendo, vel contra ea argumenta afferendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo disserendo ausi fuerint*, præter pœnas in Const. Sixti IV. contentas, concionandi, & publice docendi facultate, nec non voce activa, & passiva in quibusvis electionibus ipso facto Pontifex privat. Idem Alex. VII. libros, in quibus præfata sententia, Festumque seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra eam quomodocunque, ut supra, aliquid scribitur, aut legitur, & disputationes contra continentur, post Pauli V. Decreta edita, aut in posterum quomodolibet edenda prohibet sub pœnis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, atque ipso facto absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi mandavit.

Hinc com *Bonac. To. 3. Disp. 3. de Suspens. q. 6. p. 4.* inferuntur sequentia, & I. incurrit pœnas inflictas qui diceret defendi posse sententiam affirmativam, scilicet, quod Conceptio B. V. fuerit maculata; vel qui rationes ad eam probandam adduceret, nisi eas produxerit ad illis respondendum, quia hoc non esset agere de sententia affirmativa, sed de pia sententia opposita, ut ejus veritas magis eluceret, ut fusius mox explicabimus. 245

Infertur II. Pœnas etiam incurrit, qui asserit Festum Conceptionis celebrari, quia B. Virgo sanctificata fuit in utero Matris, nam hoc pacto (recte ait *Bon.*) satis aperte assereret per consequentiam necessariam, Deiparam fuisse in peccato conceptam, & inde sanctificatam; sanctificatio enim necessario privationem sanctitatis supponit. Tanto magis, quod Greg. XV. mandavit in Missa, & Officio non alio, quam Conceptionis vocabulo fideles uti debere. Insuper Alex VII. in præcitata Bulla expresse prohibuit frustrari, aut interpretari, vel in dubium revocari ex quoquo modo directe, vel indirecte quovis prætextu favores per dictas Bullas præstitos piæ sententiæ, & Festo secundum eam exhibito. Quinam autem esset favor præstitus sententiæ piæ, si Concept. nomine posset accipi sanctificatio B. V. in alio instanti, quam in primo suæ Conceptionis? Et quamvis alias impropriissime acciperetur Conceptio pro sanctificatione: nam ita etiam S. Jo. Baptista, & Jeremia possent dici sancte concepti; attamen hæc etiam impropria interpretatio vetita certe fuit ab Alex. VII. in sua Const. ut dixi, sub pœnis ibi contentis. 246

Infertur III. Pariter incurrit, qui transcribit sententiam affirmativam, ut indicet ipsum sectari eam; hoc enim esset saltem de illa agere. Infertur IV. Transgrediens ipso facto incurrit suspensionem a divinis, & etiam (ut probabilius tenet *Bonac.* contra alios) incurrit inhabilitatem ad Officia. Recte vero dicit non incurrere privationem Dignitatum, &c. nisi post sententiam Judicis. Infertur V. Pœnæ supradictæ non solum incurruntur a consti- 247

stitutis in Sacris, ut præscribit S. Pius V. sed etiam ab omnibus sive Ecclesiasticis, sive secularibus, ut extendit Paulus & Greg. XV. Infertur VI. ab his pœnis solus Pontifex absolvere potest; & Episcopus, quando delictum est occultum.

248 Quoad tuentes autem sententiam Conceptionis immaculatæ, vetatur quidem eis sub eisdem pœnis sententiam oppositam censurare, & piam sententiam asserere tanquam Dogma fidei. Non autem prohibetur eam rationibus, & auctoritatibus probare; nam licet S. Pius V. in sua Bulla (ut supra *n.* II. citata) prohibuerit in popularibus concionibus disputare de alterutra parte hujus controversiæ, rationibus, vel DD. auctoritatibus propriam sententiam asserendo, & contrariam refellendo: & insuper Paulus V. in alia Bulla relata *n.* III. mandaverit iis qui piam sententiam tuentur, ut aliam opinionem in publicis actibus non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent, quibus verbis videntur hi Pontifices prohibuisse adhuc confutare fundamenta sententiæ oppositæ; attamen dicendum vel quod predictæ Bullæ quoad hoc non sint usu receptæ, vel quod laudati Pontifices intellexerint loqui tantum de iis, qui pro pia sententia contendunt, ac si de *Dogmatibus esset*, juxta verba quæ S. Pius subdit in dicta Bulla; vel quod vetaverint tantum directe contrariam sententiam impugnare, non autem indirecte argumenta solvendo, vel tandem omnino dicendum, easdem Bullas super hoc puncto moderatas fuisse ab ultima Bulla Alexandri VII. ubi aperte permittitur argumenta solvere contrariæ sententiæ.

249 Quamvis igitur non licet piam sententiam ut Dogma fidei defendere, licitum tamen nobis proculdudio est, eam veram, & communem asserere cum *Salm. Tract.* 20. *c.* 9. *n.* 12. *Abelly in sua Med. Theolog. Tract. de Incarn. cap.* 7. *sect.* 3. Imo eam vocare moraliter certam & proxime definibilem de fide, ut tenent *Viva in Q. Prod. ad Trutin.* & in suo *Cursu Theolog. Schol. part.* 8. *p.* 8. *Disp.* 1. *q.* 2. *n.* 7. cum *Velasq. & Sifilino*; ut etiam sentiunt *Raynaudus in sua Pietate*, *Lugduni n.* 29. *Auctor Coronæ Virgineæ Propos.* 102. *Platellius part.* 2. *n.* 353. *Franc. Peyrin. in sua Theol. Edmundus Simonet in suis Instit. Theol. Tom.* 1. *p.* 353. *Cardin. Everardus in suo Exam. Theol. Lossada in sua Disc. Theol. super defin. Immac. Concept.* Idem tenet *Duvallius* 1. 2. *qu. ult. de Peccatis*, ubi sic concludit: *Satius puto dicere opinionem nostram esse in apice certitudinis Theologicæ; nihilque ei pro fidei assensu, præter expressam Ecclesiæ definitionem, deesse.*

250 Tot igitur auctoritatibus munitus idem ego ut minimus assero, & breviter hic probabo. Protestor quidem nullatenus me recedere velle a Pontificiis Decretis, quibus obediens subscribo, sed tantum in meæ Reginæ obsequium hic rationes promovere sententiæ piæ ad mentem alicujus dilucidandam, qui contrarium sentiret. Etenim reapse mihi videtur pia sententia, licet usque adhuc non sit de fide declarata, esse hodie luce meridiana clarior.

251 Omitto eam probare Revelationibus, quas alii afferunt. Scriptum enim invenitur, Beatam Virginem sic revelasse S. Birgittæ *l.* 6. *c.* 12. *To.* 2. *Omne peccatum Adæ segregatum fuit a me. Et c.* 49. *Et veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali. Et c.* 45. *Sed scito, quod Conceptio mea non omnibus nota fuit; sic placuit Deo, quod amici sui pie dubitarent de Conceptione mea, & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret in tempore opportuno.* Aliam affert *Caramuel* Revelationem factam a D. Th. Aquinate Ven. Dominico a Jesu Maria Generali Carmelitarum Excalceatorum, nempe revelatum eidem fuisse, quod futurum esset Concilium, quo immaculata Deiparæ Conceptio definiretur. Hanc autem Revelationem asserunt *Suar.* & *Vasq.*, qui *disp.* 179. *in* 3. *p. n.* 78. contra eos qui prædictas Revelationes tanquam somnia feminarum super hoc puncto contemnunt, sic subdit: *Revelationes figmenta mulierularum appellare, revera temeritate non vacat.* Et paullo ante dixerat: *Bonaventura cautius de Revelationibus sui temporis locutus est, non audens reprehendere celebrantes hujusmodi Festum propter factas Revelationes. Petrus Canisius* ita quoque scripsit: *Neque tamen aspernemur, si quæ extent Revelationes, quæ bonorum fidem merentur, & Conceptionis doctrinam confirmant, cum scriptum esse sciamus: Spiritum nolite extinguere, Thess.* 3.

Ceterum piæ sententiæ certitudinem illius fauto- 252
res non jam intendunt ex his Revelationibus vindicare; firmiora adsunt argumenta ad eam probandam, ut ex hinc breviter exponam. Probatur I. ex Scriptura, & præsertim ex illo (*Cant.* 4.): *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Hinc autem textus literaliter intelligitur de B. Virgine, & ex eo S. Idelph. ac D. Th. 3. *p. q.* 27. *art.* 4. probant immunitatem Deiparæ ab omni culpa actuali. Si ergo ex hoc textu probatur B. Mariam nullam incurrisse actualem culpam, ex eodem etiam probatur nullam incurrisse culpam originalem, alias non esset tota pulchra. Hinc dixit Idiota (*in Contempl. B. V. c.* 3.): *Tota pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te.* Item quid significat illud: *Ave gratia plena, Dominus tecum*, quod dixit Angelus Mariæ? Quid illud: *Benedicta inter mulieres*, quod protulit Elisabeth? Quid illud: *Fecit mihi magna qui potens est*, quod ipsa B. Virgo pronunciavit? Nisi quod ipsa sola benedicta, inter mulieres propter culpam originalem maledictas, inter magna quæ Deus ei contulit, hoc maximum privilegium (utique negatum Angelis, & Adamo) obtinuerit: & divina gratia plena, idest nunquam a peccati labe inquinata, semper Deo amica, & unita, sua gratia fuerit decorata. Hoc enim expressit *S. Aug. Serm.* 11. *in Natal. Dominicum*, super enunciatis verbis: *Ave gratia plena*, ubi sic S. Doctor dicit: *Quibus ostendit ex integro* (nota hoc *ex integro*) *iram primæ sententiæ exclusam, & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Opponunt Adversarii illud *Apost. ad Rom.* 5. *Omnes in Adam peccaverunt.* Sed respondetur, argumentum probare nimis, quia probaret esse de fide, quod B. Virgo maculata fuisset, quod nemo dicit, nec dicere potest. Itaque Scriptura hæc accipienda est cum exceptione B. Mariæ; in Scriptura enim etiam universaliter asseritur: *Non est homo, qui non peccet. Paralip.*

ll.

l. 2. *In multis offendimus omnes*. *Jac.* 3. Et tamen de fide est, ut declaravit *Trid. sess.* 6. *Can.* 23. B. Virginem nullam culpam actualem commisisse.

253 Prob. II. Ex Bullis Pontificum; Sixtus enim IV. in sua Bulla: *Cum præexcelsa*, ut supra, loquens de Concep. Mariæ: dicit: *De ipsius immaculatæ Virginis mira Conceptione*. Cur mira, nisi immaculata fuisset? Idem Pontifex approbavit Officium B. V. *Leonardi de Nogarolis*, ubi non semel nominatur *immaculata Conceptio*, & asseritur; *Virginem per merita Christi prævisa ab omni macula præservatam*. Deinde Paulus V. expresse mandavit, ut fideles in Missa, & Officio hujus Festi celebrandi, non alio quam Conceptionis nomine uti debuissent; ex quo videtur certum, Pontificem præcepisse hoc ad omnem æquivocationem tollendam, ne sub nomine Conceptionis sanctificatio Virginis in utero post primum instans, ut Adversarii intelligebant, intelligi posset. Sed maxime urget Bulla Alex. VII. ut supra *n.* V. enunciata, qua fuit declaratum ab Ecclesia celebrari Festum B. V. non quidem sanctificatæ post primum instans, sed a labe originali in primo instanti suæ Conceptionis secundum piam sententiam præservatæ. Et inde Pontifex prohibet omnem contrariam interpretationem directe vel indirecte quovis prætextu etiam definibilitatis.

254 Prob. III. ex Conciliis. Prætermitto Conc. Basileense, in quo decretum fuit piam sententiam esse tenendam. Quamvis quoad hoc Concilium aliqui non frustra notant, quod etsi Eug. IV. illud exauctoravit, tamen (ut ait *Raynaudus*) Concilii Decreta, quæ nec ipsum Eugenium, nec auctoritatem Pontificiam tangebant, rata esse voluit. In VII. autem Synodo Generali *act.* 5. sic habetur: *Si quis non confitetur Sanctam semperque V. Mariam proprie ac vere Dei genitricem sublimiorem esse omni visibili, & invisibili creatura, anathema sit*. Quomodo B. Virgo posset dici sublimior omnibus Creaturis adhuc Angelicis, si aliquando fœdata fuisset a culpa originali, qua non solum inferior aliquando omnibus Angelis, sed omnino gratiæ expers, & Dei inimica extitisset?

255 Accedit Conc. Trident. quod revera noluit piam sententiam de fide expresse declarare, dum in *sess.* 5. *Can.* 5. tantum dixit: *Declarat tamen hæc ipsa S. Syn. non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Dec. ubi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed observandas esse Constitutiones fel. record. Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitution. contentis, quas innovat*. Sed hic obiter notandum illud quod testatur *Hieronymus Ormachæa Prolog.* 3. *in Cant.* nempe ipsummet legisse Romæ totam sessionem Tridentini, ubi de hac quæstione tractatum fuit, & fere nullum, qui non esset de familia S. Domini, contra immaculatæ Conceptionis sententiam suffragium præstitisse. Addit *Lancis. Tom.* 1. *Opuscul.* 11. *c.* 13. *p.* 49. Concil. demum conclusisse, ut declararetur B. Virgo concepta fuisse sine peccato originali, sed ob instantissimas preces aliquorum Theologorum Sancti Dominici, ut supersederent a Decreto usque ad aliud tempus, Concilium supersedit.

256 Quamvis tamen Trident. hoc Decr. tunc omisserit emanare, verum in alio Canone, quem emisit, certam nostram sententiam reddidit. In Canone enim 23. *sess.* 6. sic dixit: *Si quis dixerit hominem posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit*. Ex quo Canone certe deducitur Deipara a culpa originali immunis fuisse; nam, ut bene arguit *P. Coninck* in sua Theol. & *Spinellus* in suo aureo libro de B. Virgine, si certum est juxta Concil. & de fide, divinam Matrem nullam culpam actualem commisisse, certum consequenter est certitudine theologica, quod ipsa maculam originalem non contraxit. Ratio patet, quia sicut impossibile est, ut qui peccatum originale una cum suo fomite contraxit, expers sit omnis peccati actualis; ita qui nullum peccatum actuale commisit, necessario impossibile est, quod maculam originalem contraxerit, ut docet *S. Aug. l.* 5. contra *Julian. c.* 9. ubi ideo Christum Dominum nullum peccatum actuale perpetrasse dixit, quia nullum peccatum contraxit originale.

Prob. IV. ex SS. PP. falsum quippe est dicere 257
omnes Patres esse pro opposita sententia: *Bellarm.* enim *in Controv. de Amiss. Gratiæ l.* 4. *c.* 15. & 16. probabiliter interpretatur Patres, qui contrarium sentire videntur, & plures refert piæ sententiæ faventes; inter quos bene numerari potest *S. Ambr.* qui scripsit in *Ps.* 118. ad ultimum versum: *Suscipe me non ex Sara, sed Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati*. *S. Ansel. in c.* 12. *ad Cor. Omnes mortui sunt in peccatis sive originalibus, sive voluntate additis, nemine prorsus excepto, dempta Mater Dei*. *S. Petr. Dam. Serm. de Assum. Caro Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit*.

His & aliis accedit sensus communis fidelium; 258
immaculatam enim Concept. testatur *Ægidius a Præsentatione de Præserv. Virginis qu.* 6. *art.* 4. omnes tueri Religiosos Ordines, & ex eodem Ordine S. Dominici, licet sint 92. Scriptores pro contraria, tamen 137. pro pia sententia adsunt, ut quidam Recentior enumerat. Alex. VII. in sua Bulla, ut supra, declarat hanc sententiam celebriores Academias, & Catholicos fere omnes complecti. Quo argumento *Petavius Tom.* 5. *p.* 2. *l.* 14. *c.* 2. *n.* 10. maxime enititur ad illam probandam, & bene convincit, ut ait doctissimus Episcopus Torni in *Adnot. ad Estium l. c.* Ex quo enim, nisi ex communi fidelium sensu hauritur certitudo, quod Deipara, saltem ante nativitatem fuerit sanctificata? Ex quo certi sumus, quod eadem B. Virgo in anima, & corpore fuerit in cælo assumpta? Si ergo de his nemo dubitat, quomodo dubitari potest de Conceptione immaculata, quam Fideles omnes tenent, & defendunt?

Opponunt Adversarii auctoritatem S. Bernardi, 259
& S. Thomæ. Sed ex eisdem Sanctis Doctoribus magis nostra sententia valide firmatur; licet enim S. Bernardus in sua *Epist. in Canonicos Lugdun.* invenisset, quod festum Conceptionis Deiparæ celebrassent, monens quod Apostolicæ Sedis auctoritatem exspectare debuissent (Et ibi addidit bene colendum diem Nativitatis, & Assumptionis B. Virginis, quia sic ab Ecclesia jam fuit acceptum):

at-

attamen ex hoc eodem arguitur, ut bene notat *Bellarm. l. 3. de Cult. SS. c.* 16. quod si Sanctus Bernardus nunc videret Festum Conceptionis immaculatæ ex auctoritate Romanæ Ecclesiæ celebrari, ipse quoque libentissime celebraret.

260 Quod autem ad doctrinam S. Thomæ, revera adhuc incertum est, de qua sententia fuerit S. Doctor; quamvis enim in *Summa* aliud sensisse videatur, tamen in pluribus locis, præsertim in *Ep. ad Gal. c.* 3. *lect.* 6. clare Conceptionem Virginis immaculatam fuisse censet; ubi scribit: *Mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ a peccato omnino, immunis esset, ad minus originali, vel veniali. Excipitur purissima, & omni laude dignissima Virgo Maria.* Clarius in 1. *Sententiarum Dist.* 54. *art* 3. *ad* 3. sic scripsit: *Dicendum, quod puritas intenditur per recessum a contrario: & ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse possit in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; & talis fuit puritas Mariæ Virginis, quæ a peccato originali, & actuali immunis fuit.* Quibus verbis (ait Episcopus Torni *l. c.*) nimis aperte patet Divum Thomam hoc loco sensisse B. Virginem ab originali culpa fuisse expertem, cum ea verba minime aliam contrariam interpretationem patiantur. In *Summa* autem, etsi *D. Th.* 3. *p. q.* 27. *art.* 2. *ad* 3. dicat, quod in festo Conceptionis celebratur Festum sanctificationis potius, quam Conceptionis Deiparæ; quia tunc temporis dubium erat, de quo Festum celebrabatur, an sanctificationis in utero, vel an Conceptionis in primo instanti. Sed hodie jam est declaratum ex Bulla Alex. VII. ut diximus, celebrari Festum non sanctificationis, sed Conceptionis B. Virginis a peccato originali præservatæ. Idem autem S. Doctor in *art.* 1. prædictæ *qu.* ubi tractat, an B. Virgo fuerit in utero sanctificata? Ex ratione, quia Ecclesia jam ex tunc Nativitatem celebrabat B. Mariæ, infert tenendum, ipsam ante Nativitatem sanctificatam fuisse; & cur? Quia, dicit: *Non celebratur Festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto. Ergo B. Virgo fuit in utero sanctificata.* Hinc patet, quod si S. Thomas nunc temporis scriberet, quo ab Ecclesia declaratum est secundum piam sententiam celebrari Festum B. Mariæ præservatæ a peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis, sive infusionis animæ in corpus, certe aliter sentiret ac scriberet, ut ait *Suar. in Comm. art.* 2. his verbis: *Si præsentem Ecclesiæ faciem D. Th. vidisset, aliter de immaculata Virginis Conceptione docturus esset.* Idem dicit *Petavius* de D. Thoma. Idem *Gabriel in* 3. *Dist. q.* 1. qui scribit: *Non esse culpandos S. Bernardum, nec S. Thomam, S. Bonaventuram, & ceteros DD. oppositum olim opinantes; quia eorum tempore nulla determinatio Apostolicæ Sedis facta fuit: nec Festivitas illa generaliter tunc fuit per Orbem celebrata.* Idem dicunt plures etiam Dominicani, & signanter *Joannes de Fenario* Doctor Parisiensis, & Magister Gener. Ord. Præd. ut refert *Catharinus*. Idem dicit *Joannes a S. Thoma Tom.* 1. *pag.* 1. *Q.* 2. *de Approb. Doctrina S. Th.* citans alios Thomistas.

Accedit S. August. qui disputans de quadam alia doctrina, contra *Cresconium l.* 1. *c.* 23. eum monet Ecclesiam consulere. Sed nunc non est opus super nostra sententia Ecclesiam consulere, cum jam Ecclesia mandaverit Festum Conceptionis immaculatæ juxta piam sententiam celebrari. Et ex hoc maximo argumento, in Ecclesiæ auctoritate fundato, fautores piæ sententiæ recte asserunt nostram sententiam esse proxime de fide definibilem; de Ecclesiæ enim auctoritate loquens *S. Th.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 12. sic docet: *Maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam August. &c.* Scribit etiam *Valent. Tom.* 3. *D.* 1. *q.* 1. *p.* 7. §. 41. loquens de auctoritate Pontificis. *Circa quæ ad pietatem Religionemque spectant, est infallibilis ejus auctoritas.* Addit *Euseb. Nierenb. in Theoria comp.* 2. *p.* §. 1. quod Decreta morum, approbatio Sanctitatis, &c. necnon Institutiones Festorum, quæ considerantur ab infallibili Capite ordinatæ, ab omni errore excipiuntur. Deinde idem *Eusebius* in Opere *Pathen. de Perpetuo object. Festi, c.* 31. refert votum a Cardinale Bellarmino prolatum circa B. Virginis Conceptionem jussu Pauli V. coram S. C. Inquis. Generalis Rom. quo Bellarm. ita sensit „: (Si forte non placet nunc ulla formalis definitio; saltem deberet fieri præceptum omnibus Ecclesiis, ut recitent Officium de Conceptione, quomodo recitat Ecclesia; sic enim sine definitione haberet intentum)".

Hinc non satis pie, nec probabiliter quidam Re- 261
centior scripsit possibile fore, quod Ecclesia aliquando definiat Conceptionem B. Virginis fuisse maculatam. Dum, ut bene advertit *Vasquez*, minime censendum, quod Ecclesia unquam tanquam fidei Dogma definiat B. Virginem in peccato originali conceptam esse, eo quod auctoritate sua Festum Conceptionis in tota Ecclesia jam præceperit celebrari. Et idem sine dubitatione asseruit *Thyrsus Gonzalez* in suo Opusc. quo tuetur proximam definibilitatem immaculatæ Conceptionis. Ideo opportune notanda sunt verba *Blosii c.* 5. *fol.* 623. ubi sic ait. *Mirum sane est adhuc nostro ævo inveniri, qui puritatem Conceptionis Beatissimæ Virginis vocent in dubium, & suam opinionem obstinate tueantur, citantes sententias SS. PP. qui si nunc viverent, aliud proculdubio sentirent. Certe Romana Ecclesia, hoc ipso quod Festum Conceptionis celebrandum assumsit, satis affirmavit eandem Conceptionem fuisse omnis contagionis expertem: profana siquidem Festa non celebrat Ecclesia.* Et Summ. Pont. Bened. XIV. in suo doctissimo Opere de *Canoniz. Sanctor. lib.* 1. *c.* 42. dicit nostram sententiam hodie esse moraliter certam, & solummodo deesse definitionem Ecclesiæ, ut fideles teneantur credere fide divina Conceptionem Virginis immaculatam.

Nec valet dicere, quod alias Maria, si macu- 262
lam originalem non contraxisset, non posset dici a Christo redempta; nam communiter respondetur, quod ipsa, cum fuerit a culpa præservata, vere, & modo nobiliori redempta fuit; docet enim D. Aug. in *Ps.* 85. verbo *Confitebor*, quod mittendus in carcerem, etiam dicitur a carcere liberatus ab illo qui eum liberat, ne in carcerem perducatur. Hæc autem nobilior Virginis redemptio maxime Virginem decuit, ut nunquam dici posset Mater Dei Deo inimica extitisse, & Regina Angelorum

sub-

subdita Diabolo aliquando fuisse. Immo dicit *Arnoldus Carnot. de Christi Nativ. §. Nihil: Non solum de decentia, sed etiam de justitia fuit, ut illud vas electionis communibus non laxaretur injuriis.*

Ex omnibus his deducitur, piam sententiam præservationis B. Virginis hodie tenendam, ut certam & oppositam non esse amplius probabilem. Quod sic evidenter probatur: Certum est 1. de fide esse, quod Ecclesia non potest errare in materia morum. Certum est 2. cultum Sanctorum (prout est celebratio festi præservationis Deiparæ) pertinere ad materiam morum; ad mores enim utique pertinet præstare B. Virgini Mariæ cultum debitum, & indebitum denegare. Si ergo Ecclesia præcipit celebrari festum præservationis Dei Matris, & in hoc non potest errare, vera & certa debet esse præservationis sententia. Ex quo bene infert quidam doctus Auctor recentior in libro nuperrime Neapoli edito anno 1753. cui titulus *Deipara ejusque cultores vindicati, &c.* quod contraria sententia post Decretum Alexandri VII. prout antiquata non est amplius nec practice, nec speculative probabilis.

Imo licet nostra sententia ab Ecclesia nondum sit definita; bene tamen potest de fide teneri; nam bene possumus credere de fide sententias illas, quas probabile est de fide esse, nimirum Canonizationem Sanctorum, præsentem Pontificem esse verum Pontificem, esto hæ sententiæ non sint ab Ecclesia declaratæ de fide, ut late probat *Viva in suo Cursu Theolog. p. 4. de fide ex p.* 54. *cum Suar. Lugo* & communiori. Dicit enim *D. Th. in* 3. *Sent. D.* 3. *art.* 2. quod credere possumus de fide non solum ea quæ habemus per fidem infusam, sed etiam quæ percipimus per conclusiones Theologicas: *Dicitur fides* (ait Sanctus Doctor) *acquiri per scientiam Theologiæ.* In nostro autem casu conclusio Theologica bene eruitur ex mox supra prædictis; si enim de fide est Ecclesiam non posse errare in materia morum, & cultus præservationis Deiparæ certe ad mores pertinet, bene de fide tenere possumus præservationem esse de fide.

263 Hic ultimo operæ pretium ducimus breviter perpendendam quæstionem illam, an liceat emittere votum profundendi vitam ob defensionem præservationis B. V. Mariæ a labe originali? Negant *Lamindus Pritanius in suo Opere de Moderat. ing.* & eum secuti sunt *Antonius Lampridius de Superst. vitanda, ac Ferdinandum Valdesius in suis Epist.* Ratio, quia nemo potest exponere vitam ad tuendam opinionem humanam, cui falsitas subesse potest; opinio autem defendens præservationem Deiparæ a culpa originali, quamvis pia, humana tamen est, cum Ecclesia hanc sententiam nondum statuerit niti Revelatione Divina, aut Traditione. Affirmant vero valde probabiliter plures Neoterici, & signanter Auctor supra enunciatus in cit. libro, *Deipara &c.* Distinguere enim oportet sententias pure humanas ab iis quæ pertinent ad morum disciplinam, & suo modo ad fidem, prout est hæc quæ spectat ad cultum Sanctorum, & præsertim Reginæ Sanctorum, quæ præ omnibus Sanctis veneranda est. Quod autem sententia præservationis spectet ad cultum B. Virginis, patet (ut vidimus supra) ex Bulla Alexandri VII. qui declaravit festum Conceptionis Dei Matris juxta piam sententiam celebrari debere. Præterea, dato quod hujusmodi sententia esset per se humana, tamen cum referatur in Deum, qui vult, ut fideles Sanctos suos, & præcipue Matrem honore prosequantur, non est pure humana, sed religiosa, cum ad Deum referatur, juxta Doctrinam *D. Th. 2. 2. q.* 124. *a.* 5. ubi docet posse esse Martyrii causam, non solum defensionem eorum quæ sunt de fide, sed etiam opera omnium virtutum, quæ sunt protestationes fidei; en ejus verba: *Omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus hujusmodi opera a nobis requirit, & nos pro eis remunerat; & secundum hoc possunt esse Martyrii causa.* Hic deinde subdit ad 3.: *Quia bonum humanum potest effici divinum, si referatur in Deum, ideo potest esse quodcunque bonum humanum Martyrii causa, secundum quod in Deum refertur.* Cum autem nullum sit dubium esse actum Religionis, cultum exhibere Virgini, celebrando juxta piam sententiam festum suæ Conceptionis immaculatæ in primo instanti, prout exigit Ecclesia; certum etiam est juxta Angelici doctrinam hujusmodi cultum bene posse esse causam Martyrii. Ergo, si licitum & meritorium est cuique vitam prodere, ne ab exhibitione hujus cultus desistat; tanto magis ei licitum, & meritorium erit mortem subire pro tuendo hujus cultus objecto, nempe pro B. Virginis a labe originali præservatione, ad quam ipse cultus refertur. Hinc Summ. Pont. Bened. XIV. in suo præfato Opere *de Canoniz. Sanctor. l.* 1. *c.* 14. postquam ostendit Ecclesiam esse propensam versus sententiam præservationis B. Virginis immaculatæ, dixitque neminem negare eam esse magis piam, & religiosam, *n.* 13. sic ait: *Inter Martyres ab Ecclesia recensentur, qui occisi fuerunt a tyranno, vel quia sententiam magis religiosam exercebant, vel ne omitterent exercitium alicujus actus virtutis, a quo tamen poterant sine peccato cessare.* Et sic jam satisfactum est objectioni *Lamindi*, nimirum quod non liceat vitam profundere pro tuenda præservatione Deiparæ, eo quod talis sententia non sit de fide.

ARTICULUS IV.

Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris Clericorum?

264 *Verba Canonis.* 265. *Quid intelligatur I. per verba*, si quis? *An impuberes? & a quo ipsi possint absolvi?*

266 *Quomodo comprehendantur etiam mandantes, consulentes? &c.* 267. *Quomodo ratihabentes?* 268. *Quomodo non impedientes?* 269. *An qui tenentur impedire tantum ex charitate?*

270 *Quid intelligatur II. Per* Clericum?

271 *Quid per* Monachum? *An Eremitæ?*

272 *Quid III. per verba*, manus injecerit? 273. *An requiratur, ut percussio sit cum peccato mortali; & externe gravi?*

274 *Incurrit I. Clericum conspuens, vel aliter gravi injuria afficiens. II. Violenter de-*

ti-

tinens, &c. III. Persequens eum, ut decedat. IV. Apprehendens equum, &c. V. Hæc agens etiam Clerico consentiente. VI. Clericus seipsum percutiens; sed alii id negant. VII. Judex laicus percutiens Clericum, vel Ecclesiasticus percutiens per laicum.

275 *Non incurrit I. Fur clam furans. II. Percutiens jocose, vel Casu. An pueri Clerici se percutientes? Et an defendentes se, vel suos, aut sua? III. Si absit mortale. IV. Percutiens Clericum per ignorantiam, aut inadvertentiam, aut per iram subitaneam. Dub. 1. Quid si percutit ignorans alterum esse Clericum, animo tamen comparatus quod percuteret, etiamsi sciret? Dub. 2. An excuset ignorantia crassa? Dub. 3. Quid si quis percutit Petrum Clericum credens Paulum Clericum? V. Excusantur etiam Prælatus, aut Præceptor percutiens. An Pater? VI. Percutiens Clericum exercentem officium cauponis, &c. vel turpiter agentem, aut sollicitantem uxorem, aut consanguineam in primo gradu? Quando excusetur puella percutiens Clericum sollicitantem.*

276 *Quando Episcopus possit absolvere ab hac excommunicatione?* 277. *Quæ percussio dicatur* Levis, *quæ* Gravis, *& quæ* Enormis? 278. *Quot modis percussio levis possit fieri gravis?* 279. *Quinam possint absolvere a percussione levi, & quinam a gravi?* 280. *Dub. 1. An in dubio percussio judicanda sit levis, aut gravis? Dub. 2. An incurrat excommunicationem qui venenum dat Clerico.*

264 „ Resp. ea sic habet: *Si quis suadente diabolo in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat; et nullus Episcoporum præsumat illum absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandata recipiat.* Ita ex *c. Si quis*, 17. *q.* 4.

265 „ Dicitur I. *Si quis*, intellige cujuscunque sexus, aut status, etiam impubes; dummodo rationis compos, & doli capax. * (*Ut habetur ex c. 1. Mulieres, et c. Pueris. De Sent. excomm. Quamvis impuberes possint absolute absolvi ab Episcopis, etsi post pubertatem absolutionem petant; Salm. de Cens. c. 2. n. 67. ex dicto c. Pueris. Etiamsi percussio fuerit enormis, ut dicunt Pal. D. 3. p. 23. §. 4. n. 6. et Bonac. t. 3. de Cens. in part. D. 2. q. 3. p. 6. n. 18. cum Suar. Mol. Fill. Sayr. et Reg. ex c. ult. de Sent. excomm.*) *

266 „ Extenditur autem ad efficaciter mandantes, „ consulentes, & consentientes.

Recte dicit *Busemb. efficaciter*, quia, ut hi incurrant excommunicationem, requiritur ut percussio de facto eveniat, atque ipsi per mandatum, consilium, aut consensum, graviter in illam influant; ita communiter *Navarr. c. 27. n. 51. Suar. D. 22. sect. 1. n. 55. Salm. c. 4. n. 22. et Bonac. D. 2. q. 3. p. 6. §. 2. n. 1. cum Sayr. Avila, Mol. Lig. Theol.*

Sylv. Fill. etc. ex c. Quantæ, & c. Mulieres, de Sent. exc. An autem incurratur censura in dubio, an mandatum, vel consilium influxerit? Vel si mandatum, aut consilium fuerit revocatum ante executionem? Vide de his dicta *n.* 39. *et* 40. Notandum autem hic; quod si quis diceret coram suis: *Cupio vindictam talis Clerici*, bene incurret excommunicationem, si ex hoc dicto alii Clericum inde percutiant; ita *Croix l. 7. n. 303. Renz. tom. 1. p. 266. q. 4. cum Diana, et Avila, ac Salm. c. 4. n. 22. cum Conc. Sylv. etc. argum. c. ult. de Homic. in* 6. Intellige, si prævidet ex eo alios percussuros.

„ Extenditur etiam ad ratihabentes percussionem „ suo nomine factam.

Certum est, quod ratihabitio sufficit ad incurrendam censuram, ut habetur ex *c. Cum quis, De sent. exc.* Sed ad hoc requiritur. I. ut percussio sit facta nomine tuo, vel in tui gratiam. II. Ut ratihabitionem externe significes. III. Ut quando evenerit percussio, fueris habilis ad mandatum, vel consilium percussionis, saltem habitualiter; nam si fueris amens, non incurris: secus, si ebrius, aut dormiens: ita communiter *Bonac. D. 2. q. 3. p. 6. §. 2. n. 12. Pal. D. 3. p. 23. §. 2. n. 14. Conc. tom. 10. p. 467. n. 6. Croix l. 7. n. 36. et Salm. c. 4. n. 25. cum Suar. Say, etc.*

„ Item non impedientes, saltem si ex officio, 268
„ aut justitia teneantur, ut Reges, Judices, & ce-
„ teri superiores. Item patres, tutores, heri, pæ-
„ dagogi, parochi, &c. quibus aliorum cura de-
„ mandata est. Ita *Laym. l. 1. t. 5. p. 2. c. 5. n.*
„ 9. *Bon. d. 2. q. 4. p. 1. art. 8. ex Molin. &*
„ *commun.*

„ Dixi *Saltem, etc.* quia, si ex charitate tan- 269
„ tum teneantur, etiam excommunicari docent *Suar.*
„ *Caj. Fill. Mol. Sayr.* &c. Verum id probabi-
„ lius negat *Bon. l. c. ex Nav. Con. Reg. Henriq.*
„ *Mol.* &c. * (*Et ita verius tenent. Nav. c.*
„ 27. *n.* 78. *Bonac. D. 2. q. 3. p. 6. §. 2. n. 7.*
„ *Lay. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 6. et Pal. D. 3. p. 23.*
„ §. 2. *n.* 13. *cum Hol. et Henr. ac Salm. c. 4.*
„ *n.* 23. *cum S. Anton. Pal. Con. Bon. Avil.*) *Ratio, quia hi tantum percussioni censetur favere* (*ut loquitur c. Quantæ, de Sent. excomm.*), *qui ex justitia tenentur impedire; non autem qui solum ex charitate, etsi ex odio impediat, cum ad incurrendam censuram etiam actus exterior requiratur, juxta dicta n.* 34.) *

„ Dicitur II. *Clericum*: quo nomine intelligitur 270
„ omnis prima saltem tonsura initiatus (etiamsi
„ conjugatus, dummodo cum unica virgine), &
„ deferat habitum, serviatque alicui Ecclesiæ; item
„ etiam excommunicatus, suspensus, interdictus,
„ degradatus verbaliter tantum. * (*Ita comm. et-*
„ *iam Salm. c. 4. n. 21. Non incurrit vero, qui*
„ *percutit Clericum bigamum ex reali bigamia;*
„ *secus autem, si ex similitudinaria, nempe qui*
„ *in Sacris constitutus Matrimonium contraxe-*
„ *rit, & consummaverit; neque incurrit percus-*
„ *sor Clerici, qui habitum deponens secularibus*
„ *negotiis se ingesserit, nec post tertiam moni-*
„ *tionem sui Prælati resipuerit. Salm. d. n. 21.*
„ *communiter. Vide hoc & alia l. 6. n. 827.*) *

„ Dicitur III. *Monachum*, intellige quemvis re- 271
„ ligiosum, etiam laicum, conversum, novitium,

„ utriusque sexus. Item Tertiarios S. Dominici, „ S. Francisci, si gestent habitum & vivant in „ communitate. Item Eremitas subjectos alicui re- „ gulæ, vel superiori.

Unde gaudent privilegio Canonis omnes viventes in communi sub aliquo Prælato, ex expressa, vel tacita Papæ auctoritate, quamvis in eorum communitate non fiat professio, ita *Navar. c. 27. n. 70. Suar. D. 21. sect. 1. n. 22. & Bonac. D. 2. q. 3. p. 6. sect. 3. n. 16. cum Con. Mol. Fill. Reg. Avila, Graff. &c.* Idem dicit *Fagnan. in c. Nullus, de Foro comp. n.* 59. de mulieribus conviventibus in Conservatoriis, quamvis Religio non sit adhuc approbata, quia cum religiose vivant, censentur personæ Ecclesiasticæ. Et idem ait *Renzius p.* 534. *q.* 11. de Seminaristis, & pueris Collegiorum, ut sunt Neapoli pueri S. Mariæ Lauretanæ, S. Onuphrii, &c.

Eodem privilegio gaudent Eremitæ, qui ex voto, aut pacto addicuntur alicui loco sacro, cum subjectione ad Episcopum, ut docent *Suar. D. 22. sect. 1. n. 22. Fagnan. l. c. Conc. Tourn. t. 2. p.* 493. *Ronc. p.* 102. *q. 2. & Bon. l. c.* Idem dicit *Pal. D. 3. p. 22. §. 1. n. 14.* de Eremitis qui sub aliqua regula, & obedientia vivunt, edito obedientiæ, aut paupertatis voto. Communiter vero docent præfati AA. minime gaudere Eremitas vagos qui habitum singularem gestant, licet inserviant alicui Ecclesiæ, etiam ex commissione Episcopi, ut *Fagnan. l. c. n.* 39. ex Decis. Rotæ Rom.

272 „ Dicitur IV. *Manus injecerit:* per quod intel- „ ligitur quævis contumeliosa actio exterior mor- „ talis, circa Clerici personam, vel res ei adhæ- „ rentes, sive fiat manu, sive baculo, gladio, &c. „ *Bonac. d. 2. q. 4. p. 1.*

273 Ad incurrendam igitur hanc excommunicationem requiritur, ut percussio sit mortaliter peccaminosa, & etiam externe gravis, ut docent *Bonac. D. 2. q. 3. p. 6. sect. 1. §. 1. ac Cajet. Mol. Pignat. &c. ap. Croix l. 7. n.* 301. Quare non incurrit, qui tantum signum facit percussionis, & non percutit; ut *Salm. c. 4. n. 27. Conc. p.* 467. *n. 7. Tourn. p.* 493. & alii passim. Sed hic recte notant *Pal. D. 5. p. 23. §. 2. n. 2. Suar. D. 72. sect. 2. n. 26. Croix l. c. cum Sperelli, & Bonac. d. 3. n. 2. cum Con. Fill. & Reg.* quod semper ac percussio existimetur graviter injuriosa, ratione reverentiæ Clerico debitæ, sufficiet ad censuram quævis percussio levis, etiamsi levissimus tactus physicus intercedat. Advertendum cum communi DD. (ut notat *Croix ib.*) quod hic Canon, prout in favorem Clericorum emanatus, non stricte, sed latissime intelligendus est. *Ex his resolves.*

274 „ 1. Hanc excommunicationem incurrit I. Qui „ talem conspuit, conspergit aqua, pulvere, con- „ spurcat luto, evellit crinem, lacerat vestem, e- „ ripit aliquid per vim, & injuriam de ejus cor- „ pore, verbi gratia pileum, pallium, &c. ita ut „ actio sit graviter injuriosa. *Bon. l. c. Laym. c.* „ 5. II. Qui concludit, aut violenter detinet car- „ cere, vel loco, unde sine dedecore non potest „ exire. *ibid.* III. Qui persequitur, ut in flumen, „ fossam incidat, equo decidat, &c. *ibid.* * (*An* „ *autem incurrat is qui Clericum insequens, præ-* „ *ter intentionem, & prævisionem, est causa ut* „ *ille cadat? Negant Bonac. D. 3. q. 3. p. 6. sect.* „ *1. §. 1. n. 3. cum Sylv. et Renz. t. 1. p.* 577. „ *q. 6. et merito probabile putat Croix l. 7. n.* 308. „ *quia tunc casus mere per accidens se habet.* „ *Sed non minus probabiliter affirmat idem Croix* „ *cum Sperelli; hinc dicit cum eod. Sperelli Fa-* „ *gnan. etc. (et huic consentit ipse Bon. l. c.) non* „ *excusari ab excommunicat. explodentem sclo-* „ *pum in Clericum, qui ob metum exanimis ca-* „ *deret, licet globus eum non tangeret, quia tunc* „ *explodens est causa per se talis læsionis.*) * „ IV. Qui manus violentas injicit in equum, cui „ is insidet, occidendo, vulnerando, cædendo, si- „ stendo per frenum; quæ actio, licet sit levis re- „ spectu corporis, non tamen respectu honoris, „ *ib.* * (*Idque docent comm. Suar. Pal. Bonac.* „ *et alii cit. n.* 273. *ac Salm. c. 4. n.* 26. *et* 27. „ *cum Laym. Avila, etc.*) * Qui aliquid supra- „ dictorum facit, etiam Clerico consentiente, dum- „ modo sit injuriosum ordini Clericali. *Laym. l.* „ *c.* * (*Ita comm. Suar. Bonac. Conc. & alii cum* „ *Salm. c. 4. n.* 25. *ex c. Nemo,* 11. *q.* 3. *& ex* „ *c. Contingit, De Sent. excomm. Clericus autem* „ *consentiens ex eod. c. Contingit, etiam subest* „ *excommunicationi, sed hæc est tantum ferendæ* „ *sententiæ, ut bene advertunt Bonac. & Croix l.* „ 7. *n.* 305. *dum in d. textu dicitur:* Si quis Cle- „ ricus sponte se subjecerit, excommunicetur. *Hoc* „ *tamen intelligendum, si talis percussio, non ob-* „ *stante consensu Clerici, non desineret esse in-* „ *juriosa; nam secus esset, si consensus auferret* „ *injuriam, puta si Clericus petat cædi ab alio,* „ *ut luat sua peccata; Salm. c. 4. n. 20. in fin.* „ *cum Conc.*) * VI. Clericus si seipsum ex mali- „ tia, vel passione (secus si ex devotione) percu- „ tiat injuriose; *Laym. l. c. ex Nav.* * (*Ita cum* „ *Busemb. tenent Suar. D. 22. sect. 1. n.* 59. *&* „ *Bonac. D. 2. q. 3. p. 6. sect. 2. n. 7. cum Nav.* „ *Con. Sayr. Avila, etc. Sed merito oppositum* „ *putant probabile Pal. D. 3. p. 22. §. 2. n. 4.* „ *Diana p. 9. tr. 4. R. 7. et Croix l. 7. n.* 310. *cum* „ *Tolet. Barb. Turrian. Pasqual et Delbene,* „ *quia revera Canon videtur tantum loqui de al-* „ *tero Clericum lædente.*) * VII. Qui percutit „ Clericum etiam meritum, si fiat vel per quem „ non debet; ut si morte dignus puniatur a judi- „ ce seculari, vel modo illicito, ut si a Prælato „ puniatur per laicum. *Bonac. l. c. ex Nav. Sayr.* „ *Suar. Fill. Con.* &c. Vide *Laym. c.* 5.

„ 2. Non incurrit I. Fur, qui clam abscondit 275 „ crumenam, vel vestem tollit Clerico; quia non „ est actio violenta, sed fraudulenta. * (*Secus,* „ *si violenter auferat, ut Laym. de Cens. c.* 5. *n.* „ 5. *cum Caj. Con. Suar. Mol. et Salm. eod.* „ *tit. c. 4. n.* 26. *cum Pal. Avila etc. comm. quia* „ *tunc actio, etsi non corpus Clerici, lædit tamen* „ *honorem.*) * II. Si percussio sit jocosa * (*Quam-* „ *vis sit gravis, & etiam cum aliqua ira irroge-* „ *tur,*) *modo non pertingat ad peccatum mortale,* „ *ut recte dicunt Pal. D. 3. p. 23. §. 3. n. 3. Bon.* „ *D. 2. q. 3. p. 6. sect. 3. n. 3. et Salm. c. 4. n.* 28. „ *cum Avila et Tamb: ex c.* 1. *de Sent. excom.* „ *ubi dicitur:* Nec Clerici (*excommunicantur*), „ si sunt plenæ ætatis, & non ex odio (*intelligitur* „ *gravi*), vel invidia, vel indignatione, sed levi- „ tate jocosa se ad invicem percutere contingat) * „ vel casualis, v. g. si janitor, vel apparitor tur-

„ bam

„ bam arcens percutiat Clericum; item si pueri „ habentes primam tonsuram se pugnis percutiant; „ *Bon. l. c. ex Mol. Fill. Con.* &c. * (*Imo etiam in Minoribus constituti; & quamvis sanguis e naribus effundatur, ut Salm. c. 4. n. 28.* „ *Pal. l. c. n. 2. cum Laym. Con. & Mol. ac* „ *Bon. l. c. sect. 1. §. 1. n. 14. cum Fill. & Avila, quia regulariter percussio puerorum non* „ *reputatur graviter injuriosa; idque admittit Sotus apud Salm. l. c. etiamsi percussio fuerit gravis: hoc tamen intelligendum, si hæc non fuerit intenta*). * item si percussio sit ad defendendum se, vel vitam suam, vel uxoris, parentum, „ filiorum, vel res suas, cum moderamine tamen „ inculpatæ tutelæ. *Laym. infra.* III. Et denique, quandocumque percussio ob levitatem, vel „ imperfectionem actus non esset mortalis, illata „ laico, ut docent *Cajet. Avila*, & *Sa*, quod tamen *Suar.* universaliter non admittit. Vide *Bon. l. c.* IV. Si fiat in tenebris, vel Clericum non „ agnoscas, quod habitum non gestet; quia ignorantia excusat.

Sic etiam excusat ira subitanea, quæ efficiat, ut non plene advertatur quod fit, ut communit. *Suar. D. 22. sect. 1. n. 50. Bon. D. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. n. 3. Lay. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8. Pal. D. 3. p. 5. §. 3. n. 3. cum Con. & Salm. c. 4. n. 8.* Sed hic dubit. 1. An incurrat excommunicationem qui percutit aliquem ignorans esse Clericum, sed animo comparatus, ut si sciret, etiam percuteret? Affirmant *Cov. Ugol. &c. ap. Croix l. 7. n. 314.* Sed communius, & probabilius negant *Sanch. Dic. l. c. c. 10. n. 16. Suar. D. 4. sect. 8. n. 8. Bon. de Cens. in comm. D. 1. q. 2. p. 1. n. 14. cum Vasq. Mol. & Fill.* item *Pal. & Nav. ap. Croix l. c.* quia in ignorantia concomitante adest tantum voluntas interpretativa, quæ non est vera voluntas. Secus vero dicendum, si percutiens jam dubitaret, an ille esset Clericus, ut bene docet *Bon. ib. n. 18. cum Avila.* Et idem tenent *Suar. n. 10. Sanch. n. 14. Croix d. n. 314. ac Bon. n. 21. cum Fill. Avila, et aliis*, si quis Clericum percutiat ignorans esse Clericum, sed intendens eum percutere, sive laicus ille sit, sive Clericus. Dubit. 2. an ab incurrenda excommunicatione percussionis Clerici excuset ignorantia crassa? Affirmant *Sylv. Abb. Felin. etc. ap. Sanch. de Matr. l. 9. D. 52. n. 41.* quia (ut ajunt) illud, *suadente Diabolo*, importat dolum, qui non reperitur in ignorantia crassa, sed merito id reprobant *Croix l. 7. n. 314. et Sanch. l. c. cum Cov. Tabien. et aliis*, quia to *suadente diabolo*, tantum importat percussionem cum peccato gravi. Dubit. 3. an incurrat qui percutit Petrum Clericum, reputans Paulum Clericum? De hoc vide dicta *Tom. I. l. 3. n. 628. v. Qu. I.* ubi sententiam affirmativam retinuimus.

„ V. Si prælatus, præceptor, pater subditum in „ minoribus constitutum correctionis causa (licet „ ira accedat) percutiat moderate, habita ratione culpæ * (*Ita etiam Salm. c. 4. n. 29. cum* „ *Bon. Avil. etc. Et idem dicunt Salm. ib. de* „ *consanguineo, qui percutit Clericum, cujus curam habet, ex c. Cum voluntate. 54. §. Si* „ *quis, de Sent. excom.*). * Imo Prælatus, & Præceptor Ecclesiasticus potest etiam in majoribus „ constitutum castigare. * (*Intellige semper moderate; nam S. C. declaravit excommunicatum* „ *quendam Parochum, qui Clericum suum discipulum correctionis causa in capite pluries percusserat, & deinde pugnis & baculo verberavit, ut refert P. Zach. Adnot. ad Croix l. 7. n.* „ 518. *qui ib. ob eandem rationem non excusat ab* „ *excommunicatione Prælatum si Religiosum cum* „ *excessu verberet, pede trudat, aut similia faciat.*) * An idem possit pater, controvertitur „ in utramque partem probabiliter. Vide *Laym.* „ loco mox citando.

Quær., an Pater possit verberibus Clericum punire? Certum est posse, si Cler. est in Minoribus, ex dicto *c. Cum voluntate. 54. §. Si vero, de Sent. exc.* ubi id conceditur omnibus illis, *qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum graduum, ut cohibeantur a suis insolentiis, duxerint corrigendos.* Dubium est, an possit, si Clericus est in Sacris constitutus? *Prima* sentent. negat: & hanc tenent *Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 9. Pal. D. 3. p. 23. §. 3. n. 8. cum Host. Panor. Ang. Mol. &c.* quia nullibi habetur, quod Pater possit manus injicere adversus Clericos in Sacris. Hæc est probabilis, at sententia affirmans videtur probabilior, & hanc tenent *Suar. D. 22. sect. 1. n. 49. Bon. D. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. n. 4. Conc. t. 10. p. 468. n. 8. Tourn. t. 2. p. 449. & Salm. c. 4. n. 30. cum Valent. Bann. Conc. & Avila.* Et probatur ex *c. 1. de Sent. exc.* ubi excusatur Magister, *si scholarem Clericum* (quamvis *sit plenæ ætatis*, ut ibi præmittitur, unde includit etiam Clericus constitutus in Sacris) *in cuitu disciplinæ, vel correctionis percusserit.* Si ergo non solum causa disciplinæ, sed etiam correctionis potest Magister Clericum percutere, tanto magis poterit Pater, cui principaliter & de jure naturali incumbit compescere insolentias filiorum.

„ VI. Si percutiatur realiter degradatus, vel bi„ gamus, vel exercens publice officium cauponis, „ vel macellarii, vel scurram, & ter monitus non „ cesset, vel inventus turpiter agens cum uxore, „ matre, sorore, vel filia, vel denique mulierem „ ipso facto sollicitans ad turpitudinem, quia per„ dit privilegium. Vide *Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c.* „ 5. *Fill. l. 15. c. 1.*

Ita *ex c. Si vero. 3. de Sent. exc.* ubi excusatur a Censura qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum manus injecerit violentas, secus si mulier illa non sit ita proxima in consanguinitate. Hinc *Fill. tr. 15. c. 1. q. 6. n. 12. Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8. & Bon. D. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. n. 7. cum Mol. Con. &c.* communiter non excusant percussorem Clerici inventi cum avia, aut nepte. Putant vero *Nav. c. 27. n. 84. & Bon. l. c. n. 6. cum Mol. Con. & Avila*, excusari Maritum, si ex industria se abscondit exspectans Clericum id ignorantem, ut deprehensum in adulterio occidat; secus si conventione facta cum uxore se abscondat, cum jura nunquam intendant fraudes patrocinari. Sed etiam in primo casu rectius *Laym. l. c. cum Nav.* contradicit *Bonac.*, quia tunc minime verificatur quod vir inveniat Clericum, dum eum exspectat, hic enim ideo excusatur, quia (ut ait *Glossa*) nequit compescere subitaneam iram, ad quam potius tunc se excitaret. Dicunt autem *Suar.*

D. 22. sect. 1. n. 37. Bonac. l. c. n. 8. Tourn. p. 494. & Salm. cap. 5. n. 31. cum Pal. Laym. Conc. &c. bene excusari virum, si occidat Clericum inventum cum uxore in loco suspecto, vel cum ea colloquentem post monitionem, quod se abstineat a tali collocutione. Notant item *Tourn. l. c. Conc. p. 469. & Croix l. 7. n. 307. cum Nav. Sylv. Ang. &c.* tunc tantum excusari virum percutientem talem Clericum, quando percussio fit in ipso facto, vel continuo post adulterium: tunc enim solum acer ille doloris sensus meretur indulgentiam. Excusatur etiam mulier percutiens Clericum qui eam sollicitat, si non possit illum verbis avertere. Unde si Clericus tantum verbis tentat, verbis tantum debet repellere, nisi ille sit adeo importunus, ut non valeat femina per sola verba ab eo liberari; ita *Suar. D. 22. sect. 1. n. 23. & Salm. c. 4. n. 31. cum Sylv. Avila, Sayr. &c.* Hoc tamen intelligendum, si ex tali sollicitatione constituatur mulier in aliquo morali periculo labendi, saltem in peccatum cogitationis.

276 „ Resp. 2. Etsi hæc excommunicatio sit reservata Papæ, potest tamen Episcopus ab ea absolvere his casibus, 1. Quando percussio, etsi sit mortalis, est tamen prudentum judicio levis, comparata cum enormi * (*ita ex cap. Pervenit de Sent. exc.*) *, v. g. si fiat palma, pugno, aut lapide non relinquente vestigium, & secundum *Anton.* & *Dian. p. 9. t. 4. Res. 19.* nisi notabilem injuriam, & magnum scandalum pariat, qualem negat esse, si quis Sacerdotem pugno percutiat in faciem, licet guttæ sanguinis effluant. * (*Ita etiam Viva q. 5. Art. 5. n. 8. cum Dian. et Glossa*) *. Enormis vero erit, si membrum proscindatur, copiosius sanguis fundatur; vel etiam ratione dignitatis personæ, ut si percutiatur Episcopus, vel Abbas etiam alapa. 2. Si percussor sit impubes, pauper, æger, senex, mulier, cæcus, claudus, servus, filiusfamilias, vel non sui juris, uti & regulares, ac moniales invicem verberantes; item si sint homines delicati, & quotquot habent legitimum impedimentum, ut non possint ire ad Papam, aut ejus Legatum; vel si dubium sit de excommunicatione, *Fill. l. 15. c. 6. n. 35. et seq.* Denique si sit occulta. V. supra *hic c. 1. d. 6.* & *Dianam p. 9. t. 4. R. 63.* In quibus omnibus pro foro conscientiæ potest etiam facultas absolvendi impetrari (gratis quidem ex Pœnitentiaria Romana a majore Pœnitentiario, ut supra *hic lib. 1. t. 2. c. 4. in append.*)

277 Oportet igitur distinguere: alia est percussio *Enormis*, alia *Mediocris*, sive gravis, alia *Levis*, quæ non jam dicitur levis, quia importat tantum peccatum veniale; ad incurrendum enim excommunicationem semper requiritur culpa gravis; sed dicitur levis respectu ad gravem & enormem. Hujusmodi distinctio communiter a DD. assignatur, & colligitur a Constitutione in *Extrav. Perlect.*, quæ in extensum refertur a *Navarro Man. c. 27. n. 91.* (*pag. mihi* 547.) ibique ab aliis attribuitur Innoc. IV. & ab aliis Pio II. sed *Navar.* eam attribuit Joanni XXII. Ceterum communiter AA. illam admittunt, ut *Cabass. T. J. l. 5. c. 2. n. 6. et Pal., Bon. Ronc.* & infra citandi. In præfata autem *Extrav.* sic legitur: *Respondemus percussionem levem esse pugni, palmæ, manus, pedis, digiti, aut baculi, aut lapidis, quæ nullam maculam, neque sugillationem carnium relinquit, neque abscindit membrum, sine extractione dentium, sine avulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis. Nolumus tamen dicere, quod hujusmodi levis percussio, ut pugni, aut unguis, fiat atrox ob multi sanguinis effusionem. Ad judicandum tamen, quæ læsio sit levis, mediocris, aut enormis, volumus diligenter perpendi, non solum factum, sed etiam qualitatem ejus et modum percutiendi cum omnibus suis circumstantiis loci, personæ, et aliis. Personæ, si est Magister, Judex, Prælatus, Pater, Patronus, aut Dignitas, percussus injuste a subdito, aut ab alio se viliori; quia ex hoc interdum censentur graves injuriæ, quæ ex se sunt leves, aut mediocres. Et quia conditio negotii non patitur integram determinationem hujus rei, relinquimus tuo arbitrio, ut declares quæ sit levis, et quæ enormis injuria, admonentes ut potius declares in dubio esse percussionem gravem, et ab ea non posse absolvere, quam declarando levem esse, occasionem præbeas lædendi Statum Ecclesiasticum.*

Hinc dicunt DD. esse percussionem *mediocrem* illam qua extrahitur dens, vel capillorum copia evellitur, aut fit suggillatio carnis, qua sanguinis copia effunditur absque gravi læsione, vel injuria; ita *Bon. d. 2. p. 6. sect. 5. n. 8. et Ronc. p. 104. q. 1. R. 3.* Percussionem vero enormem dicunt idem *Bon. et Ronc. ac Pal. D. 3. p. 23. §. 4. n. 2. Tourn. t. 2. p. 495.* & *Conc. p. 468. n. 9.* esse si magna intervenit vulneratio, vel magna sanguinis effusio, aliunde quam e naribus, vel magna injuria.

Communiter autem advertunt præfati AA. & 278
alii, quod sæpe percussio levis potest evadere gravis vel enormis ratione circumstantiarum, nimirum I. Ratione *personæ læsæ*, prout Abbas, Prælatus Monasterii, aut Judex, Herus, aliusve in dignitate constitutus, dicunt *Pal. Bon. Conc. Tourn. et Ronc. ll. cc.* II. Ratione *personæ lædentis*, ut si Officialis laicus auctoritative percutiat Clericum, vel plebejus Ecclesiasticum nobilem: *Suar. D. 22. sect. 1. n. 91. Ronc. l. c. et Bon. d. num. 8. cum Navarr. Mol. Fill. et Reg.* III. Ratione *personæ coram qua fit percussio*, nempe si fit coram Prælato, aut alia persona in dignitate constituta, *Bon. Ronc. et Pal. cum Mol.* IV. Ratione *scandali*, nempe si Monachus cum gravi scandalo Clericum secularem percutiat; *Viva de Censur. qu. 5. art. 5. n. 8. Ronc. l. c. et Bonac. ibid.* qui addit idem esse, si quis percutiat Clericum in Claustro coram Regularibus. V. Ratione *loci*, nempe si percussio fit in Ecclesia, vel platea, *Cabassut. T. J. l. 5. c. 2. n. 6. Pal. Conc. Tourn. et Ronc.* VI. Ratione *temporis*, ut si quis percutiat Clericum sacris vestibus indutum, vel dum vacat publicis Officiis in choro, vel in actu Processionis, aut publicæ supplicationis. *Cabassut. Pal. Tourn. et Ronc.* VII. Ratione *injuriæ*, ut si quis Clericum denudet, vel atramento aut stercore ejus vultum fædet, ut *Cabassut. l. c.*

His positis, sciendum quod a percussione levi, 279
etiam publica, possunt absolvere Episcopi, ut docent communiter DD. cum *Bon. D. 2. q. 3. p. 7.*

sect.

sect. 5. *n.* 3. *et* patet ex *c. Pervenit, de Sent. exc.* Et sic pariter eorum Vicarii Generales, quia hoc habent Episcopi de jure ordinario, ut *Sanch. de Matr. l.* 3. *D.* 7. *n.* 10. *et Bonac. l. c. p.* 6. *sect.* 5. *n.* 4. *cum Mol. Reg. Lazar. etc.* vide dicta *n.* 224. Utrum autem possint ab ea absolvere habentes jurisdictionem quasi Episcopalem? vide dicta *n.* 79. A percussione vero enormi, aut mediocri, si est publica, potest absolvere tantum Papa, aut Legatus a Latere, qui gaudet auctoritate Pontificia, ex *c. ad eminentiam, de Sent. exc.* Item possunt etiam Legati missi ad aliquam Provinciam, ex *c. Penult. de Offic. Legati.* Si vero percussio fuerit occulta, possunt ab ea absolvere etiam Episcopi, ex *c. Liceat* 6. *in Sess.* 24. *Trident.* Et a publica etiam mulieres ex *c. Mulieres de Sent. exc.* Et hoc etiamsi percussio fuerit enormis, ut *Viva q.* 5. *art.* 5. *n.* 10. *cum Suar. Mol. et Fill.* Et sic pariter possunt absolvere impuberes, etiamsi hi post pubertatem absolutionem petant, *Viva l. c. cum iisd. AA.* ex *c. Pueris fin. eod. tit.* Item eos qui collegialiter vivunt, si percussio fuerit gravis, non vero si enormis; vide dicta *n.* 68. *circa fin. ad n. X.* Item omnes impeditos adire Romam juxta dicta *c. n.* 88. Quos autem, & quando Prælati regulares possint absolvere subditos & alios ab hac excommunicatione, vide dicta *n.* 107. Bene autem advertit *Croix l.* 7. *n.* 325. quod pro absolutione censuræ ob percussionem Clerici etiam publicam potest recurri ad S. Pœnitentiariam.

280 Dubit. 1. An in dubio percussio judicanda si levis, aut gravis? *Bordon. ap. Vivam qu.* 5. *art.* 3. *n.* 8. dicit censendum esse levem. Sed omnino dicendum est oppositum cum *Bon. D.* 2. *q.* 3. *p.* 6. *sect.* 5. *n.* 8. *Viva, et Ronc. l. c. ac Conc. p.* 468. *n.* 9. qui testatur esse commune, & patet ex cit. *Extrav. Perlectis n.* 277. ex verbis illis: *Admonentes, ut potius declares in dubio esse percussionem gravem, et ab ea non posse absolvere.* Ibique datur ratio, *ne occasionem præbeas lædendi statum Ecclesiasticum.*

Dubit. 2. An incurrat hanc censuram qui Clerico venenum præbet? Adsunt quatuor sententiæ, *Prima*, quam tenent *Avila, et Rodriq. ap. Dian. p.* 9. *tr.* 4. *R.* 36. absolute negat nisi venenum per vim præbeatur ad potandum, nam alias (ut ajunt) non fit violentia personæ, sed naturæ; sed merito *Diana l. c.* hanc opinionem rejicit, cum sit contra communem; & *Renzius t.* 1. *p.* 578. *q.* 9. refert anno 1640. eam fuisse expunctam ex Summa *Rodriq.*, ob mandatum S. Inquisitionis in suo expurgatorio. *Secunda* sententia, quam tenent *Fill. tr.* 11. *n.* 126. *et Suarez*, ac alii *ap. Croix l.* 7. *n.* 302. dicit non incurrere censuram, nisi morte secuta; sed neque hæc opinio videtur satis probabilis. *Tertia* sententia, quam tenet *Croix l. c. cum Beja, et Sperelli*, dicit hunc ab initio incurrere, quia venenum de se est aptum statim lædere. *Quarta* demum sententia communior, quæ videtur mihi probabilior, dicit non incurrere, nisi postquam venenum incœperit lædere. Ratio, quia ad incurrendam censuram Canonis non requiritur mors, sed requiritur quidem effectus secutus, nempe violentia illata; antequam autem venenum lædat, non adest effectiva violentia, sed tantum actio apta ad violentiam inferendam; ita *Bon. D.* 2. *q.* 5. *p.* 6. *sect.* 1. §. 1. *n.* 6. *Viva q.* 5. *art.* 4. *n.* 2. *et Diana l. c. cum Squillante*, quibus adhæret etiam *Rencius l. c.*

ARTICULUS V.

Quæ sint excommunicationes Papæ reservatæ per Bullam Cœnæ?

281 *De excommunicatione in retinentes, legentes, etc. libros Hæreticorum.* 282. *Ad quam incurrendam, requiritur I. ut Author sit hæreticus. An legi possint libri Infidelium, vel Hebræorum?* 283. *II. Ut liber hæresim contineat, vel de Religione agat. Quid si error abradatur? vel si Auctor non sit damnatus ut hæreticus? Quid si quis legat ad confutandum Hæreticum?* 284. *III. Ut legatur materia notabilis.* 285. *IV. Ut scienter legatur, etc.*

286 *Non incurritur I. Si legas librum referentem verba Hæreticorum. II. Si legas Scholia Hæreticorum.*

287 *An prohibeantur libri Philosophici, vel qui incidenter hæresim continent?*

288 *Quinam libri prohibentur in Indice?*

289 *Quot Classes librorum prohibitorum Index constituat?*

290 *Ad quem spectet libros prohibere?*

291 *An liceat ex curiositate, etsi cum licentia, legere libros hæreticos? Et an legere libros prohibitos ei qui certus est lectionem non esse sibi obfuturam?* (Vide de hoc dicta Tom. I. l. 1. n. 199. *in fin.*)

292 *An incurrat qui legit proœmium, indicem, &c. An qui audit legere? Et quid si inducat ad legendum?* 293. *An qui legit scripturam brevem, vel manuscriptum?* 294. *An qui legit duas lineas, vel minus quam paginam?* 295. *An qui retinet parvo tempore?*

296 *An excuset ignorantia crassa? Quid si quis scit ex viro probo librum esse prohibitum?*

297 *An incurrat excommunicationem qui impedit, ne liber comburatur, aut laudat stylum, &c.* 298. *An incurrat qui deponit librum prohibitum apud alium?* 299. *An qui eum comburit? A quo impetranda licentia legendi?*

300 *Ad incurrendam excommunicationem ob hæresim, requiritur I. Ut sit formalis.* 301. *Qu. 1. An incurrat errans ex ignorantia crassa, vel affectata?* 302. *Qu. 2. An qui dubitat circa res fidei?* 303. *Requir. II. Ut error externetur.* 304. *Requir. III. Ut manifestatio sit moraliter malâ. Requir. IV. Animus profitendi errorem.* 305. *Vide alia advertenda.*

306 *Incurrunt etiam* Credentes, Fautores, Receptatores, & Defensores. 307. *Qu. I. An qui favent Hæretico ob amicitiam, &c.* 308. *Qu. II. An qui Hæreticum recipit, ne capiatur, effectu non secuto?*

309 *Item incurrunt excommunicationem Bullæ I. Surripientes bona naufragantium.* 310. *II. Domini imponentes tributa.* 311. *III. Quinam*

nam alii incurrant excommunicationem Bullæ?

281 „ Resp. Præcipua est in hæreticos, quæ ex-
„ tenditur non tantum ad fautores, receptatores,
„ & defensores hæreticorum, ut sic, sed etiam in
„ *scienter retinentes, legentes, imprimentes, &*
„ *defendentes libros hæreticorum de religione tra-*
„ *ctantes, vel hæresim continentes ex quavis cau-*
„ *sa publica, vel occulta, quovis ingenio vel co-*
„ *lore*. Ad quam excommunicationem incurrendam
„ requiruntur 4. conditiones. I. Ut auctor libri sit
„ hæreticus. II. Ut liber hæresim expresse conti-
„ neat, vel de religione agat. III. Ut legatur ma-
„ teria notabilis, & sufficiens ad mortale. IV. Ut
„ scienter legatur, imprimatur, vel retineatur.
„ *Laym. l. 2. t. 1. c. 15. n. 1.*

282 Ut igitur hæc excommunicatio incurratur, requiritur I. ut auctor sit hæreticus, qua propter eam non incurrunt legentes libros infidelium, etsi hæresim contineant, dum dicitur in Bulla *libros Hæreticorum;* ita *Suar. D. 20. s. 2. n. 11. & 13. & Salm. de Cens. c. 14. n. 16. cum Sanch. Pal. &c.* Liber autem Thalmud, & similes Hebræorum prohibentur per Bullas Pii IV. & Clem. VIII. *ap. Croix l. 7. n. 333.* Dicit autem *Holzm. t. 1. p. 179. n. 78. v. Qui legunt*, etiam numerari inter libros in Bulla vetitos librum qui ex professo tractet de hæresi, quamvis lateat Auctor, quia tunc Auctor certe censetur hæreticus.

283 Requir. II. ut liber de Religione tractet, vel hæresim contineat. Sufficit igitur, ut liber unum tantum errorem contineat contra fidem, vel si ex professo (non autem obiter) agat de Religione, nempe de S. Scriptura, vel de Theologia Scholastica, Dogmatica, aut Morali, vel Mysteriis fidei, de Cultu Dei, aut Sanctorum, de Ritibus Ecclesiæ, de Canonibus, de rebus spiritualibus, & similibus, ita *Salm. c. 4. n. 72. Suar. num. 16. Sanch. Dec. lib. 2. c. 10. n. 21. Laym. l. 2. tr. 1. c. 7. n. 3.* item *Dicast. Illsung., Tamb. &c. ap. Croix l. 7. n. 331.* Si vero error ille contra fidem sit abrasus a libro, *Croix n. 330. cum Pignatell.* dicit probabiliter excusari a censura, qui reliqua libri legit, quia tunc liber non continet amplius hæresim, nec ullum periculum inducit. Contradicunt tamen *ib. Suar. Bon.* & alii, ac *Sanch. l. 2. c. 10. n. 3.* quia particularis illa expunctio non tollit communem libri prohibitionem. Sed mihi non displicet distinctio, quam tradit *Sporer t. 1. de fide p. 122. n. 40.* nempe; si liber tractet ex professo de Religione, non obstante abrasione erroris, remanet prohibitus, quia in Bulla omnino vetatur legere aut retinere libros Hæreticorum tractantes de Religione. Secus si liber tractet de alia materia, puta de Philosophia, aut de Historia, exceptis tamen libris Centuriatorum Magdeburgensium & similibus, in quibus revera tractatur de Religione, atque in iis intentum est evellere statum Monasticum, & denigrare Ecclesiasticum. Dicit autem *Croix cum Suar. Tol. Pal. Pignat.* & aliis communissime (contra *Decian. Masc. & Caram.*) legentem hujusmodi libros Hæreticorum non effugere excommunicationem Bullæ, etiamsi legat ad confutandum errorem, & sine periculo perversionis, quia prohibitio facta est in odium Hæreticorum, cum in Bulla vetetur lectio ex *quavis causa, vel colore*. Limitant tamen *Laym. & Dicast. ap. eund. Croix n. 343.* si quis vir doctus legeret eos, sperans certo ut aliquem hæreticum convertat, hinc probabiliter dicunt *Holzm. p. 177. n. 77. v. Sed nunquid, & Elbel t. 2. p. 439. n. 99. cum Mayr*, quod ex epikeja bene excusantur legentes librum hæreticum, si necessario indigeant tali lectione ad convincendum Hæreticum ex suo proprio, vel alterius Hæretici libro, puta inveniendo contradictionem, &c. modo periculum sit in mora, nec pateat recursus ad Romam, vel alio. Qui vero legeret libros vel scripta ob hæresim, vel ob hæresis suspicionem prohibita, licet probabiliter cum *Pignatel. & Duard. ap. Croix n. 334.* non incurreret excommunicationem Bullæ, nisi Auctor sit damnatus ut hæreticus, vel natus ex secta hæretica; tamen incurreret excommunicationem Indicis, quæ vero non est reservata.

Requir. III. ut lectio fiat in materia notabili, 284
nam licet *Tolet. & Ugolin. ap. Bon. D. 7. q. 2. p. 4. n. 14.* negent dari in hoc parvitatem materiæ, quia (ut ajunt) in una sola linea potest quis errorem invenire; communiter tamen DD. admittunt materiæ parvitatem, quamvis discrepent in assignando qualis sit. Alii enim, ut *Sanch. l. 2. c. 10. n. 31. cum Sa, Manuel, & Vivald.* dicunt esse unam paginam, & plus, si volumen sit ex majoribus; at hanc opinionem merito non admittunt *Salm. c. 7. n. 74.* & idem sentit *Bon. l. c.* si pagina sit grandior; alii, ut *Graff., et Reg. ap. eumd. Bon.* dicunt esse tres vel quatuor lineas; alii ut *Suar. D. 20. s. 2. n. 20. et Pal. tr. 4. de Fide D. 2. p. 10. §. 2. n. 6. cum Azor. Con. et Sayr. ap. Bon.* dicunt esse decem lineas; alii tandem, ut *Holzm. tom. 1. p. 177. n. 77. v. Dixi quarto, Sporer t. 1. p. 124. n. 44. Elbel t. 1. p. 397. n. 113. et Croix l. 7. n. 330. cum Marchant.* rectius distinguunt, in hoc attendendum esse finem prohibitionis, si aperiendo librum hæreticum incidas in doctrinam, quæ directe est contra fidem, poteris excommunicationem incurrere, etiamsi legas paucas lineas, quia in ipsis potest esse periculum perversionis; secus si liber esset principaliter de materia indifferenti, tunc enim legendo etiam paginam, excusaris a mortali, si nullum ibi legas errorem.

Requir. IV. ut hujusmodi libri scienter legan- 285
tur, imprimantur, aut retineantur. Et eidem excommunicationi subjacent eos ementes, vendentes, aut asportantes, ut dicunt *Salm. c. 4. n. 74.* ex Decr. Pontificum. Nec non defendentes non solum verbo, sed etiam facto, nempe si impediant quominus tales libri Episcopo tradantur, ut dicunt, *Pal. Tamb.* & alii communiter *cum Croix l. 7. n. 358.*

„ 1. Non excommunicaris I. Si legas libros Ca-
„ tholicorum referentes verba hæreticorum, etiam-
„ si animo hæresim discendi legas. *Laym. l. c. ex*
„ *Navar. Sanch.* &c. * *Est commune cum Azor.*
„ *Suar. Bon. et Pignatell. ap. Croix l. 7. n. 335.*) *
„ II. Si in Catholici scriptoris libro, vel alio, hae
„ Bulla non contento, legas adjecta scholia, vel
„ notas auctoris hæretici: quod tamen *Suar. t. 5.*

„ *d.*

„ *d.* 21. *s.* 1. limitat, nisi scholia essent tam co-
„ piosa, ut ex iis potius, quam ex textu, liber
„ constare videretur. *Laym. l. c. ex Nav. San-*
„ *ch.* &c.

286 Quær., an legens Scholia Hæretici in libro catholico incurrat excommunicationem? Affirmant *Suar. & Krimer ap. Croix l.* 7. *n.* 334. si Adnotationes essent libro majores, quia talis liber potius est Hæretici commentantis, quam Catholici. Imo *Croix* censet incurrere, etsi Scholia mole sua non adæquarent librum, quia tales libri magis habentur propter Adnotationes, quam propter textum Catholicum. Negant vero *Tamb. Dec. l.* 2. *c.* 1. §. 7. *n.* 9. *cum Sanch. ac Bon. ap. Viva q.* 5. *art.* 1. *n.* 8. *in fin.* qui ipsis adhæret, dicentes, Summam D. Th. non appellari librum Cajetani, quamvis hujus Adnotationes textum D. Th. superent. Addit tamen *Viva* legentem hujusmodi librum saltem non excusari ab excommunicatione non reservata Indicis, lata in legentes libros damnatos ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, ut habetur ibi in *Regula* 10. His tamen non obstantibus, magis adhæreo primæ sententiæ, si Scholia sint adeo uberiora, ut liber potius constet ex ipsis, quam ex doctrina catholica, ut dicunt *Pignatell.* & alii *ap. Croix l. c.*

287 „ 2. Non prohibentur hæreticorum libri philo-
„ sophici, & alii hæresim non continentes, *Laym.*
„ *l. c. n.* 3. Imo probabiliter nec ii, qui incidenter tantum continent hæresim, non agentes ex
„ professo de fide; * (*Verius dicendum de erro-*
„ *re, ut docent Sanchez Dec. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 25.
„ *Pal. D.* 2. *p.* 10. *n.* 7. *Bonac. D.* 2. *q.* 5. *p.* 4.
„ *n.* 19. *& Salm. c.* 4. *n.* 72. *in fine*,) * *Sa*, *&*
„ *Graff. ap. Laym. l. c.* contra *Suar. & Sanch.*
„ qui id confirmat pro Germania, ubi Bulla cum
„ tanto rigore non est recepta. V. *Bec.* 2. 2. *c.* 13.
„ *q.* 8. Legens tamen tales incurrit excommuni-
„ cationem non reservatam Indicis librorum pro-
„ hibitorum, ubi is receptus est, quod non vide-
„ tur esse factum in Germania, saltem cum illo
„ rigore, ut habet *Laym. l. c. n.* 8.

288 Hic notandum; quod Clem. VIII. in Indice librorum prohibitorum, firmato auctoritate Pii IV. vetavit legere omnes libros Hæreticorum, donec expurgentur, & Hæresiarcharum, etiamsi hæresim non contineant, nec tractent de Religione, sub excommunicatione non reservata, vide *Salm. c.* 4. *n.* 73. *& Croix l.* 7. *n.* 360. Item libros cujusvis Authoris non hæretici prohibitos ob suspicionem hæresis, ut in *Reg.* 10. Indicis. *Viva Q.* 5. *Ar.* 1. *n.* 8. Item S. Pius V. in Const. *Cum sicut*, prohibuit legere, aut retinere libros cujusvis Auctoris suspecti de hæresi, indigentes expurgatione, donec expurgentur, sub excommunicatione reservata Papæ. Ut autem agnoscatur, quinam libri expurgatione indigeant, dantur regulæ in *Expurgatorio Romano ap. Salm. l. c.* Insuper Sixtus V. prohibuit sub excommunicatione reservata quemcunque librum de Astrologia seu divinatione futurorum; Vide *Salm. c.* 4. *n.* 63. Item in Indice prohibentur omnes libri ex professo tractantes de obscœnis, *Reg.* 2. 7. *&* 9. Notat autem *Croix v.* 360. cum *Laym. in fin.* legentes libros obscœnos peccare quidem graviter, si materia sit gravis, sed non incurrere excommunicationem. Idem dicunt de legentibus libros magicos; sed melius ait *Viva Q.* 3. *Ar.* 1. *n.* 8. eos incurrere excommunicationem non reservatam quia tales libri in *Reg.* 9. prohibentur ob hæresis suspicionem.

Sciendum, quod Index tres Classes librorum pro- 289
hibitorum constituit. I. Classis continet omnes libros Hæreticorum hæresim habentes, vel de Religione tractantes. II. Classis continet libros Catholicorum contra fidem, vel bonos mores, qui (ut ait *Lupus p.* 4. *l.* 25. *d.* 1. *ar.* 1.) non prius censentur prohibiti, quam specialiter in Indicem referantur: intellige, præter libros in Indice prohibitos per se, ut mox infra. III. Classis continet libros editos sine nomine Authoris: qui non omnes (ut bene advertit *Lupus l. c.*) damnati sunt, sed tantum illi qui pravam doctrinam tradunt; sic enim videmus practicari a viris probis, & doctis; & ita colligitur ex Bulla Alex. VII. *Speculatores*, ubi de hac prohibitione Pontifex loquens, dicit: *Contingit, ut plerique libri ignoti Scriptoris*, * *qui tertiæ Classi assignantur, pejores multo sint, quam in prima, & secunda recensiti.* In Indice autem prohibentur in *Reg.* 2. omnes libri Hæresiarcharum, etsi hæresim non continent, & de Religione non tractant. Deinde omnes libri Hæreticorum, donec ab Episcopis examinentur, & approbentur. Item Bibliæ vulgares, & libri controversias disserentes inter Hæreticos vulgari sermone conscripti. Item libri obscœni ex professo, & libri magici. Hinc ibi excommunicantur, qui libros Hæreticorum, vel cujusvis Auctoris scripta ob falsi dogmatis suspicionem damnata legerit, vel habuerit.

Prohibere libros per totum Orbem spectat ad 290
Pontificem, & pro ipso ad S. Congregationem. Episcopi autem, & inquisitores possunt libros prohibere in territorio proprio. Magister S. Palatii etiam potest, sed ut putat *Bordon. in Man. cons. sect.* 48. *n.* 5. tantum pro Urbe, & ejus districtu: nunquam enim visæ sunt illius prohibitiones publicari.

Putat *Croix l.* 7. *n.* 346. quod, cum datur licen- 291
tia legendi libros hæreticos ad errores confutandos, graviter peccaret qui legeret ex curiositate (licet excusaretur ab excommunicatione), quia tunc cessat finis licentiæ, sed hæc ratio non suadet, tum quia finis præcepti non cadit sub præcepto, ut diximus *de Jejun. l.* 3. *n.* 122. tum quia Superior ob duas causas dispensat, primo quia considerat dispensato non imminere periculum perversionis; secundo quia sperat lectionem esse illi, vel aliis proficuam, unde si cessat secunda causa, non cessat prima. An autem possit legere librum prohibitum sine licentia, qui certus est moraliter lectionem sibi non obfuturam? Quidquid dicant alii, omnino est negandum cum *Croix n.* 375. *in fine*, *& Pal. Tol. Suar. Sanch. Tamb. &c.* juxta dicta *l.* 1. *n.* 199. *in fine*.

„ 3. Excommunicantur 1. Qui in sufficiente quan-
„ titate solum procœmium, vel epistolam ad le-
„ ctorem, vel indicem libri, vel partem libri, in
„ qua nulla est hæresis, legit, ut habet *Laym.*
„ *l. c. & Bon.* * (Vide dicta *n.* 284.) * 2. Pro-
„ babiliter etiam is, qui alterum jussu suo legen-
„ tem audit: quia legit per alium. *Laym. l. c.*
„ *Azor. &c.* contra *Sanch.* * (*Probabilius di-*

„ *cunt*

„ *cunt Spor. p.* 124. *n.* 43. *& Croix l.* 7. *n.* 342. „ *cum Azor. Sylv. Pignatell. Sayr. excusari ab* „ *excommunicatione qui audit, modo non induxe-* „ *rit alium ad legendum. Imo Sanc. Dec. l.* 2. „ *c.* 10. *n.* 48. *Pal. D.* 2. *p.* 10. §. 2. *n.* 4. *cum* „ *Con. Ugol. ac Bon. D.* 1. *q.* 4. *nu.* 11. *cum Sou-* „ *sa, Nav. & Reg. item Fill. Tamb. &c. ap.* „ *Croix l. c. dicunt excusari, quamvis induxerit;* „ *idque merito putant probabile Croix ib. & Vi-* „ *va q.* 5. *art.* 1. *n.* 9. *Atque Spor. l. c. & Sou-* „ *sa, ac Stephan. ap. Croix excusant etiam a* „ *peccato, si audiens ex auditione nullum peri-* „ *culum incurrat perversionis*)*.

293 „ 4. Probabiliter non excommunicatur, qui hæ- „ reticam concionem, aut epistolam seorsim edi- „ tam legit, quia non est liber. *Laym. l. c. n.* 5. „ *ex Sanch.*

Sic etiam sentiunt *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 10. *n.* 30. *Holzm. p.* 77. *n.* 77. *v. Dic.* cum *Bonac. Castrop. & Lugo ap. Croix l.* 7. *n.* 337. Sed oppositum tenent *Suar. & Farinac. ap. Salm. de Censur. c.* 4. *n.* 77. Sed vide quæ dicentur hic in fine hujus numeri. An autem incurrant censuram legentes Manuscripta Hæreticorum? Affirmant *Holz. l. c. & Croix l.* 7. *n.* 339. *cum Suar. Sanch. Dicast. Stoz, Pignat. Ftephan.* & alii communiter, ut asserit. Sed negant *Viva ad Prop.* 45. *Alex. VII. n.* 10. *Sporer p.* 123. *n.* 39. *ac Azor. Barb. Tamb. ap. Croix*, qui putat probabile, quia revera Manuscripta non sunt libri, qui facilius, cum sunt impressi, habentur, & libentius leguntur. Idem sentit *Sylvius* (*ap. Croix*) dicens: *Libri manuscripti communicari possunt ad legendum, nam tantum prohibentur, ne communicentur ad imprimendum.* Refertque *Sylvius*, sic etiam declaratum fuisse a S. C. Sed his non obstantibus, magis adhæreo primæ sententiæ, tum quia est communior, tum quia Manuscripta etiam veniunt nomine libri, prout quidem libri dicebantur, antequam typum inventum fuisset, & etiam nunc Parochorum Baptismorum, Matrimonium, &c. in Rituali, & communiter appellantur libri. De contraria autem Declarat. S. C. ait *Croix* non satis constare. Ceterum advertunt *Salm. c.* 4. *n.* 73. *in an.* quod in Expurgatorio Romano, edito ex Decr. Tridentini, prohibetur sub excommunicatione (non tamen reservata) legere omnes scripturas ab Hæreticis compositas, etiam breves, & quamvis hæresim non contineant, donec examinentur & approbentur.

294 „ 5. Non sufficit una, alterave linea. Imo se- „ cundum *Sanch. Rodr. & Sa*, nec integra pa- „ gina, etiam magni voluminis; quod tamen *Bon.* „ *& Laym. l. c.* non concedunt; licet hic fatea- „ tur, Confessario id posse ad hoc servire, ut non „ continuo damnet peccati mortalis, & excom- „ municationis eum, qui bono fine, vel etiam ex „ curiositate unam paginam legit. * (*Vide dicta* „ *supra n.* 284. *v. Requir. III.*)*

295 „ 6. Non incurritur, si retineantur libri parvo „ tempore, v. gr. uno alterove die; quia sicut „ materiæ, ita & temporis parvitas excusat. *Laym.* „ *n.* 7. *ex Graff. Sayr. Sanch. &c.*

Hoc satis probabile est, ut dicunt etiam *Bon. D.* 6. *qu.* 2. *p.* 3. *n.* 15. *Holzm. p.* 178. *n.* 77. *v. Dic.* 10. *& Pal. tr.* 4. *D.* 2. *p.* 10. *n.* 10. Idque admittunt idem *Pal., & Viva q.* 5. *art.* 1. *num.* 9. (contra *Suarez*), etiamsi quis retineat librum illo modico tempore, animo semper retinendi quia tametsi peccet, non incurrit tamen excommunicationem; nam qui retinet per modicum tempus, non dicitur notabiliter retinere. Imo *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 10. *n.* 65. *Laym. l.* 2. *tr.* 1. *c.* 15. *n.* 7. *cum Sayro, ac Graff. & Pignatell. ac Stoz. ap. Croix l.* 7. *n.* 351. excusant eum, qui retinet librum longiori tempore, expectans tempus opportunum ad tradendum Superiori, vel alii licentiam habenti.

„ 7. Excusat ignorantia, etiam crassa, si vel 296
„ nescias esse hæreticum, vel tractare de Religio- „ ne. *Laym. n.* 3. Vide *Sanch. l.* 2. *Mor. c.* 18. „ *n.* 3. *& l.* 9. *de Matr. d.* 32.

Communiter docent DD. non incurrere censuram qui legit, aut retinet librum cum ignorantia crassa facti vel juris quia in Bulla damnantur *scienter* legentes, &c. ita præter *Busemb. Laym. & Sanch.* dicunt *Bon. D.* 1. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 8. *Holzm. p.* 177. *n.* 76. *Dic.* 2. & alii passim; & hoc est juxta dicta *n.* 47. An autem excuset ignorantia affectata? Vid. *n.* 48. *& lib.* 6. *n.* 1124. *circa fin.* Nullo modo tamen excusatur, qui legit aut retinet, sciens ex fama publica, vel saltem a viro fide digno librum esse prohibitum, ut docent *Lugo, Sanch. Bon.* & alii communiter cum *Croix l.* 7. *n.* 345.

„ 8. Non excusatur is, qui librum vel in aliena 297
„ domo, vel alieno nomine, vel animo non le- „ gendi habet; Item nec is, qui affirmat non esse „ pravum, non esse exurendum. Item, qui im- „ pedit, ne comburatur: qui disputationis causa „ defendit. Ita *Bon.* qui tamen excusat eum, qui „ laudet stylum, vel ingenium Auctoris, vel bo- „ nam doctrinam, quæ in eo est, sed non quate- „ nus in eo est; v. g. si dicat: hic liber esset bo- „ nus, si non haberet hæresim; quia talis non de- „ fendit. V. *Laym. l. c. Bon. d.* 2. *q.* 5. *p.* 4.

Ex communi sententia docet *Suar. D.* 20. *sess.* 298
2. *n.* 21. *Sanch. l. c. n.* 52. *Pal. t.* 1. *de Fide D.* 2. *p.* 10. §. 2. *n.* 7. *Ronc. de Cens. p.* 92. *q.* 2. *R.* 4. *& Sal. c.* 4. *n.* 74. *Croix l.* 4. *n.* 347. *& Bon. D.* 1. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 5. *cum Ugol. Graff. & Sousa*, non effugere excommunicationem qui deponeret librum hæreticum apud alium, non abdicando a se dominium; quia is qui retinet dominium, adhuc dicitur librum retinere, cum possit repetere quando vult. Idem dicendum cum *Croix l. c. ex Pign.* & communi (contra (*Duardum*) de omnibus aliis libris prohibitis, de quibus adest Prop. 45. damnata ab Alex. VII. ubi: *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.* Et idem dicendum de eo qui retinet librum alterius in deposito, commodato, aut pignore, ut *Salm. l. c. & Croix d. n.* 347. *cum Pignat. & Duardo.* Dicit tamen *Croix n.* 352. *cum Veriuys*, bene satisfacere qui tradit librum in locum sequestratum, qui solet assignari in singulis Monasteriis. Ceterum, si quis deponeret librum apud habentem licentiam cum pacto expresso non repetendi, ita ut alter non teneatur reddere nisi post expurgationem, vel post licentiam obtentam, hunc non damnarem, quia in hoc videtur adæquate cessare periculum legendi; & tan-

to

to minus damnarem, si donaret librum habenti licentiam, sub conditione, ut reddat si deinde ipse licentiam obtineat.

299 Qui autem habet librum hæreticum, tenetur tradere Inquisitoribus ex præcepto Julii III. & Pii IV. Hinc dicunt *Suar. Barb. Dicast. &c. ap. Croix l. 7. n. 355.* incurrere censuram qui illum comburit in loco, ubi viget Inquisitio. Sed excusant *Salm. d. n. 74. & Croix n. 355. cum Sanch. Filliuc. & Pignat.* quia, cum liber comburitur, nequit dici quod retineatur. Attamen Julius III. in sua Bulla, *Cum meditatio*, expresse prohibuit in virtute Sanctæ obedientiæ omnibus qui habent libros vetitos cujuslibet speciei, ne eos lacerent, aut comburant, præcipiens eosdem deferri ad Inquisitorem, aut Episcopum.

Facultatem legendi libros prohibitos tam in Bulla, quam in Indice solus Papa, vel S. C. Indicis, aut Concilii concedere potest. Tantum in casu magnæ necessitatis ait *Viva q. 5. art. 1. n. 10.* posse eam concedere etiam Episcopum. Hic autem quæritur, an ipsi Episcopi possint legere libros prohibitos? Videbatur affirmandum; omnes enim Episcopi, ubi formale Tribunal S. Officii non adest, sunt Inquisitores nati, qui valent via ordinaria procedere contra delinquentes in materia Fidei. Sed omnino negandum cum *Silvio t. 3. q. II. a. 2. Concl. 2. in fin. Barb. de Pot. Ep. p. 3. All. 90. n. 8. & Bon. t. 3. Disp. 1. s. 2. p. 4. n. 10.* ex Bullis Julii III. *Cum meditatio*, & Pauli IV. *Quia in futurorum* ac Pii IV. *Cum pro munere*, relatis ab Auctoribus præfatis, in quibus tam Episcopis, quam Inquisitoribus interdicitur librorum vetitorum lectio, *præterquam* (excipitur) *Senioribus, & Commissariis* hæreticæ pravitatis. Intelliguntur, To *Commissariis*, illi tantum Inquisitores, quibus commissa est aliqua particularis causa, quique legere possunt tantum libros ad illam materiam concernentes, & tantum pro tempore quo commissio viget, ut scribit, & explicat *Bon. l. c.*

300 Principaliter autem excommunicationem Papalem incurrunt Hæretici, eorumque Fautores, Receptatores, &c. ut habetur ex prima clausula Bullæ Cœnæ. Prius igitur agamus de Hæreticis, postea de Fautoribus. Ut Hæreticus hanc excommunicationem incurrat, requiritur I. Ut hæresis sit formalis, scilicet cum errore intellectus, & pertinacia juxta dicta apud *Busemb. l. 2. n. 39.* Ille autem pertinax dicitur, qui adhæret suæ opinioni, non obstante, quod jam noverit eam adversari doctrinæ Ecclesiæ Romanæ. Ita *S. Th. 1. p. q. 32. n. 4. cum communi*, & *Salm. c. 4. n. 49.*

301 Sed hic quær. 1. An incurrat hanc excommunicationem, qui errat ex ignorantia culpabili? Si ignorantia sit tantum supina, communiter excusant DD. ut *Tol. Sanch. Bon. Az. Sayr.* & plures cum *Salm. c. 4. n. 50.* Ratio, quia hanc censuram non incurrit, nisi qui est hæreticus formalis; sed ad hæresim formalem constat requiri veram scientiam erroris, alias deficit pertinacia, ut supra, requisita. Dubium est, an incurrat errans cum ignorantia affectata? Affirmant *Canus, Val. Nav.* apud *Salm. n. 52.* Sed probabilius negant *Pal. tr. 4. p. 3. §. 2. n. 3. cum Azor. Arag. & Farin. ac Salm. c. 4. n. 52. cum Conin. Suar. Sayr. Bann.* &c. Ratio, quia Ecclesiæ non contradicit, qui nescit se Ecclesiæ contradicere, ob quamcumque ignorantiam hoc faciat; & ideo non potest dici pertinax contra Ecclesiæ doctrinam.

Quæritur 2. An incurrat excommunicationem 302
tamquam hæreticus formalis, qui circa res Fidei dubitat? Quidquid alii dicant, quorum plures nimis obscure loquuntur, dicendum cum sententia communi, quod si quis positive dubitat de aliquo dogmate fidei ab Ecclesia jam definito, judicans illud esse incertum propter rationes oppositas, procul dubio hic est hæreticus, & excommunicationem incurrit, ut habetur ex *c. 1. de Hæret.* ubi dicitur: *Dubius in fide infidelis est.* Secus vero, si quis negative se haberet super aliquo articulo, suspendendo judicium, & ad alia se divertens, ne mentem fatiget, vel ut ad aliam cogitationem se applicet. Attamen advertendum, quod si ille deliberate & pertinaciter assensum ideo suspenderet, quia judicat motiva contraria fidei incertam reddere veritatem illam, tunc pariter ut hæreticus habendus est; ipse enim revera positive dubitat de veritate fidei, dum format deliberatum & pertinax judicium non esse certa omnia dogmata, quæ ab Ecclesia ut certa proponuntur; ita *C. de Lug. t. 3. D. 20. de fide n. 16. Sylv. t. 3. in 2. 2. q. 11. ar. 1. Wigandt Tr. 7. Exam. 3. qu. 11. Antoin. Tract. de Virt. Theol. c. 3. qu. 6. Salm. de cens. Tr. 10. c. 4. n. 11. & 56. Cuniliat. Tr. 4. de 1. Præc. c. 2. §. 3. n. 4. Nat. Alex. de Sacr. Ord. l. 4. ar. 8. reg. 23. Bon. de Censur. D. 2. q. 5. p. 1. n. 3. Conc. Comp. l. 3. diss. 1. c. 9. n. 3., P. Ferraris Bib. verb. Hæreticus n. 4.* & alii.

Requir. II. Ut error internus externe significe- 303
tur per verba, aut signa ex se, vel ex circumstantiis hæresim manifestantia, ita communiter *Laym. l. 2. tr. 1. c. 14. n. 1. & Salm. de Cens. c. 4. n. 48.* Hinc docet *Laym.* non incurrere hanc excommunicationem 1. Qui est hæreticus pure mentalis. 2. Qui abstinet a Missa, a jejunio, ab adorando Sacramento, etiam quia hæreticus est; possunt enim hæc attribui oblivioni, vel pravæ conscientiæ, nisi ex circumstantiis clarius manifestetur error. 3. Qui diceret: *Non est Deus*, tacito verbo, *Christus*; vel qui hoc scriberet charactere non intelligibili. Ratio, quia ad incurrendam excommunicationem voces, aut signa debent ex se hæresim exprimere. 4. Qui assereret se antea secutum fuisse hæresim, vel tunc propositum habere sequendi in futurum: quia sic non judicatur hæreticus præsens; Ita *Laym. n. 4. cum Azor. & Sanch.*

Requir. III. Ut Actio hæresis manifestativa, sit 304
moraliter mala; quare non incurrit excommunicationem, qui se manifestat ad petendum consilium. IV. Requiritur, ut ille suam hæresi manifestet, animo eam profitendi, ut docet *Laym. l. c.* Alioquin in his omnibus casibus, quia hæresis tantum ratione excommunicationis est reservata, potest ipsa a quolibet Confessario absolvi, sicut & excommunicatio illi annexa ex alio jure, nempe ex *c. Christus, &c. de Sent. exc.* ubi excommunicatio contra Hæreticos universe lata est, sed non reservata; ita communissime DD. V. *Salm. c. 4. n. 48.*

Advertendum vero 1. quod, ut excommunica- 305
tio incurratur, sufficit, ut manifestatio erroris etiam

iam occulte fiat, quin aliis innotescat; prout certum est, & commune cum *Salm. de Cens. c.* 1. *n.* 142. *in fin. ac Azor. Avila, & Corn. ib.* & aliis passim. Quod si manifestatio fuerit notoria, Hæreticus tamen non est vitandus, nisi sit etiam nominatim declaratus, & insuper publice denunciatus. *Salm. c.* 4. *n.* 47. *in fine*, juxta dicta n. 172. Advertend. 2. quod illi qui in hæresim incidunt, invincibiliter excommunicationem ignorando, eam non incurrunt juxta dicta *l.* 6. *n.* 74.

306 Deinceps hanc excommunicationem incurrunt etiam Hæreticorum *Credentes*, idest qui eorum erroribus se assentiri externe manifestant, v. g. si quis dicat: *Credo, quod credit Calvinus*, vel *quod Calvinus fuit sanctus vir*. Incurrunt etiam *Fautores*, idest qui Hæreticis favent aut omissione, omittendo scil. cum possint & tenentur ex officio Hæreticum capere, custodire, punire: aut commissione, illum laudando, vel adjuvando, ut fugiat. *Receptatores*, qui hospitio recipiunt, vel occultant (etsi semel) Hæreticum, ut effugiat pœnas suæ hæresis. *Defensores*, qui errores illius defendunt, etsi interne aliud sentiant, vel qui impediunt, ne ille a judice capiatur, aut puniatur; ita *Suar. de Censur. D.* 21. *sect.* 2. *n.* 6. *Sanch. l.* 2. *c.* 19. *n.* 2. *& Salm. c.* 4. *n.* 63. *cum aliis communiter.*

307 Quær. hic I. An hi *Fautores*, &c. ut supra, incurrant excommunicationem, & alias pœnas, si non ex motivo favendi hæresi, sed ratione consanguinitatis, amicitiæ, aut similis Hæreticis favent? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Pal. de Cens. D.* 3. *p.* 2. *n.* 5. *Tolet. in expos. B. Cœnæ c.* 1. *n.* 2. *Viva de Cens. q.* 5. *ar.* 2. *n.* 7. *in fin.* item *Sayr. Suar.* &c. *Salm. c.* 4. *n.* 67. Sed valde probabiliter negat *secunda* sententia, quam tenent *Sanch. l.* 2. *c.* 10. *n.* 5. *Bon. D.* 2. *q.* 5. *p.* 3. *n.* 2. *& Salm. n.* 18. *cum Soto, Azor. Arag. Fagn. &c.* ac probabilem putat *Laym.* Ratio, quia, cum Ecclesia excommunicat Fautores Hæreticis, tunc tantum eos damnare censetur, qui Hæretico favent, quatenus hæreticus est. Hinc probabiliter excusantur ab excommunicatione parentes, filii, & etiam fratres Hæretici eum receptantes, ut docent *Laym. & Salm. ib. in fine.*

308 Quær. III. An incurrat, qui Hæreticum recipit, ne capiatur vel puniatur, si nihilominus in effectu ille jam incidat in manus Judicis? *Prima* sententia quam tenent *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 10. *n.* 9. *Bon. D.* 2. *q.* 5. *p.* 3. *n.* 4. *ac Suar. D.* 21. *sect.* 3. *n.* 8. *& Fill. Leand.* & alii *ap. Salm. c.* 4. *n.* 69. qui probabilem putant, negat. Ratio, quia fautores seu receptatores excommunicantur in ordine ad fovendam hæresim; ergo si accidit hæresim non foveri, excommunicationi non subsunt. *Secunda* vero sententia, quæ mihi magis arridet, & tenent *Pal. D.* 3. *p.* 2. *n.* 5. *Sayr. l.* 3. *cap.* 5. *n.* 4. *ac Duard. & Graff. ap. Salm. n.* 70. affirmat. Ratio, quia ipso tunc quod aliquis Hæreticum recipit, sequitur affectus favoris, & ille censuram incurrit, cum de facto jam hæresim foveat, impediendo ne Reus capiatur, saltem illo medio temporis quo eum servat absconditum, unde non officit quod postea cesset per capturam effectus receptionis.

309 Excommunicationem autem Bullæ incurrunt insuper I. Surripientes bona Christianorum naufragantium, sive in navibus existentia, sive in mari ab eis ejecta, sive in litore inventa. Requiritur tamen 1. ut acceptio sit injusta, & ex certa scientia, quod illa sint bona naufragantium. Ita *Viva Q.* 5. *Art.* 2. *n.* 3. Requiritur 2. ut bona non habeantur ut derelicta; Hinc excusatur accipiens papyrum, farinam, saccharum, & similia projecta, quia talia communiter pereunt in mari, statim ac projiciuntur. Ita pariter, qui accipit bona quæ diu in litore jacuerunt; quia merito præsumuntur illa tunc haberi a dominis pro derelictis. Ita *Viva l. c. & Salm. c.* 4. *n.* 82.

310 II. Incurrunt Domini, qui in Terris suis sine privilegio imponunt pedagia, idest tributa pro transitu personarum, sive rerum, vel pro refectione, & custodia viarum, aut gabellas, idest impositiones pro delatione, & venditione mercium. Tale autem privilegium habent omnes Principes Supremi, prout Pontifices, Reges autem, Respublicæ, & Universitates, ad subveniendum Civium necessitatibus bene etiam possunt collectas sibi imponere, ita *Viva Q.* 5. *ar.* 2. *n.* 4. & *Salm. c.* 4. *n.* 83. cum *Vasq. Dic.* &c. Vide alia apud *Viva*, & *Salm. ll. cc.*

311 III. Incurrunt Piratæ interficientes, aut depræ-dantes Christianos in mari Ecclesiastico. IV. Falsificatores Literarum Apostolicarum. V. Transmittentes arma, sive armorum materiam ad hostes infideles, sive hæreticos declaratos. VI. Injuste impedientes deferri victualia ad Roman. Curiam, VII. Vexantes eos qui accedunt, vel recedunt a Romana Sede ob negotia ad illam spectantia. VIII. Vexantes peregrinos, qui devotionis causa Romam petunt. IX. Vexantes, seu ejicientes Episcopos, Legatos, vel Nuntios a suis Diœcesibus; Nec non id mandantes, ratum habentes, faventes, &c. X. Percutientes, aut expoliantes eos (sive eorum Procuratores), qui Curiam Romanam pro suis negotiis petunt. XI. Appellantes sub privato prætextu ad Curias laicales in causis Ecclesiasticis, ad impediendas Litteras Apostolicas. XII. Qui auctoritate laica, vel prætextu exemptionis causas spirituales, vel ipsi annexas ad se avocant a Judicibus Ecclesiasticis, &c. ita apud *Viva Q.* 5. *A.* 2. *n.* 13. XIII. Qui ex quovis colore trahunt, vel trahi faciunt personas Ecclesiasticas ad Tribunal Laicale, &c. V. *Viva d.* 15. XIV. Impedientes Judices Ecclesiasticos sua jurisdictione uti. XV. Usurpantes jurisdictionem, & fructus Beneficiorum. XVI. Imponentes onera Ecclesiasticis. Qui tamen (advertendum) tenentur contribuere, quando imponuntur collectæ pro refectione, v. gr. viarum, fontium, &c. quorum utilitas directe pertinet etiam ad ipsos; *Viva num.* 18. *cum Abb. & Mol.* XVII. Se interponentes sine jurisdictione in causis criminalibus contra Ecclesiasticos. XVIII. Usurpantes jurisdictionem in Terris Ecclesiæ Romanæ. Denique ex Bulla Clem. VIII. Incurrunt excommunicationem adhuc reservatam omnes sine facultate absolventes ab excommunicationibus Bullæ Cœnæ extra mortis articulum, ut *Viva d. Art.* 2. *in fin.*

CA-

CAPUT III.

DE SUSPENSIONE, ET DEGRADATIONE

DUBIUM I.

Quid sit Suspensio, quotuplex, & unde dignoscatur qualis & quanta sit?

312 *Quid est suspensio? & quis suspendi, aut suspendere potest?*

313 *An peccet graviter exercens actum a quo est suspensus?*

314 *Dub. 1. An incurrat irregularitatsm, si suspensio sit facta ad tempus? Dub. 2. An Episcopus suspensus a Pontificalibus incurrat irregularitatem; Pontificalia exercendo? Et quid si Missam solemniter celebret? An Sacerdos suspensus non toleratus invalide absolvat? Quid si toleratus? vel si sit suspensus tantum ab Ordine?*

315 *Quot modis possit ferri suspensio?*

316 *Qualitas suspensionis ex quo colligatur? vide Resol. ap. Busemb. Dub. 1. An suspensus a Beneficio possit, cum sit pauper, retinere fructus? Dub. 2. An suspensus a Beneficio censeatur suspensus etiam a Beneficiis quæ possidet in aliena Diœcesi?*

317 *An suspensa Communitate, sint singuli suspensi? & an isti incurrant irregularitatem? An suspensio debeat ferri in scriptis?*

312 „ Resp. 1. Suspensio est censura, qua Clericus functiones aliquas Ecclesiasticas exercere prohibetur. Vide *Bon. d. 3. p. 1. Laym. l. 2. tr. 5. p. 3. c. 1.*

Unde resolves.

„ Solus Clericus potest tuspendi.

„ 2. Suspendere possunt, qui possunt ferre censuras.

313 „ 3. Ex genere suo, & nisi parvitas materiæ excuset, est peccatum grave, exercere actum per suspensionem prohibitum; unde & irregularitatem inducit. Si tamen suspensus toleratus, se non ingerat in tales functiones, sed ab aliis propter utilitatem requiratur, probabiliter non peccat, cum alii licite requirant. Imo, etsi nominatim sit denunciatus, & non toleratus, alii non tenentur sub mortali eum vitare; nisi censeantur cooperari actui, a quo suspensus est: unde audire ejus Missam non erit peccatum (saltem mortale), si non inservias. Ita probabiliter *Avila, Henr. Suar. Sayr.* apud *Bon. d. 3. p. 4. n. 4.* etiam *Laym. l. c. c. 1. n. 7.* * (*Et ita communius & verius tenet Pal. D. 4. p. 9. n. 5. Holzm. p. 395. n. 253. & Salm. c. 5. n. 14. cum Con. Avila, &c. qui recte addunt esse omnino licitum audire Missam a Sacerdote suspenso*) *contra Tourn. p. 523. cum Bonac.*) *Limitat tamen Holzm. l. c. nisi scandalum interveniret.*

„ Est certum apud omnes, quod Clericus suspensus peccat graviter; si exercet actum vetitum per suspensionem, vide *Salm. c. 5. n. 12.* Excusatur tamen 1. Si exercet Ordinem non sacrum, vel Sacrum, sed non solemniter: *Salm. n. 13. & Tourn. t. 2. p. 221. qu. 5. cum S. Anton. Habert Sayr. &c.* (contra *Suar. & Navarr.*) V. dicta *l. 6. n. 38. v. Objic. 2.* Excusatur 2. saltem a gravi culpa, si exercet ob ignorantiam, aut metum gravem, aut in parva materia, puta si fuerit suspensus a jurisdictione, vel ab Ordine, & exerceret actum levem jurisdictionis, aut benediceret mensam; secus si benedicetet aquam, nuptias, fructus, &c. juxta solemnitates Ecclesiæ; *Bon. D. 3. p. 4. n. 6. Holzm. p. 394. n. 248. Tourn. l. c. & Salm. c. 5. n. 12.*

Sed hic dubit. 1. An incurrat irregularitatem 314
Clericus exercens actum a quo erat suspensus, si suspensio fuerat lata pro tempore determinato? Adsunt tres sententiæ. *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Gabriel, Avila & Villal. ap. Salm. c. 5. n. 15.* qui probabilem putant cum *Dian.*, quia (ut dicunt) suspensio lata pro tempore determinato habet rationem puræ pœnæ, quæ non inducit irregularitatem. *Secunda* sententia communior affirmat, & hanc tenent *Suar. D. 29. sect. 2. d. 3. Bon. D. 3. part. 4. n. 6. Pal. Dub. 4. p. 6. n. 5. Tourn. p. 522. Escob. l. 5. n. 96. & Viva q. 5. a. 4. n. 5.* Probatur hæc ex *c. 1. de Sent. & re judic. in 6.* ubi quidam, cum fuerit suspensus ad tempus, & sic ministraverit, fuit expresse declaratus irregularis. Limitant vero *Viva & Tourn. ll. cc. & Salm. c. 5. n. 8.* nisi suspensio sit oretenus lata, quia, cum censura non possit licite ferri sine scriptura, ut dicemus *n. 317.* non præsumitur Episcopus voluisse delinquere, censuram oretenus ferendo. *Tertia* sententia quam probabilem putant *Ronc. p. 106. q. 5. R. 2. cum aliis*, & quæ mihi videtur absolute probabilior, distinguit & dicit, quod si suspensio fuerit lata per modum statuti aut præcepti ob crimen futurum, vel etiam præteritum, sed habens tractum successivum, tunc transgrediens verius incurrit irregularitatem, ut patet ex textu præfato. Secus si suspensio sit lata ab homine per sententiam, ob meram punitionem criminis omnino præteriti, quia talis suspensio habet rationem meræ pœnæ, non censuræ, juxta dicta *n. 52.* Censura enim, cum sit pœna medicinalis, nequit ferri ob delictum omnino præteritum, ut diximus *n. 54.* Ergo quando quis transgreditur hujusmodi suspensionem, nullam incurrit irregularitatem, quæ non a violantibus pœnas, sed censuras incurritur. Neque huic sententiæ obstat textus prædictus, nam ibi non fit sermo de suspensione lata ab homine per sententiam particularem, sed lata a jure per statutum generale, quod respicit crimina futura; unde talis suspensio erat vera censura.

Dubit. 2. An Episcopus suspensus a Pontificalibus, incurrat irregularitatem, si Pontificalia exercet, puta confirmando, consecrando Calices, &c. negant *Sylv. v. Suspensio §. 5. ac Innoc. Abb. Archid. Socin. &c. ap. Fagn. l. 1. in c. vel non est compos. de Temp. Ordin. nu. 17. ad 20.* quia (ut dicunt Episcopatus non est ordo, sed potius extensio, sive complementum Ordinis Sacerdotalis, ut tenent *Salm. de Ordin. c. 1. n. 26. cum Soto, Gonet*, & aliis ex *D. Th. Suppl. q. 40. ar. 5.* Unde

de inferunt Episcopum exercendo has functiones non contrahere irregularitatem, cum hæc incurratur a censurato, tantum quando exercet Ordinem Sacrum. Affirmant vero probabilius *Nav. c. 27. n. 163. Bon. D. 3. p. 4. n. 6. v. Tertio, cum Major. & Alter. ac Fagn. loc. c. n. 36. cum Palud. Ang. &c.* Ratio, quia, etiamsi sententia quod Episcopatus sit tantum extensio Ordinis sacerdotalis, & non distinctus, esset vera (quod negant plurimi *ap. Salm. loc. c.*); tamen non potest negari quod tale exercitium potestatis Episcopalis sit actus Ordinis Sacri, si non distincti, saltem extensi; quapropter Episcopus tunc dicitur vere exercere actum Sacri Ordinis. Tanto magis quod idem *D. Th. loc. c.* ait, quod licet Episcopatus non sit Ordo respectu ad Corpus Christi reale; tamen est verus Ordo respectu ad potestatem in Corpus Mysticum; unde prima sententia non videtur satis probabilis.

Si autem Episcopus suspensus a Pontificalibus Missam celebrat solemniter in apparatu pontificali, certum est quod peccat, ut recte dicunt *Fill. tr. 17. c. 2. n. 28. Sayr. l. 4. c. 4. n. 13. & Renzius p. 643. q. 4.* An autem incurrat etiam irregularitatem? Affirmant *Angel. v. Suspensio 3. n. 3. Nav. Bon. & Fagn. ll. cc.* Ratio, quia talis celebratio est actus proprius Ordinis Episcopalis, cum non possit exerceri nisi ab Episcopo consecrato. Negant vero probabilius *Laym. l. 1. tr. 5. c. 3. n. 4. cum Sylv. Cov. & Avila, ac Diana p. 5. tr. 10. R. 4. cum Joan. Præpos.* qui testatur hanc esse communiorem DD. sententiam. Ratio, quia Episcopus sacrificando non exercet actum substantialem Ordinis Episcopalis, sed actum Ordinis Sacerdotalis a quo non est suspensus; Et quod celebratio fiat cum Pontificalibus, per accidens se habet, irregularitas autem non incurritur, nisi in exercitio actus Ordinis prohibiti. Et hanc sententiam expresse tenet etiam *D. Anton. 3. p. tit. 27. c. 4. §. 4. v. Si est suspensus, cum Hostiensi*, sic dicens: *Suspensus a Pontificalibus, si celebrat in Pontificalibus, non erit irregularis, quia Pontificalia non sunt de substantia celebrationis, nec debemus judicare aliquem irregularem, nisi inveniatur expressum.* Tanto magis quod ait idem *Fagn. l. c. in c. Quæsitum de Cohab. Cler. nu. 15. cum Archid. &c.* suspensus propter crimen, tum solum incurrere irregularitatem, cum Canon id exprimit, quia alias suspensio intelligitur lata quoad se tantum, nempe quod tanquam indignus prohibeatur a ministrando.

„ 4. Suspensus non toleratus invalide absolvit, „ quia non habet jurisdictionem. * (*Ita Salm. c. 5. n. 15. Secus si toleratus, quia hic valide „ jurisdictionem exercerat: etsi illicite, si non esset requisitus; Salm. ib. Suspensus autem ab „ Ordine, non est suspensus a jurisdictione. Ita „ S. Th. 3. p. q. 22. art. 3. Salm. c. 5. n. 15. communiter.*)*

315 „ Resp. 2. Suspensio 1. alia fertur ad certum „ tempus, quo elapso, exspirat: alia fertur absolute, seu indefinite, manetque, donec per absolutionem tollatur. 2. Alia est ab officio, sive „ jurisdictionis; alia a beneficio, alia ab utroque. „ 3. Suspensio ab Officio, vel est a toto, vel a „ parte tantum, scilicet a functione Ordinis, vel „ jurisdictionis. Item suspensio beneficii, vel a beneficio absolute, vel a quibusdam tantum functionibus, ejus ratione competentibus. *Laym.* „ *Bon. ll. cc.*

„ Resp. 3. Quantitas, & qualitas suspensionis 316
„ colligi debet ex verbis, quibus fertur: Quæ, ut-
„ pote in re odiosa, non amplius sunt extenden-
„ da, quam proprie accepta significent.

Unde resolves.

„ 1. Suspenso absolute, & in toto prohibetur „ omne exercitium ratione officii proveniens, tam „ Ordinis, quam jurisdictionis; & consequenter „ non potest celebrare, nec valide excommunica-„ re, beneficia conferre, &c. Suspensus vero a „ parte beneficii determinata, v. g. ab Ordine tantum vel jurisdictione, privatur tantum illius officii functionibus. Unde Episcopus, v. gr., a jurisdictione suspensus, etsi non possit excommunicare, absolvere, delegare, &c. potest tamen „ exercere actus Ordinis, ut consecrare templa, „ ordinare, &c. *Conc. l. c.*

„ 2. Suspensus a certa fuctione Ordinis, v. gr. „ a Sacramentorum administratione, non est suspensus a Sacrificio. Similiter suspensus ab Ordine potest nihilominus conferre primam tonsuram, quia non comprehenditur sub Ordine. *Bonac. p. 2. n. 6.*

„ 3. Suspensus ab officio simpliciter non intelligitur suspensus a beneficio, seu fructibus ejus. „ Debet tamen per alium supplere qui per se nequit, ut fructus percipiat. *Bon. n. 10. ex Nav. „ Suar. Henr. Fill. &c.* * (*Commune est apud „ omnes, quod suspensus ab Officio non suspenditur a Beneficio; ita Suar. D. 27. sess. 3. n. 4. „ Pal. p. 5. §. 1. n. 5. Tourn. pag. 516. Antoin. „ p. 663. n. 2. & Salm. c. 5. n. 10. cum Sanch. „ Avil. Con. &c. communiter, ex c. 10. de Purg. „ Can. & c. 10. de Vita, & hon. Cler. consentit Fagn. l. 3. in c. Quæsitum de Cohab. Cler. „ &c. n. 30. Sed recte limitant Fagn. & Glossa „ in Clement. Cupientes de Pœnis, primo si crimen sit enorme, ut patet ex c. Inter, 10. de „ Purg. Can. Secundo si Reus contemnat suspensionem, nempe per annum in ea manendo, ut „ habetur ex c. Cum bonæ, de Ætate, & qualit. „ &c.*)*

„ 4. Suspensus ab Ordine non videtur suspensus „ a beneficio; quia beneficium non fundatur in „ Ordine. *Bonac.* tamen dicit, indirecte suspendi „ a fructibus ejus: quia, dum non potest facere „ officium, non potest percipere fructus. Vide *seq.* „ *n. 5.*

„ 5. Suspensus a beneficio, etsi hoc ipso intelligatur suspensus a recipiendis fructibus ejus, non „ tamen ab officio sive jurisdictionis, sive Ordinis, etiam quod illi ratione ipsius beneficii competit. Unde tenetur legere Horas, & cetera onera beneficii præstare, licet fructibus non fruatur; hoc enim debet sibi imputare. Non tamen „ privatur commodo, quod provenit ex anniversariis stipendiis Missarum, nec eo, quod datur „ propter onus personale Clerici: quia non sunt „ fructus beneficii. Secus est de distributionibus „ quotidianis * (*Ita etiam Navarr. Cov. &c. ap. „ Salm.*

„ *Salm. c.* 5. *n.* 21. *Sed contradicunt Pal. p.* 5. §. „ 1. *n.* 7. *& iidem Salm. ibid. cum Sanch. A-* „ *vila, Henriq. &c. quia pœnæ non sunt exten-* „ *dendæ, ubi non sunt in jure expressæ, prout* „ *nullibi id expressum habetur*) *, licet ex his,* „ vel aliis beneficiis fructibus possit ali, si aliunde „ sustentari nequeat. *Bonac. l. c. n.* 12. *Sayr. Suar.* „ *Filliuc.* &c. "

Dubit. 1. An suspensus a Beneficio, si sit pauper, possit fructus sibi retinere? Respondetur affirmative, si suspensio est lata in pœnam criminis omnino præteriti (vide dicta *l.* 3. *n.* 602.); Secus si fuerit lata ob contumaciam, quia non debet ab Ecclesia subveniri ei qui voluntarie Ecclesiæ disciplinam vilipendit, cum libere possit a sua contumacia recedere; ita *Suar. D.* 27. *sess.* 2. *n.* 3. *Fill. tr.* 27. *n.* 53. *Renzius p.* 644. *q.* 7. cum communi, *& Dian. p.* 5. *tr.* 10. *R.* 3. *cum Suar. Turrian. Corn. Gondon. Cone. & Avila.* Dicunt tamen *Tourn. t.* 2. *pag.* 518. *v. Dico* 2. *Diana, & Renzius ll. cc. cum P. Nav. Avila, Pelliz. & Hurt.* quod licet Beneficiarius per se teneatur fructus restituere, si tamen fuerit occulte suspensus, & munia debita jam impleat, poterit sibi retinere partem quam dare deberet substituto, hi enim non sunt fructus Beneficii, sed stipendium laboris; vide dicta *l.* 3. *d. n.* 602.

Dubit. 2. An suspensus a Beneficio censeatur suspensus etiam a Beneficiis quæ possidet in aliena Diœcesi? Negat absolute *Sayr. l.* 4. *c.* 6. *n.* 21. quia (ut ait) Episcopus extra suum territorium nullam habet jurisdictionem. Alii vero distinguunt, & negant si suspensio sit lata ab homine, secus si a jure, quia jus ubique locum habere debet; ita *Decius*, & *Renzius t.* 1. *p.* 645. *et Tourn. t.* 2. *p.* 518. *cum Pont.* pro certo habent suspensionem comprehendere omnia Beneficia, si sit a jure; si vero sit ab homine, dicunt intelligi tantum a Beneficiis propriæ Diœcesis, quando est lata per statutum: secus si per sententiam, modo Episcopus exprimat velle suspendere ob omnibus Beneficiis, quia, licet ei non subjaceant Beneficia alienæ Diœcesis, subjacet tamen persona suspensi, qui jus habet ad fructus Beneficii: unde, cum suspensio impediat ipsi jus exigendi, consequenter ille suspenditur ab omnibus Beneficiis. Quando autem suspensio est per statutum generale intelligitur lata solum circa Beneficia in Diœcesi.

Dubit. 3. An si suspensus acquirat novum Beneficium tempore suspensionis, collatio sit nulla? Affirmant *Bonac. D.* 3. *p.* 2. *n.* 10. *et Holz. p.* 393. *n.* 140. *v. Dixi, cum Palao, et Manstrio*, quia Beneficia dantur propter officium; ergo suspensus a beneficio acquisito est etiam suspensus a Beneficio acquirendo, cum non possit munia Beneficii exercere. Negant vero probabilius *Suar. D.* 26. *sess.* 3. *n.* 8. *Laym. tr.* 5. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 4. *Antoine p.* 634. *v.* 2. *Renz. p.* 645. *q.* 9. *et Diana q.* 5. *tr.* 10. *R.* 7. *cum Cornejo, Gordon. Præpos. Conc. etc.* Hi dicunt talem collationem esse quidem irritandam, sed non irritam; quia nulla pœna debet infligi, nisi in jure sit expressa; nullibi autem hæc pœna habetur; imo ex *c. Cum bonæ* 8. *de Ætate, et qualit.* contrarium colligitur, dum ibi, cum aliqui quadriennium mansissent in suspensione, mandavit Pontifex expoliandos a Beneficiis tam ante, quam in suspensione acquisitis; ergo collatio fuerat valida.

„ 6. Suspensus a beneficio potest nihilominus eli- „ gere, præsentare, conferre Beneficium, quia, etsi „ hæc jura competant illi ratione beneficii, illi tamen actus non sunt beneficii, præcise ut sic, sed „ potius officii, & jurisdictionis. *ibid.*

„ 7. Suspensus a beneficio, vel Ordine absolute, „ & sine addito, intelligitur suspensus ab omni beneficio, vel Ordine, nisi aliunde aliud constet. „ *ibid. n.* 8.

„ 8. Suspensus absolute, intelligitur ab officio, „ & beneficio, *Laym. c.* 1. *n.* 2.

„ 9. Suspenso Capitulo, vel Conventu, non cen- „ sentur suspensi singuli, nisi sint in culpa, ait „ *Sa, v. Suspensio, et Laym. l. c. n.* 3. "

Quando suspensio fertur in solam Communitatem, non afficit singulas personas, quoad munia particularia, sed tantum quoad Officia vel Beneficia totius Communitatis; ita communiter *Bonac. D.* 1. *q.* 1. *n.* 111. *Holzm. n.* 248. *et Salm. c.* 5. *n.* 43. *et* 46. *cum D. Th. Avil. Henr. Diana, etc.* Quod si aliqui exerceant functiones Communitati tunc vetitas, dicunt *Pal. D.* 4. *p.* 3. *n.* 3. *Suar. D.* 28. *sess.* 4. *n.* 4. *Ronc. p.* 106. *q.* 7. *R.* 2. *et Salm. n.* 47. *cum Con. et Cornejo*, eos non incurrere irregularitatem, quia prohibitio illa non est proprie censura, sed potius inhabilitas particularium personarum ad talia Officia. Si vero suspensio fertur in Communitatem, & in singulas ipsius personas, tunc non afficit innocentes, sed tantum delinquentes; nemo enim potest excommunicari aut suspendi pro culpa aliena, ut communiter docent *Suar. l. c. n.* 3. *Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 32. *n.* 9. *Salm. c.* 5. *n.* 45. *cum Nav. Sot. et Pal. ac Escob. l.* 51. *n.* 56. *cum Conc. Avil. Henr. et Hurt.* Et patet ex *c.* 2. *de Constit.* & clarius ex *cap. de His quæ fiunt a major. part. Cap.* ubi dicitur: *Cum peccata suos auctores tenere debeant, ne pœna sit ulterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente refertum.*

„ 10. Si Prælatus solo verbo dicat Sacerdoti, „ *suspendo* te, v. g. a celebratione, videtur esse „ simplex tantum prohibitio, non censura, quia „ hæc licite non fertur, nisi scripto * (*ut n. seq.* „ *ad n.* 2.) * Prælatus autem non debet præsumi „ velle peccare, nisi aliud constet de ejus intention; aut nisi religio habeat privilegium absque „ scripto ferendi censuras. Vide *Bon. de censuris* „ *in communi d.* 1. *q.* 1. *p.* 1. * (*Ita etiam Salm.* „ *c.* 5. *n.* 8. *cum Nav. et Hen.*) * .

DUBIUM II.

Quæ sint suspensiones in particulari; et quis ab eis possit absolvere.

318 *Quæ sint suspensiones Juris communiores Clericorum?* 319. *Quæ Religiosorum?* 320. *quæ Episcoporum?*
321 *An quis possit suspendi ob culpam levem?*
322 *Quis possit absolvere a suspensione?*

„ Respond. 1. Suspensione Juris communiores 318 „ sunt sequentes:

„ 1.

„ 1. Clerici ipso jure suspensi sunt, recipien-
„ tes Ordines sacros ab alieno, vel a proprio in
„ aliena diœcesi, vel sine ætate legitima, aut di-
„ missoriis, aut titulo, vel extra tempora, aut
„ non servatis interstitiis, per saltum, vel in cen-
„ sura, vel denique post matrimonium ratum, qui
„ omnes suspensi sunt ab executione Ordinum,
„ nisi fecerint absque dolo, & si ordine utantur,
„ fiunt irregulares. 2. Excommunicans, suspen-
„ dens, aut interdicens sine scriptura, & causæ
„ expressione, est suspensus per mensem ab ingres-
„ su Ecclesiæ, nisi sit Prælatus regularis. 3. Cle-
„ rici scienter eligentes Episcopum, vel Parochum
„ indignum suspenduntur a beneficiis biennio. 4.
„ Ordinans, & ordinatus simoniace est suspensus
„ ab Ordinibus. 5. Parochi jungentes sponsos al-
„ terius Parochiæ sine licentia. 6. Gravantes alie-
„ nis debitis Ecclesias sibi commissas. 7. Occu-
„ pantes bona, vel census Ecclesiæ, beneficii, vel
„ alterius pii loci. 8. Sodomiam exercentes, simo-
„ niaci, provocantes ad duellum, vel acceptantes,
„ raptores, vel præbentes auxilium. 9. Disputan-
„ tes in alterutram partem in cœtu virorum, ac
„ mulierum de Immaculata Conceptione B. Virgi-
„ nis. 10. Visitantes, si accipiant pecuniam, vel
„ munera: qui, si sint Episcopi, suspensi sunt ab
„ ingressu Ecclesiæ; si inferiores Episcopo, ab of-
„ ficio, & beneficio, usque dum restituant du-
„ plum. 11. Judex Ecclesiasticus (non Episco-
„ pus), qui facit injuriam contra justitiam, &
„ conscientiam, parti litiganti. Vide *Bon. d.* 3. *p.*
„ 5. * (*Adde* 12. *Negantes absolutionem renuen-*
„ *ti complicem manifestare; hi subjacent suspen-*
„ *sioni ferendæ sententiæ ex Bulla*, Ubi primum
„ *Bened. XIV. Vide in fine libri Decr. IV. Adde*
„ 13. *Latini celebrantes Ritu Græco, et Græci*
„ *Ritu Latino. Bulla* Etsi Pastoralis, §. 4. *n.* 10.)*
„ 2. Religiosi. 1. Apostatæ recipientes Ordines in
„ Apostasia. 2. Admittentes ad professionem ante
„ annum probationis peractum. 3. Non utentes ha-
„ bitu, & vestitu modo sibi præscripto. 4. Intro-
„ ducentes mulieres in monasteria.

320 „ 3. Episcopus. 1. Ordinans non subditum su-
„ spensus est per annum a celebratione Pontifica-
„ lium. 2. Admittens resignationes, contra formam
„ præscriptam. 3. Intrans monasteria monialium
„ sine necessitate. V. *Fill. t.* 17. *c.* 5.

321 „ Resp. 2. Præter has suspensiones aliæ sunt ab
„ homine, quæ, si sint graves, requirunt culpam
„ mortalem, v. g. ut quis suspendatur ab omni-
„ bus actibus sui officii, vel fructibus unius anni.
„ Potest tamen aliquis ob peccatum veniale priva-
„ ri uno actu, v. g. eligendi ".

Sed hic dubitatur, an ob peccatum veniale possit ferri suspensio? Affirmant *Nav. c.* 27. *n.* 151. & 159. item *Armil. Med.* & *Henr. ap. Escob. l.* 51. *n.* 58. Sed verius & communissime negant *Suar. D.* 28. *sess.* 4. *n.* 6. *Sanch. de Matr. l.* 2. *D.* 32. *n.* 9. *Pal. D.* 4. *p.* 3. *n.* 4. *Salm. de Censur. c.* 1. *n.* 26. & *c.* 6. *n.* 94. *Elb. p.* 444. *n.* 115. *cum Fill. & Escob. nu.* 59. *cum Laym. Soto, Vasq. Con. & Hurt.* si suspensio sit major, nempe ab omni usu Officii, & Beneficii, vel ab aliquo eorum per notabile tempus, tunc enim requiritur mortale, quia pœna debet cum culpa proportionari; unde esset nulla suspensio, si ob peccatum veniale imponeretur. Secus vero, si suspensio esset partialis, nempe tantum ab Officio, vel a Beneficio, & ad breve tempus, ut *Suar. n.* 2. *Pal. n.* 2. *Salm. n.* 124. & *Bon. D.* 1. *p.* 1. *p.* 3. *n.* 8. qui idem dicit, si suspensio esset totalis, sed ad valde breve tempus, puta ad diem, vel hebdomadam. Idem dicunt *Sanch. Dec. l.* 6. *c.* 4. *n.* 17. *Pal. tr.* 3. *D.* 1. *p.* 15. *n.* 3. & *Salm. de Leg. c.* 2. *n.* 46. *cum Suar. Caj. Vasq. Tapia, &c.* si suspensio sit ferendæ sententiæ; nam contra, si sit latæ sententiæ, vel sit indicta a jure, taliter ut incurratur sine alia monitione, non incurritur nisi ob mortale peccatum.

„ Resp. 3. Habens Episcopalem auctoritatem pot-
„ est absolvere a suspensione non reservata: &
„ communiter Religiosi ex privilegiis possunt ab-
„ solvere ab omni suspensione in foro conscien-
„ tiæ: Episcopus potest absolvere ab omni suspen-
„ sione juris, si Sedi Apostolicæ specialiter reservata
„ non sit. *Laym. c.* 4. *n.* 2. ex *Nav. Suar.* &c.
„ Imo etiam ab hac, si proveniat ex delicto oc-
„ culto, & non deducto ad forum contentiosum.
„ *Con. d.* 3. *p. ult. ex Trid. sess.* 24. *c.* 6."

Si suspensio sit imposita ad tempus, vel conditionate, v. g. *donec*, vel *nisi restituas*, tunc, termino transacto, de se tollitur suspensio sine absolutione, ut *Salm. c.* 6. *n.* 53. cum *Con. Pal. Avil. Henr.* Si vero sit imposita absolute, quisque Confessarius potest eam absolvere, nisi sit reservata, vel nisi requirat satisfactionem partis. Cum autem fertur suspensio in Communitatem, is tantum ab illa absolvere potest, qui in Communitatem jurisdictionem habet in foro contentioso; *Salm. c.* 5. *n.* 52.

DUBIUM III.

Quid sit Depositio, & Degradatio? & a quo, & ob quam causam ferri possit?

„ Subjici solent suspensioni Depositio, & De-
„ gradatio, (etsi censuræ non sint, ut dictum
„ est *c.* 1.) ob similitudinem, quam habent cum
„ suspensione, cum utraque sit ab Ecclesiastico
„ Ordine, aut beneficio. Differunt autem a su-
„ spensione, quod illæ auferant ipsum jus radica-
„ le, & titulum beneficii, idque in perpetuum,
„ suspensio non item. Porro Depositio generice
„ accepta, alia est Verbalis, quæ absolute Depo-
„ sitio dicitur: alia Realis, quæ dici solet Degra-
„ datio.

„ Resp. 1. Degradatio est privatio executionis 324
„ officiorum, & beneficiorum simpliciter, in to-
„ to, & absque spe restitutionis, facta cum certa
„ solemnitate, & privatione privilegii Clericali,
„ tam Canonis, quam fori, ita ut seculari curiæ
„ subdatur.

„ Dixi, *Executionis*, quia Ordo ipse non potest
„ tolli. Interim degradatus tenetur ad votum ca-
„ stitatis si fuit in sacris * (*Et invalide Matri-*
„ *monium contraheret, atque valide consecraret*
„ *hostiam; Salm. c.* 5. *n.* 60. *cum aliis*) *, &
„ ad horas, nisi has forte pœna, ad quam damna-
„ tur, v. g. triremes, vel aliud impediat.

„ Resp. 2. Depositio verbalis, est similis priva- 325
„ tio,

„ tio, sed sine solemnitate dicta, & relicto utro-
„ que privilegio Canonis, & fori.
326 „ Resp. 3. Clerici possunt degradari a suo Epi-
„ scopo, sed non ab inferioribus illo: deponi ta-
„ men possunt ab eodem per Vicarium.
327 „ Resp. 4. Depositio fieri potest in casibus a ju-
„ re expressis, & delictis: non tamen nisi gravio-
„ ribus, arbitrio judicis. Ubi notat *Laym.* crimen
„ debere esse enorme, idest unum ex maximis.
„ Degradatio similiter fieri potest in casibus tan-
„ tum gravissimis, quales sunt v. g. crimen hære-
„ sis manifestum, falsificatio literarum Apostolica-
„ rum, sodomia frequentata, gravis calumnia pro-
„ prio Episcopo irrogata. V. *Laym. hic t.* 5. &
„ *Fill. t.* 18. *c.* 8. * (*Cum degradato solus Pa-*
„ *pa dispensare potest: sed cum deposito etiam*
„ *Episcopus, si crimen sit minus adulterio, Sal.*
„ *c.* 5. *n.* 60. *&* 68. *) “

CAPUT IV.

DE INTERDICTO.

DUBIUM I.

Quid sit, & quotuplex?

328 *Quid est Interdictum?* 329. *Quotuplex est?*
330 *An interdicta Civitate interdicantur Subur-*
bia? Et An Ecclesiæ Regularium?
331 *Qui eximantur ab Interdicto generali perso-*
nali? Et an, interdicto Clero, interdican-
tur Religiosi, vel Clerici non habentes Be-
neficium, aut Officium?
332 *Quid si interdicantur Cives, aut Civitas?*

328 „ Resp. 1. Est censura Ecclesiastica prohibens
„ divinorum officiorum, Sacramentorum aliquo-
„ rum, & Ecclesiasticæ sepulturæ usum, quatenus
„ talis est. Quod addo, quia excommunicatio eo-
„ dem privat, quatenus est communicatio cum fi-
„ delibus, suspensio vero proprie non illum usum,
„ sed exercitium potestatis Ecclesiasticæ impedit.
„ V. *Laym. ib. l.* 1. *t.* 5. *p.* 4. *c.* 1. *Bonac. d.* 5.
„ *part.* 1.
329 „ Resp. 2. Interdictum dividitur 1. in Locale,
„ quod immediate locum afficit: & in Personale,
„ quod immediate afficit personas; & in Mixtum,
„ quod immediate afficit locum, & ejus incolas.
„ Differt autem Locale a Personali; quod in illo
„ participatio sacrorum officiorum tum indigenis,
„ tum alienigenis, non absolute, sed in loco tan-
„ tum interdicto; in hoc vero certis personis, aut
„ communitati prohibeatur absolute, & in omni
„ loco. 2. Interdictum tam locale, quam perso-
„ nale subdividitur in generale, & particulare.
„ Generale est, quo locus generalis, v. g. colle-
„ gium, &c. interdicitur. Particulare, quo locus,
„ aut persona particularis, aut particulares inter-
„ dicuntur.

Unde resolves.

330 „ 1. Interdicta civitate, interdicuntur etiam sub-
„ urbia; & interdicta Parochia, etiam sacellum,
„ vel cœmeterium contiguum, quia accessorium
„ sequitur naturam principalis. * (*Ita ex c. Si*
„ *licitas. De Sent. exc. in* 6. *ubi etiam habetur,*
„ *quod, interdicta Civitate per Interdictum locale*
„ *generale, sunt pariter interdictæ Ecclesiæ exem-*
„ *tæ Regularium, nam alias Interdictum esset e-*
„ *lusorium; vide Salm. c.* 6. *n.* 9. *Et hoc inter-*
„ *dictum etiam Clerici, & Regulares tenentur*
„ *servare, imo idem Episcopus, qui illud tulit,*
„ *excepto Pontifice; Salm. ibid. n.* 8. *sed vide*
„ *dicta l. IV. n.* 61. *infra infertur* III.) *
„ 2. Interdicto populo, non interdicuntur ii qui 331
„ non sunt pars populi, ut studiosi, Clerici, pe-
„ regrini, &c. * (*Ita Salm. d.* 6. *n.* 16. *cum Bo-*
„ *nac. Con. Avila, Lezana, Corn. &c. commu-*
„ *niter. Et sic e converso, interdicto Clero, non*
„ *veniant Laici, ex c. Si sententia, de Sent. exc.*
„ *in* 6. *Hic autem notandum, quod ab Interdicto*
„ *personali Generali eximuntur* 1. *Episcopi* (*qui*
„ *eximuntur etiam a suspensione generali*). 2.
„ *Infantes, & amentes doli incapaces: privan-*
„ *tur tamen Ecclesiastica sepultura.* 3. *Innocen-*
„ *tes, statim ac alibi domicilium collocant.* 4.
„ *Exteri, etsi per multum tempus inter illos ci-*
„ *ves habitent. Vide Salm. ex n.* 15.) * Nec,
„ interdicto Clero, interdicuntur Religiosi, qui in
„ favorabilibus tantum nomine Clerici comprehen-
„ duntur * (*Ita tenendum cum Salm. c.* 5. *n.* 17.
„ *Nisi Religiosi Beneficium vel Officium in illo*
„ *populo haberent. Salm. ib. Notandum etiam,*
„ *quod interdicto Clero, non veniunt Clerici qui*
„ *non gaudent privilegio fori, nec alii Clerici qui*
„ *ibi non habent Beneficium, aut Officium, nam*
„ *hi non constituunt unum corpus cum Clero.*
„ *Salm. d. n.* 16.) *
„ 3. Si dicatur, *cives* (v. g.) *Colonienses sint* 332
„ *interdicti*, ii nusquam possunt interesse divinis
„ (nisi tamen desinant esse istic cives, nec cau-
„ sam dederint interdicto); contra vero si Civi-
„ tas interdicto subjiciatur, licet civibus, aut in-
„ colis, qui causam interdicto non dederunt, alio
„ ire, & istic divinis interesse “.

DUBIUM II.

Quid sint effectus Interdicti?

333 *Effectus Interdicti sunt I. Prohibitio Divi-*
norum Officiorum. 334. *II. Prohibitio Sa-*
cramentorum, excepto Baptismo, &c. 335.
III. Prohibitio sepulturæ. 336. *IV. Pec-*
catum mortale, quod committitur a violan-
tibus Interdictum. Item irregularitas, quæ
incurritur a Clericis, & excommunicatio
a Religiosis.

„ Resp. Sunt sequentes: I. Prohibitio Divi- 335
„ norum Officiorum; * (*Nomine Divinorum Of-*
„ *ficiorum veniunt omnia quæ a solis Clericis fieri*
„ *possunt; Non autem Officiorum B. V. Mariæ,*
„ *Defunctorum, &c. si dicantur privatim, & in*
„ *loco non deputato ad illa; communiter Pal.*
„ *Suar. Bon. & Salm. c.* 6. *n.* 50.) * Unde et-
„ iam interdicti ob alienam culpam non possunt
„ interesse sacro. Clerici tamen, & religiosi, quan-
„ do

„ do ipsi interdicti non sunt, possunt, ac debent, „ ut ante, Missas, divinaque officia celebrare; sed „ januis clausis, non pulsatis campanis (nisi ad „ concionem, salutationem Angelicam, vel obitum „ alicujus), submissa voce, & exclusis interdictis. „ * (*Ita ex c. Alma Mater; de Sent. exc. in* „ 6. *Nomine* Clericorum, & Monachorum (*quia* „ *laicis nihil conceditur*) *veniunt omnes utriusque sexus, qui gaudent privilegio fori, & Canonis. Nomine* Ecclesiarum *veniunt etiam Eremitoria, & Hospitalia auctoritate Episcopi erecta; Non vero Oratoria privata secularia; Ita Salm. comm. n.* 56. *Dicitur autem*, exclusis interdictis, *modo* (*intelligitur*) *sint denunciati ex Conc. Const. Et intelligitur tam de dantibus causam interdicto, quam interdictis personaliter. Quare, si interdicti post monitionem nolint, & Canon Missæ incœptus non sit, cessandum a celebratione, aliter celebrans incurreret irregularitatem. Hoc tamen procedit, si celebretur in loco interdicto, quia ibi non censetur data facultas celebrandi, nisi exclusis, &c. Secus vero si celebratio fiat in loco non interdicto, ut dicunt Hol. de Cens. n.* 281. & *Mazz. t.* 4. *p.* 388. *cum Suar. Unde ait Holz. cum alio Auctore, quod tunc debet expelli interdictus; si vero nequeat expelli, non tenetur Celebrans cessare, quia id nullibi præcipitur, sicut præcipitur de excommunicatis vitandis.*) * „ Permittitur tamen, ut in festis Natalis Domini, „ Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B. V. & per „ octavam Corporis Christi divina officia canten- „ tur solemniter, admissis etiam interdictis, dum- „ modo qui causam interdicto dederunt, altari nec „ appropinquent, nec veniant ad offertorium, vel „ communionem. * (*Hinc, his diebus interdicti* „ *tenentur audire Missam. Qui vero privilegium* „ *habent audiendi, possunt etiam abstinere ab* „ *audiendo Sacro, se conformando juri communi.* „ *Ita Salm. c.* 6. *n.* 64. *cum Corn. Dian. Cano,* „ *Con. Avil. &c. Regulares autem possunt ad-* „ *mittere ad Divina Officia Famulos, Procura-* „ *tores, Advocatos, Operarios, Beatas, Tertia-* „ *rios, si hi non sint specialiter interdicti, nec* „ *causam interdicto dederint.*) *

334 „ II. Prohibitio administrationis Sacramentorum, „ excepto Baptismo, Confirmatione, & Pœniten- „ tia * *Ut habetur ex c. Alma Mater, de Sent.* „ *exc. in* 6. *& Baptismus conferri potest etiam* „ *solemniter; ut Salm. c.* 6. *n.* 34. *cum comm.* „ *Atque a Ministro Interdicto generaliter, non* „ *autem specialiter. Salm. n.* 35. *Et idem dicitur* „ *de Sacram. Pœnit. n.* 38.) *, quæ omnibus per- „ mittuntur: iis exceptis, qui interdicto causam „ dederunt, etiam auxilio, vel favore; * (*Et ex-* „ *ceptis personaliter, & specialiter interdictis,* „ *nisi prius præstent satisfactionem debitam, si* „ *possint, aut si non possint, cautionem saltem* „ *juratoriam. Salm. c.* 6. *n.* 37. *ex d. c. Alma* „ *Mater.*) * Eucharistia tamen potest dari mo- „ rituris, & deferri cum lumine, & campana. * „ (*An autem Clerici, quibus conceditur Missam* „ *audire, ut supra, possint communicare? Adest* „ *duplex sententia; vide Salm. ex n.* 41. *Tenent.* „ *autem Salm. n.* 44. *Sacramenta Ordinis & Ex-* „ *tremæ Unctionis non posse recipi ab interdictis,* „ *nec tempore interdicti. Sed quoad Extremam* „ *Unctionem contradicit Croix l.* 7. *n.* 198. *cum* „ *Suar. & Dicast. Religiosos autem commune est* „ *tempore Interdicti posse recipere Communionem,* „ *& Extremam Unctionem, Salm. c.* 6. *n.* 48. *cum* „ *Laym. Pal. Nav. &c.*) * Nec improbabile est, „ interdictis licere contrahere matrimonium, ut „ *Sanch. Conc.* & *Laym.* docent; contra *Suar.* „ quia hoc Sacramentum secundum substantiam „ non ab Ecclesia, sed ab ipsis contrahentibus mi- „ nistratur. * (*Et merito hanc sententiam pro-* „ *babiliorem putant Salm. c.* 6. *n.* 47. *cum Con.* „ *Laym. Pal. Avila, &c. ex c. Capellanus, de* „ *Feriis, ubi dicitur Matrimonium quocunque tem-* „ *pore posse contrahi. Nota deinde hic cum Salm.* „ *c.* 6. *n.* 30. *quod, si Interdictum sit latum ex* „ *sententia injusta, quæ videbatur justa secun-* „ *dum probata, in foro externo debet servari,* „ *sed non in interno; Quare cessante scandalo,* „ *possunt audiri Sacra, recipi Sacramenta. Re-* „ *ligiosi tamen, quando interdictum servatur ab* „ *Ecclesia Cathedrali vel Matrice, tenentur il-* „ *lud servare, etiamsi illud sit nullum ex quo-* „ *cumque capite, ex Clem.* 1. *De Sent. exc. Vi-* „ *de Salm. d. n.* 30. *&* 31.) *

„ III. Prohibitio sepulturæ ecclesiasticæ, etiam 335 „ respectu infantium, & amentium. Excipe tamen „ Clericos, qui interdicto locali, si nominatim in- „ terdicti non sunt, nec interdictum violarunt, pos- „ sunt cum silentio sepeliti. *Laym. c.* 2. *n.* 3. * „ (*Clerici igitur in Interdicto generali locali,* „ *vel personali possunt sepeliri in Ecclesia, et-* „ *iam cum Missa, sine tamen pompa: in Eccle-* „ *sia vero specialiter interdicta possunt sepeliri,* „ *sed sine Missa. Salm. c.* 6. *ex n.* 75. *cum Cov.* „ *Pal. etc. Laici tamen sepeliendi sunt in loco* „ *non Sacro, etiam infantes; Et, si forte ibi* „ *sepulti sint, exhumari debent; Cessante autem* „ *interdicto, omnes in loco sacro reponendi, Salm.* „ *c.* 6. *n.* 99. *cum communi.*) *

„ Clerici violantes Interdictum peccant mortali- 336 „ ter, * (*Ita etiam Salm. c.* 6. *n.* 80. *Sed ex-* „ *cusat parva materia, nempe si Clerici exer-* „ *ceant functiones, quæ a laicis fieri possunt Bon.* „ *Pal. etc. cum Salm. c.* 81. *Item si brevi per-* „ *mittant ostium apertum. At Clerici exercentes* „ *Ordinem Sacrum, si sint specialiter interdi-* „ *cti, vel in loco specialiter interdicto, vel in* „ *loco generaliter interdicto januis apertis, etc.* „ *ut supra, peccant graviter, et incurrunt ir-* „ *regularitatem, vide Salm. n.* 87. *Admittentes* „ *autem laicos interdictos ad Officia Divina in-* „ *terdicuntur ipso facto ab ingressu Ecclesiæ,* „ *idest non ad orandum private in ipsa, sed ad* „ *exercendos ibi Ordines Sacros, ut dicunt Pal.* „ *Con. Laym. etc. cum Salm. n.* 91.) * sicut et- „ iam religiosi utriusque sexus, qui insuper ex- „ communicantur de facto. Laici vero peccant qui- „ dem graviter, si contra interdictum personale re- „ cipiant Sacramenta; si vero tantum violent loca- „ le, v. gr. audiendo divina officia, probabilius „ est, tantum esse veniale, dummodo ipsi perso- „ nalitet interdicti non sint. *Laym. c.* 3. *ex Sylv.* „ *Soto, et Avila*, &c. “

DU-

DUBIUM III.

Quis Censuram interdicti ferre, & quis tollere possit? ...

337 *Qui possint interdictum ferre? Et an ad illud incurrendum requiratur culpa gravis?*
338 *Qui possint tollere interdicta generalia a jure non reservata?*
339 *Qui personalia particularia?*
340 *De cessatione a Divinis?*

337 „ Resp. 1. Interdicere possunt iidem, qui excommunicare, & suspendere. * (*Hodie Episcopi sine consensu Capituli* (*nam olim aliter erat*) *possunt interdicere quoscunque generaliter, aut specialiter, ex consuetudine introducta. Salm. c. 6. n. 19. cum Panorm. Suar. Pal. Sayr. &c. Prælati autem Regulares possunt interdicere suos subditos, non autem suas Ecclesias. Salm. n. 20. cum eisdem*) * Et quidem, ut determinata persona interdicatur, videtur requiri culpa mortalis * *Ejusdem personæ, ut Salm. c. 6. n. 21. Interdictum enim personale particulare nequit imponi pro culpa aliena. Interdictum autem ad breve tempus, in ordine ac unum tantum, vel alterum effectum, potest incurri etiam ob peccatum veniale. Salm. n. 22. cum Pal. Conc. &c.*) *; ut autem feratur interdictum locale, vel generale in communitatem, requiritur peccatum valde grave cum contumacia commissum a capite, vel præcipuis membris, licet reliqui culpa vacent.

338 „ Resp. 2. Interdicta localia, & personalia generalia, quæ jure communi sunt imposita, nec reservata, possunt tolli ab Episcopo, vel alio habente jurisdictionem in communitatem interdictam, non tamen a Religiosis privilegiatis, quia locus, & communitas foro pœnitentiæ non subjiciuntur. * *Interdicta generalia lata ab homine non possunt tolli, nisi ab eo qui tulit, vel a Papa.* V. *Salm. c. 6. n. 100.*) *

339 „ Resp. 3. Ab interdicto juris personali particulari, si reservatum non est, quivis approbatus potest absolvere. Denique per privilegium absolvendi ab omnibus censuris, non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, aut personale communitatis ".

De Cessatione a Divinis.

340 Cessatio a Divinis est: *Prohibitio Clericis facta, ut abstineant ab Officiis Divinis, et Ecclesiastica sepultura.* Putant autem *Suar. et Fill.* contra alios apud *Salm. c. 6. n. 103.* posse Episcopum unum effectum prohibere, & non alterum. Hæc Cessatio distinguitur ab Interdicto, & non est censura; imponiturque in signum mœroris, vel ad reparationem gravissimæ injuriæ Deo irrogatæ; afficitque omnes, qui sunt in loco illo, ubi imponitur, vide *Salm. n. 102.* Dubitatur autem, an, hac Cessatione indicta, Clerici gaudeant privilegio eis concesso tempore Interdicti? Negant communius *Salm. n. 104. cum Pal. Bon. Sanch.* &c. contra aliquos; Quia Cessatio est novum gravamen ultra Interdictum. Potest tamen Cessatio suspendi per aliquot dies solemnes. V. *Salm. n. 105.* Sacramenta vero concessa tempore Interdicti, ut supra, conceduntur etiam tempore Cessationis. *Pal. Bon. Suar. &c. cum Salm. c. 8. n. 107.* Cessatio imponitur ab iisdem, qui possunt ferre censuras, præcedentibus monitionibus. Vide alia apud *Salm. c. 6. punct. 9.* Demum hic obiter notandum id quod habetur in Decr. S. C. Cæremoniarum, scilicet; *Non licere cuicunque, &c.* (*Personis Regalibus tantum exceptis*) *ad Ecclesias Strata sibi deferri facere, secus immediate cessandum a Divinis. Quod nisi servetur, Rectores cæterosque Ecclesiarum Ministros ipso facto excommunicationem incurrere, eamque Ecclesiam habendam esse pro interdicta.* Hoc Decr. præscriptum est in *Bullario* Clem. XI. *part. 3. Decretor. Congr. Card.* Ac deinde notatur ibi: *Et facta relatione, Sanctitas sua* (idest præfatus Clemens) *Decretum approbavit; necnon promulgari, atque executioni tradi, et in omnibus Urbis Sacrariis affigi mandavit. Die 3. Oct. 1701.* Ita *ap. Ferraris Bibl. v. Ecclesia, n. 28. & 29.* Qui præterea *n. c. 29.* refert ex pluribus Decr. S. C. Rituum esse vetitum præbere Evangelium inter Missarum solemnia Laicis ad osculandum, sicut etiam præstare ipsis usum throni, eosque admittere ad assistendum in Præsbyteriis.

CAPUT V.

De Irregularitate.

„ Etsi Irregularitas non sit censura, propter „ similitudinem tamen, quam cum ea habet, com„ muniter eidem annectitur: quapropter & hic sub„ jungo.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex sit Irregularitas?

341 *Definitio Irregularitatis. An Irregularitas sit censura? Dupliciter dividitur irregularitas.*

„ Resp. 1. Est impedimentum Canonicum, 341
„ susceptionum Ordinum sacrorum, & susceptorum usu impediens. Unde sequitur non esse „ censuram, sed quasi inhabilitatem: etsi enim in„ terdum imponatur per modum pœnæ, proprie ta„ men pœna non est. *Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 2. „ Bonac. d. 7. q. 1. p. 1.* "

Quær. an Irregularitas sit censura? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Sotus in 4. D. 22. q. 3. art. 1. & Bann. Led. Gutt. Corn. Cord. &c. ap. Salm. de cens. c. 1. ex n. 1.* Ratio, quia (ut ajunt) definitio censuræ, quod sit pœna Ecclesiastica, æque convenit etiam irregularitati. *Secunda* vero sententia communior & probabilior, quam tenent *Suar. de Cens. D. 1. sess. 3. Bon. D. 1. q. 1. p. 1. n. 4. Pal. D. 1. p. 1. n. 3. & Salm. n. 12. cum Conc. Val. Avila, Henr. Cand. Macad. &c.* docet irregularitatem non esse censuram, sed potius impedimentum seu inhabilitatem,

idque non obscure probatur ex *c. Quærenti de Ver. sign.* ubi Innoc. III. interrogatus quid in Bullis Pontif. intelligeretur nomine *Censuræ?* respondit: *Quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententia valeat intelligi.* Cum igitur Pontifex hic dogmatice & indefinite locutus fuerit, enunciando pœnas quæ veniunt nomine censuræ, præter eas, non est irregularitas, neque alia admittenda.

„ Resp. 2. Dividitur 1. in eam, quæ est ex *Delicto*, & quæ est *ex Defectu*. In *Totalem*, seu „ proprie dictam, quæ omni Ordine suscipiendo, „ & suscepti exercitio privat, v. gr. homicidium, „ bigamia: & in *Partialem*, quæ aliquo tantum Ordinis ministerio privat, vel solo ascensu ad Ordinem superiorem, v. g. oculis, vel palma Sacerdos carens inhabilis est ad Missam, non tamen ad confessiones audiendas; & Diaconus sinistro oculo carens inhabilis est ad Sacerdotium, „ in suo tamen Ordine ministrare potest".

DUBIUM II.

Quinam effectus Irregularitatis?

342 *Effectus Irregularitatis sunt. I. Inhabilitare ad Ordines suscipiendos. II. Impedire exercitium Ordinum. III. Invalidare collationem Beneficii. An id valeat de Beneficio simplici?* 343. *An collatio tunc sit ipso jure irrita?*

342 „ Resp. Sunt sequentes: Inhabilitare ad Ordines suscipiendos, etiam primam Tonsuram. „ * (*Ut comm. docent Suar. D.* 40. *sess.* 1. *num.* „ 11. *Pal. D.* 6. *pag.* 5. *n.* 2. *Bon. p.* 1. *n.* 4. & „ *Salm. c.* 7. *n.* 22. *cum Avila, & Diana*) *. II. „ Impedire exercitium Ordinum susceptorum; * „ (*Ex c. fin. De Temp. Ord. & c.* 11. *De Accusat.*) * Unde Sacerdos irregularis, etsi valide, illicite, tamen absolvit. *Bon. l. c. n.* 4. & „ *p.* 4. III. Quod collatio beneficii, ad cujus functiones inhabilis est, facta irregulari invalida sit, „ secundum sententiam communiorem, & tutiorem; etsi non improbabiliter quidam dicant; „ eam non ipso facto irritam esse, sed merito irritandam. *Laym. l. c. c.* 1. *n.* 2. & 3. *Sylv.* &c. „ *Bonac. p.* 4. Secundum quam sententiam probabilem resolves:

„ 1. Is, qui beneficium impetravit in Irregularitate, potest, obtenta hujus dispensatione, illud in foro conscientiæ licite retinere, sine nova collatione, etiamsi in dispensationis impetratione non sit facta mentio beneficii. Item, si „ postea beneficio privetur, non tenetur fructus „ restituere.

„ 2. Graviter peccat, qui in Irregularitate exercet actum Ordinis, aut suscipit, licet Ordines ei collati sint validi. * (*Ita etiam Pal. D.* 6. *p.* 5. *n.* 1. & *Salm. c.* 7. *n.* 21. *cum Corn. Et sic etiam peccat graviter irregularis suscipiens primam Tonsuram, sicut Episcopus qui eam illi confert, ut Suar. D.* 40. *s.* 2. *n.* 11. *Bon. D.* 7. *q.* 1. *p.* 1. *n.* 4. *Pal. n.* 2. & *Salm. n.* 22. *cum Avila, Corn. & Giball. Insuper hic notandum, quod irregularitas nullo modo privat iis Actionibus, quæ non requirunt exercitium Ordinis, & quas etiam laici exercere possunt, recipere Sacramenta, & Officia canere, sicut & conferre Beneficia, quia hæc spectant ad usum jurisdictionis, non Ordinis, Item Matrimonio assistere, vel licentiam assistendi alteri præbere, dispensare in votis, absolvere a censuris, dare facultatem audiendi Confessiones. Ita Pal. n.* 14. *Bon. p.* 4. *n.* 17. *Laym. tr.* 5. *c.* 1. *n.* 1. *Renzi p.* 564. *q.* 3. *cum Fill. & Suar. ac Salm. c.* 7. *n.* 19. *cum Con. & Cornejo*) *.

Quær., an irregularis ipso facto Beneficiis privetur? Quoad Beneficia obtenta ante irregularitatem, certum est apud omnes irregularem illis non privari; nec privandum a Judice, si irregularitas ei supervenerit ex defectu infirmitatis, ut habetur in *c. Ex parte, de Cler. ægrot.* Si vero sit de delicto privari debet per Judicis sententiam; & interim, licet ipse non privetur ipso facto, ut clare infertur ex *c. Ex litteris, de Excess. Prælat.* tenetur tamen petere dispensationem; At si eam non petit, vel non possit obtinere, tenetur statim, nisi magna laboret necessitate, Beneficia renunciare, vel saltem in favorem tertii resignare, quia, cum non possit licite suum implere munus, nequit licite illa retinere; ita communiter *Suar. D.* 40. *s.* 2. *n.* 15. & 19. & 44. *s.* 2. *n.* 2. *Pal. D.* 6. *p.* 5. *n.* 9. 11. & 15. *Bon. D.* 7. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 8. 9. *et* 10. *Tourn. t.* 2. *p.* 24. *ac Salm. c.* 7. *n.* 25. *et* 28. *et cum Avila, Val. Sa, Sayr. Gibald. Pelliz. etc.* Si autem hujusmodi Beneficiarius jam per alium impleverit munia sui Beneficii, non est fructibus privandus, ut *Suar. d. D.* 40. *s.* 2. *n.* 20. *Bon. n.* 10. *Pal. n.* 13. *Tourn. p.* 15. *Holzm. p.* 411. *n.* 221. *Croix l.* 7. *n.* 439. *et Salm. n.* 29. *cum Born. Pelliz.* & aliis passim.

An autem irregularis sit privandus pensionibus quas possidet? Regulariter probabilius negant *Suar. D.* 44. *s.* 4. *n.* 34. *Bon. n.* 11. *Pal. n.* 12. & *Salm. n.* 27. Atque sic declarasse S. C. refert *Barb. in Tr. sess.* 14. *c.* 8. Dictum est *regulariter*, nam (ut docent AA. præfati) bene poterit Judex, si crimen fuerit valde grave, cum etiam pensionibus privare.

Quoad Beneficia vero obtenta tempore irregularitatis jam contractæ, dubitatur, an collatio sit ipso jure nulla? Si irregularitas sit partialis, nempe si irregularis ob aliquem defectum corporalem non possit fieri Sacerdos, tunc communiter dicunt collationem huic factam esse validam, & licitam; ita *Pal. D.* 6. *p.* 5. *n.* 5. *Cab. T. J. l.* 5. *c.* 19. *n.* 2. *Roncag. p.* 113. *q.* 5. *R.* 1. *v. Ceterum, et Pal. D.* 9. *pag.* 6. *n.* 5. *cum Val. Bon. Garcias, Sayr.* Idemque supponunt etiam ut certum *Salm. c.* 7. *n.* 33. *Holzm. p.* 411. *n.* 320. *Suar. D.* 40. *sess.* 2. *n.* 31. si Beneficium sit simplex, nec habeat sibi injunctum Officium, sive exercitium Ordinis Sacri, sed tantum recitationem Horarum, aut aliquid aliud quod etiam laici possint exercere, tunc enim ajunt valide suscipi tale Beneficium ab Irregulari. An autem privetur ipso facto Beneficiis requirentibus exercitium Ordinis Sacri? Adest duplex sententia. *Prima* communior affirmat, & hanc tenent *Suar. D.* 40. *s.* 2. *n.* 36. (vocans communem) *Bon. D.* 7. *q.* 1. *p.* 4. *n.* 6. *Less. l.* 2. 343

c.

c. 34. *n.* 129. *Tourn. to.* 2. *p.* 12. *Cabass. l.* 5. *c.* 19. *n.* 2. item *Covarr. Avila, Henr. Garcia, Sayr. Villal. et Corn. ap. Salm. c.* 7. *n.* 30. qui *n.* 34. etiam dicunt esse communem. Probatur ex *c.* 2. *de Cler. non ord. ministr. c.* 2. *de Cler. pugnant. etc. c. Dudum de Elect. et c. Cum bonæ de Ætate, et qualit. etc.* & præsertim ex *Trid. sess.* 22. *c.* 7. ubi dicitur: *Ut nullo tempore ad sacros Ordines* (irregularis) *promoveri possit, nec illi aliqua Beneficia ecclesiastica conferre liceat*. Præterea *ibid. c.* 4. *Nec aliis imposterum fiat provisio, nisi iis qui jam ætatem et ceteras habilitates integre habere agnoscantur, aliter irrita erit provisio*. Ratio, quia Beneficium datur propter Officium, unde qui inhabilis est ad Officium, cum non possit Ordinem exercere, est etiam inhabilis ad Beneficium. *Secunda* vero sententia dicit, talem collationem non esse irritam, sed tantum a Judice irritandam; ita *Innoc. in c. Cum nostris, de Concess. præb. Silv. v. Excomm. n.* 4. *Laym. tr.* 6. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 3. *Viva q.* 8. *art.* 1. *n.* 5. *Elbel p.* 457. *n.* 158. *Ronc. p.* 113. *q.* 5. *R.* 1. *v. Contra, Pal. D.* 6. *p.* 5. *n.* 7. *Diana p.* 4. *tr.* 2. *R.* 37. *et Salm. c.* 7. *n.* 34. *cum Felin. Ancharan. Giball. etc.* & probabile censent *Suar. n.* 35. *Less. l. c. et Coninck Bon. Hurt. etc. ap. Diana l. c.* Ratio, quia non sunt imponendæ pœnæ, nisi in jure sint expressæ; nullibi autem habetur expressum, quod irregularitas reddat hominem incapacem Beneficii; unde irregularis, quamvis graviter peccet (ut advertit *Suar.*) acceptando & retinendo Beneficium sine dispensatione, sicut etiam peccat qui illud ei confert, tamen si suppleat per alium munia Beneficii, non tenetur fructus restituere. Canones vero qui opponuntur, teste ipso *Suar.* (qui oppositam sententiam probabiliorem putat), nihil aliud probant, nisi quod talis collatio sit illicita, non tamen invalida. Nec obstat textus Tridentini, ubi dicitur, irrita provisio Beneficii, quæ fit in personam inhabilem; nam respondetur irregularem non dici inhabilem, ut incapacem Beneficii, sed ut illo indignum, nempe inhabilem ad licitam Beneficii perceptionem. Prima sententia videtur probabilior, licet enim jura non expresse declarent hanc collationem invalidam, tamen communior sententia DD. sic illa interpretatur; nam sensus DD. ut fatetur ipse *Laym.*, est optimus legum interpres. Sed hoc non obstante, secunda sententia videtur satis probabilis. Hinc tamen advertendum, quod adhuc stante probabilitate hujus sententiæ, nequit irregularis se immittere in possessionem Beneficii, quia (ut diximus *l.* 3. *n.* 161. *v. Qu. II.*) nemo cum opinione probabili potest inchoare possessionem rei alienæ.

DUBIUM III.

Quomodo incurratur, et tollatur irregularitas?

344 *An in dubio irregularitas incurratur?* 345. *Non incurritur, nisi in jure sit expressa.* 346. *Dub.* 1. *In dubio de irregularitate contracta quomodo quis se gerere debeat? Et quid si dubium sit juris?* 347. *Dub.* 2. *Quid in dubio facti, præter homicidium? Dub.* 3. *Quid in dubio homicidii commissi? Dub.* 4. *Quid in dubio de animatione fœtus, si abortus fuerit patratus?*

348 *An ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur culpa mortalis, et actus externus, ac consummatus?*

349 *Qu.* I. *Quid si crimen fuerit externum, sed prorsus occultum?*

350 *Qu. II. An ad incurrendam irregularitatem requiratur scientia legis?*

351 *Qu. III. An etiam scientia pœnæ?*

352 *Quot modis tollatur irregularitas.* 353. *Irregularitas tollitur per dispensationem. Quis possit in ea dispensare? Plura notanda.* 354. *Quomodo tollatur irregularitas ex defectu Natalium per Professionem Religiosam?*

355 *Prælati regulares in quibus irregularitatibus possint dispensare.*

„ Resp. 1. cum ab homine non feratur, nulla 344
„ incurritur, nisi in jure expresse habeatur * (*c.*
„ *Is, qui de sentent. excomm. in* 6.) *. Unde in
„ dubio sive facti, sive juris, tenere potes, quod
„ non sis irregularis; quia melior est conditio pos-
„ sidentis. *Bonac. q.* 1. *p.* 5. *ex Suar. Fill.* &c.
„ Excipe tamen, si dubites de homicidio, saltem
„ injusto, a te commisso, ut patet ex *c. Signi-
„ ficasti*, & ex *c. Ad audientiam*. 2. *de hom.* Vi.
„ de *Bonac. l. c.*

Plura hic notabilia examinanda. Certum est, 345
quod nulla incurritur irregularitas, nisi in jure sit expressa ex *d. c. Is qui de sent. excom. in* 6. ubi dicitur: *Cum id non sit in jure expressum*, &c. In quo sapienter ait *Suar. D.* 40. *s.* 5. *n.* 5. Pontificem ibi nihil novi statuisse; sed principium illud declarasse, quod in dubio judicandum, pœnam non esse latam, vel non extendendam ultra casus expressos. Hujus autem juris nomine veniunt tantum Decreta Pontificis, sive Concilii a Papa approbati, non autem aliorum, nec venit consuetudo; ita *Suar. D.* 40. *sect.* 4. *n.* 13. *Cont. Tourn. t.* 2. *de Irreg. p.* 6. *v. Hinc, Diana p.* 8. *tr.* 7. *R.* 28. *et Salm. c.* 7. *n.* 8. *cum Pelliz. Gib. & Machado*. Hinc infertur ad incurrendam irregularitatem, non valere argumentum a simili, nec a majori ad minus, ut communiter docent *Pal. D.* 6. *p.* 2. *n.* 1. *Lay. t.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 6. *& Salm. c.* 7. *n.* 3. *cum Corn. & Giball.* Advertit vero *Lay. l. c.* quod si dubium vertatur circa aliquam irregularitatem, an sit expressa in jure, admittenda est, semper ac communis sensus DD. & consuetudo eam firmaverit, quia hæc sunt optimæ legum interpretes.

Sed dubit. 1. Utrum in dubio, an quis irregu- 346
laritatem contraxerit, debeat ut irregularem se gerere? Intellige de dubio prudenti, nam dubium ex scrupulis, sive levibus rationibus ortum nihili faciendum est. Intellige etiam de dubio negativo seu suspensivo, nam si dubium sit positivum, ante diligentiam ad veritatem inquirendam quisque debet se gerere ut irregularem, prout docent *Sanch. Dec. l.* 1. *cap.* 10. *n.* 37. *Suar. D.* 40. *s.* 5. *n.* 12. *Pal. D.* 3. *p.* 3. *n.* 3. *& Salm. c.* 7. *n.* 42. *cum Con.* ex *c. Illud De Cler. exc.* Nisi gravis necessitas urgeat, nempe si occasio occurrat recipiendi Ordines, aut Beneficium, ut *Salm. ib. cum iisd.*

Post

Post vero sufficientem diligentiam is bene potest se habere ut non irregularem, probabili opinioni acquiescens, ut *Suar. n.* 6. *Pal. n.* 4. *Sal. d. n.* 32. *in fine cum Hurt. Corn. Giball.* Difficultas igitur est, cum quis dubitat dubio negativo. Resp. Si dubium est juris, nempe si dubitatur, an irregularitas sit a jure assignata, an non, pro aliquo actu, tunc nemo tenetur se gerere ut irregularem in foro conscientiæ, nec in externo ut talis damnandus est, tum quia in dubio nemo suo jure spoliandus est; tum quia cum dubitatur de lege, lex non obligat, saltem quia tunc non est sufficienter promulgata; ita communiter DD. *Sanch. Dec. l.* 1. *c.* 10. *n.* 42. *Pal. D.* 3. *p.* 3. *n.* 7. *Suar. l. c. n.* 4. *Bon. de Irreg. q.* 1. *p.* 5. *n.* 2. *Ronc. p.* 113. *q.* 1. *R.* 2. *Conc. t.* 10. *p.* 486. *n.* 9. *Dian. p.* 4. *tr.* 2. *R.* 52. *Salm. c.* 7. *n.* 44. *cum Con. Avila, Corn. & Valent. Meya tr.* 5. *q.* 6. *n.* 6. *cum Lugo, Nav. & Tour. p.* 18. *cum Cov. et Habert.* Quid si dubium sit facti?

347 Dubit. 2. Utrum incurratur irregularitas in dubio facti, nempe si dubitatur, an quis crimen patraverit (præter homicidium, nam de hoc loquemur in dubio sequenti); *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Conc. t.* 10. *p.* 468. *n.* 8. *et Tourn. t.* 2. *p.* 20. *cum Sayr. et Habert* ex *c. Ad Audientiam, de Homic.* ubi dicitur: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* Ergo in omni materia pars securior sequenda est. *Secunda* tamen sententiam communis & verior negat, easque tenent *Cabassut. T. I. c.* 20. *n.* 14. *Suar. D.* 40. *s.* 6. *n.* 8. *et* 13. *Bon. n.* 3. *Dian. p.* 4. *tr.* 2. *R.* 25. *Ronc. l. c. Pal. D.* 6. *p.* 2. *n.* 9. *et Salm. c.* 7. *n.* 46. *cum Con. Avila, Marchab. Corn. Gib. et Henr.* Ratio 1. quia odia sunt restringenda, & nemo in dubio est damnandus ex *Reg. Favorabiliores.* 168. *ff. de Reg. jur.* & ex *c. Cum sunt, eod. tit. in* 6. ubi: *Cum sunt jura partium obscura, reo favendum est potius quam actori.* Et idem in *c. un. Ut Eccles. Benef. etc.* Non est autem recedendum ab hac regula, tam rationi consona, sine textu expresso, qui tantum habetur in dubio homicidii, non vero aliorum criminum. Ratio 2. quia (ut diximus supra *n.* 346.) irregularitas non incurritur nisi in jure exprimatur, in jure autem solus homicida dicitur censendus esse irregularis in dubio homicidii, non alios delinquentes. Ratio 3. & potissima est; quia, cum hinc dubitetur, an id quod currit in materia homicidii, currat etiam in aliis materiis, dubium etiam est juris: at in dubio juris etiam Adversarii (ut vidimus) concedunt non incurri irregularitatem. Nec obstant textus allati, nam respondetur 1. cum *Nav. et Suar.*, quod ibi ratio adducta (nempe quod in dubiis pars tutior eligenda est) non assignatur ut præceptum necessario, & universe observandum, sed ut rationabile motivum decentiæ, ob quod maxime convenit dignitati Sacrificii, ut Sacerdos in dubio homicidii a celebrando abstineat, ne si forte deinde certo fuisse homicida noscatur, cum scandalo populi inveniatur celebrasse; Idque aperte declaratur in *c. Petitio tua, eod. tit. de Homic.* ubi, *Cum sit consultius in hujusmodi dubio* (scil. homicidii) *abstinere, quam temere celebrare.* Nota illud *sic consultius*, ergo non est præceptum. Quis autem negat aliquando decere, quod ex rationabili motivo per legem positivam prohibeatur aliqua actio per se non illicita? Sed cum ratio illa indecentiæ soli homicidio competat, alios casus non comprehendit. Respondetur 2. quod licet ratio alios etiam casus comprehenderet, in irregularitatibus ex delicto, sicut in omnibus aliis pœnis, non est arguendum de uno casu ad alium similem, etiamsi eadem, imo major ratio currat, nisi uterque casus sit in jure expressus, idque fortius procedit in irregularitatibus circa quas (ut vidimus *n. præced.*) sancitum est nullas incurri, nisi illas quæ in jure expressæ sunt.

Dubit. 3. Utrum censendus irregularis, qui dubitat an patraverit homicidium? Adsunt diversæ sententiæ. Alii dicunt hunc esse irregularem tantum in foro externo, non autem conscientiæ; ita *Innoc. Salas, & Henr. ap. Sanch. Dec. l.* 1. *c.* 10. *n.* 38. Alii ex opposito dicunt esse irregularem in foro conscientiæ, non autem externo; ita *Hostiens. Armil. Tabien. &c. apud eund. Sanch. n.* 39. Sed verius tenendum cum communi hunc in utroque foro judicandum esse irregularem, ita *Pal. n.* 6. *Bon. n.* 3. *Ronc. p.* 114. *v. Limita, Sanch. n.* 42. *cum Nav. Palud. & Led. ac Salm. c.* 7. *n.* 45. *cum Cornejo, Avila, & Sayro;* Et probatur ex *c. Significanti c. ad Audientiam*, & *c. penult. de Homic.* ubi ratio quæ ibi adducitur, nempe quod in dubio tutior pars eligenda est, utrumque forum comprehendit. Sed hic notandum 1. quod hoc procedit casu quo aliquis certus est de homicidio (ut supponitur in præfatis textibus), & solum dubitat, an ipse sua actione fuerit causa illius; secus, si dubitat, de ipso homicidio, an fuerit sequutum vel non, ut valde rationabiliter dicunt *Picher. l.* 5. *tit.* 12. *n.* 8. *Elbel t.* 2. *p.* 467. *n.* 190. *Dian. p.* 7. *tr.* 5. *R.* 24. *Tamb. de Irreg. c.* 5. §. *un. & Spor. tr.* 5. *p.* 131. Unde dicit *Dian. p.* 7. *p.* 5. *R.* 26. *cum Nav. Menoch. & Quaranta*, quod si Medicus aperuit venam prægnanti, ut abortus sequeretur: sed postea non constet de aborto secuto, non est censendus irregularis, neque in foro interno neque externo: quia (ut habetur in *lib.* 1. §. *Item illud ff. ad Syllan.*) non proceditur contra aliquem ad pœnas, nisi constet de corpore delicti. Secus vero dicendum, si media adhibita ad abortum fuerint adeo efficacia, ut ex eis communiter sequatur effectus, quia tunc præsumptio fit ex communiter contingentibus, ut *Nav. & Mascad. ap. Dian. l. cit.* ex *l. ult. C. de Fide instrum.* Notandum 2. quod in prædictis testibus sancitum est, dubitantem de homicidio, judicandum esse irregularem quoad duos duntaxat effectus, scilicet *abstinendi a celebratione, & quærendi dispensationem*, ut jura loquuntur. Ex quo infertur 1. hanc sanctionem valere tantum pro Clericis, non autem pro Laicis, cum homicidium magis dedeceat statum Clericorum quam Laicorum: ita *Salm. c.* 7. *n.* 45. & *Ronc. c.* 2. *q.* 1. *in fine.* Infertur 2. valere tantum ad prædictos duos effectus, non autem quoad alios, nempe privationem Beneficiorum, &c. ut *Sanch. l.* 1. *c.* 10. *n.* 43. *Suar. D.* 40. *s.* 6. *n.* 6. *Ronc. & Salm. ll. cc. & Pal. D.* 6. *p.* 3. *n.* 8. *cum Panorm. Mol. Con. Sayr. Hurt. & Salas.* Infertur 3. dubitantem de muti-

la-

latione non esse habendum ut irregularem, sicut habendus dubitans de homicidio; quia id tantum de homicidio statutum est, ut *Sanch. n.* 49. *Bon. p.* 5. *n.* 4. *Ronc. p.* 114. *v. Duo*, *Salm. l. c. et Suar. D.* 40. *s.* 5. *n.* 14. contra *Nav. et Henr.*

Dubit. 4. An habendus ut irregularis, qui abortum commisit dubitans, an fuerit vel non animatus? De hoc vide dicta *de* 5. *Præc. l.* 3. *n.* 396. ubi id negavimus ex sententia veriori cum plurimis AA. quibus adde *Delbene c.* 2. *D.* 4. *s.* 20. *n.* 22. & doctum Auctorem libelli (*Instr. per li Nov. Confes. p.* 2. *c.* 18. *n.* 464. *et* 465.) qui testatur in praxi prolem femineam non censeri animatam, nisi octogesimo die, masculinam vero quadragesimo, ut tradunt *S. Th. cum Alberto M.* & alii. Idque confirmatur ex dictis *n. præced. D.* 3.

348 „ Resp. 2. Ut incurratur irregularitas ex delicto, „ requiritur actus externus consummatus, & mor„ talis, ut habet communis contra *Cajet.* Ratio „ est, quia est gravis pœna, & difficulter relaxatur.

Ideo ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur I. Peccatum mortale; ex quo infertur, quod si quis excusatur a mortali ex aliqua circumstantia, excusatur etiam ab irregularitate, ut docent *Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 32. *n.* 9. *Suar. D.* 40. *s.* 2. *n.* 17. *Tourn. t.* 3. *p.* 7. *R.* 2. *Conc. t.* 10. *p.* 486. *n.* 8. *Escob. lib.* 51. *n.* 6. *et Salm. c.* 7. *n.* 12. *cum Con. Diana*, & alii passim, ex *c.* 5. *de Pœnis in* 6. ubi dicitur pœna gravissima non esse infligenda pro levi culpa. Infertur præterea, quod præceptum obligans sub pœna irregularitatis, intelligitur etiam obligare sub mortali; *Suar. Pal. Con. et Salm. ib.* Requir. II. Actus exterior. Quando autem in aliqua Bulla, aut canone conceditur dispensare in irregularitate mentali, intelligitur revera, quando irregularitas est occulta; *Pal. Con. Cov. Avil.* &c. *comm.* cum *Salm. c.* 7. *n.* 13. Requir. III. Actus exterior consummatus, ut *Tourn. l. c. et Salm. ib. cum Sot. Pell. Gibal.* V. dicta *de censur. n.* 56.

349 Sed quær. I. An incurratur irregularitas ob crimen externum, & consummatum, sed prorsus occultum, ita ut a solo delinquente notitia haberi possit? Adsunt tres sententiæ. *Prima* universe negat, & hanc tenent *Rodriquez*, *Mendo*, *Castro*, *Bruno*, *etc. ap. Dian. p.* 12. *Miscell. in fine libri n.* 6. *p.* 97. *v. Secundum dubium*; Quia (ut ajunt) non datur irregularitas, nisi in jure sit expressa; in jure autem nullibi fit mentio de irregularitate ob crimen omnino occultum. *Secunda* sententia quam tenent *Ledes. Cordub. Henriq. etc. apud Salm. c.* 7. *n.* 15. excipit tantum homicidium, quia tantum in crimine homicidii irregularitas inducta est non solum propter scandalum aliorum, sed etiam propter intrinsecam indecentiam, ne Sacerdos offerens vice Christi, Agni mansueti, post homicidium ministret in Altari; Item quia, respectu ad homicidium, in Trid. *sess.* 14. *c.* 7. dicitur: *Qui per industriam occiderit proximum suum, ab altari evelli debet, etc.* Ergo quicunque occidit ex industria, etsi occulte, jam fit irregularis. *Tertia* sententia verior, quam tenent *Pal. D.* 6. *p.* 2. *n.* 1. *Dian. l. c. et p.* 7. *tr.* 11. *R.* 48. *et Salm. c.* 7. *n.* 16. *cum Cov. Avila*, *Con. et Pelliz.* universe affirmat, non solum quoad homicidium, propter rationes mox allatas, sed etiam quoad alia crimina. Ratio, quia Ecclesia, crimina reservando, etiam occultissima reservat, modo suæ jurisdictioni subjaceant, nempe si sint externata, licet nulli alii patefacta, prout imposuit excommunicationem Hæresi omnino occultæ (ut dictum est *n.* 305.). Quod autem de facto irregularitatem imposuerit delictis quomodocumque occultis, patet ex *c.* 6. *Liceat*, *Trid. sess.* 24. ubi Concilium facultatem præbens Episcopis absolvendi ab irregularitatibus, & censuris occultis, nominat sub unico vocabulo *occultis* hæresim, homicidium, & alia crimina; ergo sicut propter hæresim omnino occultam jam incurritur excommunicatio, & propter homicidium omnino occultum irregularitas, ita etiam propter alia crimina occulta irregularitas incurritur. An autem irregularitas proveniens ex homicidio prorsus occulto possit dispensari ab Episcopo? Vide infra *n.* 384. ubi id negabimus.

Quær. II. An ad incurrendam irregularitatem ex 350
delicto requiratur scientia legis Ecclesiæ prohibentis? *Prima* sententia universe negat dicens sufficere solam cognitionem peccati commissi; ita *Suar. D.* 40. *s.* 5. *n.* 10. *Holzm. t.* 1. *p.* 409. *n.* 311. *et Azor. ac Felin. apud Sanch. l.* 9. *D.* 32. *n.* 16. Ratio, tum quia lex humana intendit punire non solum transgressionem sui præcepti, sed etiam legis Divinæ, tum quia qui vult antecedens, vult etiam consequens, unde qui vult peccatum, vult etiam pœnam peccati. *Secunda* vero sententia communissima, & probabilior affirmat, & hanc tenent *S. Anton.* 3. *p. tit.* 24. *cap.* 33. *sub. fin. Bon. de censuris D.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 3. *Pal. de Peccat. tr.* 2. *D.* 1. *p.* 17. *n.* 6. *Nav. c.* 23. *n.* 47. *et c.* 27. *n.* 19. *cum Caj. Sylv. et Ang. Sanch. l. c. n.* 9. *et* 17. *cum Innoc. Abb. Host. Manuel*, *Vivald. etc. Salm. c.* 7. *n.* 49. *cum Cornejo*, *et Leand. ac Boss. de usu Matr. c.* 5. *n.* 158. *cum Panorm. Henr. Tab. Vill. et Reg.* Et probatur 1. ex *cap. Proposuisti*, *d.* 82. ubi Innoc. I. declaravit quosdam Clericos incontinentes non esse deponendos juxta Constitut. Siricii Papæ, eo quod eam ignorabant: & tamen eorum incontinentia erat quidem contra legem naturalem. Probat. 2. ratione, quia cum lex Ecclesiastica imponit pœnam super crimine a lege Divina vetito, novum jus condit, qui autem peccat contra legem Divinam, ignorans invincibiliter Ecclesiasticam, peccat utique contra illam, non vero contra hanc; ergo incurrere debet quidem pœnam Divinæ legis, non autem humanæ, juxta dicta *lib.* 6. *n.* 1072.

Idem dicendum putant *Pal. de cens. d.* 6. *p.* 6. *n.* 3. *Viva q.* 8. *art.* 2. *n.* 7. *et Salm. cap.* 7. *n.* 51. *in fin. cum Cornejo*, *Leand. et Machad.* de eo qui committit homicidium, ignorando legem Ecclesiæ illud vetantem, vel in rixa ad legem non advertendo: hunc enim dicunt excusari ab irregularitate, cum eam non incurrat neque ob delictum, neque ob defectum: non ob delictum, quia non peccat contra legem Ecclesiæ quam ignorat, vel ad quam non advertit, juxta sententiam mox supra probatam: neque ob defectum, quia irregularitatem ex defectu solum incurrunt ii qui ad occisionem concurrunt ut ministri necessarii ad causæ cognitionem, vel executionem pœnæ, ut probabiliter alibi dicunt *Palaus p.* 15. §. 5. *n.* 7. *Diana p.* 3. *tr.* 5. *R.* 80. *et Salm. c.* 9. *n.* 8. *cum Vasq. Hurt. Pelliz. et Turrian.* Attamen docent incur-

re-

rere *Suar. t.* 3. *D.* 31. *sect.* 6. *v. Solet autem*, *Boss. l. c. n.* 174. *et Diana p.* 4. *tr.* 2. *R.* 85. *cum Merolla*, *et Mercero*; nam ideo imposita est irregularitas homicidio, quia est actio lenitati contraria, quæ valde dedecet Altaris Ministrum, unde talis homicida non proprie ratione delicti aut defectus irregularitatem incurrit, sed ratione indecentiæ propter quam ab Altari est repellendus juxta id quod dicitur in Trid. *sess.* 14. *c.* 7. ubi: *Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum et per insidias ab altari avelli debet*. Hæc secunda sententia videtur valde probabilis, & tenenda; sed primam non audeo reprobare, cum hujusmodi irregularitas in casu præfato non habeatur omnino expressa in jure.

351 Quær. III. An ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur etiam scientia pœnæ, id est irregularitatis? *Prima* sententia negat, & hanc tenent *Suar. D.* 40. *sess.* 3. *n.* 9. *Laym. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 20. *n.* 6. *Croix l.* 7. *n.* 482. *Tourn. t.* 2. *p.* 16. *Concl.* 1. *Anacl. de cens. D.* 3. *q.* 1. *n.* 5. *Elbel de Irreg. n.* 161. *Holz. p.* 409. *n.* 311. *cum Carden. et Pichler*, *item Sotus*, *Pontius Mol. Vasq. Azor. Salas*, *Reg. Fill. etc. ap. Boss. de usu Matr. c.* 3. *n.* 168. Ratio, quia irregularitas non est pœna medicinalis ad cavenda crimina in futurum, sed est inhabilitas, vel pœna mere punitiva propter maculam culpæ, ob quam Ecclesia reddit delinquentem inhabilem ad Altaris ministerium; unde sufficit quod talis pœna sit imposita a lege actui vetito, quem Reus jam scienter & culpabiliter committit, licet ignorans pœnam. Præterea, qui vult causam, id est peccatum, debet subjacere etiam effectui, scilicet pœnæ, quamvis ignoratæ. Hæc sententia est quidem valde probabilis. *Secunda* vero sententia affirmans satis etiam probabilis videtur, & hanc tenent *Nav. Man. c.* 23. *n.* 47. *Sylv. v. Ignorantia q.* 8. *d.* 1. *Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 32. *n.* 20. *Pal. tr.* 2. *do pecc. D.* 1. *p.* 17. *n.* 7. *et tr.* 29. *de cens. D.* 6. *p.* 6. *n.* 3. *Ronc. p.* 124. *q.* 2. *Tamb. de cens. l.* 10. *tr.* 4. *c.* 4. §. 5. *n.* 3. *Diana p.* 4. *tr.* 2. *R.* 84. *Boss. l. c. nam.* 174. *cum Con. Sayr. Duard. Felin. etc.* item *Corn. Rodr. Portell. et Leand. ap. Sanch. c.* 7. *n.* 53. qui vocant æque probabilem ac primam; & etiam probabilem censet *Suar. l. c. et Renzi p.* 366. *q.* 7. Ratio, quia irregularitas ex delicto censetur vera pœna imposita in vindictam criminis. Licet autem non requiratur scientia pœnæ, ut ipsa incurratur quando pœna est ordinaria, & talis ut ex natura ipsius criminis aliquo modo prævideri possit, cum ipsum lumen naturale dictet malum juxta suam naturam esse puniendum, requiritur tamen scientia pœnæ, quando illa est ordinaria & exorbitans, ita ut secundum rei naturam ne in confuso quidem possit prævideri; & hujusmodi utique est pœna irregularitatis. Nec obstat dicere, quod volens peccatum debet sustinere pœnam. Nam respondetur cum *Navar. c.* 37. *n.* 174. quod esto ad pœnam incurrendam non requiratur consensus in pœnam, tamen requiritur consensus in causam pœnæ; & ut quis consentiat in causam pœnæ docet *D. Th.* 2. 2. *qu.* 65. *art.* 8. non sufficere consensum in actum peccaminosum, qui jam est causa pœnæ, sed peccantem debere scire talem actum esse causam pœnæ.

Quatuor autem modis tollitur irregularitas. I. 352
Per cessationem causæ, si irregularitas sit ex defectu (v. g.) ætatis, ignorantiæ, paupertatis, &c. *Suar. D.* 41. *sess.* 1. *n.* 6. *Laym. tr.* 6. *p.* 6. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 10. *Tourn. t.* 2. *p.* 113. *Ronc. p.* 114. *q.* 5. *R.* 1. *& Salm. c.* 7. *n.* 55. *cum Sayr. &c.* Notandum autem, quod cum quis est irregularis ob infamiam, si infamia est *popularis*, tollitur per emendationem, ex *cap.* 3. *& c.* 18. *Dist.* 56. Si est infamia *facti*, tollitur per mutationem loci, *Tourn. p.* 58. *et Ronc. p.* 114. *q.* 3. Si vero infamia est *juris*, scil. per sententiam Judicis, tunc ad eam tollendam omnino requiritur dispensatio. II. Per Baptismum, si irregularitas sit ex delicto; qui enim homicidium patravit ante Baptismum, post illum non manet irregularis. *Salm. nu.* 57. cum *Con. Sayr.* &c. III. Per Dispensationem, de qua *n. seq.* IV. Per professionem Religiosam, de qua infra *n.* 354. & 355.

„ Resp. 3. Irregularitas non tollitur per absolu- 353
„ tionem, sed per dispensationem, hac vel simili
„ forma: *Dispenso tecum in irregularitate, quam,*
„ *vel quas, ob hanc vel illam causam incurri-*
„ *sti.* Et si quidem dispensans intendat tollere o-
„ mnes, idque possit, omnes tollit: sin minus,
„ eam tantum tollit, quam potest, & vult. Etsi
„ vero hæc dispensatio ad Pontificem spectet, ex
„ jure tamen novo *Trid.* ubi est receptum, pot-
„ est Episcopus dispensare in irregularitatibus pro-
„ venientibus ex delicto, & non deducto ad fo-
„ rum contentiosum, nisi tamen sit homicidium
„ directe, & in se volitum. *Bon. qu.* 5. *p.* 1. *n.* 3.
„ *ex Trid. sess.* 24. *cap.* 6. *Suar. Sanch. Fill.*
„ &c. *Laym. c.* 9. *n.* 4.

Hic notandum I. quod si dispensaretur a Papa super aliqua irregularitate sine justa causa, dispensatio erit valida (quamvis non licita): si vero dispensaretur ab inferiore, erit & amplius nulla, *Salm. c.* 7. *n.* 60. Notandum II. Si quis plures irregularitates contraxerit ejusdem speciei, puta si pluries ministrarit cum censura, sufficit tunc ad obtinendam dispensationem, si dicat, pluries in illas incidisse; ita *Suar. D.* 44. *sect.* 3. *n.* 8. *Pal. D.* 6. *p.* 7. *n.* 3. *et Salm. c.* 7. *n.* 61. *cum Con.* imo *Sanch. de Matr. l.* 8. *D.* 24. *n.* 7. *et Nav. Henr. ac Avila ap. Salm. l. cit.* docent sufficere, si dicat tantum se irregularem esse ob talem culpam. Notandum III. Quod Prælatus, si admittat quemdam ad Ordinem, vel Beneficium, quem scit irregularem, censetur cum eo dispensare. *Bon. Dist.* 7. *q.* 3. *p.* 1. *in fin. ac Salm. ib. cum Hen. et Av.*

„ Præterea irregularitas ex defectu natalium tol- 354
„ li etiam potest per professionem in religione ap-
„ probata, sed quoad ordines tantum, non quoad
„ prælaturas, *c.* 1. *de filiis Presbyterorum*. *Bon.*
„ *p.* 2. *Laym. c.* 9. *n.* 6. *Suar. Sanch. Less.* * (*Ita*
„ *etiam comm. Sanch. Matr. lib.* 7. *D.* 86. *n.* 4.
„ *Suar. D.* 41. *sect.* 1. *n.* 3. *Holzm. p.* 411. *n.* 323.
„ *v. Per Professionem*, *et Tourn. p.* 27. *v. Quod*
„ *ex concessione Greg. XIV. Clem. VIII. et Pau-*
„ *li V.*) * contra *Villal.* qui apud *Dian. p.* 4.
„ *tr.* 2. *Res.* 64. dicit tolli quoad omnia solita gu-
„ bernari per Fratres Ordinis, ut Prioratus, Præ-
„ positoratus, Rectoratus, & cætera munia, circa
„ quæ Prælatos saltem posse cum iis dispensare,
„ in Capitulo tamen Generali, vel Provinciali, no-

„ tat

„ tat *Diana l. c.* ex *Barb.* * (*Et ita etiam Pal.*
„ *D.* 6. *p.* 7. *n.* 2. *& Holzm. l. c. cum Sayr. No-*
„ *tant autem Bon. D.* 7. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 14. *& Tourn.*
„ *p.* 39. *cum Sayro, quod Dispensatio ad digni-*
„ *tates non intelligitur ad Episcopatum. Quod*
„ *autem dicit Sotus, scil. per Professionem Reli-*
„ *giosam tolli omnes irregularitates, id commu-*
„ *nius negant AA. apud Salm. c.* 7. *n.* 58.) *

„ 1. Solus Papa, & qui ab eo accepit privile-
„ gium, potest dispensare in irregularitatibus ex
„ defectu.

„ 2. Confessarius in nullis irregularitatibus pot-
„ est dispensare, nisi habeat speciale privilegium
„ a Papa.

355 Prælati autem Regulares, ut dicunt *Salm. c.* 8. *n.* 63. *cum Bauny, Cand.* & aliis, *ac Spor. suppl. p.* 149. *n.* 167. *cum Herin.* ex Privilegio S. Pii V. (in Bulla 23.) relato in extensum a *Salm. c.* 2. *n.* 72. & ex alio Greg. XIII. allato *d. c.* 8. *n.* 63. possunt dispensare cum suis subditis in omni irregularitate occulta, in qua possunt Episcopi cum suis. Et etiamsi irregularitas proveniat ex bigamia, & homicidio adhuc voluntario, modo non sit notorium, ut ait *Pal. D.* 6. *p.* 7. *n.* 2. ex Privilegio Martini V. relato *apud Rodriq. & Spor. l. c. cum Portel.* Qui tamen ait cum eodem *Rodriq.* id intelligi tantum de dispensatione ad Ordines, non ad Prælaturas. Quomodo Regulares possint dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario? Vide dicenda *Dub. seq. in fin. n.* 396. Hoc respectu ad subditos, quo vero ad seculares docent *Spor. Suppl. p.* 150. *n.* 170. *cum Suar. Sanch. Bassæo, Sayr. &c. ac Salm. tr.* 18. *de Privil. c.* 4. *n.* 71. *& de Cens. c.* 7. *n.* 63. *cum Pell. Lez. Rodr. Henr. &c.* posse Confessarios Regulares dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus possunt dispensare Episcopi cum subditis suis, ex Privilegio Bullato Sixti IV. in Bulla 9. Minimis concesso, & confirmato a Julio II. in sua Const. quæ incipit, *Dum ad Sacrum Ordinem*, (ut testatur *Peyrin. ad Const. I. Julii II.* §. 12. *ap. Salm. tr.* 18. *de Privil. c.* 4. *n.* 171.) ibi Confessariis illorum concessa est facultas *ab omnibus excommunicationibus, suspensionibus, & interdictis, & super quacunque irregularitate ordinaria, tam a jure quam ab homine reservatis, toties quoties opus fuerit absolvendi, & dispensandi, ac vota quæcunque permutandi, sicut potest Diœcesanus.* Hujusmodi Privilegium *Bauny* testatur jam esse in usu, sed *Lezana* de hoc dubitat; ut *Salm. d. n.* 171. dicunt, quod usus talis Privilegii, cum sit occultus spectando ad forum Pœnitentiæ, nemo testari potest, an sit, vel non sit in usu: præterquam quod addunt. Privilegia maxime gratiosa non amitti per non usum, ut ajunt probasse in *eod. tr.* 18. *c.* 2. *n.* 13. Et etiamsi Minimi illo nequirent uti ob non usum, dicunt tamen alios Regulares in Privilegiis communicantes non interdici ab illis utendis. An vero ex Bulla Cruciatæ possit Confessarius electus dispensare in irregularitatibus ex delicto? Vide *Salm. c.* 7. *n.* 66.

DUBIUM IV.

Quæ sint irregularitates ex delicto?

356 *Irregularitas ex delicto incurritur I. ob* Baptismum iteratum.

357 *II. Ob* Violationem censuræ. 358. *Plura notanda.* (*An autem qui ordinatur ligatus censura, incurrat irregularitatem?* Vide dicta l. 6. n. 799. Dub. 3. vers. Utrum).

359 *III. Ob* Exercitium actus Ordini Sacri, *quem aliquis Clericus non habet.*

360 *IV. Ob* Malam susceptionem Ordinum, 361. *Quotupliciter incurratur irregularitas ob furtivam susceptionem?*

362 *V. Ob* Crimina infamia, & Notoria. 363. *Requiritur notorietas facti, vel juris. Quæ sint crimina, et exercitia, quibus annexa est infamia?* 364. *Quomodo tollatur hæc irregularitas?*

365 *VII. Ob* Homicidium, *vel* Mutilationem. 366. *De irregularitate ob Homicidium* voluntarium.

367 *Hanc irregularitatem incurrunt I. Qui occidunt, vel mutilant.* 368. *Dub.* 1. *Quid si homicida pœniteat ante mortem?* 369. *Dub.* 2. *Quid si unus feriat, sed alii occidant?*

370 *II. Incurrunt mandantes, vel consulentes homicidium, vel mutilationem.* 371. *Dub.* 1. *Quid in dubio, an homicidium causatum fuerit ex mandato, sive consilio?* 372. *Dub.* 2. *Quid si homicida jam erat determinatus ad occidendum? Dub.* 3. *Quid si consulens consilium revocet?*

374 *III. Incurrunt omnes cooperantes ad homicidium vel mutilationem, nempe* 1. *Excitantes.* 2. *Præliantes in bello injusto.* 3. *Ministrantes auxilium.* 4. *Accusantes, etc.* 5. *Associantes.* 375. *Dub.* 1. *An incurrant ratihabentes?* 376. *Dub.* 2. *An non impedientes?*

377 *De irregularitate ob homicidium vel mutilationem* causalem.

378 *De mutilatione membrorum.* 379. *Dub.* 1. *Quid veniat nomine* membri? 380. *Dub.* 2. *An fiat irregularis qui abscindit testiculos?* 381. *Et an ab irregularitate propter mutilationem possint dispensare Episcopi?* 382. *Plura apud Busemb. & præsertim, an dans potum infirmo, vel eum admovens incurrat irregularitatem? Vide ib. n.* 4.

383 *Si quis dat operam rei licitæ, non fit irregularis, nisi apponat negligentiam moraliter culpabilem.* 384. *Hinc excusatur I. Magister, & Pater verberans. II. Equitans in equo feroci. III. Alens feram ligatam. IV. Reficientes tectum. V. Clericus in Sacris, aut Monachus medens sine incisione, vel adustione.* 385. *Quid de Clerico Beneficiato medente cum incisione?*

386 *Si quis dat operam rei illicitæ, non fit irregularis, si res non est periculosa.* 137. *Quid si periculosa?*

388 *Quid si quis occidat ad defensionem sui vel in-*

innocentis? Et quid si adulter occidat maritum aggressorem? Remissive ad l. 3. *n.* 396. v. in ordine.

389 *An fiat irregularis occidens ob defensionem libertatis, honoris, bonorum, &c.?*

390 *Quomodo tollatur irregularitas propter homicidium?* 391. *An Episcopi possint dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario?* 392. *Et quid si homicidium fuerit omnino occultum?* 393. *Quid si homicidium fuerit casuale?* 394. *An reputetur casuale homicidium patratum in rixa?* 395. *Et quid si fuerit commissum per defensionem, sed excedendo moderamen?*

396 *Quomodo Prælati Regulares possint dispensare in irregularitate ob homicidium, vel mutilationem cum subditis suis?* Et *quomodo cum laicis?*

356 „ Resp. *Prima* est ob iteratum Baptismum se-
„ rio, & scienter; estque irregularis tam bapti-
„ zans, quam baptizatus; etsi in baptizante irre-
„ gularitas tantum sit causa partialis, nec clericus
„ ad altiorem Ordinem possit ascendere: neque in-
„ curratur, si rebaptizatio sit occulta. *Covar. To-*
„ *let. M. Leo p.* 3. *s.* 318. V. *Bon. d.* 7. *q.* 3. *p.*
„ 5. *Laym. l.* 1. *t.* 5. *p.* 5. *c.* 2.

Per rebaptizationem occultam non solemnem probabilius non incurritur irregularitas, ut tenent *Bon. D.* 7. *q.* 3. *n.* 1. *&* 7. *Pal. D.* 6. *p.* 16. *n.* 1. *& Salm. c.* 8. *n.* 60. *cum Sylv. Laym. & Con. ex c. Ex literarum de Apostat.* ubi, cum de rebaptizato sermo fiat, dicitur: *Ad superiores Ordines promoveri (si publicum est quod proponitur) non valebit, nisi ad Religionem transire voluerit; si vero occultum est, promoveri poterit.* Hinc nota I. quod irregularitas adversus eum, qui scienter rebaptizatur, habetur ex *cap.* 4. *Confirmandum. Dist.* 50. adversus autem rebaptizantem habetur tantum ex communi sententia DD. ut testantur *Salm. de Cens. c.* 8. *n.* 59. Et colligitur ex *c. Ex litterarum*, ubi declaratur irregularis Acolytus assistens rebaptizationi. Rebaptizans, vel rebaptizatus ex metu sine intentione, vel sub conditione (etsi temere & culpabiliter fiat) probabiliter non fiunt irregulares, ut *Pal. l. c. n.* 5. *Suar. D.* 31. *sect.* 6. *dub.* 5. *Tourn. p.* 104. *q.* 3. *& Salm. c.* 8. *n.* 61. *cum Nav. Corn. & Avila.* Ignorantia culpabilis tamen hoc non excusat; ex *c. Quibus, de Consecr. dist.* 4. Secus, si inculpabilis; *Pal. n.* 6. *Salm. n.* 62. *cum Sot. Sayr. &c.* Nota II. quod est etiam irregularis, qui baptizatur ab hæretico declarato sine ulla necessitate, ut habetur ex *cap. Ventum est.* 1. *q.* Insuper qui differt baptizari usque ad mortis periculum, ex *c. Si quis, Dist.* 57. Vide *Salm. n.* 65.

357 „ *Secunda* ex violatione censuræ, v. gr. si ea in-
„ nodatus actum aliquem Ord. solemniter exerceat
„ nisi invincibilis ignorantia excuset. *Laym. c.* 3.

358 Notand. hic I. quod qui celebrat innodatus excommunicatione minori non incurrit irregularitatem, ex *c. Si celebrat. De Cler. exc. min.* Immo nec irretitus excommunicatione majori, si exerceat actum Ordinum Minorum, adhuc solemniter, & ex officio: ita *Bon. q.* 3. *p.* 5. *n.* 1. *Laym. c.* 3. *n.* 4. *Nav. n.* 27. *n.* 242. *&* 244. *Anacl. p.* 512. *n.* 13. *et Avila, Fill. Corn. cum Salm. c.* 8. *n.* 66. Nec si exerceat actum ordinum majorum, sed non solemniter, idest Diaconatus sine stola, Subdiaconatus sine manipulo; cum tales actus sic exerceri possint etiam a Cantoribus: *Salm. c.* 8. *n.* 68. *& Anacl. l. c.* Nec qui canit solemniter Officium, nisi sit Hebdomadarius Capituli, solemniter dicendo Orationem cum *Dominus vobiscum*; quia tale ministerium ex consuetudine a Sacerdotibus, aut Diaconis exercetur. Nec qui concionem habet, quia hoc munus de licentia Episcopi potest exerceri etiam a non constituto in Sacris, cum sit actus jurisdictionis, non Ordinis; *Suar. D.* 12. *sect.* 2. *n.* 4. *& Salm. c.* 8. *n.* 69. *cum Avil. Sylv. Sayr. Henr. &c.* Nec qui exercet actum non Ordinis, sed jurisdictionis, scil. si Episcopus excommunicet, si Parochus assistat Matrimonio; *Anacl. n.* 14. *& Diana, Avil. Sylv. Sayr. Henr. &c. cum Salm. c.* 8. *n.* 69.

Notand. II. ad incurrendam hanc irregularitatem requiri, ut censuratus scienter actum Ordinis exerceat, quia illa tantum ob contemptum censurarum imposita est. Episcopus, vel alius Sacerdos censuratus cogens alium ad celebrandum coram se, fit irregularis *c. Illud de Cler. exc. min.* Ab hac autem irregularitate tantum Pontifex potest absolvere, vel Episcopus, si sit occulta; & Prælati Regulares cum suis Religiosis, etiamsi sit publica, ut tenent *Bord. Sayr. Corn. Cand. etc. ap. Salm. c.* 8. *n.* 72. Immo etiam cum sæcularibus; ut *Peyrin. Fragros., & Ant. a Sp. S. ib.* ex privilegiis Mart. V. & Jul. II. Notandum III. cum *Cabassut. l.* 5. *c.* 20. *n.* 13. quod si quis celebret in Ecclesia polluta, non fit irregularis; fit vero qui celebrat scienter in loco interdicto, quia jam violat censuras per exercitium Ordinis, ex *c. Is qui* 18. *de Sent. exc. in* 6. Notand. IV. *cum Anacl. p.* 512. *n.* 16. *& Nav. ib.* quod qui ordinatur ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, hæretico, schismatico, aut simoniaco, fit irregularis: argum., ex *c. Quod quidem, & c. Statuimus.* 1. *q.* 1. item ex *c. Ordinationes q.* 9. *et c.* 1. *et* 7. *de Schism.* ubi dicuntur hujusmodi Ordinationes indigere dispensatione. An autem incurrat irregularitatem, qui ordinatur aliqua irretitus censura? Vide *l.* 6. *n.* 799. *Dub.* 3. *vers.* Utrum.

„ *Tertia*, ob peccatum, quo Clericus serio, &
„ scienter actum ordinis sacri, quem non habet,
„ solemniter exercet. *Bon. l. cit. part.* 6. *Laym.*
„ *l. c. c.* 3.

Ex hoc capite igitur (ut dicit *Busemb.*) fit ir- 359
regularis Clericus ministrans scienter, & solemniter in Ordine Sacro, quem non habet, ut ex *c.* 1. *et* 2. *De Cler. non ord. min.* Nempe, si non Diaconus canat Evangelium cum stola, etc. vel si non Sacerdos absolvat sacramentaliter, solemniter baptizet, &c. An autem laicus exercens actum Ordinis quem non habet incurrat irregularitatem? Probabilius negatur juxta dicta de Baptismo *l.* 6. *n.* 116. *Dub.* 3. Qui est ligatus duplici censura, & exercet actum Ordinis Sacri, etsi non incurrat duplicem irregularitatem, incurrit tamen unam duplici æquivalentem; unde in petitione dispensationis id exprimere debet: *Tourn. t.* 2. *p.* 109. Sacerdos

dos autem simplex excipiendo Confessiones non incurrit irregularitatem; quia hic revera exercet actum Ordinis quem jam habet, licet careat jurisdictione, ut recte ait idem *Tourn. p.* 110. Unde peccat, sed non incurrit irregularitatem.

360 „ *Quarta*, ob delictum, quo quis male susce-
„ pit Ordines, v. g. in excommunicatione, sus-
„ pensione, vel ab Episcopo non habente jurisdi-
„ ctionem, vel per saltum (licet hunc suspensum
„ tantum esse, quandiu non ministrat in Ordine
„ per saltum suscepto, satis probabiliter docent
„ *Avila*, *Nav. Bonac.*), vel ante legitimam æ-
„ tatem, vel sine dimissoriis, vel furtive (Epi-
„ scopo nesciente, nec approbante), & non exa-
„ minatus; V. *Bon. d.* 7. *q.* 5. *p.* 4.

361 Ex furtiva Ordinum susceptione fit irregularis. I. Qui Ordinem recepit sine approbatione Episcopi; nam is prohibetur ad alium Ordinem ascendere, ex *c.* 1. *De eo, qui fur.* &c. II. Qui sine dispensatione Episcopi eodem die recipit plures Ordines, quorum unus Sacer est, ex *c.* 2. *&* 3. *eod. tit.* III. Qui post matrimonium contractum ante consummationem Ordinem Sacrum recipit, renitente uxore, ut ex *Extrav. Antiquo de Voto.* Alias vero furtivas receptiones Ordinum, quas enumerat hic *Busemb.*, dicunt *Suar. D.* 42. *sect.* 3. *n.* 5. *Pal. D.* 7. *p.* 37. *n.* 1. *Salm. t.* 7. *n.* 73. *cum Con. & Corn.*, potius inducere suspensionem quam irregularitatem; nihilominus pro absolutione hujusmodi suspensionis, semper recurrendum ad Papam: vide dicta *n.* 318.

In hac autem irregularitate nequit dispensare Episcopus, si crimen est publicum, & ipse ante Ordinationem præceperit sub pœna excommunicationis (ut mos est) neminem furtive accedere, ex *c.* 1. *eod. tit. ut supra*; V. *Salm. c.* 8. *n.* 75. Qui insuper dicunt cum *Fragoso*, &c. Regulares posse dispensare etiam cum secularibus, sicut in aliis irregularitatibus occultis, ita etiam in hac, ex Privilegio Sixti IV. & Julii II. juxta dicta in *Dub. præced. n.* 352. *in fin.*

362 „ *Quinta*, propter enormia crimina, si sint no-
„ toria, & publica, v. gr. quæ a jure habent an-
„ nexam infamiam, ut adulterium, raptus, ince-
„ stus, perjurium in judicio.

Hæc irregularitas ex infamia, ut ait *Croix l.* 6. *n.* 512. potius reducitur ad irregularitatem ex defectu, quam ex delicto, cum infamia non sit aliud quam defectus bonæ famæ. Omnes infames irregulares fiunt, ex *c. Infames.* 6. *Qu.* 1. Et hoc intelligitur, sive infamia sit ex jure Canonico, sive ex civili. Item sive infamia sit juris, sive facti; quamvis *Bon. cum Azor. apud Salm. c.* 8. *n.* 76. dicant infamiam facti inducere quidem irregularitatem ad non suscipiendos Ordines, sed non ad ministrandum in susceptis; infamiam vero juris ad utrumque.

363 Ad incurrendam hanc irregularitatem requiritur, ut crimen cui annexa est infamia, sit notorium notorietate facti, vel juris, *Facti* per publicam famam. Requiritur tamen, prout dicunt *Viva Qu.* 9. *Art.* 3. *num.* 6. *cum Castro, Hurt. ac Laym. Garc.* & *Pignat.* apud *Croix l.* 7. *n.* 513. (contra *Suar. Fill.* &c.) ut factum non solum sit publicum, sed etiam notorium; seu ita evidens majori parti viciniæ, seu collegii (ubi ad minus sint decem) ut nulla possit tergiversatione celari. Item ait *Viva ibid.* requiri etiam, ut crimen sit qualificatum, ut hæresis, parricidium, &c. vel continuatum, ut concubinatus. Infamia autem *Juris* habetur per confessionem rei in judicio, vel per sententiam Judicis, saltem criminis declaratoriam; ita *Sanch. Dec. l.* 2. *c.* 26. *n.* 1. *Pal. p.* 20. *n.* 3. *& Salm. c.* 8. *n.* 82. *cum Con. Bon. Avila, Corn. &c.* Crimina autem, quibus de jure annexa est infamia, sunt homicidium, perjurium factum in judicio, hæresis, simonia, sodomia, crimen læsæ Majestatis, adulterium, proditio, rapina, lenocinium, exercitium usurarum, invasio Cardinalium, vel Episcoporum. Item raptus mulierum, seu ad illum cooperatio, duellum, paratio armorum contra parentes, &c. Vide *Salm. c.* 8. *ex n.* 78. Item exercitium histrionis cum turpibus repræsentationibus, ita ut non fiat sine peccato mortali: non autem macellatoris, carnificis, lictoris, & similis generis, cum hæc officia bene exerceri possint sine peccato, ut *Pal. l. c. n.* 6. *& Salm. n.* 84. *cum Corn. contra alios.* Præterea hic notandum posse etiam incurri irregularitatem ob infamiam adhuc alienam, prout incurrunt filii eorum qui damnati sunt ob delictum læsæ Majestatis; item filii nati ex matre meretrice; ita filii Hæreticorum (licet hoc neget *Viva Art.* 4. *n.* 6. sicut negat etiam de filiis illegitimorum cum *Suar.*, & *Palao contra alios*) & etiam nepotes per viam masculinam ab iis descendentes; modo tamen sit notorium parentes fuisse hæreticos, & in hæresi decessisse, ut *Sanch. l.* 2. *c.* 28. *n.* 7. *& Suar. D.* 43. *sect.* 3. *n.* 1. Ut autem omnes hi irregularitatem incurrant, opus est, ut nati sint post delictum; ita *Sanch. l.* 2. *c.* 27. *n.* 14. *Less. l.* 2. *c.* 34. *n.* 121. *Pal. p.* 19. §. 2. *n.* 2. *& Salm. c.* 8. *n.* 83. *cum Bonac. & Henriq.*

Hæc infamia atque irregularitas, si sit facti, tollitur vel per Baptismum, vel per notoriam facti emendationem, sine dispensatione, ut tenent *Suar. D.* 48. *sect.* 2. *n.* 6. *Pal. l. c. num.* 14. *& Salm. cum Henr. Bon. Corn.* &c. Et colligitur ex *c. Si duo* 15. *q.* 6. Modo emendatio, universim loquendo, ut ait *Viva ar.* 4. *n.* 6. & *Croix n.* 517. *cum communi*, saltem per triennium perseveret. Si vero sit juris, non tollitur nisi per dispensationem; quamvis *Bon.* teneat hanc etiam tolli per Baptismum, & *Salm. num.* 86. non improbabile putant.

Episcopus non potest dispensare, ut infamis infamia facti ad Sacros Ordines ascendat: potest tamen, ut in susceptis ministret, si crimina sint minora adulterio, & reus egerit pœnitentiam. Si vero infamia sit per sententiam Judicis, potest ab illo irregularitas tolli per aliam sententiam, qua reo fama restituatur, *Salm. c.* 8. *n.* 87. *& Tourn. t.* 2. *p.* 57. Irregularitas ob crimen parentum, vel ob officium infame tollitur per ingressum in Religionem, ut *Salm. ib.* cum *Corn.* Testantur autem *ib. Bordon. & Ant. a Sp. S.* Regulares ex Privilegiis Pii IV. & Pii V. posse dispensare cum suis subditis in hac irregularitate, sive contracta ante ingressum in Religionem, sive post: item sive infamia fuerit juris, sive facti, nulla excepta.

365. *Sexta* oritur ex injusta mutilatione, vel ho-
„ micidio, etiam indirecte tantum voluntario; ex-
„ ten-

„ tenditurque ad omnes, qui ad alterutrum, sive „ in bello injusto, sive extra illud, injuste con- „ currunt, consulendo, mandando. Mutilatio au- „ tem hic intelligitur, quando a corpore separa- „ tur membrum aliquod principale, idest pars cor- „ poris, quæ officium per se distinctum habet, v. „ gr. per, manus, oculus, auris, &c. *M. Leo in* „ *praxi p.* 3. *s.* 347. *ex Covar. Nav. de Cens. n.* „ 206. Vide *Bon. p.* 8. *(Ita habetur ex Cle-* „ *ment. unic. De Homic. Et hoc verum eet, e-* „ *tiamsi quis mutilet seipsum, ut qui seipsum* „ *castraret, c. Si quis absciderit. D.* 55. *Sayr.* „ *Corn. cum Salm. c.* 8. *n.* 18. *Sicut etiam fieret* „ *irregularis, qui seipsum culpabiliter deforma-* „ *ret, aut digitum, vel partem digiti sibi ab-* „ *scinderet, ut ex c. Qui partem D.* 55. *Dici-* „ *tur*, seipsum, *quia secus esset* (*ut mox dicemus* „ *n.* 379.) *si alter abscinderet tibi digitum*) *

366 Hæc igitur irregularitas oritur tam ab homicidio voluntario (nimirum cum homicidium sit vel directe volitum in se, vel indirecte in causa, inseparabiliter tamen & proxime cum illo conjuncta, prout est in lethali vulneratione, in porrectione veneni, &c.), quam ab homicidio casauli indirecte volito, nempe in causa, præviso effectu (non ita autem proxime cum causa conjuncto), & neglecta debita diligentia ad illum impediendum. Hinc aliqua adnotabimus I. De homicidio *voluntario*. II. De homicidio *casuali*; advertendo, quod illud quod dicitur de irregularitate ob homicidium, dicitur etiam de irregularitate ob mutilationem voluntariam, sive casualem.

367 Quoad homicidium voluntarium pertinet, I. incurrunt irregularitatem omnes, qui propria actione hominem occidunt, ut patet ex *c. Si quis* 1. *de Homic.* & ex *c.* 7. *Trid. sess.* 14.

368 Sed hic dubitatur 1. an si homicida pœniteat facti ante mortem, incurrat irregularitatem? Negant *Salm. c.* 8. *n.* 4. *fin.* quia (ut ajunt) tunc occisori, mors illa non est voluntaria in seipsa, sed tantum in causa, quæ cum jam retractata fuerit, ipse non influit amplius moraliter in mortem. Sed verius affirmant *Suar. D.* 44. *s.* 3. *n.* 7. *& Viva de Irreg. q.* 9. *ar.* 2. *n.* 4. Nam in hoc differt causa moralis a physica; qui posuit causam tantum moralem, sufficit, ut eam moraliter auferat, ne effectus ei imputetur, hinc mandans homicidium, revocando mandatum ante ejus executionem, bene excusatur ab irregularitate, quia jam desinit moraliter influere. Qui vero posuit causam physicam mortis, nempe vulnus, aut venenum, non excusatur si pœniteat, quia causa necessario pergit influere in mortem. Imo recte docet *Suar. D.* 44. *sect.* 3. *n.* 13. *in fin.* nec etiam mandantem excusari ab irregularitate, si revocatio mandati casu non perveniat ad mandatarium. Valde probabiliter tamen (ut diximus *n.* 40. & tenent iidem *Salm. c.* 1. *n.* 153. *cum Suar. Sayr. Avila, Corn. &c.* ac consentit ipse *Viva l. c.*) excusabitur ab excommunicatione mandans percuti Clericum; si ante executionem pœniteat mandati, sive consilii, licet revocatio mandatario non innotuerit. quia cessat contumacia requisita ad censuram incurrendam. Certum autem est, quod si quis lethaliter quamtumcumque vulneret, si mors non sequitur, irregularitatem non incurrit; quia nulla assignatur in jure propter conatum occisionis, sed tantum propter homicidium, aut mutilationem, ita *Suar. D.* 44. *sect.* 2. *n.* 2. *& Salm. l. c. cum Avila, & Sayr.* ac alii passim.

Dubit. 2. an incurrat irregularitatem, si quis 369
primus lethaliter aliquem percusserit, sed alii postmodum eum peremerint? affirmant *Fagnan. in c. significasti* 18. *de Homic.* item *Cov. & Ugol. ap. Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 8. *n.* 32. Et inferunt ex *dicto c. Significasti*, ubi Pontifex dixit primum vulnerantem non esse irregularem, si constet vulnus ab ipso inflictum non fuisse lethale; secus ergo, si lethale fuerit; Negant vero *Laym. l.* 3. *s.* 5. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 10. *in fin. Bon. l. c. cum Avila*, & *Con.* item *Molina*, *& Henr. ap. Escob. l.* 53. *n.* 311. Ego autem censeo cum *Escob. n.* 312. revera in prædicto *c. Significasti*, nihil definitum fuisse de hoc casu: ibi enim fuit quidem decisum in casu ibi allato, nempe cum quidam primum ab uno percussus fuisset, deinde ab aliis, & sic decesserit; respondit Pontifex, quod si constiterit, primum non percussisse lethaliter, eum non esse irregularem. Secus si dubium fuisset, an ex illius percussione, vel aliorum vulneratus periisset. Nostrum autem casum, nempe quod primus vulnus lethale inflixerit, sed percussus ab aliis extinctus fuerit, puto a Pontifice fuisse præteritum, saltem non constat fuisse decisum. Hoc tamen intelligendum, si constet primum vulnus non causasse mortem, nec accelerasse, sed eam intulisse secundum vulnus, nempe si caput fuisset contractum, aut cor transverberatum; nam alias in dubio primus non effugit irregularitatem.

II. Incurrunt irregularitatem omnes homicidium 370
mandantes, vel consulentes, ut habetur ex *c. Si quis viduam. D.* 50. *c. Significasti* 18. *de Homic. & c. Sicut* 6. §. *vero*, *eod. tit.* Hoc tamen non currit, si mandans, vel consulens non influxerit in homicidium, nimirum (ut dicunt *Sanch. Dic. l.* 1. *c.* 10. *n.* 44. *& Viva q.* 9. *ar.* 2. *n.* 6.) si constet homicidium ex alia causa accidisse; vel si ipsemet hoc asserat, sitque fide dignus; nam alias ut bene advertit *Sanch.* non est credendus.

Sed dubit. 1. an mandans vel consulens censen- 371
dus sit irregularis in dubio, an mandatum vel consilium fuerit, vel non, efficax causa homicidii? *Prima* sententia communior, quam tenent *Sanch. l.* 1. *c.* 10. *n.* 44. *circa fin. cum Salas*; *Pal. D.* 6. *p.* 3. *n.* 8. *cum Nav. & Salm. c.* 7. *n.* 45. *cum Con. Sayr. Avila*, *& Corn.* affirmat, tum quia possidet mandatum sive consilium, usquedum probetur oppositum; unde sicut in foro externo hi damnarentur jam ut irregulares; ita censendum in interno, qui externo conformari debet, semper ac Externus non utitur falsa præsumptione; tum quia ratio textus in *c. Ad audientiam*, nempe quod in dubio homicidii tutior pars eligenda est, ut si forte postmodum certe innotescat homicida, evitetur indecentia & scandalum, comprehendit tam homicidam, quam mandantem, aut consulentem. *Secunda* vero sententia, quam tenent ut probabilem *Dian. p.* 11. *tr.* 6. *R.* 42. *Spor. t.* 2. *p.* 130. *n.* 129. *& Tamb. l.* 10. *de Cens. tr.* 4. *c.* 5. *n.* 11. negat, quia (ut ajunt) irregularitas non incurritur nisi expressa sit in jure, jura autem loquuntur de iis qui certe sunt causa homicidii mandando

do vel consulendo, vel qui dubie homicidium committunt, non autem de iis qui tantum dubie ad illud concurrunt. Unde sicut non incurreret irregularitatem mandans sive consulens homicidium, nisi hoc in textibus suprà allatis esset expressum, ita alii Canones, qui damnant percutientes, etiam in dubio, an ex eorum percussione mors sequuta fuerit, non extenduntur ad mandantes & consulentes in dubio concursus. Ad primam autem rationem responderi posset id quod dicitur circa obligationem restitutionis, vide dicta *l.* 3. *n.* 562. ex *D. Th.* & aliis. Secundæ vero rationi respondetur, quod in pœnis, & præsertim in irregularitatibus (juxta dicta *n.* 346.) non fit ob identitatem rationis extensio de casu ad casum. Unde non videtur hæc secunda sententia dicenda improbabilis.

372 Dubit. 2. an incurrat irregularitatem qui movet homicidam jam determinatum ad occisionem, ut citius eam exequatur? Negat *Hurt. cum aliis ap. Viva q.* 9. *ar.* 2. *n.* 7. quia hic non influeret simpliciter in homicidium. Sed communiter & recte affirmant *Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 8. *n.* 28. *Pal. p.* 15. §. 2. *n.* 6. *& Salm. c.* 8. *n.* 13. *cum Avila, & Corn.* quia revera iste jam directe est causa illius homicidii eo tunc patrati.

373 Dubit. 3. an consiliator homicidii excusetur ab irregularitate, si ante executionem consilium revocet? Negant *Nav. c.* 27. *n.* 353. *& Bon. D.* 6. *p.* 8. *n.* 20. *cum Az.*, & *aliis*, quia consilium adhuc revocatum semper influit. Affirmant vero *Suar. D.* 44. *s.* 3. *n.* 13. cum communi ut asserit, *Sylvest. v. Homicidium, n.* 13. *Fill. tr.* 20. *n.* 34. item *P. Nav. Avila, Sayr. Salas*, & *Ugol. ap. Bon. l. c.* quia, ut consulens excusetur, sufficit quod sicut consulendo moraliter influxum posuit, ita, consilium revocando, influxum moraliter auferat (modo intelligitur revocatio perveniat ad homicidam); tunc enim homicidium potius imputatur malitiæ executoris, quam consilio suadentis. Sed juxta dicta *l.* 3. *n.* 559. dicimus, quod si consilium fuerit duntaxat falsum, vel datum auctoritativo modo, revocans illud non fit irregularis; secus si consulens insinuavit motivum, vel modum occidendi; tunc enim probabilius incurrit irregularitatem, quia motivum aut modus semper influere pergunt. Hoc tamen non obstante, secundam sententiam non puto improbabilem; V. *d. n.* 559.

374 III. Incurrunt irregularitatem omnes qui voluntarie cooperantur ad homicidium, vel ut illud celerius, audacius, aut securius fiat, ut communiter docent *Pal. D.* 6. *p.* 15. §. 2. *n.* 6. *Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 8. *a. n.* 28. *Tamb. de Cens. c.* 15. §. 7. *n.* 26. *cum Sayr. Præp. & Ugol.* & *Salm. c.* 8. *n.* 12. *cum Cornejo, & Avila*, ex *c. Sicut*, §. *Qui vero, & §. Clerico, de Homic.* Hinc fiunt irregulares 1. Omnes qui ad homicidium se excitant, quamvis unus solus occidat. 2. Omnes qui præliantur in bello injusto, si aliquis in eo occidatur, etiamsi hoc non intendant; tunc enim saltem incurrunt irregularitatem homicidii casualis. 3. Omnes qui ministrant arma aut pecunias ad homicidium, aut bellum injustum patrandum. 4. Omnes qui injuste accusant, aut testificantur, aut judicant, ut homo occidatur. 5. Omnes qui associantur occisorem, animum augendo; ita communiter *Viva q.* 9. *ar.* 2. *n.* 3. *Tamb. l. c. & Salm. c.* 8. *n.* 14. *cum Bon. Avila, Giball. & Corn.* Quapropter dicit *Tamb. l. c. nu.* 28. *cum Sayr. Præp. & Ugol.* quod si in rixa te ostendas amico rixanti, jam eris irregularis, si ille occidat: quia tua præsentia jam animum auges. Additque cum *Prapos.* non posse approbare opinionem *Avilæ, Henriq.* & aliorum dicentium excusari ab irregularitate patrem associantem filium rixantem, ne filius periclitetur, si filius alterum occidat. Subdit *Viva q.* 9. *ar.* 2. *n.* 8. *cum Avila* fieri etiam irregularem, qui suadet amico; ut inimicum occidat, vel se exponat probabili periculo mortis, si postea ipse amicus occidatur; vide *n.* 387. *ibi infra*.

Dubit. 1. An incurrat irregularitatem qui ratihabet homicidium suo nomine patratum? Affirmant *Nav. c.* 27. *n.* 233. atque *Mol. Sylv. &c. ap. Salm. c.* 8. *n.* 11. quia (ut ajunt) ratihabentes æquiparantur mandantibus; ideo in *c. Cum quis, de Sent. exc. in* 6. ratihabentes percussionem Clerici suo nomine factam, jam incurrunt excommunicationem. Sed verius, & communiter negant *Suar. D.* 44. *s.* 3. *n.* 24. *Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 8. *n.* 42. *Salm. c.* 8. *n.* 11. *cum Corn. Dian., Giball. Vill.*, & *Leand. ac Esc. l.* 53. *n.* 288. & 289. *cum Con. Avila, Cov. Sayr. & Henr.* Ratio, quia nullibi habetur in jure, ratihabentibus impositam esse irregularitatem. Ratihabitio autem æquiparatur mandato quoad culpam, non autem quoad pœnam, nisi in jure sit expressum, prout expressum est de ratihabentibus Clerici percussionem respectu ad excommunicationem, non autem irregularitatem incurrendam. 375

Dubit. 2. an incurrat irregularitatem qui valens homicidium impedire, culpabiliter non impedit? Si is tantum ex charitate tenetur impedire, certum est apud omnes non incurrere, esto ex odio non impediat; ita communiter *Suar. D.* 45. *s.* 4. *n.* 7. *Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 8. *n.* 37. *& Salm. c.* 8. *n.* 39. *cum Avila, Sayr. Fill. Giball. Henr. Cor. &c.* Dubium fit, an incurrat, qui tenetur impedire ex justitia ratione pacti vel officii; nempe si sit medicus stipendio conductus, advocatus qui teneatur reum tueri, custos viarum, pater, tutor, dominus, aut maritus qui tenetur uxori alimenta præstare? *Prima* sententia negat incurrere, & hanc tenent *Ronc. c.* 3. *q.* 3. *p.* 116. *v. Non paucis, Hurtad. D.* 2. *Diff.* 9. *num.* 34. *Turr. D.* 63. *dub.* 3. *Diana p.* 4. *tr.* 2. *Is.* 7. *cum Vasq. & Tab.* item *Præp. Leand. & Giball. ap. Salm. c.* 8. *n.* 41. & probabilem videri ajunt *Pal. D.* 6. *p.* 15. §. 7. *n.* 2. *& Escob. l.* 53. *n.* 315. Ratio, quia aliter judicandus est qui positive influit in homicidium, quam qui homicidium non impedit. *Secunda* vero sententia affirmat, & hanc tenent *Nav. c.* 27. *n.* 232. *Suar. D.* 46. *s.* 4. *n.* 5. *Pal. l. c. n.* 2. *Bon. l. c. Tol. l.* 1. *c.* 83. *n.* 4. *Tourn. t.* 2. *p.* 95. *Escob. l. c. cum Man. & Henr. ac Salm. c.* 8. *n.* 42. *cum Avila, Sayr. & Corn.* Ratio, quia omittens defendere, cum possit, quem ex justitia defendere tenetur, censetur verus homicida, cum ipse, si non physice, moraliter tamen influit in homicidium. Hæc sententia est quidem communior & probabilis, sed non minus probabilis mihi videtur prima, cum enim irregularitas debeat esse in jure expressa, recte dicit *Ronc.*, ex S. Canonibus non sa- 376

satis constare hujusmodi non impedientes, moralem tantum causam præbentes, incurrere irregularitatem, sed solos occidentes, mandantes, consulentes, omnesque positive in homicidium influentes. Iidem autem *Tourn. & Escob. ll. cc.* excusant ab irregularitate, qui omittunt impedire, non jam studiose, ut homo occidatur, sed tantum ex timore vel negligentia, idque recte inferunt ex *c. Quæsitum, de Pœn. & rem.* ubi Parentes, ex quorum culpa filii in cunis perierint, censentur irregulares, si studiose neglexerint suffocationem impedire, non tamen si ex ipsorum incuria filii mortui fuerint.

377 Hæc quoad homicidium voluntarium; quod vero ad homicidium *casuale* spectat, incurritur irregularitas etiam ab eo qui periculum mortis prævidet, ex aliqua sua actione, & negligit culpabiliter illud præcavere; ita *Pal: D.* 6. *pag.* 15. §. 5. *art.* 3. *et Salm. c.* 8. *n.* 29. *cum Avila, Covarr. et Henr.* ac aliis passim, ut patet ex *Clem. Si furiosus, de Homic.* Dicitur *culpabiliter*, nam ad incurrendam irregularitatem ex delicto; requiritur culpa lata, quæ peccatum mortale supponit, ut communiter docent *Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 7. *in fin. Pal. D.* 6. *p.* 15. §. 4. *in fin. Suarez D.* 45. *sect.* 5. *n.* 8. *Tourn. to.* 2. *p.* 97. *R.* 2. *Conc. t.* 10. *p.* 490. *n.* 7. *Salm. c.* 8. *n.* 30. *cum Avila, Sayr. et Corn. ac Viva q.* 9. *art.* 2. *n.* 10. *cum Cajet. Arm. etc.*

378 „ 1. Non fit irregularis, qui in rixa præscindit „ alteri digitum, pollicem, unguem, dentes, bar- „ bam, capillos, labia, nasum, auriculam, (id- „ est, cartilaginem quæ tantum deservit ad ornatum, & tutelam auris); quia non sunt proprie „ membra. v. g. digitus est pars tantum, & offi- „ cium membri, *Avila, et alii* 8. cum *Dian.* „ *p.* 4. *t.* 4. *R.* 26. Item *M. Leo l. c. ex Glossa c.* „ *ult. de hom. in* 6. & *L. Quæritur, Herm.* 10. „ *L. Non sunt* 14. 7. *Partus, ff. de Statu Hom.*

379 Incurritur igitur irregularitas etiam ob mutilationem membri; ut habetur in *c. Significasti de Homic.* & in *Clem. Si furiosus eod. tit.* Sed dubitat. 1. quid veniat nomine *Membri? Prima* sententia quam tenent *Suar. D.* 44. *sect.* 2. *n.* 7. *et* 8. *ac Sotus. Caj. Arag. etc. ap. Salm.* dicunt intelligi non solum oculum, manum, &c. sed etiam nasum, digitos, & auriculam, quia per horum abscissionem jam aufertur (ut ajunt) corporis integritas. Sed communissime, & probabilius *Bon. q.* 4. *p.* 8. *n.* 3. *Pal. D.* 6. *p.* 15. §. 1. *n.* 5. *Conc. c.* 10. *p.* 489. *n.* 4. *Habert c.* 7. *p.* 566. *Tourn. t.* 2. *p.* 70. *v. Ex quibus, Cabass. l.* 5. *c.* 20. *n.* 9. *cum Nav. ac Avila, & Salm. c.* 8. *nu.* 22. *cum Val. Cov. Sayr. Diana, Hurt. Gob. &c.* dicunt nomine *Membri* intelligi tantum partes illas corporis quæ proprium officium habent ab aliis divisum, ut oculus ad videndum, manus ad agendum, pes ad ambulandum, &c. Hinc probabilius dicunt *Pal. & Tourn. ll. cc. & Salm. n.* 24. *cum Avila, Cov. Sayr. Corn. &c.* non incurrere irregularitatem qui amputaret auriculam, quia ea ablata non tollitur omne officium audiendi: nec qui dentes evelleret; quia non sunt membra, sed instrumenta maxillarum ad cibos mandendos, ut *Bon. n.* 3. *Pal. n.* 4. *& Salm. d. num.* 24. *cum Sayr. Diana, & Giball.* Et tanto minus qui capillos, aut barbam abscinderet. Item nec qui aufert alteri digitum, quisque sit; ut *Bonac. Pal. Tourn.*, & *Salm. ll. cc. cum Val. Avila, Cov. Sayr. Hurt. Corn.* & aliis communissime. Nec obstat textus in 6. *c. Qui partem. D.* 55. ubi declaratus fuit irregularis qui sibi ipsi digitum vel partem digiti abscidit; nam respondetur cum *Tourn. & Habert*, illi non fuisse irregularitatem impositam ob solam mutilationem, sed ob pravam voluntatem, *quæ sibi causa fuit* (ut ibi dicitur) *ferrum injicere.*

Dubit. 2. an sit irregularis qui abscindit testiculos alterius? Negant *Bon. Hurt. Avila*, & *Corn. ac Salm. cap.* 8. *n.* 23. quia (ut dicunt) illi non sunt membrum, sed pars membri. Sed probabilius affirmant *Ronc. c.* 3. *qu.* 3. *Pal. D.* 6. *n.* 15. §. 1. *n.* 4. & *Salm. l. c.* & *Diana pag.* 9. *tr.* 7. *R.* 11. (quamvis alias oppositum dixerit.) quia testiculi jam propriam operationem habent, nempe efformandi semen aptum ad generandum (intellige id tamen, si abscissio injuste fit). Secus vero si unus tantum testiculus auferatur, quia unus non habet officium ab altero diversum; cum uterque ad eandem operationem concurrant. Fieret vero irregularis, ut recte dicunt *Pal. d. nu.* 4. *Tourn., Habert, Conc.*, & *Salm. ll. cc. cum Sayr.* & *Bon.* qui mulieri unam mamillam abscinderet, quia unaquæque mamilla proprium officium habet. Idem docent *Suar.* & *alii ap. Vivam* de abscissione dimidiæ manus; sed contradicit *Tourn. pag.* 69. *v. Resp. Partes*, quia in *cap.* 2. *de Cler. ægrot.* qui duos digitos cum medietate palmæ amisit, non dicitur mutilatus, sed debilitatus; communiter autem dicunt *Nav. c.* 27. *n.* 223. *Cabass. l.* 5. *c.* 20. *n.* 9. *cum Suarez Con. & Avila, Salm. c.* 8. *n.* 25. *cum Soto, Bon. Cov. Sayr. &c. Avila, ac Croix l.* 7. *n.* 487. *cum Suar. & Sylvio* (contra *Cajet. &c.*), & probabile putat *Ronc. l. c.* non esse irregularem qui alterius membrum debilitaret, adhuc taliter ut redderet ineptum ad officium suum. Imo etiamsi mortuum relinqueret, ut dicunt *Pal.* §. 1. *nu.* 5. & *Nav. Cov. &c. apud Salm. n.* 26. Sed huic valde probabiliter contradicunt *Suar. D.* 44. *sect.* 2. *nu.* 11. *Cabass. l. cit. Conc. p.* 490. *n.* 5. *& Salm. num.* 27. *cum Corn. &c.* quia tale membrum, licet secundum apparentiam non sit mutilatum, reipsa tamen ablatum censetur, cum non sit amplius animatum, & continuatum cum aliis membris. Unde probabiliter e converso inferunt *Salm. n.* 27. non esse irregularem qui tale membrum omnino exsiccatum abscinderet, quia talis non esset mutilatio formalis.

In hac autem irregularitate propter mutilationem bene possunt dispensare Episcopi, si sit occulta, ex facultate Tridentini in *c.* 6. *Liceat sess.* 24. ubi tantum excipitur irregularitas ob homicidium voluntarium, ut communiter docent *Suarez D.* 44. *sect.* 2. *n.* 4. *Pal. l. c. n.* 3. *Bon. p. ult. n.* 11. *& Salm. c.* 8. *n.* 28. *cum Fill. Avila, Corn. Diana, Gob. Villal. &c.*

„ 2. Nec fit irregularis, qui excæcavit hominem „ solo visu privando, non autem oculum extra- „ hendo: nec qui debilitat tantum membrum, & „ non abscindit, quia non est mutilatio. *Dian. p.* „ 4. *t.* 4. *R.* 26. *ex Megal.* &c.

„ 3. Quando plures (non ex consilio, sed in ri- „ xa) unum percutiunt, & unus lethale vulnus „ in-

„ infigit, ex quo moritur, si constet quis hoc fecerit, hunc solum fieri irregularem docet *Sayr.*, „ & alii 5. cum *Diana p. 2. t. 15. R. 18.* contra „ *Avil. Suar.* &c.

„ 4. Qui infirmo bona fide dat aliquid, v. g. „ cibum, vel potum; vel eum movet, vel de lecto in lectum transfert, aut aliud circa eum operatur, ex quo mors, vel ejus acceleratio præter intentionem sequatur, non fit irregularis, „ nisi intervenerit lata culpa, *Avila*, *Fill.* & alii 4. cum *Diana p. 5. t. 3. R. 117.* ubi ex *Bon.* „ &c. notat, Sacerdotibus, & religiosis circa moribundos licere eadem, quæ laicis. * (*Ita etiam comm. Tourn. p. 97. Res. 2. Conc. p. 490. n. 7. Elbel p. 472. num. 171. cum Fill. et Avil. ac Salm. cap. 8. n. 33. cum Corn. et Pelliz. Sic etiam non fit irregularis Sacerdos jubens fieri abscissionem membri præscriptam a Medico, modo ipse non exequatur; Cabass. lib. 5. c. 19. n. 22. Immo multum probabiliter Conc. p. 501. n. 20. eximit ab irregularitate qui adjuvaret Chirurgum congrue mutilantem ægrotum. An vero fiat irregularis qui facit ista, ut infirmus citius moriatur? Affirmant Cov. Nav. etc. Sed negant Pell. et Con. ac merito probabile putant Salm. ibid. quia, licet adsit peccatum grave, deficit tamen actio externa graviter injusta. Hinc mihi videtur utendum distinctione qua usi sumus in obligatione restitutionis, juxta dicta l. 3. n. 551. spectandum enim, an apponatur, vel non, diligentia sufficiens ad mortem infirmi præcavendam. Certe autem fit irregularis qui temere remedium præberet ex quo mors notabiliter acceleraretur; Salm. loc. c. semper tamen ad irregularitatem ex delicto requiritur culpa lata eum peccato mortali, ut Salm. Tourn. Conc. et alii comm. citati n. 348. & 377.)* „ 5. Qui amicum bono animo comitatur, ne periclitetur in rixa, non fit irregularis, etsi amicus occidat alium. *Avila*, *Henriquez* &c. cum „ *Dian. p. 4. t. 2. Res. 17.* Limitat autem *Præp.* „ nisi sua præsentia animaverit ad occidendum; „ *vide n. 374*).

„ 6. In bello injusto, si vel unus occidatur, „ totus exercitus fit irregularis, saltem si aliqua „ ratione sit cooperatus; *Bon. q. 4. p. 9. n. 3.*

„ 7. Irregularis fit, qui procurat abortum fœtus animati anima rationali; secus, si animatus „ non sit, *C. Majores*, 32. *q. 2. Bon. l. c. p. 8. n. 27. Con.* &c.

„ 8. Qui dans operam rei licitæ (imo, secundum „ multos, etiam illicitæ) sufficientem diligentiam „ adhibuit, ne ex ea homicidium sequeretur, & „ tamen secutum est, non est irregularis ob defectum voluntarii, secus tamen, si dictam diligentiam omisit, omissione mortali. *Bon. q. 4. p. 7. Less. l. 2. c. 9. dub. 15. etc.* Alii tamen dicunt, „ quod dans operam rei illicitæ, ex quavis culpa, „ etiam levissima, incurrat hanc irregularitatem. „ *Panorm. Cov. M. Leo p. 3. s. 554.*

585 * Distinguendum igitur, si quis dat operam rei licitæ, & debitam adhibet diligentiam, ne homicidium sequatur, non incurrit irregularitatem, si mors accidat; ita communiter *Pal. D. 6. p. 14. §. 4. n. 7. Bon. D. 7. q. 4. p. 7. n. 8. Conc. t. 10. p. 490. n. 7. Tourn. t. 2. p. 96. concl. 1. Salm. c. 8. n. 30.* & alii passim *cum D. Th. 2. 2. q. 64. art. 8. ad 3.* ubi, *Secundum Canones imponitur pœna iis qui casualiter occidunt, dantes operam rei illicitæ; vel non adhibentes diligentiam debitam.* Et patet ex *c. Is qui, c. Sæpe, etc. Si duo fratres. Dist. 50.* item ex *c. Joannes, c. Dilectus*, & *c. ult. de Homic.* Secus vero si omitteret sufficientem diligentiam; ut colligitur ex *c. Presbyterum*, & *c. Ad audientiam de Homic.* Quia, cum quis negligenter se habet in præcavendo homicidio quod timet, indirecte jam vult illud in causa. Dicitur, *sufficientem diligentiam*, quia non requiritur diligentia summa, sed satis est illa, qua vir prudens uteretur juxta rei qualitatem; ut recte dicunt *Salm. l. c. cum Caj. et Corn.* Et contra, ad irregularitatem incurrendam non sufficit quævis negligentia, sed requiritur illa quæ ad peccatum mortale pertingit, ut communiter docent *Suar. D. 45. sect. 5. n. 8. Bon. l. c. in fin. Pal. §. 4. Conc. l. c. Cabass. l. 5. c. 20. n. 10. Tourn. p. 97. Res. 2. Sylvius 2. 2. q. 64. art. 8. Concl. 3. cum Soto, et Bann. Salm. d. n. 30. in fin. cum Sayr. Corn. et Avila, ac Diana p. 2. tr. 2. R. 21. cum Fill.* & communi, ad incurrendam enim quamcumque irregularitatem ex delicto omnino requiritur culpa gravis, ut probat *Cabass. l. c. ex c. Quæsitum de Pœnit. et c. fin. de Hom. in 6.* Vide dicta *n. 348. et 377.*

Hinc non fit irregularis I. Magister qui discipu- 584
lum moderate verberat (& idem de Patre respectu filii), si casu ex percussione mors discipuli sequatur, ut *Conc. d. n. 7. et Salm. c. 8. n. 31.* Secus si graviter excederet, ut patet ex *c. Presbyter. de Homic. et c. ult. eod. tit. in 6.* II. Qui equitando in equo feroci puerum occiderit: *Conc. ib. et Bon. n. 23. cum Mol. Sayr. et Ugol.* ex *c. Dilectus 13. de Homic.* III. Qui feram sive canem ferocem alit, & custodit in occulto, si casu fera ruptis vinculis hominem occidat, secus si teneret in via, ubi fera aliis nocere posset, vel si illa ex ejus incuria esset soluta; *Salm. cap. 8. n. 31. cum Cov. et Corn.* IV. Qui reficiendo tectum, tegulas & lapides mittit, prænonens transeuntes ut se caveant; secus si non moneat, *Salm. l. c.* V. Medicus, si casu infirmus ex pharmaco præstito decedat sine gravi Medici negligentia, ut ex *c. Ad aures, de etate, et qualit. ord.* Et hoc adhuc si sit Clericus, aut Monachus, modo 1. sit peritus; nam alias non effugeret irregularitatem, si temere vel contra præceptum Medici præberet remedium, ex quo mors aut ejus notabilis acceleratio eveniret, ut recte dicunt *Salm. c. 8. n. 33. in fin. Tourn. to. 2. p. 84. et Bon. D. 7. q. 4. p. 5. n. 4. cum Mol. Sayr. Henr.* & communi. (Secus si bona fide daret aliquid infirmo ad ejus remedium vel levamen, ut *Bonac. p. 7. n. 12. et Salm. ib. cum Corn. et Pelliz.* vide dicta *n. 383. v. 4. Qui infirmo*). Modo 2. Clericus medeatur sine incisione, vel adustione, alioquin, cum id expresse vetetur Clericis in Sacris & Monachis sub pœna irregularitatis in *c. Sententiam, Ne Clerici, vel Monachi*, jam fiunt irregulares, si ex tali incisione vel adustione mors sequitur; secus si eveniret aliunde, nempe ex vi ipsius morbi, vel ex alia causa, ut dicunt *Pal. D. 6. p. 15. §. 4. n. 8. in fin. et Salm. c. 8. n. 32. cum Avila, Corn. et Henriq.*

Si

Si tamen alius peritus absit, bene poterit tunc Clericus aut Monachus sine peccato & consequenter sine periculo irregularitatis incisionem aut adustionem adhibere, ut communiter docent *Pal. Tourn. cum Mol. & Salm. ll. cc. cum Avila, Henr. & Corn.*

385 An autem Clericus Beneficiatus medendo cum incisione præter necessitatem, si æger ex illa moriatur fiat irregularis? Affirmant *Nav. Panorm. &c. ap. Tourn. p.* 84. quia (ut ajunt) id quod prohibetur Ordinatis in Sactis, interdicitur etiam Beneficiatis. Sed verius id negant *Bon. q.* 4. *p.* 5. *n.* 4. *cum Mol.* & idem *Tourn. cum Pontas*, & *Giball.* tum quia regula præfata supponitur ab Adversariis, sed nullo jure satis probatur; tum quia in præfato textu, *Sententiam*, tantum de constitutis in Sacris fit mentio; pœnæ autem non sunt extendendæ de casu ad casum in jure non expressum. Et quamquam de negotiatione, & ludo sub nomine *Clericorum*, non tantum in Sacris venire, sed etiam Beneficiatos diximus *l.* 3. *n.* 331. & 395. tamen cum in hoc casu prohibitio facta sit speciatim Subdiaconis, Diaconis, & Sacerdotibus, non comprehenduntur minores his, quicunque illi sint.

386 Si quis vero dat operam rei illicitæ, & ex ea mors alterius sequatur, communis est sententia, quod si opera illa non est illicita, quia periculosa, sed ex alia causa, peccat quidem, sed non incurrit irregularitatem, modo sufficientem diligentiam adhibuerit ad mortem vitandam, puta si quis cæderet arborem in solo alieno, & mere fortuito hominem occideret; vel si induceret alium ad furandum sine periculo, & casu ille occidatur, ac similia. Ratio, quia tale homicidium tunc non esset illi voluntarium, neque directe, cum non sit intentum, neque indirecte in sua causa, cum talis actio non sit per se periculosa; jura enim irregularitatem statuentia ex homicidio intendunt punire vere delinquentes homicidii culpa; illa autem actio, licet sit mala, non tamen est mala malitia homicidii; nam ut bene docet *D. Th.* 1. 2. *q.* 76. *art.* 3. ignorantia invincibilis circumstantiæ peccati excusat quidem a speciali ejus malitia, etiamsi opus ipsum peccatum sit; ita communissime *Suar. D.* 45, *s.* 6. *n.* 9. *Sotus de Just. l.* 5. *q.* 1. *art.* 3. *Nav. c.* 27. *n.* 211. *Pal. D.* 6. *p.* 15. §. 4. *n.* 5. *Conc. p.* 491. *n.* 8. *Tourn. t.* 2. *p.* 99. *Escob. l.* 53. *n.* 800. *cum Cov. Val. & Henr. ac Salm. c.* 8. *n.* 34. *cum Corn. Avila, & Sayr.* contra *Palud. Gabr.* & alios paucos *apud Suar. l. c. n.* 1. qui citant pro se *D. Th. in* 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. sed non bene: nam licet S. Doctor ibi dicat dantem operam rei illicitæ non evadere homicidii reatum, tamen id aperte intelligit de re illicita ob periculum homicidii, ut patet *in resp. ad* 1. & 2. *ib.* Nec obstat quod in *c. Clerico jacente*, & *c. Eos vero D.* 50. declarantur irregulares casu occidentes vel mutilantes; & tantum in jure excipiuntur qui dant operam rei licitæ, nt habetur *c. Joannes*, & *c. Dilectus*, & *c. ult. de Homic.* Ergo qui dat operam rei illicitæ ex qua mors sequitur, jam fit irregularis. Nam respondetur quod Canones hi semper intendunt loqui de homicidio directe vel indirecte volito, ut colligitur ex *Clem. unic. de Homic.* ubi ideo excusatur exercens opus licitum, quia homicidium non est ei voluntarium; unde semper ac homicidium est alicui omnino involuntarium, non imponitur ei irregularitas, quamvis operam rei illicitæ ipse navet.

Dubium majus est, an incurrat irregularitatem 387
qui dat operam rei illicitæ quomodocumque periculosæ, si ex ea mors sequatur? Adest duplex probabilis sententia. *Prima* affirmat, quam tenent *Suar. D.* 45. *sect.* 6. *n.* 9. *Nav. c.* 27. *n.* 237. *Tolet. l.* 1. *c.* 77. *n.* 7. & 8. *Conc. p.* 491. *n.* 8. item *Sayr. Avila, Mol. & Ugol. ap. Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 7. *n.* 9. & *Sotus, Cordub. Castro, Fernand. &c. ap. Dian. p.* 4. *tr.* 2. *R.* 20. Et probant ex *c. Tua nos* 19. *de Homic.* ubi quidam Monachus incidens apostema cujusdam mulieris, licet fuisset peritus, & mulier ex sua incuria postea decessisset, tamen fuit declaratus delinquens, dixitque Pontifex: *Post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, ut Divina valeat celebrare.* Quæ verba ut ajunt *Fagnan. in d. c. & Suar. l. c.* secundum communem intelligentiam significant necessariam fuisse dispensationem. Ex hoc igitur textu generalis fit regula, quod ex actione injuste periculosa, quoties sequitur homicidium, etsi casuale, inducitur irregularitas. *Secunda* vero sententia probabilior quam tenent *Pal. D.* 6. *p.* 15. §. 4. *n.* 5. *Tourn. t.* 2. *p.* 99. *v. Dixi, Laym. l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 10. *n.* 4. (qui tutam vocat) *Sporer t.* 2. *p.* 133. *n.* 139. *Tamb. de Homic. c.* 15. §. 2. *a n.* 12. *Elbel t.* 2. *p.* 467. *n.* 189. *cum Sayr. et Gut. Bonac. l. cit. cum Salon. Salm. c.* 8. *n.* 38. *cum Henr. etc. ac Diana l. c. cum Con. Hurt. Præp. Sa et Tann.* dicit, quod si opus sit ita periculosum, ut ex eo frequenter mors sequatur (ut esset admovere ignem bombardæ ubi est frequentia hominum, aut pugnare in bello, aut inducere alterum, ut temere se exponat periculo mortis, prout probabilius sentit *Bon. n.* 17. *cum Suar. etc. ac Viv. cum Av.* 1. *n.* 374. contra aliquos) tunc incurritur irregularitas, quamvis omnis adhibeatur diligentia ne mors sequatur, quia (ut bene ait *Tourn.*), cum opus sit de se proxime periculosum, nulla diligentia potest non periculosum fieri. Secus si opus raro sit mortis inductivum, & debita diligentia apponatur ne mors eveniat; quia tunc (ut diximus) homicidium non est voluntarium, neque in se, neque in causa: cum enim opus non sit proxime periculosum, posita diligentia, satis excusatur a malitia homicidii.

Ad textum autem oppositum in *d. c. Tua nos*, respondent *Sotus de Just. l.* 5. *q.* 1. *art.* 9. *et Less. l.* 2. *c.* 9. *n.* 105. ibi Monachum minime fuisse declaratum irregularem; sed hæc responsio mihi non satisfacit, nam verius significant jam irregularitatem incurrisse, ac facillius cum eo dispensandum, & sic explicat Auctor argumenti, dicens ibi: *Sed cum eo misericorditer dispensari potest;* & ita etiam communiter alii, ut testatur *Suar.* Melius respondentur cum *Pal. Bon.* & *Salm.* casum illum esse particularem in jure (prout etiam est casus de mandante verberationem, si mandatarius casu postea occidat, ex *c. ult. de Homic. in* 6.) Præterquamquod dicimus cum *Salm.* quod talis Monachus jam aliunde erat irregularis, quia exercuerat chirurgiam cum incisione, ut idem Innoc. III. declaraverat in *c. Sententiam. Ne Cler. vel Mon.* tum propter indecentiam, tum quia talis ars est

de

de se maxime periculosa mortis; unde potius Constitutio illa fuit declaratoria, quam novum jus constituens. Neque obstat alius textus in *c. Contineb. de homic.* ubi damnatus fuit ut irregularis quidam Diaconus qui ferendo latentem falcem, & cum altero ludendo fuit causa, ut hic eum amplexans a falce feriretur, & mortem subiret. Nam respondetur cum *Gloss. ib. v. Romani*, & *Suar. D.* 45. *sect.* 5. *n.* 3. *in fin. ac Bonac. n.* 22. quod hoc ita statutum fuit, quia Diaconus ille negligenter se habuit in falcem sic ferendo; unde dicunt *Suar.* & *Bon.* quod si talis minime advertisset ad periculum, in conscientia non tenebatur se gerere ut irregularem. Ex hac autem secunda sententia inferunt *Pal. n.* 7. *Laym. n.* 3. *Elb. n.* 212. & *Salm. n.* 38. cum aliis, non esse irregularem Clericum, si ipso torneamenta, vel ferarum venationem exercente, mors alicujus contingeret; quia tales actiones non sunt per se inductivæ homicidii, alias nec etiam laicis esset licitæ; excipe nisi in his vel similibus gravem negligentiam ille commiserit pertingentem ad mortale, juxta dicta *n.* 383. *in fin.*

388 „ 9. Qui alterum mutilat, & occidit, ad neces-
„ sariam sui defensionem cum moderamine incul-
„ patæ tutelæ, non incurrit hanc irregularitatem:
„ quia hic nulla est culpa: ergo nec pœna. *M.*
„ *Leo p.* 3. *f.* 349.

Qui alium occidit ob defensionem sui cum moderamine inculpatæ tutelæ, certum est quod excusatur ab irregularitate, ut patet ex *c. Significasti* 18. §. *fin. de Hom.* & ex *Clem. Si furiosus eod. tit.* ubi dicitur: *Et idem* (idest non incurrere irregularitatem) *de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.* Nec obstat Trid. *s.* 14. *c.* 7. ubi dicit etiam cum eo qui occidisset *casu, vel vim vi repellendo, ut se a morte defenderet, jure quodammodo dispensatio debeatur;* nam explicant comm. hunc textum DD. intelligi, quando ille moderamen non servasset; ita *Ronc. de Irreg. c.* 3. *q.* 4. *Salm. t.* 8. *n.* 58. *cum Avil. Pal. & Barb.* ex communi, *ac Tourn. t.* 2. *p.* 71. *cum Nav. Sayr. Comit. etc.* ex Decl. S. C. 1. Octob. 1688. Procul autem dubio irregularitatem incurrit qui cum culpa gravi moderamen excedit, ut patet ex *Clem. cit.* & ex *c. Si his* 6. *Dist.* 50. vide *Ronc. l. c. p.* 116. Hoc tamen casu homicidium reputatur casuale, & ideo Episcopus (si crimen est occultum) bene potest in tali irregularitate dispensare, ut mox infra *n.* 393. Excusatur etiam ab irregularitate qui occidit injustum invasorem alterius innocentis, ut *Suar. D.* 46. *sect.* 3. *n.* 2. *et* 3. *Ronc. ibid. cum Barb.* item *Less. Con. P. Nav. Bon. Fill. et Cov. ap. Cabass. l.* 5. *c.* 19. *n.* 24. qui eis ahæret, contra alios, quia irregularitas ex homicidio privato non incurritur nisi cum peccato mortali, ut eruitur ex *c. Ex litteris primo loco de Homicid.* Valde autem probabiliter censent *Ronc. l. c. cum Suar. et Salm. c.* 8. *n.* 50. cum aliis, quod si quis alterum provocet verbis aut facto, prævidens se facillime aggrediendum, fit irregularis si postmodum ob sui defensionem aggressorem occidit, quia tunc dat operam rei illicitæ proxime periculosæ; secus vero si non prævidet. Quid autem dicendum, si quis accedendo ad uxorem alterius maritum aggressorem necet? V. dicta *l.* 3. *n.* 398. *v. In ordine*, ubi diximus adulterium non excusari ab irregularitate, si præviderit proximum periculum invasionis, quia tunc adulterium est proxime periculosum homicidii: secus si caute accesserit, ita ut putaverit periculum esse remotum. Quid si vir, cognito adulterio, occiderit uxorem, an adulter fiat irregularis? Eodem modo distinximus, vide *l. c. in fine.*

Quær. an occidens alterum ob defensionem li- 389
bertatis, honoris, pudicitiæ, vel bonorum temporalium cum moderamine inculpatæ tutelæ, fiat irregularis? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Laym.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 9. *n.* 3. *Tourn. t.* 2. *p.* 74. *dub.* 5. *et Spor. de* 5. *Præc. c.* 2. *n.* 177. *cum Nav. Sylv. Arm. Henr. Avila, etc.* & probant ex *c. Suscepimus de Homic.* ubi fuit declaratum irregularis quidam Religiosus, qui pro conservandis bonis duos latrones occidit. Probant etiam ratione, quia licet in tali homicidio non adsit peccatum, adest tamen defectus lenitatis, ob quem semper incurritur irregularitas, præterquam in casibus jure expressis, in jure autem tantum excusatur ab irregularitate qui ob conservationem vitæ invasorem occidit, ut habetur in *Clement. Si furiosus de Homic.* ut supra. *Secunda* vero sententia communior & probabilior negat, & hanc tenent *Suar. D.* 46. *sect.* 2. *art.* 4. (qui vocat communem), *Less. l.* 2. *c.* 9. *n.* 73. *Pal. D.* 6. *p.* 15. §. 8. *n.* 7. *Fill. tr.* 20. *c.* 1. *q.* 6. *n.* 106. *Bon. D.* 7. *q.* 4. *p.* 6. *n.* 10. *Con. D.* 18. *p.* 9. *n.* 88. *Holzm. t.* 1. *p.* 294. *n.* 583. *Elbel p.* 459. *n.* 195. *Ronc. c.* 3. *q.* 4. *cum Barb. et Salm. de Cens. c.* 8. *n.* 56. *cum Sayr. Villal. Diana, et Corn.* Et probatur 1. ex *c. Quia te. Dist.* 50. ubi, cum quidam Episcopus captus a Saracenis aliquos occiderit, ut suam libertatem defenderet, Urb. II. ita ei respondit: *Sed quoniam non tam sponte id fecisse cognosceris, canonice nullo modo judicaris.* Item ex *c. Interfecisti*, ubi excusatur ab irregularitate qui *et se, et sua* defendens alium occidit, illa autem conjunctio *Et* vim habet disjunctionis, idest si se, vel sua defenderet, alias qui se, & non sua defenderet, irregularis fieret; item frustra Pontifex addidisset illud *sua*, si tantum ob sui defensionem vitaretur irregularitas. Præterea, id fortius probatur ex *c. Dilecto* 6. *de Sent. ex.* ubi, cum quidam dominus temporalis violenter invasisset bona cujusdam Decani, hic supposuit interdicto totam terram illius. Hinc cum dubium factum fuerit, an bene egisset, respondit Pontifex: *Cum omnes leges omniaque jura vim vi repellere, cunctisque se defensare permittant, licuit utique ipsi Decano (si prædictus Ballivus eum bonis suis mundanis injuriose exspoliare præsumserit) contra illius violentiam se defendere. Et quoniam adversus ejus nimiam potentiam sufficiens temporalis defensio sibi forte non aderat, potuit se etiam spiritualiter, gladio utendo ecclesiastico, defensare.* Luculenter igitur hic Pontifex declarat, licite potuisse Decanum illum vi temporali sive armis tueri bona sua contra violentiam Ballivi, dicendo unicuique permissum esse, *vim vi repellere.* Probatur 2. ratione, quia talis irregularitas non incurritur neque ex delicto, neque ex defectu lenitatis; non ex delicto, cum non adsit culpa; ut ipsi Adversarii concedunt; neque ex lenitatis defectu,

nam,

nam, ut dicentur infra ex *n.* 464. *in fin.* irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur nisi ob occisionem aut mutilationem, quæ fit vel a ministris publicis, vel a militibus in bello justo offensivo, vel a Clericis medentibus cum adustione aut incisione, juxta dicta *n.* 385. *infra ad n. V.* E converso communis est sententia DD. ex *c. Is qui de Sent. exc. in* 6. ut vidimus *n.* 345. quod nulla incurritur irregularitas, nisi in jure sit expressa; ergo, cum in jure irregularitas ex defectu lenitatis incurratur tantum in prædictis tribus casibus, non est facienda extensio ad casum de quo loquimur; tanto magis, quia in præfatis casibus homicidium sponte committitur, licet sine culpa, sed in nostro casu homicidium non pervenit ex spontanea voluntate, sed ex necessitate defendendi sua jura; ideo talis occisio (ut recte ait *Suar.*) magis habet rationem defensionis, quam occisionis. Respondetur autem ad textum oppositum in *d. c. Suscepimus*, Monachum excessisse in defensione, cum ipse una cum socio ligaverit fures, quando potuisset eos dimittere vacuos sine periculo, rerum & personarum. Præterea, notat ibi *Glossa*, quod Monachus interfecit fures, nulla stante necessitate; potuisse enim fugere priusquam illi solverentur a vinculis: nam res vel jam reservatæ erant, vel secum deferre poterat; ergo defensio illa non fuit moderata.

390 Ultimo hic videndum, quomodo tollatur hujusmodi irregularitas propter homicidium contracta. Tollitur I. per Baptismum, ut colligitur ex *c. Si quis Dist.* 40. Vide *Salm. c.* 8. *n.* 15. & alios passim. II. Per dispensationem Pontificis, qui potest equidem in omni irregularitate dispensare, etiam ex homicidio voluntario, & contrariam opinionem id negantem *periniquam, et temerariam* vocat *Barbosa Alleg.* 39. *n.* 63. Nec obstat textus in *c. Minor. ead. D.* 50. ubi videtur asseri, nec etiam Papam dispensare *posse* in irregularitate contracta ob homicidium; etenim communiter dicunt DD. (vide *Salm l. c.*) illud *non posse*, intelligi pro *non decere*, ut patet ex eodem textu.

391 Episcopi autem, si homicidium fuit voluntarium, nullo modo possunt dispensare in irregularitate, etiamsi illud fuerit occultum, ut habetur in *c. Liceat.* 6. *sess.* 24. Trident., ubi Episcopi possunt dispensare in omni irregularitate, excepta ea quæ orirur ex homicidio voluntario. Excipitur solus casus quo vergeret periculum animæ, aut alia gravissima causa urgeret, & non pateret aditus ad Papam, ut docent communiter *Sylv. v. Dispensatio n.* 11. *et Salm. c.* 8. *n.* 16. *in fin. cum Machado, Avila, Corn. Dian. Henr. etc.*

392 Dicunt autem *Cov. Abbas, Castro, Texeda, Bannez, Donat. Miranda, etc. ap. Cont. Spor. in Suppl. p.* 149. *n.* 166. & probabile putat *Dian. p.* 12. *in fine libri n.* 6. *p.* 97. *art.* 2. *cum Aug. Vivald. etc. et Viva de Cens. q.* 8. *art.* 2. *n.* 7. *cum aliis*, quod si homicidium sit adeo occultum, ut nullo modo possit probari in judicio, bene possint Episcopi dispensare super irregularitate propter illud contracta. Sed hæc opinio mihi nulla valida ratione probatur, unde merito eam rejiciunt *Salm. c.* 8. *n.* 16. *Renzi de Cens. t.* 2. *p.* 10. *et Ronc. c.* 3. *q.* 1. Ratio, quia Episcopi nullam habent facultatem super irregularitatibus nisi eam quæ ipsis conceditur in Trident. *in c. Liceat*, 6. *sess.* 24. cum inferior nihil possit in lege Superioris, ex *c. Inferior, dist.* 21. & *Clement. Romani, de Elect.* A Concilio autem conceditur ibi quidem Episcopis potestas dispensandi super omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus; sed expresse excipitur illa *quæ oritur ex homicidio voluntario*. Nec valet dicere, Concilium loqui de homicidio illo, quod, licet sit occultum, tamen in judicio probari possit. Nam primo respondetur quod id gratis supponitur. Secundo respondetur, idem Concilium alibi in *sess.* 14. *c.* 7. expresse oppositum declarasse dicendo: *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit.*

Si vero homicidium fuerit casuale, valde pro- 393
babile est posse Episcopos dispensare in irregularitate ex eo contracta, quando crimen fuerit occultum, cum Concilium in *d. c. Liceat*, neget Episcopis facultatem dispensandi, tantum si homicidium fuerit voluntarium, ad distinctionem casualis; ita communiter *Pal. D.* 6. *n.* 15. §. 7. *n.* 7. *Bon. q.* 4. *p. ult. n.* 5. *Tourn. t.* 2. *p.* 102. *Concl.* 3. *Ronc. c.* 3. *p.* 3. *in fine*, *Diana p.* 9. *tr.* 7. *R.* 22. *& Salm. c.* 8. *n.* 43. *cum Less. Sayr. Corn. &c.* Hinc infertur, quod bene possit Episcopus dispensare I. cum eo qui mandavit famulo, ut tantum percutiat, sed ille casu occiderit, ut *Tour. l. c. & Bon. n.* 8. *cum Suar. Mol. Fill. &c.* II. cum eo qui leviter percutere intendens, ex negligentia casu interficiat, *Bonac. num.* 7. III. cum eo qui percutiendo prægnantem, casu efficit, ut veniat abortus, *Tourn. l. c.* IV. cum Clerico qui exercendo chirurgiam, ex imperitia, vel negligentia aliquem perimit, *Dian. p.* 9. *t.* 7. *R.* 22. *Less. & Avil.* Præterea communissime docent *Nav. c.* 27. *n.* 240. *Laym. l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 12. *n.* 3. *cum Sylv. Sayr. & Henr. Barb. All.* 39. *n.* 62. *cum Mirand. Campan. Homob. &c. ac Diana p.* 9. *t.* 7. *R.* 22. *cum Less. Avila*, & aliis, quod possunt dispensare Episcopi in irregularitate ex homicidio casuali, etiam notorio, ad suscipiendos Ordines Minores, & Beneficia simplicia; quia id jam poterant Episcopi de jure antiquo, ut docent *Abbas, Hostiens. Jo. Andr.* & alii *ap. Laym. l. c.* & *Barb. n.* 59. Tridentinum autem tantum reservavit irregularitatem ex homicidio voluntario, non vero casuali publico. An vero possit Episcopus dispensare in homicidio casuali, ad recipiendum Canonicatum? Vide dicenda in simili casu *n.* 402.

Sed dubitatur, an reputetur casuale homicidium 394
in repentina rixa patratum? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Diana l. c. & Salm. c.* 8. *n.* 6. *cum Machad. Philib. Henr. Rodr. &c.* Ratio, quia homicidium voluntarium proprie est illud quod per industriam & per insidias committitur, ut habetur in Trid. *c.* 7. *sess.* 14. *ubi: Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari evelli debeat. Secunda* vero sententia probabilior negat, & hanc tenent *Suar. D.* 44. *sect.* 1. *n.* 3. *Nav. c.* 27. *n.* 240. *Holzm. p.* 444. *n.* 535. *Con. p.* 488. *n.* 2. *Spor. t.* 2. *p.* 148. *n.* 251. & 252. *Tamb. c.* 15. §. 6. *n.* 5. & *Diana* (se revocans) *p.* 10. *tr.* 11. *R.* 19. *cum Hurt.*

Hurt. &c. Ratio, quia Trid. *l. c.* post verba supra relata, *Cum etiam per industriam, &c.* statim subdit: *Qui voluntate homicidium perpetraverit ... nullo tempore promoveri possit. Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, fuisse commissum narretur ... jure quodammodo dispensatio debeatur.* Qui autem in rixa occidit, jam sua voluntate & ex proposito occidit, licet inopinata ira percitus sit, cum jam perpetret homicidium quod intendit. Nec obstant priora illa verba *per industriam & per insidias*; nam Glossa in *c. 1. de Homic.* illud *per industriam*, explicat, idest *non casu*, atque idem Concilium declarat intelligi, quando aliquis *sua voluntate & ex proposito* occidit, ad differentiam occisionis casu factæ, de qua loquitur in secunda parte.

395 Valde tamen probabile est, quod si quis incurrat irregularitatem ob homicidium occultum pro defensione propria, possit ab Episcopo dispensari, quando excesserit moderamen inculpatæ tutelæ, quia cum tale homicidium non fiat ex voluntate absoluta occidendi, non potest dici absolute voluntarium, ut loquitur Tridentinum; ita communissime *Nav. c. 27. n. 239.* (ubi asserit ita sensisse S. Pœnitentiar.) *Suar. D. 46. sect. 1. n. 13. Laym. l. 3. sect. 5. tr. 3. p. 3. c. 13. n. 2. Pal. D. 6. p. 15. §. 8. n. 10. Tour. p. 102. v. Hinc, Diana p. 10. tr. 11. R. 19. Croix l. 7. n. 773.* cum communi, *Bon. q. 4. p. ult. n. 9. cum Sayr. Val. Mol. Cor. Henr. & Avila.*

396 Prælati autem Regulares possunt dispensare cum suis subditis ab irregularitate proveniente ex homicidio occulto casuali, ut docent *Salm. c. 8. n. 34.* ex Privilegio S. Pii V. (relato in extensum ab iisdem *Salm. tract. 6. de Pœnit. c. 13. n. 33.*) Imo etiamsi crimen fuerit publicum, ut dicunt *Diana, Vill. Sayr. &c. ap. Salm. c. 8. n. 43.* & etiamsi fuerit voluntarium, defendunt *Salm. ib. n. 17. & c. 7. n. 59. cum Peirin. Portel. Bann. &c.* ex concessione Martini V. Pauli III. & Sixti IV. ubi concessum fuit Prælatis Regularibus dispensare in prima die lunæ Quadragesimæ in irregularitatibus, *quavis occasione, & causa contractæ sint.* Sed hac concessione non obstante, censeo non posse Prælatos Regulares dispensare, quando homicidium est publicum, aut voluntarium, quia in generali concessione non computantur ea quæ verisimiliter Superior non esset concessurus, ut tradunt communiter *Suar. D. 21. sect. 3. n. 3. Bonac. q. 3. p. 1. n. 12. & Salm. de Cens. c. 2. n. 41. cum Ugol. Cand.*, ac aliis passim, & patet ex *c. In generali. Reg. 82. de Reg. Jur.* in 6. Præter quam quod Bened. XIII. (ut vidimus *n. 101.*) expresse declaravit, quod *solus Generalis Ordinis possit dispensare* (in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario), *dummodo non fuerit appensatum, & intra claustra extiterit consummatum.* Unde etiamsi concessio illa omnibus Prælatis Regularibus facta, esset vera, videtur a Benedicto omnino revocata, vel limitata pro solo Generali. Quoad Seculares vero possunt Confessarii Regulares eos dispensare in omni irregularitate, in qua possunt Episcopi cum subditis suis, ex Privilegio Sixti IV. & Julii II. ut notavimus *n. 355.* Hinc bene possunt dispensare cum Laicis in irregularitate contracta ob mutilationem, vel ob homicidium casuale occultum, prout possunt Episcopi cum suis, ut vidimus *n. 381. & n. 393.*

DUBIUM V.

Quæ Irregularitates ex defectu?

397 Prima *ex defectu* animæ. *Hinc sunt irregulares I.* Amentes, Dæmoniaci, Epileptici. 398. *Distinctius agitur de Amentibus.* 399. *De* Epilepticis, & Dæmoniacis. 400. *Quis possit dispensare in hac irregularitate? Et an Episcopi possint dispensare in aliqua irregularitate ex defectu? An saltem in dubio? An Prælati Regulares?* 401. *II. Sunt irregulares* illiterati. 402. *III. Neophyti.*

403 Secunda *ex defectu* Corporis; *vel quia defectus impedit exercitium Ordinis, vel quia affert deformitatem.* 404. *Et primo* ob impedimentum exercitii *est irregularis.* I. Cæcus. 405. *II.* Surdus. 406. *III.* Mutus. 407. *IV.* Claudus. 408. *V. Qui caret manu aut digitis omnibus, aut pollice, aut indice.* 409. *VI. Laborans, febri, paralysi, &c. item abstemius &c.* 410. *Secundo* ob deformitatem *est irregularis, I. ille cui deest membrum, nempe nasus, aut oculus. Quid si desint auriculæ?* 411. *II.* Leprosus 412. *III.* Monstruosus, *nempe gibbosus, pigmæus, æthiops.* 413. *Not. 1. Quid si defectus superveniat Ordinibus? Not. 2. Quid si antecesserit.* 414. *Quis possit in hac irregularitate dispensare? An Papa cum cæco? An Prælati regulares?* 415. *Quid si defectus corporis advenerit ex propria culpa? Et an in eo possit dispensare Episcopus?* 416. *Quid de eunucho.* 417. *Quid si quis causam dederit abscissioni virilium.* 418. *Quid si quis amputet sibi testiculos ob vocem servandam.* 419. *Et quid si quis tantum attentet se occidere, &c.*

420 Tertia *ex defectu* Natalium. 421. *Illegitimi legitimantur I. Per Matrimonium subsequens.* 422. *An sufficiat quod Matrimonium fieri potuisset tempore nativitatis?* 423. *Not. 1. Quid si Matrimonium fiat post quam filius est ordinatus? Not. 2. Quid si Matrimonium non consummetur?* 424. *Not. 3. Quid si Matrimonium sit nullum, sed ignoretur saltem ex una parte?* 425. *Not. 4. Quid si filii nascantur ex Matrimonio clandestino ob omissas Denunciationes?* 426. *II. Legitimantur filii per* Professionem Religiosam. 427. *III. Per* Dispensationem Pontificiam. 428. *Episcopus potest dispensare cum illegitimo ad Ordines Minores, & ad Beneficium simplex.* 429. *Dub. 1. An ad recipiendum Canonicatum.* 430. *Dub. 2. An cum illegitimo occulto.* 431. *Dub. 3. An saltem administrandum in Sacris Ordinibus jam susceptis?* 432. *Dub. 4. An filii* Expositi *sint irregulares?* 433. *Principes seculares*

possunt legitimare tantum ad seculária. Quid in dubio, an quis sit legitimus?

434 Quarta *ex defectu* Ætatis.

435 Quinta *ex defectu* Sacramenti, *idest ob Bigamiam. Vide quæ sunt ap. Busemb.* 436. *Triplex est Bigamia*, Vera, Interpretativa, & Similitudinaria. *I. Quænam sit* Vera? 437. *II. Quæ* Interpretativa. *Hæc contingit quatuor modis.* Primus *modus, cum quis ducit viduam.* 438. Secundus *modus, cum quis ducit mulierem corruptam ab alio.* 439. *Dub.* 1. *Quid si credat virginem?* 440. *Dub.* 2. *Quid si invalide contrahat?* 441. Tertius *modus, cum quis cognoscit uxorem adulteram.* 442. *Dub.* 1. *Quid si adulterium fuerit occultum?* 443. *Dub.* 2. *Quid si cognoscit ignorans adulterium?* 444. Quartus *modus, cum quis contrahit duo Matrimonia, unum validum, aliud nullum.* 447. *Dub.* 1. *Quid si utrumque fuerit nullum?* 446. *Dub.* 2. *Quid si cum bona fide?* 447. *Dub.* 3. *Quid si fiete ineatur secundum Matrimonium?* 448. *III. Quidnam sit Bigamia* Similitudinaria? 449. *An hanc irregularitatem incurrant etiam Clerici in Sacris?* 450. *Quomodo tollatur irregularitas ex Bigamia? An Papa possit in ea dispensare?* 451. *An Episcopi?* 452. *An saltem quoad Ordines Minores, & ad Beneficia simplicia? An in Bigamia Similitudinaria?* 453. *An Prælati Regulares possint dispensare cum suis subditis in omni Bigamia?*

454 Sexta *ex defectu* Infamiæ.

455 Septima *ex defectu* Libertatis. *Hinc sunt irregulares I. Servi.* 456. *II. Conjugati. III. Curiales. IV. Milites, & Administratores publici, atque exercentes sæva, aut turpia.*

457 Octava *ex defectu* Lenitatis. 458. *An sit irregularis qui occidit in defensionem honoris?* (*Vide etiam dicta n.* 389.) 459. *Fiunt irregulares ex hoc defectu I. Qui occidunt in bello: sed quando?* 460. *An qui hortantur in bello ad occidendum?* 461. *II. Qui in Judicio concurrunt ad mortem, vel mutilationem. Modo ipsi I.* Cooperentur. 462. *II.* Active. 463. *III.* Efficaciter. *An peccent Clerici assistentes supplicio?* 464. *IV.* Proxime. *An peccet Confessarius, vel alius consultus a Judice, respondens aliquem in particulari esse plectendum?* 465. *Qui possunt excusari? An omnes qui non concurrunt ut ministri ad causæ probationem, vel executionem?* 466. *V.* Per actionem ex natura sua ad id ordinatam. 467. *Quomodo vetitum sit Clericis, & Monachis se intromittere in causam sanguinis?* 468. *Fiunt autem irregulares. I. Judices. II. Testes voluntarii. III. Accusatores, &c. Quid si accuset Clericus? & quid si causa sit propria, vel aliena?* 469. *An in hac irregularitate possit dispensare Episcopus, si fuerit occulta? An Prælati Regulares?*

470 *Adnotantur ultimo Facultates quas habet S. Pœnitentiaria super casibus, censuris, irregularitatibus, inhabilitatibus, votis &c.*

„ Resp. *Prima*, ex defectu *animæ*, ex quo 397
„ irregulares sunt I. Amentes, phrænetici, arre-
„ ptii, & epileptici, qui tamen, si ordinati sunt,
„ & intra annum eo morbo non laborarunt,
„ præsumuntur liberati, & permittuntur ad Or-
„ dinum exercitium. Si vero laborent raro, &
„ quidem sine clamore, & spuma, permittuntur
„ celebrare cum coadjutore, qui, deficientibus i-
„ psis, suppleat sacrificium. *M. Leo p.* 372. *ex c.*
„ *illud* 7. *q.* 1. *Glossa ibid.*

Loquendo de *amentibus*, distinguendum, si ta- 398
li defectu laborans jam ordinatus est, tunc omnino, cessato defectu per diuturnum tempus ex judicio Episcopi (vel Prælati, si est Regularis) poterit in ordines susceptos ministrare; ita *Nav. c.* 27. *n.* 203. *Suar. D.* 61. *sect.* 1. *n.* 4. & 5. *cum Sylv. Gratian. & S. Anton. Bon. d.* 7. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 1. *Pal. D.* 6. *p.* 10. *n.* 4. *Croix l.* 7. *n.* 494. *Cont. Tour. t.* 2. *p.* 36. & *Salm. c.* 9. *n.* 79. *cum Avila, Pelliz. etc.* Si vero non est ordinatus, nunquam poterit Ordines suscipere, si amentia ortum habuerit ex causa permanente & habituali, fundata (ut ait *Suar.*) in læsione organorum, vel humorum, quia ita laborantes facile relabuntur in eundem morbum, ut habetur in *c. Maritum* 2. *Dist.* 33. ubi dicitur: *Non ordinandum .... qui in furiam aliquando versus insanivit.* Unde sufficit semel insanisse, quia talis raro præsumitur perfecte sanus. Secus tamen si amentia provenerit ex accidente, puta ex vi febris, vulneris, iræ, aut alterius passionis transeuntis, & postea vere cesset; ita *Suar. l. c. n.* 5. *Nav. c.* 27. *n.* 203. *Ronc. c. ult. q.* 7. *Croix l. c. et Bon. p.* 2. *n.* 23. *cum Mol. Fil. Ugol. Avila, etc.* communiter.

Idem quod dictum est de amentibus, dicitur 399
de *epilepticis* (sive lunaticis), & *dæmoniacis*; nam si morbus antecedat Ordinationem, sunt hi perpetuo irregulares; ita *Suar. D.* 51. *sect.* 1. *n.* 6. *Bonac. D.* 7. *q.* 2. *p.* 2. *n.* 22. *Croix l.* 7. *n.* 495. *Ronc. c. ult. q.* 7. & alli passim. Et patet ex tota Distinct. 33. & præsertim ex *c. Communiter*, ubi dicitur: *Communiter definimus, ut nullus de iis, qui aut in terram arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel audeant ministrare, vel se ingerant; exceptis qui corporis incommoditatibus dediti, sine hujusmodi passionibus, in terra probantur elisi*: idest (ut explicat ibi *Glossa*), *qui raro cadunt*. Dicunt autem *Cabass. T. J. l.* 5. *c.* 19. *n.* 8. *et Tourn. p.* 31. *v.* 3. quod si quis ante pubertatem hoc modo affectus fuerit, & postea perfecte liberetur, non censetur irregularis, quia (ut ait Hipocrates) epilepsia sæpe in pubertate perfecte curatur. Secus si morbus accidat post pubertatem, & præsertim post 25. annum. Asserit tamen *Croix d. n.* 495. praxim in suis partibus habere, quod qui per biennium liberi fuerint ab hac infirmitate, accedente declaratione Episcopi, ordinantur; imo sine declaratione, si quis per septem annos liberatus probetur. Si vero tali morbo laborans jam ordinatus sit, licet non omnino

sit

sit liber, si tamen raro (id est semel in mense) cadat, nec spumet, poterit privatim celebrare, adjuncto Sacerdote jejuno qui Missam perficiat adveniente morbo: ita communiter *Suar. D. n.* 6. *Croix l. c. cum Nav. et Laym. ac Bonac. n.* 22. *cum S. Antonin. Sayr. Ugol. etc.* Et patet ex *cit. c. Communiter* Ibi: *Qui* (id est epileptici), *et ipsi* (id est obsessi) *tandiu erunt ab officii sui ordine et loco suspensi, quousque otius unni spatio per discretionem Episcopi inveniantur ab incursu demonis liberati*. Illud autem *anni spatio*, dicit *Suar. n.* 5. non esse in usu, sed relinqui prudentis arbitrio. Notant autem *Mazzor. tom.* 4. *p.* 446. *cum Sayr. Ugol.* & aliis, quod si quis dæmoniacus se simulaverit, hic etiam sit irregularis ad Ordines suscipiendos, ex Conc. Constant. VI. Can. 6. Dicit tamen cum eod. *Sayr. et Fill.* quod Episcopus potest promovere dæmoniacum ad Ordines minores, quia in *c. Cler.* 4. *Dist.* 33. fit sermo tantum de Ordine Sacro; sed probabilius hoc negant alii communissime, vide infra *n.* 452.

400 In hac autem irregularitate propter defectum animæ, durante defectu, nec etiam Papa dispensare potest, quia illo laborantes sunt de jure divino inhabiles tam ad suscipiendum, quam ad exercendum Ordinem. Cessante vero defectu, si cesset ante Ordinationem, non possunt in eo dispensare Episcopi, quia nulla Episcopis conceditur Dispensatio in irregularitatibus ex defectu provenientibus nisi in duobus casibus, notat *Cabass. l.* 5. *c.* 19. *n.* 3. scilicet 1. ut possint dispensare natalia illegitimorum ad solos Ordines Minores, & ad simplex Beneficium, ex *c.* 1. *de Fil. Presb. in* 6. Et 2. idem posse cum bigamo ex consuetudine, docent *S. Th. Sylv. Azor. Rota Rom. et alii ap. Cab. l. c.* contra *Tourn. p.* 116. *cum Pon. etc.* Sed vide *n.* 452. Ceterum *Fagn. in c. Veniens de Fil. Presb. n.* 7. *et* 9. *et Tourn. cum Gib.* & aliis dicunt posse Episcopos dispensare in omnibus irregularitatibus dubiis, argum. *ex c. Nuper* 29. ubi dicitur permissum quicquid non est reservatum; cum autem reservatio sit odiosa, non censetur facta, ubi impedimentum, sive irregularitas non est certa. Ad tollendam igitur irregularitatem certo contractam ex defectu animæ, requiritur Dispensatio Pontificis, ut docent *Bonac. p.* 2. *n.* 23. *Pal. D.* 6. *p.* 10. *n.* 5. *Salm. c.* 9. *n.* 8. *et Suar. D.* 51. *s.* 1. *n.* 5. contra *Majol.* & *Tab. ap. Bon.* Prælati autem Regulares bene possunt dispensare cum suis subditis tali defectu laborantibus, ut ad Ordines Sacros promoveantur, etiamsi quis passus fuerit permanentem amentiam, si ex judicio Medicorum vere cessaverit illius periculum, quia Regularibus ex privilegio concessum est dispensare cum suis in omnibus irregularitatibus, exceptis aliquibus, ut diximus *num.* 355. inter quas non est hæc; *Salm. c.* 9. *n.* 80. juxta ab iisdem dicta *c.* 7. *n.* 59.

401 „ II. Illiterati qui non habent doctrinam necessariam pro Ordinibus * (*An autem omnino illiterati sint irregulares, tam ad Ordines suscipiendos, quam ad exercendos? Vide dicta l.* 6. *n.* 791. *Qu. II. Quid vero de Regularibus? Vide ibid. Qu. III.*) *

402 „ III. Neophyti, seu recenter conversi, usque „ dum judicio Episcopi sufficienter instructi sint „ * (*Putat autem Tolet. ap. Viuam de Cens. q.* 9. *ar.* 4. *n.* 14. *post decennium neophytum non esse amplius irregularem, imo antea, si Episcopus judicet illum bene moribus profecisse.*) * „ *Secunda*, ex defectu *corporis*. 1. Si propter 403 „ eum ineptus est ad exercitium Ordinis, ut si „ sit cæcus, surdus, claudus, ita ut sine baculo „ nequeat ire ad altare: item, si careat manu, „ pollice, indice, oculo (non tamen si ungula „ pollicis, vel indicis, vel oculo dextero tantum; „ si vero sinistro, seu canonico, aut ejus vi visiva careat, indiget dispensatione; quod tamen „ negat *Valen. Henr. Sayr.* si quidem dextero „ possit absque deformitate legere Canonem). 2. „ Si Ordinem nequit exercere sine horrore, offensione, aut scandalo aliorum, ut si careat auribus, naso, si notabiliter sit gibbosus, leprosus, „ paralyticus, si membra habeat superflua cum „ magna deformitate: in dubio vero, an deformitas sit sufficiens, Episcopi est judicare, saltem „ in clericis: nam in Regularibus id spectare ad „ eorum Prælatum, contra *Barb.* &c. docent *Suar.* „ & alii 5. cum *Diana p.* 4. *t.* 2. *R.* 93. licet concedant Episcopum posse rejicere arbitrium Prælati: hunc autem, si gaudeat auctoritate quasi „ Episcopali, posse in illa irregularitate dispensare, nisi deformitas sit tanta, ut scandalum generet, *ib. ex Rodr.* & aliis 4. Vide *Bonac. Laym. M. Leo p.* 3. *f.* 370.

Unde resolves.

„ 1. Non videtur irregularis. 1. Qui habet sex „ digitos, vel aliquos conjunctos, si non sit magna „ deformitas, & Ordinem exercere possit. 2. Qui „ habet in oculo maculam visum non auferentem, „ nec notabiliter deformantem. 3. Qui caret ungula pollicis, si possit hostiam elevare, & frangere. 4. Qui per vim, aut infirmitatem factus „ est eunuchus.

„ 1. Irregularis est hermaphroditus, quia est „ monstruosus. 2. Gigas, Pigmæus, Æthiops; „ non tamen inter suos, sed alienos, ubi disparitas ludibrio est ".

Opus est singula latius discutere. Ex duplici capite incurritur irregularitas ex vitio corporis, vel quia impedit congruum exercitium Ordinis, vel quia affert notabilem indecentiam aut horrorem, ita communiter DD. cum D. Th. *Suppl. qu.* 39. *n.* 6. Hinc primo ob impedimentum exercitii irregularis est 1. *Cæcus*, qui omnino visu caret ex *c. ult. Dist.* 55. Sed notandum 1. quod si quis jam sit Sacerdos, & constet non posse errare, poterit a Pontifice obtinere Dispensationem; vide dicta *l.* 6. *n.* 390. Not. 2. Si alicui deest visus oculi dexteri, non est irregularis, ut comm. omnes; secus si sinistri, ut communissime docent *Bus.* cum aliis supra, & *Suar. D.* 51. *s.* 3. *n.* 15. *Laym. l.* 1. *tr.* 6. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 2. *Rone. q.* 6. *R.* 2. *Croix l.* 7. *n.* 560. *Tourn. t.* 2. *p.* 39. *infra n.* 5. *et Salm. c.* 9. *n.* 68. *cum Nav. Fill. etc.* Excipitur, nisi oculus dexter esset aptus ad Canonem legendum sine magna deformitate, cui facillime occurri potest per accommodationem Missalis; illud in medium afferendo, ut dicunt *Laym. l. c. Tamb. de*

Irr.

Irr. cap. 8. §. 1. *n.* 2. *Dian. p.* 3. *tr.* 6. *R.* 22. *et Croix lib.* 7. *n.* 500. *cum Nav. Mol. Sa, Avil. Dicast. etc.* Idque vocant *Suar. l. c.* practice probabile, etiam ut quis possit ad Sacerdotium promoveri. Not. 3. Si quis non sit omnino cæcus, sed ita cæcutiens, ut non possit legere in Missali, hic etiam est irregularis ad Ordines suscipiendos. Utrum autem ad eos exercendos? V. *l.* 6. *n.* 390. Not. 4. Non est irregularis qui est debilis visu, ita ut indigeat perspicillis, vel qui ex obliquo intuetur (vulgo vocatur *Guercio*); ita communiter *Holzm. t.* 1. *p.* 419. *n.* 364. *Tourn. p.* 40. *n.* 2. *Mazz. t.* 4. *p.* 456. *et Tamb.* §. 1. *n.* 3. *cum Sayr. Fill. Menochio*, & aliis.

405 II. *Surdus*, qui ex utraque aure penitus non audit, at communissime *Bon. q.* 2. *p.* 2. *n.* 7. *Tour. p.* 39. *Ronc. q.* 6. *R.* 2. *Croix l.* 7. *n.* 502. *Elb. t.* 2. *p.* 477. *n.* 218. *Mazz. p.* 456. *& Tamb. c.* 8. §. 1. *n.* 3. *cum Suar. et Turr. et Pal. D.* 6. *p.* 11. *n.* 3. *cum Laym. et Sayr.* ex Can. 7. Apostolorum, ubi id definitum habetur, quia talis Sacerdos, cum non possit audire vocem Ministri, nequit sine indecentia celebrare. Hanc indecentiam negant *Henr. Præp. & Gob. ap. Croix l. c.* quia (ut ajunt) satis est, ut Sacerdos percipiat ex aliis signis Ministrum respondisse; sed communissime (ut diximus) DD. his contradicunt. Concedunt vero *Bon. l. c. Tam. n.* 6. *Con. p.* 490. *n.* 5. *Pal. d. n.* 3. *cum Nav. & Laym. ac Salm.* 9. *n.* 67. *cum Con. & Pelliz.* quod si surditas superveniat Sacerdotio suscepto, non interdicitur Sacerdoti celebratio; facilius enim tolleratur defectus superveniens in promoto, quam in promovendo, prout de cæcutiente dictum est *l.* 6. *n.* 390. Communiter autem docent DD. contra *Camitol. ap. Croix n.* 502. surdastrum, sive difficulter audientem, minime esse irregularem; ita *Tourn. l. c. Holzm. p.* 416. *n.* 363. *Tamb. l. c. & Croix ibid. cum Suarez Bon. Sayr. Reginald. Fill. Diana, Graff. &c.*

406 III. *Mutus*, qui non possit loqui, aut verba integra proferre, ita ut nullam possit vocem pronunciare, quin aliquid omittat, ut *Tourn. p.* 29. *n.* 3. *Holz. p.* 419. *n.* 363. *Viva q.* 9. *ar.* 4. *n.* 15. vel nisi cum magna difficultate, ut addunt *Salm. c.* 9. *n.* 67. Et idem dicit *Holz. l. c.* de eo qui loquelam penitus præcipitem habet. Blæsi vero sive balbutientes, aut carentes dentibus non sunt irregulares; etiamsi cum aliqua difficultate verba proferant, ut ait *Croix l.* 6. *p.* 2. *n.* 2222. nisi afferant causam risus, aut contemptus; *Nav. c.* 27. *n.* 222. *& Tamb.* §. 1. *n.* 10. *cum Con. Sayr. Fill. Præp. &c.*

407 IV. *Claudus*, qui sine baculo nequit ire ad altare, ut habetur in *c. Nullus Episcopus* 57. *de Cens. Dist.* 1. Hoc tamen intelligitur, ut explicat *Glossa ib. v. Cum baculo*, idest: *Si sine baculo non possit sustentari in altari; &* idem dicunt *Bon. qu.* 2. *p.* 2. *n.* 15. *& Pal. D.* 6. *p.* 11. *n.* 3. Ceterum claudus, qui non indiget baculo, minime est irregularis, ut dicitur in *cap. Si quis* 19. *Dist.* 55. Sicut nec etiam qui habet crura distorta, ut *Tourn. p.* 41. *Salm. c.* 9. *n.* 68. *& Croix n.* 504. *cum Pal. Laym. & Henr.* quia talis defectus veste talari facile tegi potest; secus si in hoc magna adesset deformitas. Si quis vero est instructus pede ligneo, quia habet pedem mutilum, vel aridum, hic est irregularis; ita *Laym. c.* 7. *n.* 4. *Nav. c.* 27. *n.* 199. *Tourn. p.* 41. *Tamb.* §. 1. *n.* 17. *Bon. n.* 13. *cum Molyn. Sayr. Ugol. Fill. Reg. etc.* eo quod celebrare cum pede ligneo magnam habet indecentiam. Dicit tamen *Tamb. l. c. cum Sylv. Rosel. Majol. et Gibal.* quod si talis defectus sit modicus, & aliquo modo indecentia reparari valet, permitti posset celebratio. Et in dubio standum judicio Episcopi.

V. Qui caret manu, aut digitis omnibus, aut pollice, ut habetur in *c. ul. de Corpore vitiato.* Idem dicunt cum *Bus.* ut supra, *Renzi* t. 2. p. 671. *q.* 3. *Tamb.* §. 1. *n.* 12. *Fill. c.* 6. *n.* 132. *Bon. p.* 2. *n.* 15. *cum Suar. Mol. Sayr. Avil. Reg.* & aliis, de eo qui caret indice, vel parte pollicis aut indicis, vel qui habet eos ita debiles, ut nequeat hostiam elevare, aut frangere. Secus si quis careat ungue pollicis, vel indicis, ut dicitur in dicto *c. ult.* Si quis autem jam fuerit ordinatus, & habet pollicem impeditum, in casu necessitatis probabiliter posset Eucharistiam ministrare posterioribus digitis, ut diximus *l.* 6. *n.* 244. Si quis careat tribus posterioribus digitis, etiam est irregularis; *Anacl. p.* 515. *n.* 18. *& Tourn. p.* 39. *cum Sayr. & Ugol.* Si vero caret uno tantum digito minori, non est irregularis, ut *Holz. p.* 420. *n.* 364. & *Tour. p.* 39. *cum Caj. & Pon.* & idem sentit *Tourn.* cum alio auctore si caret duobus. Nec pariter est irregularis qui habet sex digitos; *Holz. l. c. Tour. p.* 4. *n.* 6. *Fil. n.* 175. *& Bon. n.* 11. *cum Ugol. Henr. Sayr. Reg.* &c. modo sextus digitus usus aliorum non impediat. Sextus autem ille digitus bene potest abscindi sine periculo irregularitatis, si possit fieri sine periculo vitæ: *Bon. l. c.* cum eisdem. Notat autem *Tourn. p.* 39. quod si quis careat indice, poterit obtinere dispensationem.

VI. Laborans febri continua, non autem quartana, aut levi; aut qui patitur gravem dolorem capitis; *Bon. D.* 7. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 17. Hoc tamen intelligendum de eo, qui non posset celebrare ob talem morbum sine proximo periculo deficiendi, vel notabiliter errandi, ut innuit idem *Bon. n.* 18. nam optimam in hoc tradit regulam *Laym. c.* 7. *n.* 6. *cum Soto, Tol. Avil.* & aliis, quemcunque morbum non inducere irregularitatem, nisi vel exercitium Ordinis impediat, vel notabilie scandalum sive indecentiam afferat. Item irregularis est qui laborat paralysi, ut cum *Bus. Pal. n.* 3. *& Conc. p.* 496. *n.* 4. qui bene ait id intelligi tantum de eo qui manus ita tremulas habet, ut sit periculum effundendi Calicem. Item qui tantum patitur tussim, ut sit periculum in suscipienda Eucharistia; *Bon. p.* 1. *n.* 21. *cum Ugol. Majol.* &c. communiter. Item abstemius qui vinum nequit sumere nisi cum periculo evomendi; *Tour. p.* 39. &c. *Con. l. c.* hic enim esset irregularis de jure divino; nec enim Papa dispensare potest, ut Sacrum celebretur in una sola specie, ut diximus *l.* 6. *n.* 196.

Secundo incurritur irregularitas ex defectu corporis, quando corporis vitium magnam affert deformitatem sive horrorem, ut habetur *ex c. Presbyterum, de Cler. ægrot.* & alias *de corp. vit.* Hinc ratione deformationis sunt irregulares I. li qui-

quibus deest aliquod membrum, nempe qui carent naso, ut in *c. penult. de corp. vit.* vel habent nimis deformem; nempe valde distortum, aut valde demissum, aut promissum, ut *Tamb. c.* 8. §. 1. *n.* 19. *Bon. p.* 1. *n.* 2. *& Viva q.* 9. *art.* 4. *n.* 15. Item si alicui est erutus oculus, sive dexter, sive sinister, ut in *c. ult. Dist.* 55. Probabiliter vero dicunt *Sylv. ap. Croix l.* 7. *n.* 500. *in fine*, *Tour. t.* 2. *p.* 40. *cum Pontas*, *Ronc.* 6. *R.* 2. *cum Tamb.* & alii, hunc non esse irregularem, si deformitas illa reparari possit per oculum vitreum. Sic pariter etiam est irregularis qui caret auriculis, nisi talis defectus capillis aut aliter tegatur, ut dicunt cum *Bus. Salm. c.* 9. *num.* 68. *Tamb.* §. 1. *n.* 8. *Renzi t.* 2. *p.* 670. *qu.* 2. *Dian. p.* 4. *tr.* 2. *R.* 73. *Pal. D.* 6. *p.* 11. *n.* 3. *cum Laym. & Bonac. ac Tour. p.* 40. *cum Con. Avila, & Pontas.*

411 II. Leprosi, ut habetur in *cap. Tua nos, de Cler. ægrot.* ubi interdicitur leproso celebrare *pro scandalo, & abominatione populi*; unde si abesset scandalum, ut in loco privato, bene hic posset celebrare; ita *Pal. de Euch. p.* 13. *n.* 5. *Salm. eod. tit. c.* 7. *n.* 57. *& Bon. de Irr. D.* 7. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 20. *cum Mol. Ugol. & Majolo*. Sic pariter sunt irregulares qui habent labia corrosa, vel abscissa ad instar leporis; *Tamb.* §. 2. *n.* 11. *Tour. p.* 40. *Viva q.* 9. *ar.* 4. *n.* 15. Idem dicunt *Tour. p.* 41. *v. Quod, & Holzm. p.* 419. *n.* 363. de eo qui laborat morbo gallico, qui foris appareat: aut qui habet faciem ex alio morbo valde maculatam, ut *Laym. c.* 7. *n.* 1.

412 III. Monstruosi, nempe qui gibbam habent valde enormem, nimirum (ut docent *Anacl. p.* 515. *n.* 32. *Renzi p.* 671. *q.* 4. *& Bon. p.* 1. *n.* 9. *cum Avil. Mol. Ugol. Reg.* & aliis) si gibbositas vel sit conjuncta cum nimia deformitate vel debilitate, prout si nequeat recto capite stare. Item pigmæi, sive nani, nempe ita breves statura, ut ad risum moveant, præsertim si habeant caput valde ingens, ut *Tamb.* §. 1. *n.* 2. *Tourn. p.* 4. *n.* 7. *& Renzi p.* 672. *q.* 5. *cum Sayr. Majol. Henr.* & aliis; vel (ut ait *Laym. in Indice, v. Irregularis*) illi qui ita statura parvi sunt, ut brachia extendere non possint, quatenus necesse est ad altaris ministerium. Item Æthiopes, qui apud nos risum afferrent, ut *Tourn. l. c. & Ugol. de Irr. c.* 50. *n.* 4. Quamvis hoc negant *Majol. & Gavant. ap. Tamb.* §. 1. *n.* 24. Color autem subfuscus, sive rubens non nocet altari, ut idem *Ugol. Fill. c.* 6. *n.* 171. *& Tamb. n.* 22. *cum Majol.* Item hermaphroditi, etiamsi in eis prævaleat sexus virilis, ut *Suar. D.* 51. *s.* 2. *n.* 2. *Laym. c.* 7. *n.* 1. *Nav. c.* 27. *n.* 203. *Bon. p.* 1. *n.* 15. (Dicunt tamen *Tolet. l.* 1. *c.* 63. *n.* 6. *& Escob. l.* 53. *n.* 209. *cum Corn.* contra *Conc. p.* 497. *n.* 5.) quod hic defectus tunc parit irregularitatem, quando est notus, non vero quando est occultus.

413 Super his notandum 1. quod si aliquis ex præfatis defectibus corporis superveniat Ordinibus jam susceptis, Sacerdos non impeditur ab actibus illius Ordinis, quos potest exercere sine incongruitate & indecentia, ita ut Sacerdos cæcus aut claudus bene potest excipere Confessiones, canere Evangelium, &c. ea *c.* 7. *de Cler. ægrot.* ubi: *ipsum autem fungi ceteris Sacerdotalibus officiis minime prohibemus*. Notand. 2. quod si vero talis defectus ante Ordines adveniet, absolute inducit irregularitatem, non solum ad illum Ordinem, cujus exercitium impedit, sed ad omnes alios, ut communiter docent *Nav. c.* 27. *n.* 200. *Bon. p.* 2. *n.* 10. *Escob. l.* 53. *n.* 216. *Pal. p.* 10. *n.* 4. *Salm. c.* 8. *n.* 72. *in fin. cum Corn. & Pell. ac Cabas. l.* 5. *c.* 19. *n.* 15. *cum Ang. Ugol. & Avil.* contra *Palud.* & alios. Ratio, quia, cum omnes Ordines Sacerdotium respiciant, exclusus a Sacerdotio, censetur etiam ab omnibus Ordinibus repulsus.

In hac autem irregularitate proveniente ex de- 414
fectu solus Papa potest dispensare, v. gr. ut cæcus ordinetur: Feruntque *Fill. Henr. & Majol. ap. Tamb. c.* 8. §. 3. *n.* 2. quemdam Papam dispensasse cum cæco, ut adhibito adjutore perito celebraret * (*Ceterum S. C. ut refert P. Zach. Adn. ad Croix l.* 7. *n.* 500. *censuit bene posse dispensari cum cæco, etiam ex utroque oculo, qui jam sit Sacerdos, ut celebret, cum assistentia alterius Sacerdotis. Secus vero, si laicus, pro quo dicit non esse consulendum Pontific. pro dispensatione ad Primam Tonsuram, nec etiam ad recipiendum Beneficium simplex*)*. Censet pariter *Tamb.* posse Papam dispensare ad Sacerdotium cum eo qui caret manibus, ut possit saltem excipere Confessiones, conciones habere, &c. Sed verius hoc negat *Avil. de Cens. p.* 7. *D.* 3. *d.* 3. quia potestas supra Corpus Mysticum fundatur in potestate supra Corpus Reale Christi, unde qui ineptus est ad primam, incapax est secundæ. Prælati aurem Regulares bene etiam possunt dispensare in hujusmodi irregularitate, non autem Episcopi (ut diximus *n.* 400.) qui tantum in dubio, an defectus corporis notabiliter impediat exercitium Ordinis, vel an magnam afferat indecentiam, possunt declarare, sive judicare, ut communiter docent *Suar. D.* 51. *s.* 2. *n.* 16. *cum Nav. & Sylv. Laym. c.* 7. *n.* 7. *Dian. p.* 4. *tr.* 2. *R.* 73. *cum Miranda* & aliis, ex *c.* 2. *de Corp. vit.* An autem Prælati Regulares possint de hoc judicare respectu ad suos subditos? Negant *Barb. All.* 42. *n. ult. & Dian. p.* 2. *tr.* 6. *R.* 63. *cum Rodr. Henr. & Camp.* Sed valde probabiliter affirmant *Bus.* ut supra *n.* 402. *Suar. l. c. Laym. n.* 6. *Salm. c.* 9. *n.* 68. *cum Avil. & Pell.* & probabile putat *Diana l. c. R.* 73. *cum Peyr. Myranda, & Avila*. Ratio, quia Prælati Regulares respectu ad suos habent jurisdictionem Episcopalem, ad quam tale judicium magis pertinet, quam ad characterem. * Recte vero ait *Suar.* posse Episcopum ordinantem admittere, vel rejicere talem Ordinandum.

Quæ autem dicta sunt, spectant ad eos qui la- 415
borant aliquo corporis defectu sine propria culpa; si vero defectus advenit ex eorum culpa, puta si quis membrum, vel ejus partem sibi amputaret ex prava intentione, ipsi fiunt irregulares, etiamsi defectus non impediat exercitium Ordinis, nec deformitatem afferat, quia irregularitas hæc imposita est in pœnam sævitiei in semetipsum, unde in *c. Qui p.* 6. *Dist.* 55. ut diximus *n.* 365. *in fin.* declaratur irregularis, *qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscindit*. Ad hanc tamen irregularitatem incurrendam requiritur culpa gravis, ut bene ait *Tamb. c.* 8. §. 2. *n.* 3. Alias tanta pœna non haberet debitam cum culpa proportionem. Alii præterea requirunt, ut tale crimen sit notorium,

rium, ut *Suar. D.* 51. *sess.* 1. *n.* 8. *Bon. q.* 2. *p.* 2. *& alii ap. Tamb. n.* 8. Sed verius hoc negant *Pal. D.* 6. *p.* 12. *n.* 2. *Salm. c.* 8. *n.* 71. *cum Garc. & Tamb. l. c. cum Sayr. & Mol.* quia talis irregularitas non innititur notorietati culpæ, sed crimini sævitiei, quam quis in seipsum exercet. Recte tamen ait *Tamb. n.* 9. quod Episcopus ex *c. Liceat* 6. Tridentini *sess.* 24. poterit cum illo dispensare, si crimen sit occultum, adhuc si defectus membri sit patens, nam Concilium universe concedit Episcopis facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus.

416 Quid dicendum de Eunucho? Resp. Qui est eunuchus propter abscissionem virilium, aut testiculorum, factam a Medicis causa morbi, vel ante usum rationis, vel propter injuriam alterius, hic non est irregularis, ut communiter cum *Busem.* dicunt *Salm. c.* 7. *n.* 70. *in fin. & Tamb.* §. 2. *n.* 11. idemque patet ex *cap. Si quis a Medicis* 7. *& c.* 8. *ac* 9. *D.* 55. Ridiculus autem (ait *Nav. c.* 27. *n.* 200.) est error illorum qui putant opus esse, ut testiculos desiccatos secum gestet is qui vult ordinari, aut celebrare. E converso qui ex ira aut zelo indiscreto servandæ castitatis abscindit sibi virilia, aut testiculos, certe fit irregularis, ut habetur in *c. Si quis* 4. *Dist.* 55. ubi dicitur: *Si quis abscidit semetipsum, idest si amputavit sibi virilia, non fiat Clericus.* Et in *c. Hi qui* 5. *ead. Dist.* ibi: *Hi qui se carnali vitio repugnare nescientes abscindunt, ad Clerum pervenire non possunt.* Item in *c. si quis* 7. *ib.* dicitur, *nullum debere promoveri de his qui hanc rem affectant, audentque semetipsos abscindere.* Et idem communiter docent DD. de eo qui propter eadem motiva permittit ab alio amputari, ut dicunt *Tamb. n.* 13. *& Salm. n.* 69. utque infertur ex *c. Si quis* 9. *D.* 55.

417 Quid vero si quis causam dederit tali abscissioni, sed absque suo consensu, prout cum aliquis, accedendo ad conjugatam, dat causam, ut a Marito virilia sibi abscindantur? *Suar. D.* 51. *s.* 2. *n.* 8. *& Bon. q.* 2. *p.* 2. *n.* 53. censent hunc esse irregularem. Sed valde probabiliter negant *Tolet. l.* 1. *c.* 82. *Tamb.* §. 2. *n.* 25. *Conc. D.* 18. *d.* 13. *n.* 108. *Gibal. c.* 3. *q.* 1. *Hurt. Diff.* 14. *n.* 52. *& Pal. p.* 12. *n.* 3. *cum Garcia, &c.* Ratio, quia (ut sæpe dictum est) irregularitas ut incurratur debet esse expressa in jure; nullibi autem habetur quod ille qui abscissioni causam dedit, & sine suo consensu abscissus est, fiat irregularis: verba enim illa textus in *c.* 5. ut supra, *rem hanc affectant*, idem significant (ut cuique patet) ac petere sive exquirere; qui autem adulterium vult, etiamsi abscissionem prævideri, eam non appetit nec exquirit.

418 Præterea, dicunt *Pal. d. p.* 12. *n.* 14. & probabile putant *Tamb.* §. 2. *n.* 16. *& Pelliz. ap. Salm. n.* 70. (qui huic sententiæ videntur adhærere) contra *Suar. Mol. & Sayr. ap. Dian. p.* 10. *tr.* 13. *R.* 11. quod si quis amputet sibi testiculos, vel amputari sibi faciat ob vocem conservandam, non fit irregularis, cum id non faciat ex indignatione, aut zelo indiscreto castitatis, ut requiritur ad hanc irregularitatem incurrendam, in *d. c. Qui partem* 6. & *c. Si quis* 9. *Dist.* 55. Tanto magis quod textus præfati tantum loquuntur de amputante sibi virilia, non autem testiculos.

Item recte ait *Tamb. d.* §. 2. *n.* 18. *&* 19. quod 419
si quis attentet se occidere, aut mutilare, non est irregularis; illud enim *affectant* in dicto *Can. Hi qui* 5. intelligitur de consensu effectu sequuto attentationis, ut patet ex contextu. Dicit tamen idem *Tamb. n.* 20. *cum Cornejo*, quod si quis attentaret publice se occidere, contraheret irregularitatem ob infamiam.

„ *Tertia*, ex defectu *Natalium*, ex quo irre- 420
„ gulares sunt omnes illegitimi, eo quod ratione
„ originis reputentur viles. * (*Ita ex c.* 1. *& fin.*
„ *de Fill. Presbyt. Et hoc etiamsi sint occulti,*
„ *ut communiter docent Bon. D.* 7. *q.* 2. *p.* 3. *Pal.*
„ *D.* 6. *p.* 9. *n.* 2. *& Salm. c.* 9. *n.* 43. *cum A-*
„ *vila, Sayr. Pelliz. & Cornejo*) *

„ Tales autem communi jure legitimantur I. 421
„ Per *subsequens matrimonium* inter eorum pa-
„ rentes, modo hi tempore conceptionis potuerint
„ valide contrahere. * (*Unde si adulter mortua*
„ *conjuge ducat mulierem, ex qua filium habuit,*
„ *iste manebit illegitimus, ex c. Tanta. Qui fi-*
„ *lii sint legit.*) *

Valde autem probabiliter dicunt *Sanch. de Matr.* 422
l. 8. *D.* 7. *n.* 19. *Pont. eod. tit. c.* 3. *n.* 2. *Anacl. p.* 516. *n.* 33. *Bonac. p.* 3. *n.* 5. *& Salm. c.* 9. *cum Sayr. Pelliz. Diana, & Corn.* contra *Suar. D.* 50. *s.* 1. *n.* 3. *Tourn. t.* 2. *p.* 26. sufficere ad legitimandam prolem, & eam reddendam immunem a defectu natalium, quod Matrimonium fieri poterat tempore nativitatis, ut colligitur ex *d. c. Tanta. Qui filii sint legit.* ubi dicitur quod proles est illegitima, *si vir vivente uxore sua aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit.* Susceptio enim prolis fit verius non per conceptionem, sed per nativitatem: saltem ibi Pontifex certe loquitur de filio jam nato, dum ait illum *ab hæreditate repellendum*: ergo, cum oppositum saltem sit dubium dubietate juris, non censetur in eo casu imposita irregularitas, quæ (ut sæpe repetitum est) non incurritur, nisi in jure sit expressa. Et novissime Bened. XIV. hanc sententiam amplissima dissertatione in forma Epistolæ in *Bullar. suo t.* 1. *in ordine* 213. responsivæ ad Archiep. S. Dominici in insula Hispaniola illustravit, & sic de hoc casu §. 3. suum sensum aperuit: *In qua controversia satis ardua, cum inveniantur Textus Textibus contrarii, cum Doctores Doctoribus adversentur, si a nobis judicium interponendum foret, non aliter id a Nobis fieret, quam secundum sententiam in Tribunalibus, & Curia illius Regionis receptam, in qua esset pronunciandum.* In §. 4. procedit ad aliud dubium, quod ita resolvit: *Sed cum certum est Matrimonium inter illius Parentes contractum, incertum vero tempus, quo filius conceptus, & in lucem editus fuerit, filium hunc legitimum censeremus, cum Judex in dubio debeat in bonum, & commoda Prolis propensus esse.* His positis, sic ego pro prima sententia argumentor. Igitur si in dubio Judex in bonum prolis judicare debet, ubi talis casus nulla Tribunalium sententia decisus reperitur, cum simus in dubio ob Textum, & Doctorum discrepantiam, potius proles judicanda est legitima, quam illegitima, siquidem etiam in hoc casu certum est

eam

eam in Matrimonii constantia editam fuisse, & incertum an debeat attendi tempus conceptionis, an vero ortus.

423 Præterea hic notandum 1. cum *Salm. n.* 49. quod si filius naturalis ante Parentum Matrimonium esset Ordinibus Sacris initiatus, illo secuto, licite potest in eis ministrare, & ad alios ascendere sine dispensatione: quia, licet peccaverit Ordines suscipiendo, tamen nullam noxam ob hoc crimen contraxit irregularitatis: antiqua autem irregularitas jam ablata est per subsequens Matrimonium. Notandum 2. quod talis legitimatio fit per subsequens Matrimonium etiam non consummatum, puta si in articulo mortis contrahitur, quia ex dicto *c. Tanta*, virtus legitimandi tribuitur, cuicumque valido Matrimonio.

424 Notandum 3. quod filii nati ex Matrimonio irrito ob aliquod impedimentum occultum, tamen putato valido, saltem ex uno Sponsorum, censentur legitimi: ita communiter *Suar. D.* 50. *s.* 1. *n.* 6. *Bon. q.* 2. *p.* 3. *n.* 5. *Conc. p.* 497. *n.* 6. *& Tourn. p.* 35. *n.* 3. *cum Pontas*, & patet ex *c. Cum inter* 2. *Qui filii sint legit.* ubi: *Cum parentes eorum publice & sine contradictione Ecclesiæ inter se contraxisse noscantur ... sancimus, ut filii eorum habeantur legitimi.* Et idem confirmatur in *c. Ex tenore, eod. tit.* Secus vero, si ambo Parentes tempore Matrimonii fuerint in mala fide, ut habetur in *c. Cum inhibitio* 3. §. *si quis de Cland. desp.* ibi: *Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumpserint.* Et sic pariter docet *Suar. l. c. n.* 11. Illegitimos esse filios natos ante Matrimonium invalide contractum, licet, ambo Parentes putaverint validum, quia pro hic nullus habetur textus eos ut legitimos approbans.

425 Notandum 4. quod filii nati ex Matrimonio clandestino, idest sine Denunciationibus, ac sine licentia Episcopi inito, etsi coram Parocho & testibus, reputantur illegitimi, etiamsi Parentes in bona fide propter ignorantiam contraxerint ex *eod.* §. *Si quis* ut supra in dict. *c.* 3. ubi dicitur: *Si quis vero hujusmodi clandestina, vel interdicta* (scil. absque Proclamationibus, ut prius in textu explicatur) *conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur.* Id tamen limitat *Suarez, D.* 50. *s.* 1. *n.* 1. pro foro conscientiæ, si Parentes adhibuerint debitam diligentiam; sed merito *Bossius de contr. Matr. c.* 8. *n.* 52. hanc limitationem non admittit, quia legitimatio filiorum ex Matrimonio nullo est beneficium indultum a lege, sed lex denegat illud filiis Parentum qui contra interdictum Ecclesiæ contraxerunt, ut dicitur in præfato textu, & confirmatur in *cap. Cum inter* mox supra relato verbis illis, *publice & sine contradictione Ecclesiæ.*

426 „ II. Legitimantur filii per *Professionem Reli-*
„ *giosam*; quamvis ad dignitates etiam in reli-
„ gione, v. g. Abbatiam, Prioratum &c. promo-
„ veri non possint sine dispensatione. V. supra
„ *d.* 3. * (*Ita ex Bulla Greg. XIII. ac Salm.*
„ *c.* 9. *n.* 55. *Quamvis aliunde Prælati Regulares*
„ *ex aliis Privilegiis bene possunt dispensare in*
„ *irregularitate cum suis subditis illegitimis, ut*
„ *probant Salm. c.* 9. *n.* 56. 57. *&* 58. *Vide etiam*
„ *dicta n.* 354.

„ III. Per *Dispensationem Pontificiam.*

Papa non solum potest illegitimis Dispensatio- 427
nem concedere, sed etiam ipsam legitimationem, quæ irregularitatem aufert quoad omnes effectus. Ita comm. *Sanch. de Matr. l.* 8. *D.* 7. *n.* 28. *Pal. p.* 9. *n.* 6. & *Salm. c.* 9. *n.* 40. *cum Azor. Sayr. & Corn.*

Episcopus vero potest cum illegitimo dispensare 428
tantum ad Ordines Minores, & ad Beneficium simplex, ex *c.* 1. *&* 2. *de Fil. Presbyt. in* 6. At etiam ad Canonicatus in Collegiatis, vel ad portiones non integras in Cathedralibus, vel ad alia Beneficia, quibus non est annexus Ordo Sacer. Non vero ad Beneficium curatum, ut habetur in *c. Is qui de Fil. Presbyt. in* 6. hoc certum est apud omnes.

Sed dubit. 1. An Episcopus possit dispensare ad 429
recipiendum Canonicatum in Cathedralibus? Affirmant *Pontas verb. dispensare irreg. Cas.* 28. *& Tourn. t.* 2. *p.* 29. *n.* 5. *Gibert. Oltrado, &c.* Quia (ut ajunt) omnis Canonicatus per se est Beneficium simplex, & licet Trid. *sess.* 24. *c.* 12. pro Canonicatibus in Cathedralibus requirat Ordinem Sacrum, tamen non requirit hic & nunc, cum Clericus possit Canonicatum recipere in Minoribus, & deinde obtinere Dispensationem irregularitatis infra annum quem concedit Concilium ad Sacrum Ordinem suscipiendum. Probabilius vero negat *Pal. D.* 6. *p.* 9. *n.* 8. *Less. l.* 2. *c.* 34. *n.* 66. *Barb. All.* 45. *n.* 34. *Conc. tom.* 10. *p.* 497. *n.* 7. *& Salm. c.* 9. *n.* 51. *&* 52. *cum Corn. Henr. Avila, & Philib.* Ratio, quia, esto Canonicatus sit per se Beneficium simplex, attamen ex præscripto Concilii est annexus Ordini Sacro: unde per se statim Sacrum Ordinem requirit; quod autem infra annum possit provisus illum suscipere, est beneficium a Tridentino indultum, sed hoc naturam rei minime immutat.

Dubit. 2. An Episcopus possit dispensare in hac 430
irregularitate cum illegitimo occulto? Affirmant *Dian. p.* 1. *tr.* 15. *R.* 21. *& Avila, Barbos. Pelliz. Reg. Peyrin. &c. ap. Salm.* qui probabile vocant; Quia (ut ajunt) Tridentinum concessit Episcopis dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto (præter homicidium) provenientibus, non distinguendo, an delictum fuerit proprium, aut alienum. Sed verius negant *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *n.* 2. *Suar. D.* 50. *s.* 5. *n.* 6. *Bon. q.* 2. *p.* 3. *in fin. Tour. p.* 28. *n.* 2. *Dian.* (se revocans) *p.* 4. *tr.* 2. *R.* 64. *Pal. p.* 9. *n.* 10. *cum Hurt. & Salm. c.* 9. *n.* 53. *cum Con. Corn. & Philipp.* Ratio, quia hæc irregularitas proprie non est ex delicto, sed ex defectu; & verius illud *ex delicto*, intelligitur de delicto proprio, non alieno.

Dubit. 3. an Episcopus possit dispensare cum 431
illegitimo occulto, quoad ministrandum in Ordinibus Majoribus susceptis? *Prima* sententia, quam tenent *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *n.* 2. *Pal. p.* 9. *n.* 10. *& Dian. p.* 4. *tr.* 2. *R.* 64. affirmat absolute, si initiatus bona fide Ordinem susceperit, quia is jam acquisivit jus ad ministrandum: Imo etiamsi mala fide, adhuc probabile putant posse Epi-

piscopum cum eo dispensare, argum. in *c. Nisi cum pridem de Renuntiat.* ubi dicitur posse dispensari cum eo qui culpabiliter suscepit Ordinem cum irregularitate occulta. *Secunda* verior sententia universe negat, eamque tenent *Suar. D.* 5. *s.* 5. *n.* 4. *Fill. tr.* 19. *c.* 5. *n.* 155. *& Salm. c.* 9. *n.* 54. *cum Cornejo*. Et probatur ex *c.* 1. *de Fil. Presbyt. in* 6. ubi absolute dicitur, quod Episcopi nequeunt dispensare in irregularitate ex defectu natalium, nisi tantum ad Ordines Minores; unde cum illegitimus sit incapax ad Ordinem Majorem exercendum, non potest ad eum jus ullum acquirere. Illud autem quod dicitur in textu citato, nempe quod etiam cum eo qui culpabiliter processerit, poterit dispensari, certum est, sed ibi non dicitur ab Episcopo; ergo intelligendum ab habente potestatem, scil. Pontifice.

432 Dubit. 4. An filii expositi, quorum Parentes ignorantur, censendi sint illegitimi, & irregulares? *Prima* sententia affirmat, & hanc tenent *Tourn. t.* 2. *p.* 24. *Fill. tr.* 19. *n.* 141. *& Bon. q.* 2. *p.* 3. *n.* 10. *cum Avila, Ugol. Reg. Reb. Garc. &c.* Quia pro his vehementes adsunt conjecturæ esse illegitimos, cum legitimi non soleant exponi. *Secunda* vero sententia probabilior negat, & hanc tenent *Pal. p.* 9. *n.* 2. *Pont. de Matr. l.* 2. *c.* 6. *n.* 4. *& Salm. c.* 9. *n.* 44. *cum Con. Giball. Diana*, & *Pelliz.* ac probabilem censet *Suar. D.* 80. *sess.* 4. *n.* 5. Ratio, quia ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur, ut quis sit certus de sua illegitimitate; sed expositi sunt dubie illegitimi, cum multoties Parentes etiam conjugati propter inopiam filios exponant. Huic sententiæ magnum pondus tribuit Declar. Greg. XIV. expedita anno 1591. quam AA. præfati referunt, ubi Pontifex declaravit in gratiam confraternitatis pro expositis, eos non reputari illegitimos nisi tales probentur. *Giballinus ap. Tourn. l. c.* licet sit pro hac sententia, dicit tamen, hanc Declarationem parum probare, quia fuit facta in gratiam Confraternitatis; sed mihi videtur nimis probare nam illa potius fuit edita in gratiam expositorum, quam Confraternitatis. Saltem dicendum, quod hujusmodi irregularitas in exposito non est sufficienter expressa in jure.

433 „ Principes vero seculares non possunt legitimare nisi tantum in ordine ad officia secularia, & hæreditates. Porro cum dubium est, an quis sit legitimus, non censeri irregularem, contra *Vasq. &* alios 5. vult *Dian. p.* 4. *t.* 2. *R.* 59., *ex Avila*, eo quod quilibet præsumatur legitimus donec contrarium probetur: neque teneri hac in re credere ipsimet matri, etiam in fine vitæ, nisi rationibus convincat, vel pater etiam asserat, *ib. communi*. * *Vide dicta l.* 3. *n.* 654. *

434 „ *Quarta* est ex defectu ætatis, de quo v. in Sacramento Ordinis *) *Vide dicta lib.* 6. *n.* 783. *ad n. XI. & n.* 799.) *

435 „ *Quinta* ex defectu Sacramenti, sive significationis matrimonii, ratione bigamiæ, eo quod bigamus non perfecte repræsentet unionem Christi cum Ecclesia, quippe qui carnem suam divisit in plures uxores. Non sufficiunt autem ad hanc bigamiam sponsalia cum pluribus etiam secuta copula; nec fornicatio, vel adulterium, vel matrimonium ratum cum pluribus: sed matrimonium verum, vel præsumptum cum duabus, & consummatum. * (*Ut habetur ex cap. Debitum de Bigam.* 7.) * Dixi, *vel præsumptum;* quia, licet quandoque secundum matrimonium sit nullum, juris tamen fictione, & interpretatione præsumitur bigamia, licet improprie dicta.

„ *Unde sequitur irregulares fieri sequentibus casibus.*

„ 1. Qui vivente, vel mortua prima uxore cognita, secundam cognoscit, etsi matrimonium sit invalidum.

„ 2. Qui viduam non virginem ducit, & cognoscit.

„ 3. Qui ducit uxorem prius ab alio corruptam, etiam per fornicationem, & cognoscit, non tamen si ipse eam ante corrupit, quia tunc non est divisio carnis in plures.

„ 4. Qui propriam uxorem cognoscit, postquam ab alio per adulterium cognita fuit, quia ipsa jam divisit carnem in plures. Nec refert, etsi per vim vitiata fuerit, vel vir corruptam, aut viduam esse ignoraverit: quia hæc irregularitas non oritur ex culpa, sed ex defectu significationis Sacramenti.

„ 5. Qui post solemne votum castitatis de facto matrimonium contrahit, & consummat, etiam cum virgine: quia interpretatione juris censetur duo matrimonia contraxisse, unum spirituale cum Christo, alterum carnale cum muliere. Nec refert, quod invalide contrahat; quia, quantum est in ipso, effectus a parte rei ponitur.

Quinta igitur irregularitas oritur ex defectu sa- 436
cramenti, nempe ex Bigamia, ut patet ex toto titulo *de Bigamis*. Idque illatum est ex illo Apostoli 1. *ad T.* 3. *Oportet, Episcopum unius uxoris esse virum*. Dicitur, *ex defectu Sacramenti*, quia is qui duas duxit uxores, non potest apte significare unionem Christi cum Ecclesia unica ejus Sponsa. Bigamia autem triplex est, *Vera, interpretativa*, & *Similitudinaria*. Et I. *Vera* est, quando quis cum duabus successive verum contraxit Matrimonium, ut ex *c. Præcipimus*, & *c. Dubium. De Bigam.* Debet tamen utrumque Matrimonium esse consummatum (& consummatum juxta dicta *de Matrim. n.* 1075. neque probat *Sanch. l.* 7. *D.* 93. *n.* 6. cum aliis ex *c. Debitum, de Bigam.* ubi expresse petitur ad bigamiam conjugium commixtione corporum consummatum), quia alias Conjux non dicitur cum pluribus carnem suam dividere, nisi per copulam consummatam, cum de duabus una fiat caro, ita communiter *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 83. *n.* 4. *Bon. D.* 7. *q.* 2. *p.* 5. *n.* 2. *Pal. D.* 6. *p.* 8. *n.* 2. *Salm. cap.* 6. *n.* 25. & alii passim.

II. Bigamia *Interpretativa* contrahitur ab eo 437
qui juris interpretatione, sive fictione quadam, censetur duas habuisse uxores, quamvis revera non habuerit. Hæc Bigamia quadrupliciter contingit, ut docet *D. Thomas Suppl. q.* 66. *art.* 1. *Primus* modus, quando quis ducit viduam jam cognitam, etiamsi ducat invalide, ut patet ex *c. A nobis, ult. de Bigam.* Dicitur *cognitam*, nam secus esset si primus vir eam non cognoverit, ex *c. Debitum eod. tit.*

Se-

438 *Secundus* modus, quando quis ducit mulierem corruptam ab alio, ita communiter cum *D. Th. l. c. Sanch. l. 7. D. 54. n. 7. Pal. p. 8. n. 4. Salm. c. 9. n. 25.* & aliis. Et patet *c. ult. D. 51.* ubi declarantur Irregulares *Mariti corruptarum;* & ex *c. Curandum dist. 34.* ubi Hilarius Papa dixit: *Ne ad Sacros Ordines quisquam, qui uxorem non virginem duxit, aspiret.* Secus si quis duceret mulierem a se prius corruptam, ut communiter *D. Th. l. c. art. 3. ad 2. & Salm. c. 9. n. 32. cum Sanch. Palao, Tolet., &c.*

439 Sed hic dubitatur 1. An fiat irregularis qui ducit corruptam, credens bona fide virginem? Negant *Sa, Ledesma*, & alii *apud Sanch. de Matr. l. 7. D. 84. n. 15.* quia hæc irregularitas contrahitur ex proprio facto: ergo ad eam requiritur actio advertenter & voluntarie exercita. Affirmant tamen communiter & verius *D. Thomas Suppl. quæst. 66. art. 3. ad 3. Sanch. n. 8. Suar. D. 45. sect. 3. n. 15. Laym. c. 6. n. 3. Tourn. p. 59. Conc. t. 10. p. 498. n. 11. Barbos. All. 49. n. 9. Pal. p. 8. n. 6. cum Nav. Ab. Avila, & Garcia, ac Salm. c. 8. n. 40. cum Sot., Sayr. Henr. & Corn.* Ratio, quia irregularitas hæc non est ex delicto, sed ex defectu significationis; unde bona fides non impedit quod caro viri non dividatur cum corrupta, licet virgo credatur.

440 Dubit. 2. An sit irregularis qui cum corrupta invalide contrahit ob aliquod impedimentum dirimens? *Prima* sententia quam sequimur affirmat, & hanc tenent *Suar. D. 49. sect. 3. n. 4. cum Ricch.* & communi ut asserit, item *Tourn. pag... & Covar. ac Corn. ap. Salm. c. 9. n. 51.* Et probant ex *cap. A nobis ult. de Bigam.* ubi dicitur irregularis quidam Diaconus, qui viduam ducit, etiamsi nullum fuerit conjugium cum corrupta initum. *Secunda* vero sententia negat, & hanc tenent *Sanch. de Matr. l. 7. D. 84. n. 11. Pal. p. 8. n. 4. Nav. c. 7. n. 195.* & *Salm. l. c. cum Valentia, Corn. Henr. Diana, & Pelliz.* ibi testatur *Farinac.* ita a S. C. decisum. Ratio (ut ajunt) quia in præfato textu mentio fit de duobus conjugiis contractis, uno spirituali, nempe sacræ Ordinationis, qua Diaconus desponsatur cum Ecclesia: altero carnali, licet invalido, & ideo Diaconus ille declaratur irregularis, non quia cum vidua contraxit, sed propter bigamiam similitudinariam, ut explicabitur *n. 448.* Sed respondetur, quod in textu citato non appellatur ille irregularis, quia duo Matrimonia contraxit, revera enim non fuit maritus viduæ, cum invalidum fuerit conjugium, sed quia *cum eo* (ait Pontifex) *tamquam cum marito viduæ dispensare non licet, non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere secuto.* Ergo non consideravit Papa (in quantum ad rationem irregularitatis) conjugium spirituale in sacra Ordinatione ab eo contractum, nam hæc irregularitas inducitur etiamsi quis constitutus in Sacris virginem ducat prout ostendemus *d. n. 448.* Sed eum declaravit irregularem, *tamquam maritum viduæ, propter affectum intentionis;* ergo non obstat quod Matrimonium sit nullum.

441 *Tertius* modus incurrendi irregularitatem ob bigamiam interpretativam est quando quis cognoscit uxorem, postquam illa adulterium commisit, ex *c. Si cujus. 11. & c. Si laici 12. Dist. 34.* & ita communiter *Sanch. l. 7. D. 84. n. 15. Suar. D. 49. s. 3. n. 15. Pal. p. 8. n. 5. Salm. c. 9. n. 20. & Barb. All. 49. n. 8.* & alii omnes. Ratio, quia vir cognoscens uxorem ab alio cognitam, censetur ac si corruptam duxisset.

Sed dubit. 1. An talis vir fiat irregularis, si 442
adulterium fuerit occultum? Negant *Herincx*, & alii *ap. Elbel de Irreg. p. 485. n. 260.* quia) ut ajunt) in *dict. Can. Si cujus*, dicitur: *Si evidenter fuerit comprobatum* (uxorem) *adulterium commisisse.* Affirmant vero *Tourn. p. 63. Elbel l. c.* cum communi ut asserit, & *Bon. q. 2. p. 5. n. 5. cum Suar. Ugol. & Fill.* Idque tenent, etiamsi mulier fuerit vi oppressa. Ratio quia hæc irregularitas non oritur ex culpa, sed ex defectu significationis: & licet ista adultera non sit vera adultera, tamen vere carnem suam cum alio divisit, si seminationem habuit ut requiritur. Verum *Elbel l. c.* primam sententiam probabilem vocat, quia verba supra relata; *si evidenter fuerit comprobatum adulterium*, satis videntur excludere adulterium occultum; sed hoc non obstante, prima sententia mihi magis arridet.

Dubit. 2. An fiat irregularis qui ignorans adul- 443
terium uxoris illam cognoscit? Negant *Glossa in c. 2. de Bigam. v. In bigamis, ac Rebuff. Lop. Sa, Led. &c. ap. Sanch. D. 84. n. 15.* Quia (ut ajunt) cognoscens uxorem, quam ignorat ab alio cognitam, non cognoscit modo rationali, unde non dicitur cognoscere adulteram. Sed communiter & verius affirmant *Pal. p. 8. n. 6. Bon. p. 5. n. 5. Bus. sup. n. 4. & Sanch. l. 1. cum Nav. Soto, Tolet. Bellarm. Palud. Cov.* & innumeris aliis. Ratio, quia (ut diximus) hæc irregularitas ratione bigamiæ non est ex delicto, sed ex Sacramenti defectu, qui culpam non requirit.

Quartus modus incurrendi irregularitatem ob bigamiam interpretativam est, quando quis duo contrahit & consummat Matrimonia, unum validum, alterum invalidum. Pro hac irregularitate non habetur textus expressus, sed communiter DD. eam deducunt ex *c. Nuper de Bigamis*, ubi sermo fit de Clerico, qui ante Sacrum Ordinem Matrimonium contraxit, deinde jam ordinatus aliud inivit, ibique dicitur tamquam bigamus reputandus, non propter Sacramenti defectum, cum secundum Matrimonium irritum fuerit, sed ob intentionis affectum ad duo Matrimonia cum copula secuta; ita *D. Th. Suppl. qu. 66. art. 2. Tolet. l. 1. c. 26. n. 4. Salm. c. 9. n. 20. cum Corn. & Led. ac Sanch. D. 84. n. 3. circa medium, cum Soto, S. Antonin. Palud. Bellarm. Valent.*

Sed dubitatur 1. An fiat irregularis qui duo Matrimonia contraxit, ambo invalida? Negant *Dian. p. 4. tr. 2. R. 38.* Item *Avila, Comin.* & *Henr. apud Salm. c. 9. n. 28.* qui probabile vocant. Ratio, quia (ut ajunt) hic casus non est expressus in jure. Sed probabilius affirmant *S. Th. supp. q. 66. qrt. 2. Suar. D. 49. s. 2. n. 11. Bon. p. 5. n. 2. Pal. p. 8. n. 10. Tourn. p. 61. q. 3. Conc. p. 498. n. 11. Salm. n. 28. cum Suar. Corn. & Sayr. ac Sanch. l. 7. D. 84. n. 3. cum S. Anton. Palud. Soto, Tolet. Bellar. Sa, Valent. Led. Lop.* & alii communissime. Et probatur ex *c.*

A nobis de Bigam. citato *n.* 440. ubi (ut vidimus) ille Subdiaconus, qui viduam duxit, *tamquam maritus viduæ*, fuit declaratus irregularis, *non propter Sagramenti defectum, sed propter affectum intentionis*. Ergo solus affectus irregularitatem inducit.

446 Dubit. 2. An si quis contraxit duo Matrimonia nulla in bona fide, incurrat irregularitatem? Negant *Sanch. d. D.* 84. *n.* 6. *cum Archid. Astenc. & Bellamera*, quia is potius censetur irregularis ex delicto quam ex defectu, cum in *c. Nuper de Bigam.* ille qui antea uxorem duxerat, & postea constitutus in Sacris aliud conjugium contraxerat, dictus fuit irregularis, non propter defectum Sacramenti, sed ob affectum intentionis; ergo ob crimen affectus punitus fuit: quando igitur non adest crimen, non incurritur irregularitas. Sed communius, & probabilius affirmant *Sylv. verb. Bigamia q.* 7. *Angel. eod. verb. n.* 9. item *Jo. Andr. Ancharan. Abb. Henr. &c. ap. Sanch. l. c. in fin.* Ratio, quia, in præfato textu non consideratur crimen affectus, sed affectus ad secundum Matrimonium. Idque expresse confirmatur ex *c. A nobis de Bigam.* ut vidimus *n.* 440.

447 Dubit. 3. An incurrat irregularitatem qui ficte contrahit secundum Matrimonium, tantum ad copulam extorquendam? Negant *Pal. p.* 8. *n.* 7. *Dian. p.* 4. *tr.* 2. *R.* 38. item *Avila*, & *Hurt. ap. Salm. c.* 9. *n.* 27. quia tunc deficit affectus maritalis, qui requiritur in dicto *c. Nuper*, verbis To, *Propter affectum intentionis*. Sed probabilius affirmant *Suar. D.* 40. *s.* 2. *n.* 10. *Tourn. p.* 61. *q.* 3. & *Salm. l. c. cum Corn.* Ratio, quia ad irregularitatem non requiritur affectus ille ad duo Matrimonia vere contrahenda, sed sufficit affectus ad duo Matrimonia exterius ineunda.

Idem videtur procedere respectu viri, qui contraxit cum violata, credens illam virginem, de quo dictum est *n.* 439. Et idem respectu viri ignoranter reddentis debitum Adulteræ, quæ sit occulta, vel quæ violenter fuerit oppressa, juxta dicta *n.* 442. & 443.

448 III. Demum Bigamia *Similitudinaria* est illa quæ contrahitur ex attentatione Matrimonii (quamvis invalidi) cum corrupta, vel virgine post votum solemne emissum in Religione approbata, vel post susceptionem Sacri Ordinis. Hujusmodi enim nubentes similes sunt contrahentibus duplex Matrimonium, quatenus post connubium spirituale cum Christo initum, ab eo recedentes attentant Matrimonium contrahere; ita communiter DD. *Suar. D.* 49. *s.* 3. *n.* 2. & 6. *Anacl. p.* 517. *n.* 42. *Sanch. l.* 1. *D.* 85. *n.* 5. *Salm. c.* 9. *n.* 36. & alii passim ex *c. Quotquot.* 23. & *c. Monacho* 32. 27. *q.* 1. Dummodo tale Matrimonium sit consummatum, ut adhuc communiter DD. docent, utque habetur ex dicto *c. Monacho* ubi: *Si postea uxori fuerit sociatus*.

449 Minime autem sunt audiendi *Hurt. & Tanner. ap. Salm. l. c.* item *Abbas*, *Hostiens. & Archid. ap. Suar. D.* 49. *se.* 5. *n.* 5. (qui improbabiliter id probabile putat) dicentes hanc Irregularitatem incurri tantum a Monachis professis. Nam communissime docent AA. eam incurri etiam a Clericis constitutis in Sacris; ita idem *Suar. n.* 8. *Salm. l. cit. Anacl. d. n.* 42. *Nav. c.* 27. *n.* 195. *Tolet. lib.* 1. *c.* 26. *n.* 7. & *Sanch. D.* 85. *n.* 5. *cum Sa*, *Valent. Graff. Lop. Led. Gabr. Philiarch.* & aliis pluribus. Idque clare probatur ex *c.* 1. *Qui Clerici*, *vel Mon. &c.* ubi dicitur posse Episcopus post peractam pœnitentiam dispensare cum Diacono, qui uxorem duxerit, ad Ordinem ministrandum; Ergo Diaconus ille jam habetur ut irregularis. Item in *c.* 2. *eod. tit.* dicitur quod Episcopus non permittat Subdiacono, qui Matrimonium contraxit, ministrare. Quamvis igitur (ait *Sanch.*) talis Clericus non esset irregularis ex defectu ob bigamiam similitudinariam, saltem incurrit irregularitatem ob delictum. Recte autem rejicit *Sanch. n.* 11. & 17. opinionem illorum, qui dicunt fieri irregularem qui Matrimonium contrahit post simplex votum castitatis, cum hoc in nullo jure sit expressum. Sic pariter ex eadem ratione nec est irregularis laicus qui ducit Monialem professam, quia jura loquuntur tantum de contrahente post proprium votum; *Sanch. num.* 12. & *Salm. num.* 36. *cum Sayr. Corn. & Henriq.*

Quæres hic, quomodo tollatur hæc irregularitas? Dico 1. quod hæc irregularitas non tollitur per Baptismum, ut docent communiter *S. Th. d. q.* 66. *q.* 4. *Suar. D.* 49. *s.* 5. *n.* 10. *Sanch. l.* 7. *D.* 83. *c.* 9. & *Salm. n.* 9. *n.* 37. *cum Corn. Pelliz. &c.* & videtur expressum in *c. Si quis viduam* 1. *d.* 34. Dico 2. quod Papa bene potest in illa dispensare; Et licet in Canonibus de Bigamis dicatur; *Cum Bigamis non licet dispensare*, tamen hoc intelligendum sine gravi causa, ut docent *Sanch. l.* 7. *D.* 86. *n.* 6. *Conc. p.* 499. *num.* 14. *Salm. l. c. cum Sayr. et Corn.* item *Tourn. p.* 74. *qu.* 1. cum communi, qui ita fert dispensasse Lucium III. ex *Glossa in cap. Lector.* 17. *Dist.* 34. Nec obstat dicere hanc irregularitatem institutam fuisse a D. Paulo, juxta dicta *n.* 430. Nam respondetur, quod Constitutiones Apostolorum, præcise ut tales, non transcendunt jus humanum, in quo utique Papa omnem potestatem habet. 450

Episcopus autem, si bigamia fuerit vera, aut interpretativa, minime potest in ea dispensare, neque ad Ordines Sacros suscipiendos, neque ad ministrandum in susceptis, neque ad Beneficia ipsis annexa recipienda, ut communiter docent *D. Thom. Suppl. q.* 66. *art.* 5. *et Salm. c.* 9. *n.* 39. cum aliis passim, & patet ex *cap. Super eo de Bigam.* Nec obstat textus in citato *c. Lector*, ubi dicitur Martinus Papa declarasse, quod Episcopus possit dispensare cum bigamo, ut fiat Subdiaconus. Nam respondent *Suar. D.* 46. *sect.* 6. *n.* 5. *et Tourn. p.* 63. errasse Gratianum asserendo prædictum Canonem esse Martini Papæ, cum plures AA. probent fuisse Martini Bracharensis Collectoris multorum Canonum ex diversis Conciliis particularibus. Sed dato quod fuisset Martini Papæ, tamen, cum in toto titulo de Bigamis, prohibeantur Episcopi a dispensando in bigamia, videtur certum prædicto Canoni fuisse derogatum. Præterquamquod dicant *Salm. c.* 9. *n.* 39. quod tempore Martini Papæ subdiaconatus non adhuc erat Sacer. 451

Sed rogatur, an possit Episcopus dispensare cum bigamo quoad Ordines Minores, & Beneficia 452

ficia simplicia suscipienda? Affirmant *D. Th. in 4. D. 27. qu. 3. art. 3. Nav. cap. 27. n. 197. Sanch. l. 7. D. 86. n. 11. Conc. p. 599. n. 14.* item *Palud. Azor. Avil. Comit. et alii apud Pal. D. 6. p. 8. n. 17.* & probabile putat *Suar. D. 49. sect. 6. n. 5.* Ratio, quia per susceptionem Minorum Ordinum initiati non mancipantur irrevocabiliter cultui Divino, & ideo Episcopis concedi ajunt hujusmodi dispensationem. Sed verius negant *Suar. l. cit. Tourn. p. 65. Laym. c. 6. circa fin. Barb. All. 48. n. 25. Bonac. D. 7. p. 5. n. 15. et Pal. n. 18. cum Garcia* ex Decl. S. C. Et probatur ex Trident. *sess. 23. cap. 17.* ubi vetatur assumere bigamos ad ministeria Ordinum Minorum; & ex *c. un. de Bigam. in 6.* ubi bigami exspoliantur omni privilegio Clericali: sed clarius probatur Decl. Sixti V. *apud Fagnan. lib. 1. in cap. Super eo de Bigam. in fin.* qua declaravit Pontifex suspensum quemdam Episcopum, eo quod contulit bigamo Beneficium simplex, & ordinatum incidisse dixit in pœnas male promoti. Adversarii contra minime probant unde Episcopi talem facultatem habeant. In bigamia autem similitudinaria bene possunt Episcopi dispensare, etiam ad Ordines Sacros suscipiendos & ministrandos, ut docent *Tolet. lib. 1. c. 68. Conc. Salm. cap. 9. n. 41. Suar. n. 18. Sanch. n. 20. Tourn. pag. 66. et Pal. n. 19. cum Garcia* & aliis pluribus; Idque probatur ex *cap. 4. de Cleric. conj.* & *cap. Qui Cler. vel Vov.* Et hoc currit (ut notant *Salm. d. n. 41. cum Corn. et Henr.*) etiamsi crimen fuerit publicum, cum hæc irregularitas proveniat ex defectu, non ex delicto. Recte vero excipit *Tournely* cum communi, si talis Clericus duxerit viduam, vel corruptam, aut si ante Ordinationem fuerit cum aliqua muliere conjugatus.

453 Prælati autem Regulares ex Privilegio Sixti IV. possunt dispensare cum suis subditis in omni bigamia: præter Privilegium Pauli III. (relatum a *Salm. cap. 7. num. 59.*) in quo cenceditur ipsis facultas dispensandi cum suis subditis in omni irregularitate, bigamia non excepta, ita *Palaus p. 8. num. 21. et Salm. cap. 9. num. 24. cum Pelliz. Henr. Machad. Leand. etc.*

454 „ *Sexta* oritur ex infamia, sive juris (quæ „ vel ex delicto proprio, vel parentum, vel vili „ conditione personæ nascitur), sive facti, modo „ crimen publicum sit, ex occulto enim non oritur, si homicidium, & censuræ violationem excipias, ut docent *Navar. Con. Laym.* contra *Sylv. et Suar.* qui ex occulto etiam oriri putant, modo infamiam ipso jure connexam habeat. Porro infamia ob crimen notorium, vel per sententiam judicis contracta non tollitur, nisi per dispensationem Principis, cujus auctoritate contracta fuit. Infamia facti, etiam orta ex enormi crimine, & digna depositione, tollitur per publicam, & constantem vitæ emendationem * (*Vide dicta ex n. 352. v. Hæc; irregularitas enim ob infamiam ex defectu, et ex delicto in idem coincidunt*) *.

455 „ *Septima* oritur ex defectu libertatis. Unde „ irregulares sunt I. Omnes servi proprie dicti, „ & (secundum *Laym. l. 2. t. 1. c. 8.*) etiam originarii, donec consequantur plenam libertatem.

Servus, qui sciente & non contradicente Domino ordinatur, etiam ad primam Tonsuram, eo ipso liber, manet, *c. Si servus, et c. Nulli Dist. 54.* Poterit tamen Dominus eum manumittere cum conditione, ut serviat in iis quæ statui Clericali non repugnant, ex *c. Nullus de Servis non ordin.* Si vero servus ordinetur ignorante Domino, remanet servus, nisi constituatur in Sacris, & nisi insuper Domino reddatur duplum ab Episcopo, vel ab aliis cooperantibus, vel ab ipso servo; Qui quando impotens est satisfaciendi, remanet servus, si est Diaconus; si vero sit Sacerdos debet Domino inservire in omnibus quæ statum non dedecent, & Missas pro Domino offerre: nisi Dominus per annum sciens illum esse ordinatum, dissimulet, eumque non revocet. Ita *Salm. c. 9. n. 60. et 61.* ex Canonibus ibi allatis.

„ II. Sunt irregulares Conjugati, nisi uxores con- 456
„ sentiant & castitatem voveant. * (*De hoc vide dicta de Sacram. Ord. l. 6. n. 812.*) * III.
„ Curiales idest curiæ seculari obligati, facto juramento, vel stipendio, ut judices, advocati &c.
„ quamdiu talia officia habent. * (*Ut habetur in c. 1. et 2. et 3. D. 51. et c. unic. de Oblig. ad ratiec. Excipiuntur tamen ex tacita concessione Pontificis, vel ex consuetudine Consiliarii Regis constituti pro casibus civilibus, ut docent Laym. Pal. Suar. Corn. cum Salm. c. 9. n.* 64. * Excipe tamen, nisi habeant specialem dispensationem Papæ pro illis officiis, ut quidem Clerici in aulis Principum, in causis civilibus, non tamen criminalibus occupati; vel nisi consuetudo sciente Papa id permittat. IV. Milites saltem quamdiu juramento tenentur; item thesaurarii, & depositarii publici, & qui Remp. administrant. * (*Vida dicta T. I. l. 5. n. 838.*) * Item apparitores, & similes, qui sæva, turpia exercuerunt, vel in causa sanguinis ministrarunt *M. Leo p. 3. f. 369.*

„ *Octava* ex defectu lenitatis, scilicet ex licita 457
„ mutilatione, vel homicidio in bello justo, vel judicio. Quod ideo statuit Ecclesia, quia Sacerdos gerit personam Christi, qui utpote lenissimus neminem unquam læsit. Ad hanc autem requiritur, ut occisio, aut mutilatio de facto sequatur. Unde non sufficit voluntas, nec vulneratio gravis, *Bon. d. 7. q. 4. Tan. d. 6. qu. 10. d. 11.*

Unde resolves.

„ 1. Non fit irregularis, qui mutilat, vel occi- 458
„ dit in defensionem inculpatam honoris, vitæ, castitatis &c. vel etiam proximi, quia in jure non statuitur irregularitas, nisi ob homicidium in bello justo, vel judicio. *Tann. loc. cit.* * (*Vide dicta n. 389.*) *

„ 2. Irregularis fit in bello, qui mutilat, vel 459
„ occidit propria manu, non autem Clericus exhortans ad fortiter pugnandum in bello justo (secus tamen si ad occidendum hunc, vel illum in particulari); idem est de Duce exercitus, tubicine, &c. *Bonac. p. 4.* (*Clericus, si est in sacris, vel Beneficiatus, et militat in bello, fit irregularis, si aliquando sclopum adhibue-*

„ *rit*

„ *rit in aliquo conflictu, etiamsi juramentum* „ *præstaret nullum læsisse; vide Card. Lambert.* „ *Notif.* 101. *n.* 19. *infra*.) *

In bello igitur justo defensivo utique non fit irregularis qui occidit; ita *Salm. c.* 9. *num.* 20. *Holzm. n.* 388. & alii communiter; id patet ex *c.* 2. *de Immunit. Eccl. & Clem. un. de Homic.* In bello autem justo offensive qui occidit est irregularis, non vero si alii occidant; *Holzm. loc. cit.* & Benedictus XIV. *Notif.* 101. *n.* 15. *ex c. Petitio tua, c. Dilectus, c. Significasti, & c. de Homic.* In bello vero injusto, si unus moriatur, omnes sunt irregulares, ut certum est apud omnes *cum D. Thoma* 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. Hic notandum Clericum (modo fuerit in sacris, aut Beneficiatus, & etiam in conflictu bombas emiserit) esse irregularem, si militat, etiamsi juret se neunum quidem læsisse, ut apud *Lamb.* legere est *Notif.* 101. *num.* 19.

460 Qui hortatur ad occidendum in genere, etiamsi bellum sit offensivum, modo justum, non est irregularis: ita communiter cum *Busemb. Bonac. D.* 7. *qu.* 4. *p.* 4. *n.* 7. *Tourn. p.* 82. *Conc. p.* 501. *n.* 18. *& Salm. c.* 9. *n.* 19. ac alii passim, ex dicto *c. Petitio tua*, ubi declaratur irregularis tantum is qui occidit. Quid si quis in bello justo hortetur ad occidendum in particulari? *Busemb.* ut supra, & *Bonac.* hunc non eximunt ab irregularitate. Sed probabiliter contradicunt *Salm. c.* 9. *n.* 19. quia tam in præfato textu, quam in aliis sermo fit tantum de occidente, sive de mutilante, non de exhortante.

461 „ 3. In judicio justo irregulares fiunt, qui ad „ mortem vel mutilationem cooperantur active, „ & efficaciter, & proxime, per actionem ex natura sua ad id ordinatam. * (*Ita ex Clem. un. Si furiosus, de Homic. & c. Clericis cap. Sententiam. Ne Cler. vel Mon. item cap. Ex litteris, de Excess. Prælat. &c.*) * Dicitur I. „ *Cooperantur*, ut Judex ferens sententiam, Notarius eam scribens, ministri exequentes, testes, „ &c. * *Transcribens vero sententiam non incurrit, ut communiter Bonac. D.* 7. *quæst.* 4. *p.* 1. *n.* 5. *cum Suar. Fill. Ugol. Reg. &c. Imo Natalis ab Alexand. & Babassut. ap. Tournely p.* 78. *idem tenent etiam de scribente*.).

462 „ Dicitur II. *Active*, idest ex parte occidentium, quia non fit irregularis, qui se tantum „ habet passive, & ex parte ejus, qui occiditur, ut „ Confessarius hortans ad fatendum veritatem, vel „ ad acquiescendum sententiæ justæ, quam non „ potest differre, nisi apellatione injusta. *Corn.* „ & *Dian. p.* 4. *t.* 22. *R.* 99. * (*Ita etiam Holzm.* „ *n.* 387. *Tourn. pag.* 78. *v. Dico* 7.).

463 „ Dicitur III. *Efficaciter*, quia adjuvans, v. gr. „ ferens ligna, ut comburatur ante jam suffocatus, non fit irregularis; nec assistens supplicio, „ si sua præsentia in illud non influat. * (*Ita* „ *Suarez D.* 47. *sect.* 4. *num.* 10. *Pal. p.* 13. §. „ 4. *num.* 2. *Bonacina p.* 1. *num.* 18. *& Salmanticens. cap.* 9. *cum Avila, Diana, & Giball.* „ *communissime, contra Sayrum. Nec obstat textus in cap. Sententiam. Ne Cler. vel Mon.* „ *ubi vetatur Clericis interesse hujusmodi supplitiis, quia hic Canon vel est abrogatus, vel tantum venialiter obligat, ut docent Bonac. p.* 1. „ *n.* 16. *Salm. l. c. ac Tourn. p.* 78. *v. Quale,* „ *testatur esse communem sententiam cum Avila,* „ *& Cabass. id non excedere venialem culpam; imo ibi Navar. & Avila censent minime in hoc* „ *peccare Clericos in Minoribus*.) *

„ Dicitur IV. *Proxime*, quia qui remote tan- 464
„ tum cooperatur, non fiunt irregulares, ut qui „ gladios faciunt, aut vendunt, item legislator leges capitales condens. * (*Ex c. Delatori* 5. „ *qu.* 6. *Aut suadens Regi legem ferre; Salm. c.* „ 9. *n.* 7.) * Concionator in genere dicens, „puniendos esse malefactores; * (*Ut Salm. c.* 9. „ *n.* 7. *cum communi*.) * Confessarius interrogatus de reo, an mortem mereatur, si respondeat, „ judicem sine acceptione personarum fungi debere suo munere, quia hi omnes sunt tantum causa remota. * (*Hoc etiam est commune apud* „ *omnes: vide Salm. d. n.* 6.) * Essent autem „ proxima, ideoque irregulares, si quid facerent, „ aut dicerent in particulari, ex quo mors alicujus sequeretur, aut etiam acceleraretur, v. gr. „ si quis efficaciter urgeret reum, ut scalam ascenderet, vel ad hoc illum juvaret, vel si judici in „ particulari responderet, hunc esse plectendum. „ * (*Sentiunt itaque cum Bus. Bonac. p.* 1. *n.* „ 6. *ac Avila, Sayr. Henr. &c. ap. Salm. c.* „ 9. *n.* 8. *fieri irregularem Confessarium, sive alius qui consultus a Judice in particulari de Reo* „ *aliquo, respondet ei, esse occidendum. Sed probabilius id negant Holzm. n.* 387. *cum Mol. &* „ *Laym. Fal.* §. 3. *n.* 7. *&* 8. *et Salm. loc. c.* „ *cum Vasq. Pelliz. Hurtad. Turrian, etc. Ratio, quia irregularitas hæc ex defectu lenitatis* „ *inflicta est tantum concurrentibus ad occisionem* „ *aut mutilationem ut ministris necessariis, non* „ *vero aliis, et præsertim juste concurrentibus.* „ *Addunt probabiliter Tour. p.* 79. *v. Dico* 7. *Busemb. et alii infra n.* 466. *nec fieri irregularem* „ *Confessarium, si moneat carnificem, quod suum* „ *munus jam fungatur*.) *

„ Possunt tamen subinde etiam proxime coope- 465
„ rantes excusari ab irregularitate, v. gr. 1. Si fiat „ ex indeliberatione, aut cum semiplena tantum „ advertentia, v. g. si dicat Confessarius: *properemus*, aut instiget jumentum, quo Reus vehitur. „ 2. Si cooperatio sit valde exigua, ut si jubeat „ reum adhuc unum gradum ascendere; quia minimum reputatur pro nihilo. *Avila*, & *Henr.* „ apud *Bon. qu.* 4. *part.* 1. *n.* 9. Item *Suar. Regin. Laym.* &c. (contra *Vasq. Turr. Hur. Bann.* „ &c.) qui censent ex homicidio neminem fieri „ irregularem, nisi concurrat ut publicus minister „ justitiæ, sive ad causæ probationem, sive executionem; vel ut privatus injuste, & cum peccato. Quam sententiam probabilem censent *Diana p.* 3. *l.* 4. *R.* 79. *& in addit. R.* 15. & *p.* 8. „ *t.* 7. *R.* 61. *) *Et revera valde probabilis est* „ *juxta Adnotationem mox supra oppositam*) * „ Hinc negant fieri irregularem 1. Confessarium, „ vel alium quemcumque, qui furem hortatur, ut „ scalam ascendat, caput supponat ad ictum excipiendum. Eum, qui carnifici dicit, ut aliquid „ aptet, quo citius extinguatur reus. 3. Qui, dum „ reus ad supplicium ducitur, suggerit viam brevviorem. 4. Qui vendit, vel commodat scalam, „ funes & cetera instrumenta, etiam qui furcam

„ fa-

„ facit. 3. Qui interrogatus a Judice, an teneatur „ reum condemnare, respondit, teneri. 6. Eum, „ qui carnifici putanti, suspensum jam esse mortuum, significavit adhuc vivere, ex quo calcans „ item pede occidit. (* *Ita etiam Salm. cap. 9. „ ex n. 9. ad 11. cum Pal. Pelliz. Hurt. Turrian. Diana, Machad. etc.*) *

466 „ Dicitur V. *Per actionem ex natura sua*, &c. „ quæ per se sit causa talis effectus: quia effectus „ per accidens non imputatur danti operam rei licitæ. Hinc non fit irregularis dicens carnifici: „ *nemo te impedit facere tuum officium, ego meum „ feci.* * (*Ita probabiliter etiam dicunt Tourn. „ p. 79. v. Dico 7. Salm. c. 9. num. 10. cum „ Avila, et Henr.*) * Nec judices Ecclesiastici „ degradatum tradentes brachio seculari; nec Cle„ rici accusantes aliquem in causa criminali: modo „ expresse protestentur, se non intendere, ut pu„ niatur pœna sanguinis; sed tantum, ut sibi, vel „ suis satisfiat, vel impediantur mala sibi, aut aliis „ imminentia. Vide *Bonac. qu. 4. Tann. l.c.* &c.

467 Ex *c. Sententia sanguinis. Ne Cler. vel Mon.* vetitum est Clericis in Sacris constitutis, vel Beneficiariis, & omnibus Regularibus se intromittere in causam sanguinis (intelligitur, unde mors aut mutilatio sequatur) judicando, vel testificando, exequendo, &c. Et ideo peccant mortaliter, si quomodolibet ad illam adjuvant.

468 Fiunt autem irregulares omnes qui ad sententiam sanguinis concurrunt, & I. *Judices*, eorumque Assessores; non vero Domini temporales, etiam Ecclesiastici, committentes aliis hujusmodi causas, ex *c. ult. Ne Cler. vel Mon.* 6. nisi ipsi jubeant, ut Judex aliquem in particulari suspendere, vel sententiam statim exequi faciat; *Pal.* §. 1. *num.* 6. *et Salm. c.* 9. *n.* 5. *cum Henr. Corn.* II. Testes voluntarii, qui libere se offerunt ad testificandum contra Reum; etiamsi protestentur non intendere sententiam sanguinis; nam si coacti sint ad testimonium faciendum, sane excusantur, ut recte docent *Suar. D.* 47. *sect.* 3. *num.* 4. *Bonac. p.* 3. *num.* 8. *Palaus* §. 3. *num.* 3. *et Salm. c.* 9. *num.* 12. *cum Con. et communi.* Et idem dicendum de Advocatis, & Procuratoribus Accusatoris coactis ad eum tuendum; *Salm. ibid. cum iisdem.* III. Accusatores vel denuntiatores (sive formales sive materiales, nempe si tantum exhibeant querelas, ut ait *Tamb.* §. 11. *n.* 3. *p.* 298.), qui coram Judice seculari accusant Reum de crimine digno sententia sanguinis, criminalem petentes vindictam. Et tunc tam Clericus, quam laicus accusans fiunt irregulares, ut communiter *Bonac. Pelliz. Pal. c.* 9. *n.* 18. Cum hac autem differentia, quod Clericus, præter irregularitatem quam incurrit, peccat mortaliter, si est in Sacris, vel Beneficiatus, & accuset justa causa; vel si adsit causa, & accuset sine protestatione, ut *Salm. c.* 9. *ex n.* 2. Minime tamen irregularitatem incurrit Accusator (sive laicus, sive Clericus) qui accusat Reum, tantum, ut proprium damnum præcaveat, vel sibi resarciatur, facta protestatione se non velle pœnam sanguinis, ut habetur ex *c. Prælatis. De Homic. in* 6. Et hoc currit, etiamsi talis protestatio ficte ponatur, ut *Suar. D.* 47. *s.* 2. *n.* 3. *Bonac. p.* 2. *n.* 11. *Pal.* §. 3. *n.* 2. *et Salm. c.* 9. *n.* 15. *cum Avil. Con. Fill. Pelliz. Conc. Henr. etc.* Necnon etiamsi fiat protestatio post accusationem, dummodo ante sententiam: *Bon. n.* 8. *Sayr. Pell. et Salm. ibid.* Advertendum vero, quod protestatio solum suffragatur in causa propria, non autem in causa aliorum nisi hi sint cognati, usque ad quartum gradum, ut *Pal.* §. 2. *n.* 6. *Conc. p.* 500. *n.* 19. & *Salm. c.* 9. *n.* 17. *cum Bon. Corn. Pell. Henr. etc.* vel nisi causa sit propriæ Ecclesiæ, ut *Suar. n.* 20. *et Bon. n.* 5. *cum Mol. Sayr. Avila, Fill. Ugol. Rodr. Henr. etc.* idem ait *Conc.* si causa sit domesticorum. Item, si damna sint in futurum aliis inferenda, ita ut non possint alia via reparari, bene potes & quandoque debes Clericum Reum accusare post protestationem, imo etiam protestatione omissa, ut ajunt *Salm. c.* 9. *n.* 17. quia talis accusatio est mera defensio innocentis.

Quæritur, an Episcopi possint dispensare in hac irregularitate, si fuerit occulta? Affirmant *Dian. Sa, Barb.* &c. apud *Salm. c.* 9. *num.* 23. Quia Trident. concedit eis dispensare in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario. Sed verius *Bon. p.* 5. *n.* 15. *Pal.* §. 5. *n.* 7. *et Salm. ib. cum Bon. Ban. Hurt. Pal.* &c. omnino dicunt esse negandum, quia Concilium clare ibi loquitur tantum de irregularitatibus provenientibus ex delicto. Prælati autem Regulares bene possunt cum suis subditis dispensare in hac irregularitate, sive occulta, sive publica; Quia Regulares concessionem universe habent dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, juxta limitationem datam *n.* 396. ita *Dian. p.* 2. *tr.* 4. *R.* 69. *et Salm. c.* 9. *n.* 24. *cum Lez. Bord. Dian. Cand. Villal.* &c.

FACULTATES S. PŒNITENTIARIÆ.

Hic ultimo operæ pretium est adnotare in quibus casibus, aut censuris, irregularitatibus, inhabilitatibus, aut aliis pœnis recurri possit ad S. Pœnitentiariam pro absolutione, dispensatione, aut relaxatione. In Bulla quæ incipit *Pastor bonus*, edita a N. SS. P. Bened. XIV. die 13. Apr. 1744. (*in Bullario t.* 1. Bulla 95.) habetur posse S. Pœnitentiariam I. absolvere a quibuscunque casibus & censuris, etiam Bullæ Cœnæ, Regulares pro utroque foro; Seculares vero tam Ecclesiasticos, quam laicos etiam in utroque foro a censuris publicis latis a jure; & etiam ab homine, si exspirata sit jurisdictio Judicis, vel si lator censuras illas reservavit Sedi Apostolicæ, modo Judici & parti satisfecerint. Quod si pars injuste refutet satisfactionem oblatam, potest Pœnitentiarius convenientem satisfactionem arbitrari. II. Posse absolvere Hæreticos occultos, modo nullos actus extrinsecos fecerint, ex quibus potuerint alii dignoscere eos ut hæreticos; item publicos Hæreticos, casu quo non est opus complices denunciare. Posse etiam absolvere Principes, Administratores rerum publicarum, & Episcopos, ac alios Prælatos a casibus publicis Bullæ Cœnæ. III. Posse dispensare in occultis irregularitatibus, & inhabilitatibus, etiam ex homicidio voluntario, non tamen ut post homicidium possint promoveri ad Episcopatum. Item etiam ab inhabilitatibus, & irregularitatibus propter hæresim, modo fuerint penitus occultæ. IV. Posse dispen-

spensare cum homicidiis, & aliis, ut valeant profiteri in Religione approbata, & fieri deinde etiam Sacerdotes. V. Cum male promotis, ut omissos Ordines possint clam suscipere, non servatis interstitiis, & temporibus, non autem Sacros una die. VI. Posse dispensare cum occultis simoniace ordinatis. VII. Posse convalidare titulos Beneficiatorum cum occulta inhabilitate obtentorum. VIII. Posse partem pretii simoniaci condonare ob delinquentis paupertatem. IX. Posse cum Gallis, Belgis, Polonis, & ulterioribus remittere fructus male perceptos; componere vero cum Italis, Hispanis, &c. & cum pauperibus etiam remittere. X. Posse remittere partem de male ablatis, vel retentis, si Dominus sit incertus, casus occultus, & delinquens pauper, reliquum erogando in pauperes, vel pia opera in locis, si fieri potest, ubi illa ablata sunt. XI. Posse absolvere qui munera acceperint a Regularibus, modo non excedant decem scutos, vel etiam si excedant, facta prius restitutione, vel præstita obligatione satisfaciendi. XII. Cum puellis quæ virgines non sunt posse dispensare, ut fruantur legato virginibus relicto, in casibus tamen occultis, & in foro conscientiæ, vel cum virginibus, ut inirent Monasterium mulierum Pœnitentium. XIII. Posse relaxare juramenta, quæ non sunt in favorem alterius. XIV. Posse vote simplicia etiam castitatis dispensando commutare, aut implementum differre. XV. Dispensare commutando in alias preces, vel alia pia opera, super recitationem Divini officii. XVI. Dispensare in occultis cum Regularibus quibusvis irregularitatibus, inhabilitatibus, & pœnis, non autem in publico defectu Natalium quoad Generalatum; in publicis vero nonnisi auditis Superioribus. XVII. Posse absolvere Apostatas a censuris, cum reincidentia si non redeant infra præfinitum tempus, dilata dispensatione super irregularitate, si quam contraxerint, usque ad actualem reditum. Posse etiam concedere, ut ipsi transeant ad alium Ordinem. XVIII. Posse concedere transitum ad Religionem laxiorem, modo ibi vigeat regularis observantia; non tamen ad Ordinem S. Benedicti antiquioris observantiæ; neque ad consimiles Congregationes cujuscunque Ordinis. Idem quoad Moniales ultra montes. XIX. Posse absolvere, & dispensare super defectibus, & censuris etiam ob Clausuræ violationem. XX. Item concedere Confessarium Monialibus, (vide dicta de hoc *l.* 6. *n.* 576.) XXI. Vacante Sede Apostolica, habere facultatem in foro conscientiæ etiam in casibus, a quibus vivente Pontifice non poterat; tamen cum reincidentia, si ad novum Pontificem petentes non se præsentent, hancque facultatem post Cardinalis Pœnitentiarii ingressum in Conclave transire ad Signaturam. Alia quæ pertinent ad Matrimonii materiam, vide *l.* 6. *n.* 114. Alia minus scitu necessaria observare potes in citata Bulla, *Pastor bonus*.

Demum hic nota, quod cum Literæ S. Pœnitentiariæ committuntur Magistro Theologiæ, vel Decretorum Doctori, possunt eas exequi Confessarii Societatis Jesu designati a Generali vel Provinciali de ejus licentia, ut concessit Greg. XIII. 3. April. 1582. Et idem possunt Lectores Jubilati Ordinis Minorum ex concessione Innocentii XI. 27. Nov. 1679. Ac ideo idem possunt omnes Regulares in privilegiis eorum communicantes: ita refert *Elbel t.* 3. *Conf.* 20. *p.* 506. *num.* 513.

Laus Jesu nostro Redemptori, et Mariæ Immaculatæ nostræ Reginæ et Matri.

AD

AD LECTOREM

MONITUM

In Neapolitanis nostri hujus Operis Editionibus Catalogum Propositionum omnium a Romanis Pontificibus damnatarum, & Præter casus in Diœcesi Neapolitana reservatos, Encyclicas SS. D. N. Pontificis Benedicti XIV. Epistolas, & Decreta, quæ ad morum Theologiam pertinent, huic loco doctissimus Auctor apposuerat. Verum cum hæc omnia Prolegomenæ Dissertationi, quæ initio primi Tomi edita est, sapienti consilio inserta fuerint, (Part. II. cap. 3. §. 2.) ea hic iterum recudere supervacaneum omnino visum est. Hoc te monere duplici ex causa necessarium duximus. Primum, ne quis forte suspicetur Editioni huic nostræ aliquid deesse; tum ne, cum ad hunc locum in operis corpore sæpenumero amandaris, deceptum te fuisse arbitreris. Vale.

ELENCHUS QUÆSTIONUM

Quas Auctor, post primam Neapolitanam Operis editionem, rebus ad seduliorem trutinam revocatis, reformavit. In qualibet autem harum Quæstionum prius adnotatur locus libri primæ editionis, postmodum locus secundæ, ubi facta est correctio.

Quæstio 1. An legatarius possit sibi compensare legatum relictum in testamento non solemni? In priori libro (*col.* 13. *vers.* 3. *Probabile etiam*) relata est opinio *Less. Mol. Gran. Salm. &c.* qui id probabile dixerunt. Sed in hoc præsenti libro id reprobatum est. Vide *l.* 1. *num.* 35. *vers. Attamen.*

Qu. 2. An debitor donans aliquid suo creditori immemor debiti, excusetur a restitutione? In primo libro (*col.* 13. *v. Hinc I.*) relata est opinio *Rebelli, Card. & Dianæ*, qui probabilem putarunt opinionem affirmativam. Sed vide limitationem in hoc *lib.* 1. *n.* 34. *& l.* 3. *n.* 700. *v. Qu.* 6.

Qu. 3. An fur mittens Domino rem furatam per virum fidelem teneatur ad iterum restituendum, si ille non reddat? in primo loco (*col.* 14. *v.* VI. *Similiter*) *Pal. Sot. Ledes. & Gabriel* adducuntur qui id negaverunt. Sed in hoc absolute affirmandum probatur. Vide *l.* 1. *n.* 39.

Qu. 4. An sit obligatio ex superfluis statui elargiendi eleemosynam pauperibus laborantibus paupertate communi? In primo libro (*col.* 80. *lit. A.*) relata est opinio *Soti, Nav. S. Antonini, Vasq. &c.* qui negarunt. Sed in hoc melior visa est sententia opposita. Vide *l.* 2. *n.* 32. *v. Quæritur.*

Qu. 5. An sit obligatio corrigendi peccantem ex ignorantia in legem humanam? In primo libro (*col.* 83. *lit. A. v. Quær. hic.*) visa est probabilior opinio negativa. Sed in hoc affirmativa probabilior visa est; Vide *l.* 2. *n.* 36.

Qu. 6. An qui inducit, sive directe, sive indirecte proximum ad peccandum, semper peccet peccato scandali? In primo libro (*col.* 85. *lit. A.*) dictum est cum *Pal. Sanchez Bonac. Azor. &c.* probabile esse quod is non peccet contra charitatem, nisi expresse intendat ruinam spiritualem alterius. Sed in hoc visa est vera sententia affirmativa; Vide *l.* 2. *n.* 45.

Qu. 7. An semper in Confessione sit explicanda circumstantia inductionis ad peccandum? in primo libro (*col.* 86. *v. Nota.*) reprobata est sententia negativa. Sed in hoc vide *dicta l.* 3. *n.* 46.

Qu. 8. An sit peccatum mortale petere ab aliquo quidquam quod ille non præstabit sine mortali, si jam sit paratus ad peccandum? In primo libro (*col.* 86. *v. Quær. II.*) relata est opinio *Soti, Suar. & Azor.* qui id negarunt. Sed in hoc dictum est sequendum esse oppositum; Vide *lib.* 2. *n.* 47.

Qu. 9. An peccent graviter mulieres ad sui ornatum partem pectoris ostendentes? In primo libro (*col.* 89. *lit. C. & col.* 250. *in fine*) actum est de hoc puncto sequendo doctrinam *Laymanni, Cajet. Nav. Salm. etc.* Sed vide quomodo limitatur in hoc; Vide *l.* 2. *num.* 55. *v. Quær.*

Qu. 10. An liceat famulo comitari Herum ad lupanar, vel eum ducere curru vel sella? In primo libro (*col.* 94. *lit. B.*) relata est opinio *Busembai, Nav. Manuel. etc.* dicentium licere sola ratione famulatus. Sed in hoc requiritur saltem causa gravis damni subeundi. Vide *l.* 2. *n.* 64.

Qu. 11. An liceat famulo ratione famulatus deferre munera meretrici Domini? In primo libro (*col.* 94. *in fine Qu.* 2.) relata est opinio *Busembai, et Sanch.* id permittentium, si sit de esculentis, & poculentis. Sed in hoc negatur; Vide *l.* 2. *n.* 66.

Qu. 12. An liceat famulo ob metum mortis subjicere humeros, vel deferre scalam Domino ascendendi ad fornicandum, aut vi aperire januam? In primo libro (*col.* 95. *Qu.* 4.) id omnino negatum est. Sed in hoc vide *dicta l.* 2. *n.* 66. *v. Qu. IV.*

Qu. 13. An liceat vendere vinum ei qui vendet mixtum aqua? In primo libro (*Col.* 69. *lit. C. v. Pariter.*) adducta est opinio affirmativa *Palai, Sanch. et Tamb.* si æque commode aliis vendi non possit. Sed in hoc id non admittitur, nisi ob metum mortis, vel infamiæ; Vide *l.* 2. *n.* 69. *v. Qu. VII.*

Qu. 14. An liceat vendere ornatus puellæ abusuræ? In primo libro (*col.* 96. *lit. D. v. Eodem.*) relata est opinio (*La-Croix* citantis *Nav. Azorium Sanchez, Bon. etc.* qui dicunt licere, si illa æque emeret ab aliis. Sed in hoc id non admittitur, nisi venditor notabile patiatur incommodum. Vide *l.* 2. *n.* 72. *v. Eodem.*

Qu. 15. An liceat Aurigis, & Nautis ob solum lucrum mercedis vehere meretricem ad Amasium? In primo libro (*col.* 98. *v.* 8. *Licet,*) dictum est licere cum *Salmant. Sanch. Azor. Navar. etc.* Sed in hoc non admittitur nisi ob metum gravis damni; V. *l.* 2. *n.* 75. *v. An Autem.*

Qu. 61. An sit peccatum mortale sine gravi causa petere mutuum ab Usurario parato, vel Sacramentum a Sacerdote peccatore parato ad ministrandum? In primo libro (*col.* 97. *n.* 4. *v. Utrum autem, et n.* 7. *v. Sed quæstio.*) relata est opinio *Lugonis, Soti, Sanch. Cajet. Led. Man. etc.* qui id negarunt. Sed in hoc dictum est id esse mortale tam contra charitatem, quam contra justitiam, nisi gravis causa necessitatis, vel utilitatis interveniat? Vide *l.* 2. *n.* 47. *et* 77. *v.* 4. *Licitum*, loquendo de Usurario; & *n.* 79. de Sacerdote peccatore.

Qu. 17. An volenti frangere jejunium liceat sine gravis incommodi causa cibos præbere? In primo libro (*col.* 97. *n.* 7. *v. Volenti.*) adducta est opinio *Less. Cajet. Nav. et Vasq.* id affirmantium. Sed in hoc reprobatum est; V. *l.* 2. *n.* 80.

Qu. 18. An in materia simoniæ, & usuræ possit deduci in pactum obligatio antidoralis? In primo libro (*col.* 118. *tit. A. v. Quær. in fin.*) dictum

ctum est cum *Salm. Val. Cajet. Pal. Less. etc.* id licere, si pactum sit remunerandi in genere, nulla addita nova obligatione. Sed id omnino reprobatur. V. *l.* 3. *n.* 53. *et n.* 764.

Qu. 19. An juramentum execratorium sit verum juramentum? In primo libro (*col.* 146. *lit. A. v. Notandum.* (dictum est cum *Salm. Bus. Sanch. Pal. etc.* id communiter negari. Sed in hoc affirmatur, si in juramento expresse nominetur *Deus*, V. *l.* 3. *n.* 143.

Qu. 20. An in juramento assertorio sit mortale jurare cum defectu justitiæ? In primo libro (*col.* 148. *lit. A.*) dictum est probabilius esse tantum veniale. Sed in hoc additur esse mortale, si juratur ad firmandam detractionem; V. *l.* 3. *n.* 146.

Qu. 21. An peregrinus possit dispensari in votis, juramentis, & legibus ab Episcopo loci, ubi reperitur? in primo loco (*col.* 758. *lit. E. v. Nota hic.*) id omnino negatum est. Sed vide *hic l.* 1. *n.* 158.

Qu. 22. An maritus possit occidere eum qui vult cum sua uxore adulterari? In primo libro (*col.* 239. *v. Dicendum II.*) id absolute negatum est. Sed in hoc id non reprobatur, si vir ante factum occidat, ne adulterium eveniat; V. *l.* 3. *n.* 391. *v. Quando*.

Qu. 23. An pecent graviter spectatores qui ad comœdiam turpem concurrunt pecunia, vel plausu? In primo libro (*col.* 251. *v. Quær.* 2.) dictum est probabile esse non peccare spectatores secundos, nempe sine quibus etiam comœdia repræsentaretur. Sed in hoc visum est oppositum: V. *l.* 3. *n.* 427. *v. Num autem.*

Qu. 24. An Beneficiarius expendens fructus Beneficii superfluos ad suam sustentationem in usus profanos, teneatur ad restitutionem? In primo libro (*col.* 270. *v. Utrum autem.*) probabilior cum *S. Th. Sot. Lugo, Pal. Less. etc.* visa est opinio negativa. Sed in hoc probabiliorem diximus oppositam, per se loquendo; V. *l.* 3. *n.* 490.

Qu. 25. An fur teneatur restituere cum damno graviore nempe si res non posset mitti ad Dominum, nisi expensis majoribus quam sit valor rei? In primo libro (*col.* 295. *lit. B.*) adducta est opinio *Salm. Soti, Less. Pal. Con. et Bus.* id negantium. Sed in hoc oppositum tenetur, nisi expensæ sint longe majores; V. *l.* 3. *n.* 598. 697. *et* 753.

Qu. 26. An accipiens rem a fure, qui rem furatam cum suis permiscuit, teneatur ad restitutionem? In primo libro (*col.* 299. *lit. B.*) adducta est opinio negativa *Tamb. cum Sanch. et aliis.* Sed in hoc omnino reprobatur. V. *l.* 3. *n.* 612.

Qu. 27. An beneficiarius omittens Officium uno die possit excusari a restitutione, si suppleat in alio? In primo libro (*col.* 310. *in fine. Qu.* 5.) relata est opinio affirmativa *Salmant. Molfes. Palud. Bonac. etc.* Sed in hoc tenetur negativa; V. *l.* 3. *n.* 667.

Qu. 28. An Beneficiarius omittens partem Officii minorem quam integræ Horæ, teneatur ad restitutionem? In primo libro (*col.* 311. *Qu.* 5.) relata est opinio negativa *Nav. Tol. et Viva.* Sed in hoc verior visa est opposita; Vide l. 3. *num.* 668.

Qu. 29. An Beneficiarius simplex omittens Officium teneatur restituere omnes fructus Beneficii? In primo libro (*col.* 312. *Qu.* 10. *v. Quid &c.*) adducta est opinio *Henrici, Metinæ, & Manuelis*, qui dicunt teneri ad restitutionem tantum tertiæ partis fructuum. Sed in hoc illa reprobatur: V. *l.* 3. *n.* 673. *v. Quid.*

Qu. 30. An licitum sit donum accipere a donante debitis gravato? In primo libro (*col.* 327. *lit. B.*) relata est opinio affirmativa *Less. Mol. Nav. Lay. &c.* Sed in hoc refutatur. V. *l.* 3. *n.* 622.

Qu. 31. An sit necessarium in mutuo ad exigendum interesse, ut moneatur mutuatarius de justo titulo, qui jam adest? In primo libro (*col.* 343. *lit. E. v. Sed dubitatur.*) delatum est opinioni negativæ *Less. Lug. Bon. Trull. &c.* Sed in hoc verior est affirmativa? V. *l.* 3. *n.* 769. *v. Sed dubitatur.*

Qu. 32. An mutuator possit retinere lucrum exactum, si aderat justus titulus, sed non monuit de eo mutuatarium, & contraxit bona fide? In primo libro (*col.* 394. *Qu. III.*) adducta est opinio affirmativa (Licet tanquam minus probabilis) *Lug. Dian. Sa, & Tanneri.* Sed in hoc refutata est; V. *l.* 3. *n.* 773.

Qu. 33. An liceat res pretiosas quamplurimi vendere? In primo libro (*col.* 355. *lit. D.*) relata est opinio affirmativa *Sot. Tol. Dian. Tann. Val. Reg. &c.* Sed in hoc probabilior visa est contraria? V. *l.* 3. *n.* 808.

Qu. 34. An, facto monopolio injusto a Mercatoribus, liceat aliis eodem pretio merces vendere? In primo libro (*col.* 357. *lit. G. v. Sed hinc.*) relata est opinio affirmativa *Salm. Bon. Trull. Reg. Med. &c.* Sed in hoc omnino melior visa est negativa; V. *l.* 3. *n.* 817. *v. Sed hic p.* 408.

Qu. 35. An liceat rem infimo pretio emere ab aliquo nesciente ejus valorem? In primo libro (*col.* 357. *lit. H. v. Idem.*) Amplexata est opinio negativa. Sed in hoc defenditur opposita; V. *l.* 2. *n.* 819. *v. Idem.*

Qu. 36. An liceat Clerico conducere prædia aliena ad saginanda propria animalia, ut postea vendat? In primo libro (*col.* 361. *v. Quæres.*) dictum est licere, si conductio non afferat magnam distractionem a ministerio sacro. Sed in hoc id non admittitur, quia non caret cupiditate turpis lucri: V. *l.* 3. *n.* 855. *v. An vero.*

Qu. 37. An pereunte re censita, pereat census de jure naturali? In primo libro (*col.* 366. *v. Qu.* 3.) dicta est probabilis sententia negativa cum *Soto, Pal. Salm. Covarr. &c.* Sed in hoc omnino tenendam diximus affirmativam; V. *l.* 3. *n.* 847.

Qu. 38. An cogens cum injuria alterum ad ludendum possit retinere lucratum? In primo libro (*col.* 375. *lit. D.*) adducta est opinio negativa. Sed in hoc probabilior visa est sententia affirmativa, modo ille qui cogit, non superet coactum in peritia ludendi; V. *l.* 3. *n.* 880.

Qu. 39. An sit gravis obligatio relinquendi sua bona suis Fratribus, & sororibus? In primo libro (*col.* 398. *lit. A.*) relata est opinio *Salm. Nav. &c.* dicentium non esse, nisi illi extreme indigeant. Sed in hoc diximus omnino tenendum peccare graviter relinquentem bona extraneis, si Fratres graviter indigeant; V. *l.* 3. *n.* 946.

Qu. 40. An liceat revelare crimen alterius ad vitandum damnum proprium, si notitia criminis

vi aut dolo excipiatur? In primo libro (*col.* 407. *lit. A. v. Sed hic.*) dicta est probabilis opinio affirmativa cum *Salm. Lessio*, & *P. Nav.* Sed in hoc melior visa est opposita; V. *l.* 3. *n.* 969. *v. Sed hic magna.*

Qu. 41. An qui alteri occultam contumeliam irrogavit teneatur ad satisfactionem? In primo libro (*col.* 410. *v. Sed Quær.* 1.) relata est opinio negativa *Laym.* & *Molina.* Sed in hoc diximus omnino sequendam affirmativam? Vide *l.* 3. *n.* 985.

Qu. 42. An lædant jejunium electuaria sumpta in modica quantitate ad delectationem? In primo libro (*col.* 419. *lit. F.*) adducta est opinio negativa cum *Salm. Sylvest.* & *Abb.* Sed in hoc dictum est contrariam omnino tenendam; V. *l.* 3. *n.* 1091. *Quær. II.*

Qu. 43. An potio chocolatis possit sumi toties quoties in die? In primo libro (*col.* 425. *v. Orandum.*) dicta est probabilis opinio affirmativa *Patris Viva*, si sumatur ut potus usualis. Sed in hoc talis potio non admittitur, nisi pro uno tantum cyatho in die, ratione consuetudinis: V. *l.* 3. *n.* 1023. *v. Secunda in fine.*

Qu. 44. An Religiosus expendens cum licentia generali Prælati ad usus illicitos, peccet contra paupertatem, & teneatur ad restitutionem? in primo libro (*col.* 450. *lit. E. v. II. Quæstio.*) vocata est non improbabilis sententia negativa cum de *Alex. Suar. Bann. Lugo*, &c. Sed in hoc affirmativa amplexata est; Vide *l.* 4. *n.* 31. & *l.* 3. *n.* 873.

Qu. 45. An Patronus debeat præsentare digniores ad Beneficium curatum? In primo libro (*col.* 469. *lit. A. Qu.* 2.) dicta est probabilis opinio negativa cum *Palao*, *Garcia*, *P. Navar. Rodr.* &c. Sed in hoc dictum est, omnino tenendam affirmativam; V. *l.* 4. *n.* 97.

Qu. 46. An Episcopus conferens Beneficium simplex minus digno peccet mortaliter? in primo (*col.* 291. *Quær.* 2.) delatum est sententiæ negativæ cum *Navar. Sa*, *Soto*, *Dicast. Gutt. Diana*, &c. Sed in hoc probabilior dicta est affirmativa; V. *l.* 4. *n.* 103.

Qu. 47. An Episcopus conferens Beneficium curatum minus digno, teneatur ad restitutionem? In primo (*col.* 292. *v. Magis*) probabilis visa est opinio negativa *Navar. Henr. Led.* &c. Sed in hoc amplexata est opposita; V. *l.* 4. *n.* 109.

Qu. 48. An graviter peccet, & teneatur ad restitutionem, qui recipit Beneficium curatum cum animo dubio, vel conditionato suscipiendi Sacerdotium infra annum? In primo libro (*col.* 471. *lit. A.*) adducta est opinio negativa *Nav. Barb. Garcia*, &c. Item opinio *Salm.* qui eam admittunt tantum, si animus est conditionatus. Sed in hoc melior visa est opposita, sive animus sit dubius, sive conditionatus; V. *l.* 4. *n.* 114.

Qu. 49. An pluralitas Beneficiorum sit vetita non solum de jure Canonico, sed etiam naturali? In primo libro (*col.* 473. *lit. A.*) dicta est probabilis opinio negativa cum *Lugo*, *Innoc. Fill. Valent. Led.* &c. Sed in hoc omnino tenendam diximus affirmativam, nisi accedat Dispensatio Pontificia, & justa causa; Vide *l.* 4. *n.* 117.

Qu. 50. An possit sine peccato gravi permutari Officium Divinum in aliud notabiliter brevius? In primo libro (*col.* 494. *lit. A.*) dicta est probabilis opinio affirmativa, excepto Officio Palmarum cum Officio Paschæ, vel Pentecostes, ut tenent *Sylvest. Salm. Vill. Diana*, &c. Sed in hoc non est admissa ut probabilis; V. *l.* 4. *n.* 161. *v. Quær. III.*

Qu. 51. An Matutinum possit recitari duabus horis post meridiem? In primo libro (*col.* 496. *lit. D.*) probabilis dicta est opinio affirmativa cum *Salm. Sanch. Tamb. Molfes. Led.* &c. Sed in hoc dictum est tenendam esse oppositam. V. *l.* 4. *n.* 174.

Qu. 52. An peccata multiplicentur ex diversitate objectorum totalium, nempe si quis uno ictu occidit quatuor homines? In primo libro (*col.* 564. *v. An autem.*) dicta est probabilis opinio negativa cum *Suar. Lugo*, *Busemb. Viva*, &c. Sed in hoc amplexata est opposita; V. *l.* 4. *n.* 45.

Qu. 53. An Confessarius in mortali successive absolvens plures Pœnitentes unum peccatum committat (*col.* 563. *v. II. Quoad actus.*) visa est probabilis opinio affirmativa cum *Salm. Lug. Viva*, *Spor.* &c. Sed in hoc reprobata est; V. *l.* 5. *n.* 50. *Qu.* 6.

Qu. 54. An, citra infamationem possit quis dissolvere amicitiam alicujus, narrando ejus defectus naturales, ut ipse succedat loco expulsi? In primo libro (*col.* 576. *lit. A.*) relata est opinio affirmativa *Salm. Soti*, *Bonac. Arag. Prado*, &c. Sed in hoc amplexata est opposita; V. *l.* 5. *n.* 72. *v. An citra.*

Qu. 55. An liceat se inebriare ex consilio Medicorum, si inebriatio æstimatur necessaria ad morbum expellendum? In primo libro (*col.* 577. *v.* 2. *Non est.*) adducta est opinio affirmativa *Busemb. Sylv. Cajet. Lessii*, *Salm.* &c. Sed vide quomodo in hoc limitata est, *l.* 5. *n.* 76. *Qu. I.*

Qu. 56. An liceat se inebriare ad vitandam mortem, quam alter ei minitatur? In primo libro (*col.* 578. *lit. C.*) dicta est probabilis opinio affirmativa *Lessi*, *Laym. Bonac. Busemb.* &c. Sed in hoc amplexata est negativa; Vide *l.* 5. *n.* 76. *Qu. II.*

Qu. 57. An satisfaciat, qui se confitetur tempore Missæ? In primo libro (*col.* 210. *Quær.* 2.) adducta est opinio affirmativa *Palai*, *Hurtadi*, *La-Croix*, *Pichler*, *Gobat.* &c. modo aliquo modo attendat simul ad Missam. Sed in hoc amplexata est opposita, V. *l.* 5. *n.* 314.

Qu. 58. An liceat aliquid accipere pro sustentatione ingressuri si Monasterium sit opulentum? In primo libro (*col.* 130. *v. Sed quæritur.*) relata est opinio affirmativa *Salm. Nav. Tol. Pal. Sanch. Bon. Sot.* &c. Sed in hoc amplexata est opposita; Vid. *l.* 3. *n.* 92. *v. Secunda.*

Qu. 59. An in Sacramento Baptismi aqua sit infundenda, dum actu dicitur: *Te baptizo?* In prima editione (*col.* 585. *lit. A.*) affirmatum est. Sed in hac secunda probatum est sufficere quod forma proferatur, antequam materia desistatur applicari; Vid. *l.* 6. *n.* 9. *v. Quæritur.*

Qu. 60. An omnes materiæ, & formæ Sacramentorum sint a Christo determinatæ in specie? Negatum est in priori libro (*col.* 804. *Qu.* 2.) Sed in hoc secundo oppositum probabilius visum est, *l.* 6. *n.* 12.

Qu. 61. An peccet graviter Minister conferens Sa-

Sacramenta in mortali, etiamsi ad illud non sit specialiter ordinatus, vel si solemniter non ministret? Negatum est in priori libro (*col.* 594. & 596.). Sed hic affirmatur *l.* 6. *n.* 32.

Qu. 62. An peccet graviter Sacerdos ministrans Eucharistiam in mortali? In priori libro (*col.* 655. *v. An autem.*) probabilis dicta est sententia negativa. Sed hic eam refutamus; *l.* 6. *n.* 35.

Qu. 63. An Minister possit dare Sacramentum indigno ob metum mortis? In priori libro (*col.* 595. *Dub.* 5.) probabilis visa est sententia affirmativa. Sed hic negativam tenemus; *l.* 6. *n.* 49.

Qu. 64. An Clericus habituatus in vitio turpi, vel alio, volens ascendere ad Ordinem Sacrum, possit absolvi ex simplicibus signis extraordinariis; tantum sufficientibus ad Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendum? In priori libro affirmatum est, *col.* 598. *Quæres hic* 3. Sed hic negatur, nisi valde extraordinaria signa accedant, quæ probitatem positivam Ordinandi ostendant; vide *l.* 6. *in Dissert. ex n.* 63.

Qu. 65. An Sacerdotes ordinentur per solam manuum impositionem? In priori libro (*col.* 806. *lit.* F.) negavimus. Sed hic affirmativam sententiam probabiliorem censemus: *l.* 6. *n.* 749.

Qu. 66. An moribundus qui mane communicavit, possit eadem die sumere Viaticum adveniente morbo? In priori libro (*col.* 668. *lit. A.*) probabilem diximus sententiam tam affirmativam, quam negativam. Sed hic distinguimus, si morbus sit naturalis, aut violentus: *l.* 6. *n.* 285. *Dub.* 3.

Qu. 67. An Sacerdos negligens dicere Sacrum promissum, parvo stipendio accepto, graviter peccet? In priori libro (*col.* 676. *lit. C.*) diximus probabilem sententiam negativam. Sed hic affirmativam tutamur, *l.* 6. *n.* 317. *Qu. III.*

Qu. 68. An Episcopus possit moderari numerum Missarum a Testatore præscriptarum? In priori libro dictum est posse, si fructus congruentes non percipiantur (*col.* 680. *lit.* F.) Sed hic negatur; *l. c. n.* 631. *Dub.* 1.

Qu. 69. An liceat privatim celebrare in die Cœnæ Domini? In priori libro adhæsimus sententiæ affirmativæ; (*col.* 687. *lit.* E) Sed hic dicimus omnino tenendam negativam (*l.* 6. *n.* 350.)

Qu. 70. An Altare amittat consecrationem; si frangatur Sigillum, vel removeatur Sepulchrum cum Reliquiis? In primo libro probabile dictum est non amittere, (*col.* 693. *lit.* C) Sed hic *l.* 6. *n.* 369. *ad n.* 3. *Dub.* 2. oppositum tenendum probamus.

Qu. 71. An sufficiant duæ Mappæ in Altari, vel una duplicata? In priori libro affirmavimus; (*col.* 697. *lit.* C.) Sed hic contrarium tenendum dicimus? *l.* 6. *n.* 375.

Qu. 72. An aqua lotionis Corporalium possit projici alio quam in Sacrarium? In priori libro dictum est sufficere, si projiciatur in decentem locum; (*col.* 699. *lit.* E.) Sed hic contrarium probamus; *l.* 6. *n.* 387.

Qu. 73. An Abbates possint consecrare Calices pro Ecclesiis alienis? In priori libro relata est sententia affirmativa (*col.* 699. *lit. B. in fine*). Sed hic oppositam tenendam dicimus; *lib.* 6. *n.* 381.

Qu. 74. An Pyxis debeat benedici? In priori libro retulimus sententiam negativam, (*col.* 698. *lit.* H.) Sed hic oppositam probamus, *l.* 6. *n.* 385.

Qu. 75. Si post sumptionem Sacerdos prudenter dubitat vinum fuisse acetum, an rursus consecrare debeat utramque materiam sub conditione? Hic affirmandum probamus *lib.* 9. *n.* 206. *v. Quoad.* Quidquid dictum sit in priori libro.

Qu. 76. A quo Episcopo debeant approbari Confessarii? In priori libro (*col.* 247. *lit.* E.) dictum est probabiliter posse approbari etiam ab Episcopo Confessarii, aut Pœnitentis. Sed hic *lib.* 6. *n.* 548. dicimus omnino approbandos ab Episcopo loci.

Qu. 77. Doctor consultus a Confessario an teneatur ad Sigillum? In priori libro (*col.* 776. *lit.* G.) diximus probabiliter non teneri: Sed hic oppositum tuemur *l.* 6. *n.* 647.

Qu. 78. An Mutus teneatur confiteri scripto? In priori libro probabilis visa est sententia negativa, (*col.* 726. *lit. B.*) Sed hic dicimus teneri; si commode potest; *l.* 6. *n.* 479. 2. *Qu.*

Qu. 79. An in Jubilæo Confessio debeat fieri in eadem hebdomada in qua perficiuntur opera, ut possit Pœnitens absolvi a reservatis? In priori libro adhæsimus opinioni negativæ (*col.* 743. *lit.* A. *n.* 2.) Sed hic oppositam tenemus; *l.* 9. *n.* 537.

Qu. 80. An qui in Jubilæo confessus est invalide, possit deinde a quolibet absolvi? In priori libro relata est opinio affirmativa: (*col.* 743. *n.* 1.) Sed hic negativam sustinemus; *l.* 6. *n.* 537. *v. Qu. II.*

Qu. 81. An Parochus in aliena Diœcesi possit excipere Confessiones alienorum ex licentia illorum Parochi? In priori libro affirmavimus; (*col.* 746. *lit.* B.) Sed hic negamus; *l.* 6. *n.* 544.

Qu. 82. An simplex Sacerdos possit absolvere moribundum, præsente Confessario approbato? In priori libro (*col.* 752. *lit.* D.) relata est sententia affirmans, quam hic rejicimus; *l.* 6. *n.* 462.

Qu. 83. An ignorans reservationem casus Episcopalis, eam incurrat? In priori libro diximus probabilem sententiam negativam, (*col.* 757. *lit.* A.) Sed hic eam reprobamus; *l.* 6. *n.* 581.

Qu. 84. An absoluti indirecte a peccato reservato in casu necessitatis a non habente facultatem, teneantur postmodum Episcopo se præsentare? In priori libro negavimus; (*col.* 936. *v. An autem.*) Sed hic observa distinctionem allatam *l.* 7. *n.* 91.

Qu. 85. An Confessarius errans culpabiliter circa valorem Sacramenti teneatur monere Pœnitentem de errore etiam cum gravi suo incommodo? In priori libro probabilem diximus sententiam negativam; (*col.* 766. *lit.* I.) Sed hic affirmativam tenemus; *l.* 6. *n.* 619.

Qu. 86. An possit absolvi a simplici Confessario Peregrinus habens casum reservatum in loco Confessionis tantum, & non in Patria? In libro priori relata est opinio affirmativa; (*col.* 758. *in fin. v. Quæritur an.*) Sed hic eam refutamus; *l.* 6. *n.* 588.

Qu. 87. An qui confessus est Superiori, & oblitus fuerit reservati; remaneat ab illo directe absolutus? Hic probabilius negatur *l.* 8. *n.* 597. Quidquid in priori libro dictum sit.

Qu. 88. An incurrat suspensionem qui ordinatur cum Patrimonio donato, sed data antapoca, vel fide de reddendo illo donanti? In priori libro dicta est probabilis opinio negativa, (*col.* 829. 2.) Sed hic

hic *l.* 6. *n.* 822. observa distinctionem tenendam, nempe si donans habuerit veram, vel ne, voluntatem donandi.

Qu. 89. Si quis post contracta Sponsalia cum una ducat aliam, an hac defuncta, teneatur ducere primam? In priori libro dictum est probabiliter non teneri (*col.* 845. *lit.* I.); Sed hic contrarium sustinetur *l.* 6. *n.* 875. *v. Quæritur*.

Qu. 90. An si quis ficte contraxit Matrimonium, ad illud revalidandum sufficiat, quod ipse solus apponat consensum? Hic *l.* 6. *n.* 1114. sententia affirmativa verior dicitur? Quamvis in priori libro (*col.* 899. *v. Hinc infertur*) non fuerit admissa.

Qu. 91. An sit nulla Dispensatio super impedimento inter propinquos, si taceatur copula inter ipsos præhabita? In priori libro opinio negativa probabilis visa est; (*col.* 904. *v. Quær.* 3.) Sed hic *l.* 6. *n.* 1134. omnino rejicitur, etiamsi copula non fuerit habita ad facilius obtinendam Dispensationem.

Qu. 92. An simplex Sacerdos possit absolvere a venialibus, & ab excommunicatione minori? In priori libro (*col.* 746. *lit. A.* & *col.* 928. *v. Certum.*) opinio affirmativa, licet non fuerit admissa; non tamen omnino rejecta est: Sed hic *l.* 7. *n.* 71. omnino rejicitur ob Decretum Innoc. XI.

Qu. 93. An absolutus ab Episcopo in necessitate a casu Papali propter impedimentum temporale, excusetur ab adeundo Romam, si parti jam satisfecerit? In priori libro dictum est probabiliter excusari, (*col.* 933. *Qu. III. in fin.*) Sed hic omnino teneri dicimus, *l.* 7. *n.* 87.

Qu. 94. An habens casum Papalem publicum, si punitus fuerit ab aliquo Episcopo, possit absolvi ab alio? In priori libro opinio affirmativa probabilis visa est, (*col.* 930. *v. Hinc, infra Dub.* 1.) Sed hic contrariam veriorem dicimus, *lib.* 7. *num.* 77.

Qu. 95. An Episcopi possint absolvere a Papalibus occultis extra Confessionem? In priori libro relata est opinio affirmativa, (*col.* 942. *ad n.* 8.) Sed hic *l.* 6. *n.* 593. *v. Eandem*, illam refutamus ex Declar. Gregorii XIII.

Qu. 96. An liceat rescribere ad excommunicatum? In priori libro dictum est probabiliter licere, (*col.* 964. *lit.* F.) Sed hic negamus *l.* 7. *n.* 193. An autem liceat excommunicatum resalutare? In priori libro (*col.* 965. *Dub.* II.) opinionem affirmativam diximus absolute probabilem: Sed hic *d. n.* 193. oppositam censemus probabiliorem, licet primam non damnemus.

Qu. 97. An Duellum possit acceptari, ne incurratur magna & certa jactura bonorum? Quicquid dictum sit cum *Salm.* in priori libro (*col.* 970. *lit. A. Not. I.*) hodie hæc opinio damnata est a Bened. XIV. vide Tom. I. *l.* 3. *n.* 400. Prop. IV.

Qu. 98. An Parentes possint cogere puellam ad ingressum in Monasterium causa educationis? In priori libro (*col.* 983. *in princ.*) probabilis dicta est opinio affirmativa: Sed hic *l.* 7. *n.* 212. opposita absolute probabilior visa est, nisi puella sit in periculo incontinentiæ.

Qu. 99. An incurrat irregularitatem ratione bigamiæ, qui contrahit duo Matrimonia nulla, vel qui ficte secundum Matrimonium init ad copulam extorquendam? Hic dicimus affirmandum *lib.* 7. *n.* 446. & 447. Quidquid in priori libro dictum fuerit.

Adduntur aliæ recentes Retractationes opinionum, quæ in præcedenti Editione recensebantur.

Qu. I. Si quis probabiliter judicet implevisse votum, Horas Canonicas, sive pœnitentiam, an teneatur eam satisfacere, si adhuc probabile sit, vel dubium non implevisse? Negant plures Auctores *l.* 1. *n.* 76. Sed oppositum est tenendum, quia possidet obligatio jam contracta, donec certe non fuerit impleta.

Quær. II. An Declarationes S. C. Cardinalium vim legis habeant? Plures AA. negant, nisi editæ sint, non solum consulto Pontifice, sed etiam mandante, ut ipsæ solemniter per totam Ecclesiam promulgentur, *l.* 1. *n.* 106. *ver. Quær.* 2. Addendum tamen est, quod hujusmodi Declarationes, quæ jam in Ecclesia universaliter divulgatæ, & facto sic promulgatæ fuerint usum plurium annorum, vel relatione Auctorum communiter ipsas referentium, hæ satis omnes Fideles obstringunt.

Qu. III. An Episcopus dispensare possit in Statutis canonicis, in quibus dispensatio reservata non sit? Visa fuit prius satis probabilis sententia affirmativa cum *Soto, Covarr. Castrop. Bonac.* & *S. Antonin.* Sed re melius perpensa, videtur negativa omnino tenenda ex *Clement.* 2. *de Elect. ubi: Lex superioris per inferiorem tolli non potest*. Cui congruit *c. Dilectus, de Temp. Ordin.*

Quær. IV. An Delegatus *Principis*, vel Delegatus *ad universitatem causarum*, possit subdelegare? Affirmatur *l.* 1. *n.* 193. Sed hoc est limitandum juxta id, quod dicitur *lib.* 6. *n.* 559. nempe hoc intelligi, cum delegatio facta est tanquam per Officium, aut cum delegatur alicui jurisdictio, uti privilegium perpetuo suo officio, sive Dignitati annexum.

Quær. V. An cesset lex, cessante fine legis in particulari? Allata est sententia, quæ id probabile vocat, hancque tenent *Salm.* & *Viva cum Cajet. Sylvest. Panorm. Valent. Sa, Carden. Navarr. Abbate, Comit.* & aliis, *l.* 1. *n.* 199. Sed hic advertendum, quod hæc opinio vix unquam in praxi probabilis erit, quia vix unquam eveniet, quod in particulari omne *hallucinationis* periculum cesset.

Quær. VI. Si quis ex intentione furandi centum aureos surripiat eos centennis vicibus moraliter interruptis, an tunc centum peccata perpetret? *l.* 5. *n.* 44. dictum fuit probabile esse unum furtum, sive peccatum committi. Sed melius re perpensa, dicendum hujusmodi furta esse centum distincta peccata mortalia, cum unumquodque furtum distinctam malitiam in se continet.

Quær. VII. Actus charitatis erga Deum eliciendus est saltem semel in mense, ut dicitur *lib.* 2. *n.* 8. Addendum est quod eodem modo, nempe semel saltem in mense tenemur pariter elicere actum Charitatis erga Proximum, alioquin difficulter hoc præceptum charitatis erga Proximum observare valebimus.

Quær. VIII. Dictum est *l.* 3. *n.* 244. non videri improbabile cum *Less. Salm. Bon. &c.* quod ab

i-

ipso vovente possit commutari votum in æquale. Sed dicendum cum *S. Thom. Caj. Suar. & aliis*, esse multum probabilius, quod non possit; quia Deus potius vult rem promissam, quam aliam.

Quær. IX. Dicunt plures DD. apud *Bus. lib.* 3. *n.* 381. licere viro honorato occidere aggressorem conantem alapam ei impingere. Sed ibi addendum id, quod sapienter docet Sylvius: *Etiamsi honor sit bonum præstantius, quam divitiæ, aut nullum, aut rarissimum arbitramur esse casum, quo pro defensione solius honoris licet aggressorem interficere. In* 2. 2. *qu.* 64. *art.* 7. *qu.* 9.

Quær. X. An Beneficiarii expendentes reditus Beneficii superfluos in usus profanos, teneantur ad restitutionem? *l.* 3. *n.* 492. exposita fuit sententia affirmativa tanquam valde probabilior; sed peracta meliori consideratione, sententia negativa videtur non minus probabilis in praxi, signanter ob auctoritatem, & rationem D. Th. *in* 2. 2. *qu.* 185. *art.* 7. *Vide cit. n.* 492.

Quær. XI. Si quis furatus sit rem, cujus Dominus est incertus, cui restituere debet? *l.* 3. *n.* 589. dictum est, restitutionem faciendam esse Pauperibus, aut Locis piis cujuscunque loci. Sed huic plures addendæ sunt limitationes, quas loco citato, vel paulo post invenies.

Quær. XII. Utrum si crimen aliquod est publicum in quodam loco, possit sine culpa, saltem gravi, manifestari in alio, ubi illud est adhuc occultum? dictum fuit *lib.* 1. *n.* 86. cum *Lug. Cajet. Navarr. Salm. &c.* communissime, contra alios, sententiam affirmativam esse valde probabilem. Sed vide *l.* 3. *n.* 976. ubi nunc sententia limitatur tantum pro delictis illis, quæ delinquentem aliis perniciosum efficiunt.

Quær. XIII. An in die jejunii notabiliter antevertens sine justa causa horam meridianam, graviter peccet? *l.* 3. *n.* 1016. dictum fuit cum Lessio, *Tol. Bonac. Laym. Salm. Castrop. &c.* probabiliorem esse negativam sententiam. Sed re melius ad trutinam revocata, dicimus cum *Azor. Sanchez, Nav. Sylvest.* affirmativam omnino tenendam.

Quær. XIV. An Episcopus possit lites transigere super bona Ecclesiæ vertentes? *l.* 4. *num.* 187. *vers. Circa &c.* dictum est non posse. Sed hoc intelligendum tantum, quando Ecclesia ob transactionem deberet aliquid de rebus possessis cedere: secus si nihil cederet de possessis..

Quær. XV. Si votum sit certe emissum, sed tantum probabiliter impletum, utrum vovens teneatur omnino votum implere? Negant plures AA. nempe *Lug. Ronc. Salm.* cum *Laym. &c.* Sed censeo cum *Conc. Antoine &c.* votum implendum esse, cum enim votum est certum, possidet obligatio implendi votum.

Quær. XVI. An teneatur Pœnitens confiteri mortale peccatum certe commissum, si tantum probabiliter reputet illud confessum fuisse? Negant *Suar. Lug. Salm. & alii*. Sed dico cum *Concina* & aliis eum teneri peccatum illud clavibus subjicere, cum dubia sit confessio, & certa sit Confessionis obligatio. Sed vide quod dicitur *Lib.* 6. de Pœnit. *n.* 477.

Quær. XVII. An liceat conferre Sacramentum sub conditione, absque quod conditio ore exprimatur? *l.* 6. *n.* 29. *in fin.* affirmatum est cum *Toura. Ronc. Castrop.* & aliis communissime. Sed quia non desunt Auctores aliqui, ut *Gonet, Juenin, Contens. Serry, &c.* qui tenent (licet parum probabiliter) valorem Sacramenti non pendere ab intentione Ministri, sed tantum ab ipsa collatione Sacramenti serio peracta, tutius est conditionem etiam verbis exprimere.

Quær. XVIII. An teneatur quis confiteri peccatum mortale certe commissum, si postea sit in dubio, an illud fuerit vel ne confessus? l. 6. *n.* 477. dictum fuit non teneri; si credat probabiliter peccatum Confessario jam exposuisse. Sed nunc teneri dicimus, quia sicut certa fuit obligatio confitendi, ita certa debet esse confessio, vide tamen *cit. n.* 477.

Quær. XIX. An Sacerdos ab Ecclesia abscissus, uti si esset hæreticus, schismaticus, aut excommunicatus vitandus, possit absolvere eos, qui sunt in periculo mortis, si alius desit? *l.* 6. *n.* 560. *Quær. I.* probata fuit sententia negativa: Sed nunc probamus contrariam cum *Sylvio, Colet, Sylvestro, Cano, &c.*

Quær. XX. An si Pœnitens confessus sit Superiori, & inculpabiliter sit oblitus peccati reservati, poterit deinde a quolibet Confessario de illo absolvi? *l.* 6. *n.* 597. probavimus sententiam negativam; sed nunc ex auctoritate *Pontas, Colet*, & signanter *Sylvii*, qui affirmativam cum *Sylvest. Nav. Adrian. Angel. Covarr.* & pluribus aliis pro certa habet, eam reprobare non possumus.

Quær. XXI. An inhabilitas ad celebrandum, quam incurrunt Confessarii sollicitantes, incurratur ante sententiam? *l.* 6. *n.* 705. affirmatur; sed nunc vide id, quod dicitur in hac Editione *num. citato.*

Quær. XXII. An Episcopi possint absolvere ab excommunicatione eos, qui tentaverunt extrahere delinquentes ab Ecclesia? *Lib.* 1. *Append. II. n.* XXVIII. affirmatum est; sed nunc oppositum tenendum cum *Fagnano*, qui id probat; vide *l. c.*

Quær. XXIII. In Praxi Confessarii, posita post librum VII. dicitur *Cap. ult. nu.* 287. Episcopis, eorumque Delegatis concessa esse facultas impertiendi Indulgentiam Plenariam Infirmis eam petentibus in articulo mortis; addendum ad hoc requiri, quod episcopi hanc facultatem a Pontifice Regnante expostulent, & obtineant.

Quær. XXIV. In eadem Praxi *n.* 98. dicitur ex Rubrica illicitum esse in Missa adhibere vinum, quod *incipit acescere:* adverte ibi quod additum est.

Quær. XXV. In eadem Praxi *Append. III. nu.* 122. dicitur, dubium esse an sit probabilis opinio, quod celebrare sine Cruce non sit mortale. Sed re maturius perpensa, nunc satis probabilis mihi videtur, cum inter Doctores sit communis, nec certum habetur fundamentum in oppositum.

Quær. XXVI. An Calix si denuo inauretur, denuo sit consecrandus? *tom.* 2. *l.* VI. *tract.* III. *de Euch. c.* 3. *dub.* 2. probabilius censui negandum cum *Laym. Lugo &c.* Sed re melius perpensa nunc puto cum *Ferrari, Suarez, &c.* probabilius iterum Calicem esse consecrandum; vide adnotationem ultimo loco adjunctam in loco citato.

PRAXIS

CONFESSARII

AD BENE EXCIPIENDAS CONFESSIONES

AB EODEM AUCTORE EDITA AD INSTRUCTIONEM TYRONUM
CONFESSARIORUM

INDEX CAPITULORUM

IN HAC PRAXI CONTENTORUM

Introductio. *n.* 1.

CAP. I. De Officiis Confessarii. *n.* 2.

§. I. Circa Officium Patris. Ubi agitur de Charitate quam adhibere debet Confessarius in excipiendis & audiendis Pœnitentibus. *n.* 3.

§. II. Circa Officium Midici. *n.* 6. Ubi agitur de modo & tempore quando Confessarius corripere debet Pœnitentem. *n.* 7. Ignorantem instruere. *n.* 8. Disponere ad Absolutionem. *n.* 10. Imponere illi pœnitentiam, & remedia præbere ad perseverandum. *n.* 11. & *seq.*

§. III. Circa officium Doctoris. Ubi agitur de scientia qua indiget Confessarius. *n.* 17. & 18.

§. IV. Circa Officium Judicis. *n.* 19. Et hic agitur specialites de obligatione examinandi Rusticos, & de judicio formando peccatorum eorumdem. *n.* 20.

CAP. II. De Interrogationibus adhibendis cum rudibus Pœnitentibus *n.* 21.

Circa I. Præceptum. Et hic agitur de rebus scitu necessariis quoad Mysteria Fidei, & salutem æternam. De superstitione & sacrilegio in reticendis peccatis propter ruborem. De pœnitentiis omissis, & de scandalo. *n.* 22. & 23.

Circa II. Præceptum. Hic agitur de falsis Juramentis. *n.* 24. De Votorum transgressione, ac de ipsorum commutatione & dispensatione. *n.* 25. & 26. De Blasphemia, & de Maledictione *Mortuorum*, &c. *n.* 27. & *seq.*

Circa III. Præceptum. Ubi agitur de obligatione audiendi Missam. *n.* 32. Et abstinendi ab operibus servilibus in diebus festis. *n.* 33.

Circa IV. Præceptum. Ubi agitur de obligatione Filiorum erga Genitores. *n.* 34. Et Genitorum erga Filios; Ac de obligatione mutua Conjugum. *n.* 35.

Circa V. Præceptum. Ubi agitur primo de Desideriis damnorum Proximi. *n.* 36. Secundo de Contumeliis, & de obligatione restituendi honorem ablatum. *n.* 37. Tertio de Remissione injuriarum facienda offensoribus. *n.* 38.

Circa VI. & IX. Præceptum, *n.* 39. & *seq.*

Circa VII. Præceptum. Ubi agitur de pluribus doctrinis practicis quoad furta & restitutiones bonorum. *n.* 42. & *seq.*

Circa VIII. Præceptum. Ubi agitur de obligatione restituendi famam. *n.* 45. Et de Judiciis temerariis. *n.* 46. Hicque aliqua adduntur de Jejunio. *n.* 47.

CAP. III. De Interrogationibus adhibendis cum Pœnitentibus diversi status, & conditionis, qui sunt negligentes circa res ad conscientiam spectantes. Et I. Cum Sacerdotibus. *n.* 49. II. Cum Confessariis. *n.* 51. III. Cum Parochis. *n.* 52. IV. Cum Episcopis. *n.* 53. V. Cum Monialibus. *n.* 54. VI. Cum Judicibus, & Tabellionibus. *n.* 55. & 56. VII. Cum Medicis. *n.* 57. Et hic speciatim agitur de obligatione quam ipsi habent curandi, ut infirmi Confessionem faciant. VIII. Cum Pharmacopolis. *n.* 58. IX. Cum Negotiantibus. *n.* 59. X. Cum Sartoribus. *n.* 60. XI. Cum Proxenetis, & Venditricibus. *n.* 61. XII. Cum Barbitonsoribus. *n.* 62. Et hic sermo fit de Viris crines mulierum componentibus.

CAP. IV. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi. *n.* 63. & *seq.*

CAP. V. Quomodo cum Consuetudinariis, & Recidivis. *n.* 70. & *seq.* Et signanter cum Ordinandis, in aliquo vitio habituatis; qui inhiant suscipere Ordinem sacrum. *n.* 78. & 79.

CAP. VI. Quomodo cum Pœnitentibus, qui habent I. aliquam censuram, aut casum reservatum. *n.* 80. 81. & 82. Aut II. obligationem denunciandi, *n.* 83. Aut III. Impedimentum Matrimonii dirimens *n.* 84. & 85. Vel impediens a petendo debitum. *n.* 86. Hic adnotantur *Formulæ* ad obtinendam Dispensationem a S. Pœnitentiaria

ria in impedimentis, votis, & irregularitatibus. *n.* 87. *Formula* exequendi Dispensationem. *n.* 88.

CAP. VII. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum quibusdam diversis generis.

§. I. Quomodo cum Pueris, Adolescentibus, & Puellis; Et hic agitur signanter de examine adhibendo cum pueris. *n.* 90. Et deinde de Absolutione ipsis impertienda. *n.* 91. Hic quoque agitur de Electione status. *n.* 92. & *seq.*

§. II. Quomodo cum Scrupulosis. *n.* 95. & *seq.*

§. III. Quomodo cum Devotis. *n.* 99. 100. & 101.

§. IV. Quomodo cum Mutis, & Surdis. *n.* 102. & 103.

§. V. Quomodo cum Moribundis. *n.* 105. *ad* 107.

§. VI. Quomodo cum capite Damnatis. *n.* 108. Et specialiter cum Damnatis obstinatis. *n.* 109.

§. VII. Quomodo cum iis, qui a Dæmonibus infestantur; aut cum ipsis carnale commercium habent, *n.* 110. *ad* 118.

CAP. VIII. De Prudentia Confessarii, & I. Circa electionem opinionum. *n.* 114. & 115. II. Circa correctionem errorum ab ipso Confessario commissorum in administratione Sacramenti. *n.* 116. III. Circa custodiam Sigilli Sacramentalis. *n.* 117. & 118. IV. In excipiendis Mulierum Confessionibus, & de modo agendi cum eisdem. *n.* 119. & 120.

CAP. IX. Quomodo se gerere debeat Confessarius in directione Personarum spiritualium. *n.* 121.

§. I. Circa Oratioem Meditationis *n.* 122. & *seq.*

§. II. Circa Orationem Contemplationis. *n.* 126. Et hic agitur de naturali animi Recollectione, sive de Otio Contemplativo. *n.* 127. De Ariditate supernaturali, distinguendo sensibilem a substantiali. *n.* 127. *ad* 131. De Contemplatione Affirmativa, & Negativa, *n.* 132. De Recollectione supernaturali. 133. De Oratione Quietis. *n.* 134. De Caligine. *n.* 135. *n.* 136. De Unione Activa, & Passiva. De Desponsatione spirituali, & de Extasi, Raptu, & Spiritus Volatu. *n.* 137. De Matrimonio Spirituali. *n.* 138. De Visionibus. *n.* 139. & 140. De Locutionibus. *n.* 141. De Revelationibus. *n.* 142. Directio circa omnia enunciata dona supernaturalia. *n.* 143. & 144.

§. III. Circa Mortificationem. *n.* 145. & *seq.*

§. IV. Circa frequentiam Sacramentorum, & præsertim Eucharistiæ. *n.* 148. & *seq.*

§. V. Directio Animæ quæ cupiat dirigi per tramitem perfectionis. *n.* 156. & *seq.*

CAP. X. De quibusdam Monitis, magis notatu dignis, ad Confessarios, & Parochos cum Praxi docendi Orationem Mentalem.

§. I. Monita ad Confessarios. *n.* 172. & *seq.*

§. II. Monita ad Parochos. *n.* 195. & *seq.*

§. III. Praxis Orationis Mentalis. *n.* 217. & *seq.*

CAP. ULTIMUM. Brevis Praxis assistendi infirmis. *n.* 227. & 228.

§. I. Monita ad Sacerdotem assistentem. *n.* 229. & *seq.*

§. II. Remedia contra tentationes. *n.* 237. & *seq.*

§. III. Motiva & Affectus pii Infirmis suggerendi. *n.* 254. & *seq.*

§. IV. Monita circa extrema Sacramenta; & I. Circa Confessionem *n.* 264. II. Circa Communionem. *n.* 265. & *seq.* III. Circa Extremam Unctionem. *n.* 273. & *seq.*

§. V. Monita respectu ad Agoniam, & Mortem. *n.* 276. & 277.

§. VI. Affectus suggerendi tempore Agoniæ, & Spirationis. *n.* 278. & 279.

§. VII. Indicia proximæ mortis. *n.* 280. & *seq.*

§. VIII. & Ultimus. Preces, Actus Christiani, & Formulæ plurium Benedictionum.

Preces & Actus. *n.* 284. 285. & 286.

Benedictio in Articulo Mortis. *n.* 287. & *seq.*

Benedictio Scapularis S. Mariæ de Monte Carmelo. *n.* 290.

Benedictio Scapularis S. Mariæ septem Dolorum. *n.* 291.

Benedictio Scapularis Conceptionis Immaculatæ Dei Matris. *n.* 292.

APPENDIX. Examen Ordinandorum concinnatum ex dictis in Opere.

INTRODUCTIO

I. Magna utique erit merces, qua in æternitate compensabuntur boni Confessarii, & de sua prædestinatione ita securi sunt ii qui se ad Animarum salutem occupant, ut Jacobus Apostolus (*Epist. c.* 5. *v.* 20.) perspicue hoc testetur his verbis: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus* (nempe ejus qui converti fecerit, & ut loquitur textus græcus, *Animam suam*) *a morte, & operiet multitudinem peccatorum*. Sed luget atque lamentatur Ecclesia, videns tot filios suos propter malorum Confessariorum sive imperitiam, sive incuriam, sive impietatem ad gehennam destinari; etenim ex illorum bono aut malo regimine potissimum Populi pernicies, aut salus pendet. Habeantur idonei Confessarii (dixit S. Pius V.), ecce omnium Christianorum omnimoda reformatio. Non enim est dubitandum, quin, si omnes Confessarii ea pollerent scientia, & morum bonitate, quas tantum Ministerium exigit, nec Mundus ita peccatorum cœno deturpatus esset, nec Infernus tot baptizatorum Animabus repleretur. Et cum *bonitatem* dico, non hic intelligo illam solam habitualem, quæ simplicem Gratiæ statum, sed positivam bonitatem, quæ Ministrum Pœnitentiæ decet, cui tamquam nutrici duplex alimentum opus est, unum ad sui, alterum ad prolis sustentationem; Quoniam cum Confessarius aliorum Conscientias dirigere debeat, maxime ei cavendum erit, ne nimia indulgentia, aut immoderato rigore erret. Debet enim tot peccatorum ulcera tractare, quin se deturpet: cum Mulieribus & Adolescentibus sæpe versari,

ri, eorum Confessiones de iis rebus, de quibus magnopere erubescunt, excipiendo, quin sibi aliquid damni evenisse sentiat: Cum personis præclaris, abscisso omnium humanarum rerum respectu, magna fortitudine armari. Et, ut omnia unico verbo complectar, debet esse in charitate dives, in mansuetudine mellifluus, in prudentia gravis. Qua de re, ut hæ omnes partes, ut par est, adimpleantur, non vulgari opus est bonitate, quam certe nunquam assequetur ille, cui oratio non est perſamiliaris, nec meditatio est quotidiana; etenim alia via lucem, & gratias huic tanto muneri (etiam ipsis Angelicis humeris, ut dici solet, formidando) necessarias obtinere nemo potest. Sed deveniamus ad nostri laboris institutum, nempe ad praxim Confessiones excipiendi, de qua dumtaxat hic fiet sermo. In hac Praxi multas delibabo doctrinas ad ipsammet spectantes, sed ne repetam in ea quæ in Opere morali fusius descripsi, hic tantum (per interjectas literas indicantes) adnotabo loca Operis; ad quæ lectorem remittam, ut copiosius doctrinas rationibus, & auctoritatibus confirmatas, perlegat.

CAPITULUM PRIMUM

DE OFFICIIS CONFESSARII

2. Quatuor sunt Officia, quæ bonus Confessarius exercere debet, Patris nempe, Medici, Doctoris, & Judicis. In hoc Capitulo de quolibet istorum sigillatim sermo erit.

§. I. *Circa Officium Patris.*

3. Confessarius, ut boni Patris partes adimpleat, debet charitate esse plenus. Et primo charitatem adhibere debet in benigne excipiendo omnes sive pauperes, sive rudes, sive peccatores sint. Nonnulli tempus solummodo insumunt in audiendis Confessionibus aliquorum devotorum, aut personarum spectabilium, quia, ut has a se repellant, non est eis tantus animus; Si tamen ad se aliquis miserabilis peccator accedat, ægre auditur, & conviciis oneratus arcetur; Unde fit, ut ille miser, qui postquam sibi maximam vim intulerit, quo ad sua peccata confitenda veniret, se tam aspere acceptum sentiens, odium in Pœnitentiæ Sacramentum concipiat, & desperans se posse invenire, qui sibi opituletur, & se absolvat a peccatis, in perditæ vitæ lubricum laxis habenis præceps ruat, & in salutis desperationem incidat. Secus boni Confessarii agunt; cum ad se hujusmodi peccatores confluunt, benigne hos excipiunt, & (*quasi victor capta preda*) exultant, perpendentes sibi sortem contigisse, Animam de manibus Dæmonis eripere. Sciunt hoc Sacramentum proprie non pro justis fuisse constitutum, sed pro peccatoribus; etiam enim veniales culpæ, ut remittantur, non indigent Sacramentali Absolutione; cum multis aliis modis deleri possint. Sciunt quoque Christum protestatum fuisse his verbis: *Non veni vocare justos, sed peccatores. Marc. 2. 17.* Propterea Confessarius charitatis viscera induens, quo magis Animas peccatorum multitudine & atrocitate coinquinatas reperiat, eo magis, ut Deo ipsas lucrifaciat, majore charitate eas amplectatur, eisque animum præbeat his aut similibus verbis. *Eja frater bono animo esto, noli timere; peccata tua impavide confitere. Aperi omnia confidenter, nullius te pudeat. Nihil refert, si in omnes tuæ conscientiæ sinus non introspexeris: sufficit si ad interrogata respondeas. Age Deo gratias qui te hucusque ad pœnitentiam exspectavit. Nunc tibi mutanda est vita. Lætare, quia Deus certe omnia peccata, quantumvis ingentia, tibi remittit, si bonam habes voluntatem; Ideoque te exspectavit, ut tibi parceret. Igitur hilari animo dic omnia, nihil involucris tegas.*

4. Charitatem deinde longe majorem ostendere debet in Confessionem excipiendo. Caveat ne se impatientem, aut tædio affectum exhibeat; nec ostendat admiratione percelli de peccatis quæ narrantur; modo Pœnitens non sit ita animo durus, aut petulans, ut plura & atrociora peccata sine ullo rubore, & sine ulla displicentia animique sensu exponeret, quia tunc opus habet pro viribus efficere, ut a Pœnitente quanta sit illorum deformitas, & magnitudo percipiatur; ideoque tunc acrior requiritur correctio, ut ipse a lethali lethargo expergefiat. Verum quidem est, quod (ut dicunt Doctores) in actu Confessionis abstinere debent Confessarii a correctione facienda, ne forte exterriti Pœnitentes peccata reticeant; nihilominus hoc intelligitur regulariter loquendo, ceterum multoties expedit ad ulteriora non procedere, & statim Pœnitentem corripere, præcipue cum confitetur peccatum valde enorme, aut si ipse fuerit in aliquo vitio habituatus, ut peccati gravitatem comprehendat. Advertat tamen, ne eum exasperet, nec perterreat. Quapropter postquam eum, quantum opus fuerit, corripuerit, statim ei animum faciat ad reliqua peccata confitenda, dicens: *Eja frater, vis te ab hoc vitio resipiscere? Non ita est? Et quoniam hoc facere es paratus, esto animo hilari. Itaque enarra reliqua peccata, nihil reticens. Cave, quæso, ne sis aliquod sacrilegium commissurus; Hoc enim esset maximum omnium peccatorum, quæ hucusque commisisti. Igitur dic omnia animo forti, vince teipsum: Confitere omnia sincere: Deus enim paratus est tibi parcere.*

5. Deinde in fine Confessionis oportet, ut Confessarius vehementiori ardore ac studio incumbat, ut Pœnitenti percipere faciat gravitatem, & multitudinem ejus peccatorum, ac miserum damnationis statum in quo reperitur; sed hoc semper maxima cum charitate fiat. Verum tamen est congruentius tunc verbis gravioribus uti, ut sic melius ad bonam mentis frugem redire possit; nihilominus efficere debet, ut Pœnitens intelligat hoc, quod ei dicitur, non ab animo irato, sed ex singulari amore & commiseratione erga suam Animam procedere. Quod poterit hoc modo exprimi: *Fili mi, considerasne vitam damnati, quam duxisti? Percipisne malum, quod operatus es? Quid tibi mali fecit unquam Deus tuus, quem tu ita perdite contempsisti? Si Jesu Christo nullus tam fuisset tibi inimicior, potuisses cum illo te gerere pejorem? Sed quæso, animadverte quis sit hic Jesus. Hic est ille qui cum esset Deus, nullius egens, factus est homo propter te; voluit mori in Cruce, ut te de Inferno redimeret. Ah fili, si interim mortuus esses, si in hac nocte, quo iturus fuisses? ubi nunc esses? esses in æterno igne Inferni. Quid de te factum erit, si vitam hactenus ductam pergas in posterum vivere? Poteris sic salvari? Expergiscere, et vide, quod nisi mores in melius mutes, jam es damnatus. Quid boni ex tot peccatis tibi collegisti? Non consideras, quod duplicem infernum tibi paras, unum hic angoris et miseriæ, alterum illic pœnarum? Age Fili, averte a malo, desine peccare, et te totum in Dei brachia, quæ ad te suscipiendum sunt extensa, committe: sufficit quantum ei peccasti. Ego totis viribus, et toto corde te adjuvare volo, veni ad me semper ac tibi lubet, quoniam invenies Patrem, qui te benigne suscipiet. En firmiter nunc statue te sanctum velle effici. Per te stat; Deus enim semper paratus est, et ad hoc tibi hoc tempus impertitus est, ut aver-*

tas

tas a malo, et facias bonum. Oh quam bonum est amicum habere Deum! etc. (S. Franciscus Salesius, ut Deo alliceret peccatores, potissimum curabat, ut ipsi cognoscerent pacem qua fruuntur illi qui Deo adhærent, & vitam infelicem quam ducit qui a Deo alienus est.) Postea adjuvabit eum ad doloris actum efformandum, & si dispositus est, eum absolvat; & remedia salutaria, quibus possit se a peccatis servare, suggerat, atque ei pœnitentiam imponat (sed de his in §. sequenti agetur). Si autem fuerit absolutionis incapax, aut expediens videbitur differendam esse absolutionem, assignet ei diem in quo regredi debeat, dicendo ei sic; *Eja Frater tali die te exspecto, ne prætermittas ad me redire; animo forti magnoque sis, ut tibi dixi; commeda te quotidie Beatæ Virgini, et veni ad me. Si forte tunc invenies me aliorum Confessiones excipientem, accede, te enim ante alios audiam: Si alibi ero, fac ut me arcessant, omnia deseram, ut tu confitearis.* Et sic dulcibus verbis a se dimittat. Hæc est via qua peccatores salvi fieri possunt, nempe cum eis agere quanta maxime fieri potest charitate; alioquin, si ipsi in Confessarium incident, qui cum eis inclementer agat, a Confessione horrebunt, confiteri negligent, & effrænate in perditionem ibunt.

§. II. *Circa Medici Officium.*

6. Confessario, ut sui Pœnitentis infirmitatibus remediis opportunis occurrat, cognoscenda est origo, & causa omnium spiritualium ejus morborum. Nonnulli Confessarii, præter species & numerum peccatorum, nihil aliud inquirunt. Si pœnitentem dispositum vident, statim eum absolvunt: sin minus: quin unum verbum impendant, illico dimittunt, oculo retorto dicentes: *Discede a me, quia te absolvere non possum.* Aliter procedunt boni Confessarii; hi enim prius investigare incipiunt morbi originem & gravitatem, interrogando de peccandi consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis cum quibus, quo rerum concursu? Sic enim melius poterunt Pœnitentes corripere, eos ad Absolutionem disponere, & remedia salutaria adjungere.

7. His interrogationibus adhibitis, & cognita morbi origine ac gravitate, Confessarius procedat ad debitas animadversiones faciendas. Et quamvis ipse tanquam Pater debeat charitate Pœnitentes auscultare, tamen ut Medicus tenetur (quantum opus est) eos monere & corrigere, eos præsertim qui multis mortalibus gravati, ad Pœnitentiæ Sacramentum raro accedunt. Et hoc munus etiam adimplere debet, si Pœnitens aliqua illustri qualitate fulgeat, nimirum si fuerit Magistratus, Princeps, Sacerdos, Parochus, aut Prælatus, si de aliquo sui muneris sine nimio animi sensu se accusaret. Ait Summus Pontifex Benedictus XIV. (*Bulla*, Apostolica. §. 12.) Confessarii admonitiones Concionibus ipsis esse efficaciores; & jure merito, quia Concionatorem latent circumstantiæ particulares, quæ Confessario aperte innotescunt, ideoque multo melius poterit debitas adhibere animadversiones, & remedia quæ morbis expediunt applicare. Nec Confessarius tunc debet attendere alios Pœnitentes qui ipsum circumstant, nam, ut ajebat S. Franciscus Xaverius (*Tursell. in Vita l.* 6. *c.* 17.), melius est paucorum Confessiones rite factas audire, quam multorum inordinatas, & sine fructu. Hic animadvertere oportet, quam perperam agunt illi Confessarii, qui si Pœnitentem indispositum nanciscuntur, ne cum illo aliquid insumant temporis, statim a se eum abire jubent. Sciant propterea istiusmodi Confessarii, validis niti rationibus sententiam illorum Doctorum (*Tom. II. l.* 6. *n.* 608. *v. Hic Adverte*), qui volunt pro viribus teneri Confessarium Pœnitentem, licet accedat indispositus, ad Absolutionem disponere; consideranda ei proponendo v. gr. injuriam maximam, qua Deum suis sceleribus afficit, periculum imminens ejus damnationis &c. Et parum refert quod alii exspectent, aut inconfessi discedant; Confessarius enim de hoc tantum qui sibi nunc confitetur, non vero de aliis in die Judicii rationem reddere debet.

8. Et ita etiam Confessarius tenetur admonere Pœnitentem de aliqua illius ignorantia culpabili, sive hæc sit juris naturalis, sive positivi. Quod si Pœnitens teneretur ignorantia inculpabili; tunc si ea esset circa media scitu necessaria ad salutem, debet Confessarius ab hac ignorantia eum removere; si erit circa alia, de quibus potest dari ignorantia invincibilis, licet sit juris divini, & prudenter Confessarius existimet admonitionem non fore profuturam pœnitenti, tunc abstinendum ab admonitione erit, & pœnitens relinquendus in sua bona fide. Et in hoc conveniunt Doctores rigidioris sententiæ; ratio est, quia magis cavendum est a periculo peccati formalis, quam materialis, quia Deus tantum formale punit; siquidem hoc solummodo in sui offensam habet; hoc fuse probatum est in Opere Morali (*ibid. n.* 610.) cum communi DD. paucis exceptis. Qua de re hic etiam cum communi (*ibid. n.* 611.) infertur, quod si quis Matrimonium contraxisset invalidum propter aliquod occultum impedimentum, & in bona fide maneret, & contra periculum subesset infamiæ, scandali, aut incontinentiæ, si manifestaretur Matrimonii nullitas, tunc Confessarius debet eum in sua bona fide relinquere, donec dispensationem a sacra Pœnitentiaria illi obtinuerit (excipe tamen, si dispensatio statim, & facile obtineri possit). Et in hoc casu, nempe cum in bona fide vivitur, si forte pœnitens se accusaret negasse debitum conjugale sine justa causa, dicunt Doctores (*Ibid.*) Confessarium debere pariter ad hoc illum obligare, dicendo in generali, quod conjuges tenentur sub gravi invicem debitum reddere. Quomodo autem se gerere debeat Confessarius cum Sponsis, qui jam jam contracturi sunt Matrimonium nullum, & timor prudens esset peccati formalis, aut scandali, si manifestetur ejus nullitas? Observentur resolutiones in Opere scriptæ (*ibid. num.* 612.), ubi fuse probatum est communem esse, & tutam sententiam posse Episcopum dispensare in impedimento dirimenti, stante illa urgenti necessitate. Et si aditus ad Episcopum etiam esset difficilis, & nullo modo posset evitari gravissimum periculum infamiæ aut scandali, retulimus (*Ibid. num.* 613.) sententiam Auctoris (*Instruct. pro novis Confess. p.* 2. *num.* 52. *ex Ronc. Surd. et Pignat. tom.* 3. *consult.* 33. *num.* 5.) qui ait non improbabile esse, imo tutum in praxi posse Parochum, vel alium Confessarium declarare, quod lex impedimenti tunc non obliget, atque cesset, utpote potius nociva, quam utilis. Sed observa quæ loco citato fusius ibi dicuntur. Ita pariter omittenda esset correctio de restitutione facienda, si certe prævideatur futurum fore, ut pœnitens,

qui

qui nunc esset in bona fide, non pareat monitioni.

9. Nihilominus excipiendi sint sequentes casus. I. Si ex ipsa ignorantia redundandum esset damnum contra bonum commune (*lib.* 6. *n.* 615.), quia tunc Confessarius, cum ipse constitutus sit minister in bonum Reipublicæ, tenetur præferre bonum publicum bono privato pœnitentis, licet prævideat correctionem huic non esse profuturam. Qua de re omnino admonendi sunt Principes, Prætores, Confessarii, Parochi, & Prælati, qui proprio officio desunt; quia horum ignorantia, etiam invincibilis, semper damno erit Communitati, dum facili negotio alii putare possunt sibi licere quod vident a Superioribus factitari. Et, ut docet SS. Pontifex Ben. XIV. (*Bulla*, Apostolica. §. 20.), eodem modo se gerere debet Confessarius cum iis, qui frequentant Sacramenta, ne licitum judicetur ab aliis, quod impune ab his exerceri animadvertitur. Excipitur II. Si pœnitens interrogasset, quia tunc Confessarius teneretur pandere veritatem (*l.* 6. *n.* 616.); in eo enim casu ignorantia non esset omnino invincibilis, prout requiritur ad hoc, ut omitti possit admonitio. Excipitur III. Si brevi esset pœnitens admonitioni assensurus, licet in principio non acquiescat (*Ibid. v. Excipiendum III.*). Quid autem faciendum sit in dubio, an correctio sit profutura, an nocitura? Vide in Opere (*Ibid. v. Utrum autem*).

10. Post debitas correctiones, sive monitiones, præstat, ut laboretur ad disponendum pœnitentem ad absolutionem per actus veri doloris, & propositi; quocirca monitos esse volo Confessarios, perpaucos esse illos pœnitentes, præsertim rudes, qui præposito actu doloris ad confitendum accedant. Nonnulli Confessarii putant satis suo muneri fecisse, si duntaxat hujusmodi pœnitentes sequenti modo interrogent: *Eja postulas ne a Deo veniam de omnibus his* (quod revera non est verus actus doloris): *Te pœnitet ex corde omnium peccatorum?* Et nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiuntur. Totum ab hoc aliud est bonorum Confessariorum institutum, hi enim in primis elaborant, ut pœnitentes (sermo est de iis qui lethalibus tenentur) verum dolorem & detestationem peccatorum concipiant. Et prius per attritionis actum eos præparant, v. gr. *Fili mi*, ubi nunc esse deberes in *æternum? In Inferno? Ah in illo igne semper cruciandus esses! Nec tibi ulla spes amplius restaret, ut te illinc eripere posses! Ibi esses moraturus ab omnibus derelictus, a Deo rejectus per totam æternitatem! Igitur te pœnitet Deum offendisse*, propter *infernum quem meruisti?* Advertendum hic est non fieri actum attritionis si quis diceret, se pœnitere peccati commissi, quia meruit infernum, sed opus habet, ut dicat se pœnitere offendisse Deum, propter quod meruit infernum. Postea curet, ut eliciatur actus Contritionis hoc modo: *Fili mi, quod egisti? peccasti in Deum summum et infinitum bonum: nullam illius rationem habuisti. Advertisti faciem tuam ab eo: projecisti eum post tergum tuum: contempsisti amicitiam, et gratiam ejus. Eja ergo, quia offendisti Deum bonitatem infinitam, nunc ex toto corde te pœnitet? Detestare et odio habe super omnia mala omnes injurias, quibus immerito Deum tam bonum affecisti. Nonne jam promptus es millies mori, quam hæc in posterum committere?* Notandum hic 1. quod si pœnitens, obtenta absolutione, etsi immediate post confiteatur aliud peccatum, ut denuo absolvatur, ei novus actus doloris eliciendus est, cum tunc novum fiat judicium (*l.* 6. *n.* 448.) Notandum 2. esse probabile apud plures Doctores (*Num.* 445.), ad hoc, ut Confessio sit Sacramentalis, debere novo dolore informari: quare, cum aliquis confitetur, quin prius actus doloris præcesserit, non sufficit (cum agatur de valore Sacramenti) si terminata Confessione eliciatur dolor, sed requiri amplius, ut post dolorem elicitum replicetur Confessio, saltem dicendo: *me accuso de omnibus iis quæ modo confessus sum.*

11. Demum incumbendum est Confessario, ut applicet ea remedia, quæ opportuniora judicabit pro salute pœnitentis, imponendo ei eas satisfactiones quæ magis convenient ejus morbo, & eas quas prudenter judicabit illum fore executurum. Advertatur hoc, quod licet satisfactiones, debeant respondere culpæ juxta Tridentinum (*Sess.* 14. *c.* 8.), quod declarat participes alienorum peccatorum eos Confessarios, *qui levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungunt;* nihilominus justis de causis potest Confessarius minuere pœnitentias, si nempe pœnitens compunctione vehementi affectus sit, aut si Jubilæi, aut Indulgentiæ plenariæ curreret tempus, & præsertim si infirmitate aliqua, sive corporis, sive animæ, laboraret. Et denique (ut paucis me expediam) semper & quando prudens timor exoritur, quod ipse correspondentem culpæ satisfactionem non sit adimpleturus. Ita communiter docent Doctores cum S. Th. (*lib.* 6. *n.* 509.). Non neganus in Tridentino (*Sess.* 14. *c.* 8.) haberi, injungendas esse satisfactiones pro modo culpæ; sed scimus etiam ibidem subjungi eas debere esse *pro pœnitentium facultate salutares, et convenientes. Salutares* nimirum saluti pœnitentium utiles: & *convenientes*, correspondentes nempe, non solum culpæ, sed etiam viribus pœnitentis. Unde fit non esse salutares, nec convenientes eas, quibus vires pœnitentis, spectata spiritus debilitate, non sunt pares; tunc enim illis essent venenum potius, quam remedium. Et in hoc Sacramento potius intenditur vitæ moderatio, quam omnimoda satisfactio; idemque Rituale Rom. (*De Sacr. Pœnit.*) ait a Confessario habendam esse pœnitentis rationem. S. Thomas (*Supplem. q.* 28. *art.* 4.) dicit: *Sicut medicus non dat medicinam ita efficacem, ut propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur; ita Sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam; quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus desperet, et a pœnitentia totaliter recedat.* Et alibi (*Quodlib.* 3. *art.* 28.): *Sicut exiguus ignis extinguitur, si multa ligna superimponantur; ita accidere potest, quod parvus pœnitentis contritionis affectus pondere pœnitentiæ deficiat.* Et subjungit: *Melius est quod Sacerdos pœnitenti indicet quanta pœnitentia esset injungenda, et injungat nihilominus quod pœnitens tolerabiliter ferat.* Et alibi (*Opusc.* 64. §. 4.): *Tutius est imponere minorem debito, quam majorem, quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam per nimiam severitatem, quia talis defectus in Purgatorio supplebitur.* Et idem docent *Gerson, Cajetanus* & præcipue *S. Anton.*, qui (*Vide in l.* 6. *n.* 509. *et* 510.) ait eam pœnitentiam injungendam esse, quam judicatur pœnitens postea verosimili-

liter executurus esse, & quam lubens acceptaturus. Et si pœnitens protestetur sibi tantas vires non esse, ut debitam persolvat pœnitentiam, sic S. Archiepiscopus concludit: *Tunc quantumcumque deliquerit, non debet dimitti sine absolutione, ne desperet.* Cum sufficiat tunc (idem ait) imponere generalem pœnitentiam, nempe totum quod boni egerit, usurpando eadem verba Ritualis: *Quiquid boni egeris etc.* quæ opera injuncta in Sacramento ut docet Angelicus (*Quodlib.* 3. *art.* 28.) virtute ejusdem Sacramenti, majoris erunt valoris ad satisfaciendum pro peccatis. Item addunt probabiliter Doctores multi (*Lib.* 6. *n.* 510. *v. Idem*) justam esse causam diminuendi pœnitentiam, si judicetur pœnitens hoc modo magis allici ad Sacramentum. Oh quanti valet sapiens illud consilium S. Thomæ de Villanova (*Serm. fer.* 6. *post Dom.* Lætare): *Facilem unam injunxeris, acriorem consulueris.* Expedit quoque, ut pœnitens cognoscat pœnitentiam, quam mereretur; propterea potest valde prodesse, si indicentur pœnitentiæ Canonum Pœnitentialium (quarum in Libro notabiliores adnotantur *Lib.* 6. *num.* 539.). Juvabit pariter (ut dicit Sanct. Thom. de Villan.) suadere graviorem; postea vero imponere eam quam prudenter judicabit a pœnitente adimplendam. Insinuat S. Franciscus Salesius (*Instruct. Conf. c.* 8.), & idem confirmat Rituale Parisiense (*Lib.* 6. *n.* 509. *circa finem.*) prodesse idcirco pœnitentem interrogare, si sibi ad illam pœnitentiam sufficientes sint vires, alioquin in aliam commutabitur. Juvabit quoque aliquando, inter opera satisfactoria injuncta imponere aliquam satisfactionem gravem, sed non sub gravi culpa (*Lib.* 6. *n.* 518. *Dub.* 3.), aut aliud opus aliunde præceptum, aut debitum (*Num.* 53. *Dub.* 5.)

12. Ex hoc quod dictum est colligitur, quam imprudenter operari quosdam Confessarios, qui pœnitentibus imponunt satisfactiones eorum viribus impares. Quot istorum non dubitant absolvere recidivos indispositos, & eos pariter qui in proxima occasione peccandi versantur, & insipienter putant eos recuperare, si gravibus pœnitentiis a se oneratos dimittunt, licet prævideant illas non fore executuros; v. gr. injungunt illi, qui vix semel in anno dudum confessus est, ut octavo quovis die per annum confiteatur; quindecim decades Rosarii quodlibet die recitandas illi, qui, ne solitus quidem fuit quinque in hebdomada recitare: disciplinas, orationem mentalem illi, qui nec nomen unquam audivit. Et quid hinc eveniet? Eveniet quod licet inviti acceptent quod imponitur, ut absolutionem aucupentur, nihilominus postea nihil harum executioni demandant; & credendo iterum esse in peccatum delapsos, quinimo putando (præcipue rudes) nullius momenti fuisse Confessionem factam, quia pœnitentiæ impositæ non satisfecerunt, propterea ad pristinum perdite vivendi modum redeunt: & perterriti ob pœnitentiæ impositæ pondus, a Confessione horrent, & ita pergunt in peccatis tabescere. Et hic est fructus qui in perniciem tot miserorum colligitur ex hujusmodi satisfactionibus, quas convenientes vocant, sed melius dicendæ forent inconvenientissimæ.

13. Cæterum extra casum infirmitatis, & compunctionis extraordinariæ, non bene ageret Confessarius, si pro culpis gravibus adjungeret levem satisfactionem, quæ inducat levem obligationem; etenim, licet (cum expedit) possit adjungi opus, quod habita ratione peccatorum sit leve, attamen semper debet imponi satisfactio gravis quæ obliget sub gravi. Et hic oportet adnotare aliqua pertinentia ad praxim circa pœnitentias imponendas. Notandum I. Cum pœnitens oblitus fuerit pœnitentiæ, communis est sententia (*Lib.* 6. *n.* 520.) ad nihilum amplius eum teneri, nisi facile esset sibi, ut posset a Confessario qui eam imposuit cognoscere. II. Non potest imponi pro occultis peccatis publica satisfactio; tenetur autem Confessarius has imponere, si alia via non possit occurri scandalo dato, vel honori alicujus palam detracto, sed non est adstringendus pœnitens ad publicam pœnitentiam faciendam, si ipse renuit, & alio modo possit scandalum reparare, nimirum Sacramenta frequentando, Ecclesias visitando, ad aliquam Congregationem se aggregando, &c. (*Num.* 512.) III. Aliquando potest imponi aliqua pœnitentia sub conditione, si pœnitens reinciderit (*Num.* 524.). Sed animadvertendum hujusmodi pœnitentias forte multoties felicem non habere exitum, præcipue si per longum tempus duraturæ erunt; quia faciliter postea in relapsu negliguntur, & peccata multiplicantur. IV. Si unquam pœnitens sibi mutari pœnitentiam ab alio Confessario impositam petierit; volunt multi Doctores ei repetendam fore totam Confessionem huic Confessario, saltem in confuso, ut status suæ conscientiæ huic notitiam præbeat. Sed multi alii etiam probabiliter dicunt (*Num.* 529. *Dub.* 1.), hoc non esse necessarium, cum sufficiat, quod Confessarius judicium faciat, ad hoc, ut mutet pœnitentiam, esse insufficientes pœnitentis vires illi oneri ferendo; cum contra possit ex ipsamet pœnitentia imposita arguere materiam peccatorum, pro quibus illa injuncta erat, & ita se dirigere potest, aut in mutando, aut diminuendo. Et probabiliter potest id Confessarius (*Ibid. in fin.*) ex se efficere, cum prævidet, quod pœnitens, verosimiliter pœnitentiam, ut antea, negligere perget. Attamen Confessario inferiori non est permissum immutare pœnitentiam impositam a Superiore pro reservatis; extra casum quo pœnitens difficulter posset regredi ad Superiorem, & contra gravis causa urgeret, ut pœnitentia mutetur, quia tunc rationabiliter præsumitur Superioris conniventia (*Dicto n.* 529. *Dub.* 2.). V. Non potest mutari pœnitentia extra Confessionem, ne ab ipso quidem Confessario; tantum potest hoc fieri ab illo immediate post datam Absolutionem, & antequam pœnitens a Confessionali discedat (*Dicto n.* 529. *Dub.* 3.)

14. Circa satisfactiones in particulari imponendas, advertendum, satisfactionem non solum debere esse medicinalem, sed etiam culpis præteritis satisfactoriam. Regula harum requirit ut imponantur opera carnem coercentia pro peccatis sensualibus, eleemosynas pro peccatis avaritiæ, orationem pro blasphemiis, &c. Sed considerandum quid magis expediat, aut magis utile sit pœnitenti. Quamvis autem maxime utile sit imponere Sacramentorum frequentationem, orationem mentalem, & eleemosynas, nihilominus praxis habet has reddi damnosas iis, qui aut nihil aut parum habuerunt horum usum. Satisfactiones utiles generatim pro omnibus hæ solent esse, nimirum aggregari ad aliquam Congregationem: quolibet vesperi (saltem ad tempus) actum doloris elicere,

& quolibet mane propositum renovare, dicendo cum S. Philippo Nerio: *Domine, ne auferas hodie manus tuas a me, ne tui proditor efficiar:* Visitare quotidie sanctissimum Sacramentum, & Imaginem quoque Mariæ sanctissimæ, ab eis perseverantiæ gratiam postulando: Rosarii saltem tertiam partem, & ter salutationem Angelicam mane & vesperi, dicendo: *Mater mea, adjuva me hodie, ne Deo peccem.* (Hanc tamen pœnitentiam ter recitandi salutationem Angelicam cum prædicta supplicatione ego plerumque solitus fui injungere, aut saltem consulere iis, qui ea uti non solerent). Cum cubitum iverint, dicere in lecto: *Nunc mihi morandum fuisset in Inferni igne*, aut dicere: *Veniet dies, quo mihi in hoc lecto moriendum erit.* Iis qui legere sciunt & potissimum Ecclesiasticis, quotidie legere aliquem librum de rebus spiritualibus agentem. Monet autem S. Franciscus Salesius (*Instruct. Conf. c.* 8.) non esse gravandum pœnitentem multis rebus, ne confundatur & terrefiat.

15. Sermonem autem facturus de remediis, quæ insinuari debent pœnitentibus, dico, alia esse generalia, alia particularia pro aliquo vitio particulari. Generalia omnibus insinuanda, sunt 1. amor erga Deum, cum ipse ad hunc solum finem nos creaverit. Et curetur pariter, ut pœnitens cognoscat pacem interiorem qua donantur, qui Dei amicitia fruuntur, & Infernum quem ante tempus experiuntur, qui alieni sunt a Deo; addita pernicie temporali, quam secum trahit peccatum. 2. Sæpe se commendare Beatæ Virgini, Rosarium recitando, se commendare Angelo Custodi, & alicui Sancto peculiari protectori. 3. Frequentia Sacramentorum, & si unquam in aliquod peccatum mortale inciderit, statim se confiteri. 4. Veritatum æternarum consideratio, & præ cæteris consideratio mortis: & patribus familias insinuanda est quotidiana mentalis oratio in communi cum familia, aut saltem Rosarium una cum filiis. 5. Dei præsentia, cum urget tentatio, dicendo: *Deus me videt.* 6. Quolibet vesperi conscientiam scrutari, cum animi dolore, & proposito. 7. Secularibus, ut in aliqua congregatione se adscribant, & Sacerdotibus oratio mentalis, & gratiarum actiones post Missam. Et ut perlegant saltem aliquem libellum spiritualem ante & post Missam.

16. Remedia autem particularia assignabuntur pro vitiorum diversitate, v. g. illi qui aliquo odio tenetur, insinuetur, ut quotidie commendet Deo illum, quem odit, recitando pro ipso orationem Dominicalem, & salutationem Angelicam; & cum se turbari sentit memoria injuriæ sibi illatæ, reminiscatur contumeliarum quibus ipse Deum affecit. Illi, qui in peccata turpia prolapsus est, ut otium vitet, malos socios, & occasiones aufugiat; & illi, qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, ut non solum vitet proximas occasiones, sed etiam quasdam remotas, quæ sibi tam debili ad resistendum factæ erunt proximæ. Huic præcipue imponatur, ne unquam intermittat recitare ter Salutationem Angelicam in honorem Puritatis Beatissimæ Virginis, mane & vesperi, repetendo semper coram ejus Imagine propositum non peccandi, & supplicationem, ut sibi perseverantiam impetret. Potissimum autem Confessarius curet, ut frequenter hic communicet, cum Eucharistia dicatur, *vinum germinans virgines*. Illi, qui solitus fuit blasphemias proferre, insinuetur, ut novies, vel quinquies lingua signet crucem super terram, & ut quotidie saltem semel dicat orationem Dominicalem, & salutationem Angelicam in honorem Sanctorum, in quos execratus fuit; & ut quolibet mane dum e cubitu surgit, renovet propositum patienter ferendi occasiones indignationis, & ter dicat B. Virgini quolibet mane: *Domina mea, dona mihi patientiam;* & id non solum inserviet, ut Maria sanctissima sibi opituletur, sed etiam ut in occasionibus reperiatur habitus factus dicendi eadem verba. Aut adsuescat dicendo: *Maledictum sit peccatum meum; maledictus sit Dæmon, &c.* Alia remedia assignabit Confessarius pro sua prudentia, inspectis circumstantiis occasionum, personarum, & munerum.

§. III. *Circa Officium Doctoris.*

17. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus* (*Malach.* 3. 7.). Confessario, ut Doctoris officio rite fungatur, opus est, ut bene sciat legem; qui enim eam ignorat, non potest alios docere. Sed hic advertendum est id quod scribit S. Gregorius, nempe officium dirigendi animas per viam salutis æternæ esse artem artium: *Ars artium regimen animarum.* Et S. Franciscus Salesius dicebat officium audiendi Confessiones esse omnium maximum, & difficillimum. Revera ita est. *Est omnium maximum*, quia est omnium scientiarum finis, qui nihil aliud esse debet quam salus æterna; estque omnium *difficillimum*, dum primo, Confessarii munus requirit omnium scientiarum, omnium officiorum, atque artium notitiam; secundo, quia scientia Theologiæ Moralis complectitur tot materias inter se diversas; tertio quia in magna parte constat ex tot legibus positivis, & Sacris Canonibus, quorum intelligentiam debet accipi secundum suam veram significationem; præterea quælibet harum legum redditur difficilis, cum ratione circumstantiarum, quæ casus dissimiles efficiunt, resolutiones variandæ sint. Quidam, qui eruditos, & Theologos magnæ notæ se jactant, Moralistas, quos *Casuistas* (nomen ignominiæ apud ipsos) appellant, dedignantur ne cursim quidem legere. Dicunt hi sufficere, ut Confessiones rite excipi possint, principia generalia moralis callere; illis enim posse resolvi (ajunt) omnes casus particulares. Quis negare potest, omnes casus particulares esse his principiis resolvendos; sed totum opus, & totus labor est in adaptando ad casus particulares tantis diversis circumstantiis irretitos, principia hujusmodi, utpote discernatur quodnam principiorum occurrentibus circumstantiis congruat, nequit id fieri sine magna discussione rationum, quæ pro utraque parte adsunt. Et hoc est illud, quod Moralistæ effecerunt, dum elaborarunt in explicando a quibus principiis multi casus particulares resolvi deberent. Præterea, hac nostra tempestate, ut dictum est, adsunt tot leges positivæ, tot Bullæ, tot decreta, quæ nequeunt sciri, nisi Casuistæ legantur, qui ea collegerunt, & prout materiarum varietas postulat, ibi opportune illa inveniuntur; ideoque, quo recentiores hi Moralistæ sunt, eo antiquis utiliores. Justa ratione motus auctor Instructionum pro novis Confessariis (*Part.* 1. 18.) affirmat, multos Theologos quanto profundio-

diores in scientiis speculativis, tanto rudiores in scientiis moralibus, quæ, ut scribit Gerson (*Tract. de Orat.*), omnium difficillimæ sunt, & nemo doctus, quantumvis sit in his versatissimus, est, cui in dies nova non accidant; ex quo infert, nunquam Confessario deserendum esse Theologiæ Moralis studium. Doctisssimus *Sporelli* (*De Episc. p. 3. c. 4.*) pariter dicit longe errare eos Confessarios, qui totos in Scholasticæ studio se applicant, æstimantes tempus in Morali frustra expendi: & postea nesciunt distinguere lepram a lepra; qui error (subjungit) Confessarios simul, & pœnitentes in æternam perditionem trahit.

18. Non negamus autem minorem scientiam exigi in audiendis Confessionibus simplicium, & rusticorum, quam Curialistarum, Negotiantium, Ecclesiasticorum, & similium. Minor item scientia requiritur, ut audiantur Confessiones in Oppido, quam in Civitate: & præcipue si alicubi sit tanta Confessariorum inopia, ut pœnitentes deberent aut per longum tempus a Confessione se abstinere, aut alio proficisci (*Ibid.*). Sed hoc non sufficit ad excusandos aliquos Confessarios, qui cursim, lecta aliqua brevi Summa morali, temere ad excipiendas Confessiones se intromittunt. Oportet saltem, ut Confessarius sciat I. ad quæ sua jurisdictio se extendat. Advertat hic quisque, Sacerdotes seculares, & regulares alterius Ordinis non posse audire Confessiones Religiosorum, sine licentia suorum Prælatorum; exceptis casibus, si iter agant, si alibi morentur, & socium non habeant, aut alium Sacerdotem idoneum ejusdem Religionis. Et tunc Religiosi possunt absolvi ab omni simplici Sacerdote, dum superiores tunc, dando licentiam his subditis, intendunt eam dare juxta consuetudinem, scilicet confitendi cuivis Sacerdoti idoneo (*Lib.* 6. *n.* 628.). Item quivis Confessarius scire debet casus, & Censuras reservatas, saltem eas in quas frequentius incurri solent, prout sunt Excommunicationes Papales quæ sunt in Bulla Cœnæ, hæresis externa, lectio aut retentio aut venditio librorum Hæreticorum, qui ex professo de Religione tractant, aut continent hæresim formalem: item quinque casus Papales Clementis VIII. qui sunt, percussio enormis, aut mediocris Clerici, vel Monachi, simonia realis, aut confidentialis, violatio Clausuræ Monialium ad malum finem, violatio immunitatis Ecclesiasticæ, & duellum; item excommunicationes a Pontifice Benedicto XIV. emanatæ in absolventes Complices in materia turpi (*Lib.* 6. *n.* 475.), & in eos qui docent posse a Confessario exquiri nomen complicis, etiam per absolutionis Sacramentalis negationem, si revelare excuset (*Num.* 553.); & aliæ excommunicationes obviæ, quæ observari possunt in tractatu de censuris. Sciat II. distinguere peccatum veniale a mortali, saltem in suo genere, quo communiter occurri solet; & de aliis saltem dubitare sciat. III. Siat interrogationes quas facere debet, circumstantias peccatorum saltem speciem mutantes: quid constituat occasionem proximam, qui inducat restitutionis obligationem; item qualis esse debeat dolor & propositum, & denique remedia ad emendationem efficaciora. Et ut brevius me expediam, affirmo in statu damnationis esse eum Confessarium, qui sine sufficienti scientia ad Confessiones excipiendas se exponit. Deus ipse his verbis eum reprobat: *Quoniam tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi* (*Lib.* 6. *n.* 491. *Oseæ c.* 4.). Nec excusabit eum Episcopi approbatio, si manifeste se noverit inhabilem: approbatio enim non infundit scientiam necessariam, sed supponit. Dico *Manifeste*, dum qui tantum dubitaret, bene potest, imo debet quiescere in sui Superioris judicio confisus, si saltem seduliori studio se habilem reddere satagat. At Nullus Confessarius intermittere debet Theologiæ moralis studium, quia ex tot rebus tam diversis, & inter se disparibus, quæ ad hanc scientiam pertinent, multa quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu e mente decidunt; qua de re oportet semper frequenti studio eas in memoriam revocare.

§. IV. *Circa Judicis Officium.*

19. Postremum Confessarii Officium est Judicis, & hoc importat, ut sicut Judex tenetur prius rationes cognoscere, inde causæ momenta discutere, & deinde sententiam proferre: ita Confessarius prius debet conscius fieri pœnitentis conscientiæ, postea ejus dispositionem inspicere, & postea absolutionem impertire, aut negare. Et quoad primum munus, quod est peccata pœnitentis cognoscere, quamvis debitum examinandi conscientiam sit præcipuum pœnitentis, nihilominus, quicquid alii Doctores (*Apud Lohner Instruct. pract. p.* 33.) dixerint, non est dubitandum, quin si Confessarius cognoverit pœnitentem non satis diligenter conscientiam suam discussisse, teneatur ipse eum interrogare, prius de peccatis in quæ verosimiliter incidere poterat, & postea de eorum specie, & numero, ut probatur ex *c. Omnis utriusque sexus, de Pœnit. & ex Rit. Rom.* (*Vide l.* 6. *n.* 607.).

20. Et hic multa animadvertenda sunt: I. perperam eos agere, qui rudes dimittunt, ut melius se examinent. Hoc *P. Segneri* (*Confess. Inst. c.* 2.) vocat errorem intollerabilem, & jure optimo; quia hujusmodi homines, quantum laborent, difficulter se examinabunt, ut par est, & ita exacte, sicut potest ipse Confessarius eos examinare; & contra, cum dimissi sunt, periculum erit, ut exterriti difficultate se examinandi, a confitendo retrahantur, & in peccatis obdurescant (*Ibid. v. Sed hæc: ad n. I.*); qua de re Confessarius debet ipse ex hujusmodi pœnitentibus peccata exquirere, eos interrogando secundum ordinem præceptorum, præcipue si sunt famuli, aurigæ, muliones, milites, satellites, caupones, & alii hujus generis, qui vitam solent ducere æternæ salutis negligentem, & rerum Divinarum ignorantes, procul a Concionibus, & Ecclesiis. Et hoc pejor error esset, si ob defectum examinis dimitteret aliquem rudem, qui antea propter ruborem aliquod peccatum reticuerit, quamvis repetendæ essent Confessiones multorum annorum, propter majus periculum quod tunc subest, nempe quod si non redeat, peribit (*Ibi ad n. III.*). Advertat nihilominus Confessarius se non teneri tam minute hos interrogare; interroget tantum de peccatis, in quæ faciliter incidere possunt, spectata eorum conditione, & capacitate; imo cum pœnitens, licet rudis, videatur sufficienter esse instructus, & diligens in confitendo peccata cum suis circumstantiis, juxta statum suum & capacitatem (alio enim modo tene-

netur se examinare doctus, & alio rudis), tunc Confessarius nihil aliud tenetur interrogare (*Ibi ad n. II.*). II. Notandum, melius esse si Confessarius sigillatim examinet peccata statim ac ea exponit pœnitens, quam ut differat examen usque ad finem; quia aut faciliter Confessarius obliviscitur eorum quæ audivit, aut obligandus esset pœnitens cum suo gravi onere ad repetenda confessa (*Ibid. n. IV.*). III. Errare eos Confessarios, qui volunt certum judicium facere de peccati qualitate, an sit grave, vel leve, exquirendo a rudibus istis si pro mortali habebant an pro veniali, hi enim multoties respondent, ut casus sibi verba suggerit; & hoc experientia testamur (ut ego millies observavi). Quod si Confessarius paulo post iterum interroget, respondent modo toto a primo diverso. IV. Advertendum circa numerum peccatorum, quorum pravo habitu aliqui tenentur, cum non possit haberi numerus certus, curet Confessarius statum pœnitentis cognoscere, nempe vivendi modum, applicationem quam impendit ad alia negotia, tempus consuetudinis cum complice, locum ubi potissimum moratus est; & deinde interroget de numero, interrogando pœnitentem, quoties circiter peccaverit in die, aut in hebdomada, aut mense? proponens ei plures numeros, ex. gr. ter aut quater, octies vel deciens, ut videat cui numero potius ille adhæret? Et si pœnitens numero majori adhæret, optimum factu erit, si iterum interrogetur de numero majori. Sed in hoc Confessarius advertat, ne formet de numero judicium certum; notet frequentiam in genere, & in confuso judicium faciat, apprehendo peccata quotquot sunt coram Deo. Aliqui Doctores dicunt, quod circa peccata interna habituatorum, ut sunt peccata odii, delectationum pravarum, & desideriorum, sufficit plerumque interrogare de tempore, per quod duravit malus habitus; sed hoc mihi omnino non satisfacit, quia potest esse quod aliquis magis sit intentus ad externa negotia, aut moretur ubi sic occurrent pauciores occasiones cogitationum pravarum; alius erit magis alia animi passione allectus: ideoque opus est interrogationes generales adhibere, de propria applicatione, de loco, de animi inclinatione, &c. ut formet judicium majoris, vel minoris frequentiæ actuum internorum. Cæterum post duas vel tres interrogationes, non debet angi Confessarius, si ei judicium, quod facit, videtur esse nimis confusum; nam ex conscientiis implicatis & confusis moraliter impossibile est, majorem claritatem sperare. V. Oportet animadvertere, quod, licet Confessiones generales sint utilissimæ, nihilominus non debet Confessarius esse valde rigorosus ad efficiendum, ut Confessiones jam factæ repetantur (*Lib. 6. n. 505.*). Unde ait *P. Segneri* non esse obligationem repetendi Confessiones, *nisi in casu manifestæ necessitatis, & in quo error sit evidens.* Neque relapsus sunt certa indicia nullas fuisse Confessiones factas, præcipue si per aliquod tempus non ceciderit, aut si antequam caderet sibi aliquam vim fecerit. Aliud tamen judicium fieri debet, si pœnitens plerumque statim ceciderit, post duos nempe, vel tres dies Confessione facta, quin aliquo modo tentationi obstiterit; tunc enim videtur moraliter certus doloris ac propositi defectus.

CAPITULUM II.

De Interrogationibus faciendis pœnitentibus rudibus.

21. Non speret hic meus lector me sermonem facturum de omnibus doctrinis ad Dei & Ecclesiæ præcepta pertinentibus, quoad ea quæ in ipsis permittuntur, aut prohibentur; de his enim satis actum est in Opere Morali (*Tom. 1. l. 3. ex n. 13.*). Hic tantum adnotabimus interrogationes a Confessario plerumque faciendas pœnitentibus rudibus, qui judicantur non sufficienter suam conscientiam perquisisse; & pauca alia quæ præcipue notari debent, ad praxim maxime facientia, aliter quam speculative tractantur.

22. Circa I. *Præceptum.* Interroget 1. pœnitentem, an mysteria fidei calleat; nam, si quatuor mysteriorum principalium ignorantia teneatur, nempe Deum esse, remuneratorem esse boni & mali, mysteria Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis ac mortis Jesu-Christi; erit absolutionis incapax, juxta propositionem 64 proscriptam ab Innocent. XI. Item an sciat Symbolum fidei, præcepta Decalogi, Sacramenta, &c. saltem in substantia. Sed hic bene advertit celebris ille, & doctus Missionarius P. Leonardus a Portu Mauritio in suo *Discursu mystico, & morali, n. 26.* teneri Confessarium instruere pœnitentes rudes in Mysteriis fidei, saltem in quatuor principalibus; quapropter sic subjungit: *Bonum non est consilium dimittere similes ignaros, ut ab aliis hæc doceantur, quia nullus alius sperabitur fructus, nisi ut sic ignari remaneant; ideoque expediens est breviter eos docere prædicta Mysteria principalia, efficiendo pariter, ut secum efforment actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis, obligando tamen eos, ut imposterum perfecte instrui se faciant circa cætera mysteria scitu necessaria de necessitate præcepti.* Et idem Auctor loquens de personis urbanis salutis propriæ negligentibus, quæ sibi magno rubori, & contumeliæ habent se de iis interrogari, ait decere Confessarium, ut ipsis sic dicat: *Eja eliciamus unc simul Actus Christianos, dic mecum Deus meus, quia es veritas infallibilis, & quia sanctæ Ecclesiæ tu revelasti, credo quicquid Sancta Ecclesia me docet credere; credo præcipue te esse unum Deum, & tres Personas; credo Filium, cum Deus esset, se fecisse hominem, mortuum esse in cruce, resurrexisse, & ad Cælos ascendisse, & illinc venturum esse omnes judicaturum, ut boni Paradisi gloria fruantur, & mali in æterno igne crucientur.* Præterea advertendum id, quod dicit Bened. XIV. in *Constit. 42. de Doctrina Christ. §. 12.* (vide in *Bullar. tom. 1.*) nempe negandam esse absolutionem pœnitenti, qui culpabiliter neglexit addiscere res fidei scitu necessarias de necessitate tam medii, quam præcepti. Sed circa res præcepti, ait posse absolvi ignorantem, si vere promittat addiscere, his verbis: *Eo quandoque casu pœnitens absolvi potest, quo se vincibilis hujus ignorantiæ reum agnoscit, & promittit operam se daturum addiscere necessaria necessitate præcepti.* 2. An super-

perstitiones exercuerit, aut alios docuerit, & si in ipsis aliorum ministerio usus fuerit, quos ad suo peccato cooperandum induxerit, quocirca debet rudes admonere, superstitiones nunquam esse licitas, quamvis ex charitate, aut in necessitate fiant. Quæ autem actiones sint nec ne superstitiones; vide in Opere (*l.* 2. *n.* 695.). 3. An unquam olim rubore suffectus in Confessione aliquod peccatum reticuerit? Et hac interrogatione ut plurimum curet sciscitari rudes, & mulierculas, qui raro frequentant Sacramenta dicendo eis: *Forsan aliquis vitæ anteactæ scrupulus te mordet? cura nunc bene confiteri, dic omnia libenter, noli timere, omnem scrupulum ab anima tua depone &c.* Hac interrogatione, ajebat quidam diligens Operarius, a se multas animas a Confessionibus sacrilegis fuisse liberatas. Si autem reperiat jam hujusmodi sacrilegia fuisse patrata, ut de numero certus fiat, interroget quoties, intra hoc tempus, a quo peccare cessavit, confessus sit, & communicaverit? & si quotiescunque confitebatur, vel communicabat, ad sacrilegium advertebat? Contigit enim aliquibus interdum sacrilege confiteri, præcipue in pueritia, & postea horum oblivisci; hi enim non tenentur ad repetendas Confessiones oblivionis tempore factas. Item interroget, utrum sciebant se talibus Confessionibus, & Communionibus etiam Præceptum Paschale transgressos fuisse? expedit autem ut hæc interrogatio de sacrilegiis fiat in principio Confessionis, ne si postea fiat, & reperiatur jam commissum sacrilegium, tempus teratur inutiliter in repetenda Confessione, quæ forsan nihil habet dissimile a præteritis. Oportet autem operam dare, ut qui peccata reticuerunt, cognoscant, quam maximum peccatum hoc sit, conculcare nempe pedibus Sanguinem Jesu Christi. 4. Interroget, si pœnitentiæ satisfecerit? Et si omiserit, an hoc acciderit propter oblivionem, aut quia noluit eam adimplere, aut quia distulit in posterum faciendam, aut ut sibi commutare faceret? & si in ea dilatione putabat peccare? 5. Circa scandala, si induxerit alios ad peccandum, aut si ut peccatum exequeretur abusus fuerit ministerio aliorum? Si cooperatus sit peccatis alienis? Tabernarios interroget, si ministraverint vinum illi qui soliti fuerunt inebriari (*Ibid. n.* 76.)? Mulieres interroget, si verbis parum honestis, jocis, saltibus, risu, aut si fixis oculis aliquem inspiciendo, tunica nimis elevata, aut pectore aperto provocaverint viros ad malas cogitationes? Si munera ab illis ad malum finem data acceptaverint?

23. Circa hanc ipsam materiam scandali, potest interrogare insuper, an pœnitens cooperatus fuerit peccato alicujus, sed Confessarius in hoc debet esse valde peritus, ut dignoscat quando cooperatio sit formalis, & quando materialis. *Formalis* est, cum cooperatur actuali peccato alterius ut evenit in fornicatione, aut cooperatur malæ voluntati alicujus, ut si in suam tutelam furem reciperet, quod vulgo dicunt, *guardar le spalle*. *Materialis* autem est, cum operam suam exhibet actui alicujus ex se indifferenti, qui ea abutitur ad malum finem, ut est præbere vinum volenti se ebriare; & hæc potest esse licita, cum adest justa, & cooperationi proportionata causa. Hic punctus, qui magni momenti est, & multa consideratione indigens, non mediocris mihi fuit laboris, ut veluti res exigebat expenderetur; observent ideoque rationes, & resolutiones in Opere (*Lib.* 2. *n.* 63. *v. Ad distinguendum*, *&* *l.* 3. *n.* 571.), congestas.

24. Circa II. *Præceptum* interroget de perjuriis, de votis transgressis, & de blasphemiis. Quoad perjuria interroget pœnitentem, si falsum juraverit, & an in judicio, vel extra, quia pejerando in judicio, etiam justitiam læsit, propter quod aliquando tenebitur, aut se retractare, aut damnum reficere. 2. Interroget de modo quo juravit, si *per Deum*, *per Sanctos*, *per animam*; si enim juravit per conscientiam, aut *per fidem*, quin addiderit *fidem sanctam* aut *Christi*, probabilissime potest excusari a perjurio (*Tom. I. l.* 2. *n.* 145.). Advertatur hic, multos rudes non apprehendere ut peccatum grave, pejerare per Sanctos, cum alterius damnum non intervenit. Et plerumque, cum in filios, aut famulos, irascentes dicunt, *per Deum*, *per Sanctos*, *per Christum te occidam*, *si iterum hoc facies*, non intelligunt tunc pejerare, etiamsi revera minas exequi non intendant; saltem non advertunt.

25. Quoad vota facta pariter Confessarius diligenter exquirat a pœnitente, si illud quod emisit, sit verum votum, quia vulgus sæpe confundit desideria, aut proposita cum votis. Ad hæc distinguenda parum juvabit eum interrogare, ut nonnulli solent, an unquam habuerit intentionem se voto obstringendi sub gravi peccato? Siquidem rudes sic interrogati facile negant; satius erit interrogare, si tunc cum votum emisit, existimabat se graviter peccaturum fuisse, an non, si postea non satisfecisset; & ita melius cognoscetur, an sub gravi, vel levi se voto obligavit. Certus de hoc factus Confessarius hoc fuisse verum votum, exquiret, an si ob dilationem putavit peccare mortaliter, aut judicabat se ab hoc excusari, quia sibi erat propositum illud adimplendi imposterum.

26. Hic juvat adnotare aliqua circa votorum Dispensationem, & Commutationem. Jam sciuntur quinque vota reservata, Religionis nempe, Castitatis perpetuæ, & trium peregrinationum, ad Romam, Jerusalem, & ad S. Jacobum Gallæciæ, non posse nisi a Papa dispensari, dummodo sint absoluta, non autem pœnalia, & conditionata (*Lib.* 3. *n.* 261.). His adde votum perseverantiæ in aliqua Congregatione, vel Communitate solitum emitti (prout fit in Congregationibus Missionariorum S. Vincentii a Paulo, & in nostra SS. Redemptoris) quod Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*, sub die 25. Novembris 1749. §. 32. sibi reservavit (*Num.* 255.) alia vota possunt commutari aut dispensari ad Episcopis, qui possunt hanc facultatem aliis delegare (*Num.* 256.); aut a Confessariis regularibus (*Lib.* 3. *n.* 257. *v. Immo*), aut ab aliis Confessariis per facultatem Jubilæi, aut alterius privilegii sibi concessam. Loquendo autem de Commutatione, Confessarium monitum esse volo, ne sit scrupulosus circa causam, quia quodlibet rationabile motivum pro causa haberi potest. Sufficiens est, ut ex commutatione voti sit minus periculum transgressionis (*Num.* 244. *in fine*); nec circa materiam æqualiter subrogandam, etiam non requiritur æqualitas lance libranda, sed sufficit, ut sit æqualis moraliter. Interroget pœnitentem, quæ opera soleat exercere præter debita ex præcepto, aut ad quæ majorem habeat propensionem, & in ea commutet vota. Commutatio autem securior in omni votorum genere erit frequentia Sacramentorum (*Num.* 243.).

Ad-

Advertat vota perpetua bene posse commutari in temporalia; dummodo adsit debita proportio; & sic etiam realia possunt commutari in personalia; & contra personalia in realia (*Lib.* 3. *n.* 247. *v. Notandum*). Loquendo autem de Dispensatione, ad hanc requiritur causa gravior, nimirum periculum grande transgressionis, magna difficultas executionis, levitas, aut imperfecta deliberatio qua votum emissum est (*Num.* 252. & 253.). Nihilominus semper laudabile erit adjungere hujusmodi dispensationibus aliquam commutationem. Hæ autem Dispensationes, & Commutationes possunt fieri extra Confessionem, modo facultas non sit concessa sub tali conditione, ut in Iubilæo (*Num.* 257. *v. Immo*); sed consilii est eas facere in Confessione.

27. Quoad blasphemias interroget, si execratus fuerit in Sanctos? & quibus verbis usus fuerit, an dixerit male habeat, vulgo, *managgia*, vel *Atta*, aut *Potta?* Etenim dicere *managgia*, certum est esse mortale: *Atta* in se est veniale, quia tale verbum non continet contumeliam; sed aliqui rudes eundem concipiunt horrorem ac cum dicunt *Managgia*, & tunc oportet accipi pro gravi blasphemia, & simul instruere pœnitentem tale effatum non esse blasphemiam. Dicere *Potta* in se esset grave peccatum juxta Idioma Hispanicum, sed in nostro blasphemia non est, cum nihil aliud significet quam interjectionem indignantis (*Lib.* 5. *n.* 124. *v. Neque*). Nihilominus bonum erit exigere numerum, cum rudes horrorem notabiliorem ex hoc concipiunt. Sed cum tale verbum sit æquivocum & cum possit accipi in sensu meliori, bene potest animadverti pœnitens, quod illud juxta nostram loquelam non est blasphemia, quandoquidem nostri indigenæ non intelligunt certe proferre illud in sensu pejore, idest Hispanorum Idiomatis, sed advertatur simul, ut caveat a scandalo, si unquam adesset.

28. Interroget 2. si execraverit in dies sanctos, nempe Pascham, Natalem, Epiphaniam, Sabbatum Sanctum &c. quod excusari non potest a mortali, licet multi rudes clare non apprehendant ut tale; sed quia est dubium, si apprehendunt, an non, investigetur de numero, & hujusmodi blasphemiæ accipiantur ut sunt coram Deo. 3. Interroget, si postquam protulerit blasphemias in Deum, in Sanctos, aut in dies sacros, immediate subjunxerit, *si eos ego feci*, aut *excepto Deo*. Etenim illi rudes, qui dicunt ita unico actu, bene notat Auctor Instructionum pro Confessaris Pagorum (*Cap.* 5. *p.* 141.), saltem excusari a gravi, propter ignorantiam, dum non intendunt tunc blasphemiam proferre; & licet in Opere (*Lib.* 3. *n.* 124. *v. Sic quoque*) dixerim, tale effatum esse veram blasphemiam, quia ad blasphemiam non requiritur intentio execrandi; sed sufficit quod propositio sit in Deum, aut in Sanctos contumeliosa; nihilominus melius mihi rem consideranti videtur esse probabile hanc non esse blasphemiam, siquidem verus uniuscujusque propositionis sensus ab ultimis verbis designatur; unde bene dici potest præfatam propositionem, integre acceptam, non importare contumeliam. Sed aliter dicendum, si ille postquam vere execratus fuerit, ut malo jam patrato mederetur, diceret *si ego feci*, &c.

29. Notandum 4. quod cum rudes dicunt, *maledicta sit fides tua*, vulgo *managgia la fede tua*, non accipitur ut blasphemia, quia non intelligunt fidem Christianam, & nomine *Fidei* potest quoque intelligi fides humana; aliter autem debet judicari si execrarentur in *fidem sanctam*, aut *Christi*. Ita pariter non est mortale maledicere *Mortuis*, nisi nominarentur aut intelligerentur præcise a proferente Animæ Purgatorii, vel Mortui in Christo, aut Animæ Mortuorum. De hoc puncto jam in Opere (*Lib.* 2. *n.* 130.) locutus sum: sed quia hoc est punctum ab aliis Auctoribus non discussum, refert illud hic ad trutinam revocare, ut clarius patefiat, utque præsertim alicui Anonymo respondeatur, qui in quadam sua Epistola mihi contradixit, aliqua objiciens.

Dico autem maledictionem *Mortuorum*, per se loquendo, non esse blasphemiam, neque in se, neque ex relatione illorum, qui eam pronunciant. Non est in se, quia vox, *Mortui*, proprie est terminus *privativus*, qui homines significat vita functos, nunc amplius non existentes; & in tali supposito verbum, *Mortui*, nec Animam, nec corpus importat. Quamobrem loquendo in philosophico rigore, qui Mortuis maledicit nemini injuriam irrogat: dum rem maledicit, quæ amplius non existit.

Dicet aliquis; sed hic vox, *Mortui*, accipitur, non ut terminus *Privativus*, sed ut terminus *Analogus*, qui utrique, tam Animæ quam Corpori referri potest. Respondeo primum, quod is qui hoc dicit, loquitur jam de relatione mentis; sed ego loquor de eo quod verbum, *Mortui*, in se importat. Sed adhuc illum sumendo ut terminum *Analogum*, respondeo secundo, quod sub voce, *Mortui*, principaliter, & *in recto* (ut dicunt Philosophi) solum venit corpus, quod solum mortuum dici potest, cum anima immortalis sit. Duntaxat *in obliquo* Anima queit intellecta venire, nempe Anima Mortui, eo quod olim ipsa forma fuit Corporis illius, cui vitam præbuit. At supposito quod vox, *Mortuus*, principaliter respicit Corpus, & minus principaliter Animam, cum aliquis *Mortuos* nominat, per se loquendo, non de eorum Animabus, sed de Corporibus intelligitur; ut de Animabus intelligatur, opus est, ut ille aut speciatim in sua mente de Animabus loqui intelligat, aut saltem quod alia sermonis verba Animas denotent, prout est illud quod scriptum est in Machabæis (*l.* 2.): *Sancta & salubris est cogitatio, pro Defunctis exorare*. Hic verbum, *exorare*, jam denotat de Animabus Mortuorum fieri sermonem.

Per se igitur loquendo, maledictio *Mortuorum* blasphemia non est. Videamus nunc, an blasphemia sit propter mentalem relationem eorum qui illam proferunt. Et dicimus secundo loco, nequaquam ex relatione blasphemiam esse; quoniam ii qui *Mortuis* maledicunt, ordinarie a consideratione Animarum ipsorum præscindunt. Hic autem Auctor Epistolæ me improperat, quod distinguere nesciam terminum *Abstractum* a *Concreto*. *Abstractus*, me instruit, ille est qui formam significat a subjecto præcisam, prout est pulchritudo, albedo, &c. *Concretus* vero significat subjectum cum forma conjunctum, ut est homo pulcher, charta alba, &c. Hinc dicit vocem, *Mortuus*, significare hominem, qui olim Anima & Corpore constabat, sed nunc importat Corpus & Animam disjunctam. Et ex hoc concludit, quod *Mortuos* alicujus Persona maledicens, non solum eorum Corpora, sed Animas etiam maledicit.

Respondeo. Ego non dico quod *Mortuos* maledicens eos considerat tanquam abstractos, scilicet tamquam

quam formas sine subjecto: sed dico quod præscindit a considerandis Mortuorum Animabus, quæ nunc existunt. Aliud est abstrahere, quod est considerare aliquam formam sine subjecto: aliud præscindere; quod est considerare quoddam subjectum, præcisum ab aliqua circumstantia aut qualitate, quæ respici potest. Certum est homines vita functos nunc eosdem non esse, qui vivendo fuerunt. Tunc tot erant personæ Anima & Corpore conjunctis compositæ, nunc vero eorum Animæ, & Corpora existunt quidem, sed disjuncta existunt. Quapropter, cum *Mortui* maledicuntur, non ideo necessario ipsorum Animæ maledictæ veniunt, nisi cum illæ specialiter exprimuntur, vel intelliguntur.

Sed denique Auctori Epistolæ concedamus, quod ipse aggressus est sustinere, nimirum quod *Mortuis* maledicere idem sit quam eis maledicere ac si viventes essent. Quæro: Ergo qui hominem vivum maledicit, semper ne lethaliter peccat? Omnes DD. ajunt, *Cajetanus*, *Sotus*, *Molina*, *Grado*, *Azorius*, *Lugo*, & alii cum *Salmanticensibus de Restitut. c. 4. nu.* 27. & 28. ex D. T. 2. 2. *qu.* 86. *art.* 4. tum maledictionem in proximum peccatum esse mortale, cum ipsa est formalis, scilicet (ut explicat *Cajetanus*) cum proximo optatur damnum, & damnum grave, quod aliquis illi imprecatur; non vero cum maledictio est tantum materialis, nempe sine pravo animo prolata. Et quidem in vivente certe Corpus, & Anima simul existunt. Et quare non est mortale; quia qui maledicit homini viventi non semper proximi Animæ intendit maledicere, & contumeliam inferre substantiæ illi, in qua specialiter Imago Dei splendet, sed præscindit ab Anima respicienda, & ita gravem non committit culpam. Qui Creaturis irrationabilibus maledicit (docent idem D. Thomas *l. c. art.* 2. & omnes) si eas respicit in quantum sunt Creaturæ Dei, mortaliter peccat, veramque patrat blasphemiam; non vero jam si præscindit ab eis considerandis ut tales, & tantum eis maledicit secundum se consideratis, & quidem omnes ipsæ sunt Creaturæ Dei. En quod D. Thomas etiam præcisionem hanc admittit. Ita pariter, qui *Mortuis* maledicit, si maledicit in quantum ad Animas eorum, graviter peccat; non autem si præscindit, & Mortuis maledicit, quin specialiter Animas respiciat. Dicere autem quod omnes qui maledicunt *Mortuis*, omnes jam intendunt etiam eorum Animabus maledicere, ego & tot alii Confessarii, pœnitentes interrogando, oppositum comperimus. Tanto magis quod ordinarie isti qui Mortuis maledicunt, non jam eos lædere intendunt, sed vivos quibus ad instar contumeliarum hujusmodi maledictiones dirigunt. Veruntamen hæc est materia facti, quisque Confessarius in hoc, pœnitentem diligenter interrogando, poterit se a dubio eximere.

Dicere autem quod licet quis solis Mortuorum corporibus maledicere intendat, nec etiam a culpa gravi excusari potest, propter respectum quem Ecclesia habet Corporum Mortuorum, eis incensum præbendo, aqua lustrali aspergendo, & cum pompa sepeliendo. Nescio quomodo quis ob hanc rationem id suadere sibi possit. Nolo in hoc immorari. Paucis me expediam, & dico, quod prædictæ functiones non sunt quidem exhibitiones alicujus cultus Religiosi erga Corpora Mortuorum, sed tantum quædam cæremoniæ, quas Ecclesia etiam erga viventes adhibet. Si igitur honor qui fit Defunctis, major non est illo qui vivis exhibetur, nec contumelia major erit. Sed cur (subdit Auctor Epistolæ) leges gravius puniunt qui adversus Cadavera sæviunt? Respondeo: puniunt, non ratione contumeliæ, sed ratione iniqui animi, qui in tali actione manifestatur, & qui adhuc in occidente Infidelem, aut Hæreticum a lege mulctatur. Alioquin si hoc esset in se gravis Cadaverum injuria, ejusdem criminis essent rei qui ob usum Anatomiæ ipsa incidunt & laniunt.

Ceterum id quod concludo est, maledictionem in Mortuos, per se loquendo, nec balsphemiam, nec culpam mortalem esse. Et invenio, quod tres Auctores (jam in opere citati) qui soli de hoc puncto scripserunt, idem pronunciarunt. Præterea, ego pro majori meæ conscientiæ pace, de hoc pluribus doctis Viris Neapolim scripsi, & etiam tribus Congregationibus Presbyterorum secularium Missionibus addictorum, ubi flos Cleri Neapolitani existit; & uno exemplo fuerunt responsa omnia meæ sententiæ conformia. Ac P. Sabbatinus (tunc temporis Pius Operarius, nunc dignissimus Aquilæ Prælatus) mihi respondit, cunctos pios Operarios, tam præsentes, quam antiquos, idem uniformiter sensisse. Insuper, cum quamdam Epistolam de hoc puncto typis dederim, adversus quam postmodum Anonymi Epistola prodiit, de qua supra mentionem jam feci, accepi tamquam certum, utramque scripturam a Nuncio transmissam fuisse ad Summ. Pont. Bened. XIV. qui postquam curam dederit controversiam discutiendi R. P. D. Thomæ Sergio Pio Operario, S. Officii Romæ Consultori (qui nunc suum obiit diem), ipse pariter mecum sensit, maledictionem *Mortuorum* non esse blasphemiam. Et ab alio P. Pio Operario mihi affirmatum deinde fuit, quod idem etiam Pontifex, cognita P. Sergii sententia, ostendit eam approbare.

30. Dubitatur 5. an maledicere *Mundo* sit blasphemia. Auctor ipsius Instructionis negavit, sed ego contrarium ostendi (*Lib.* 3. *n.* 129. *v. Sed hic*); nihilominus dixi, quod si pro Mundo intelligeretur Mundus qui Deo adversatur, certe non esse peccatum. Sed quia verosimiliter rudes non sic intendunt, sed potius ut creatum a Deo, & de hoc se accusant cum magno horrore, dico probabilius accipiendum esse pro culpa gravi. 6. Maledicere creaturis insensatis, ut vento, pluviæ, annis, diebus, igni, &c. non est blasphemia, nisi hujusmodi creaturæ expresse Deo non referrentur, prout si diceretur, *maledictus sit ignis Dei*, *panis Dei*, &c. Maledicere autem Paradiso, aut Animæ (quia in Anima splendet specialiter potentia, & imago divina) non est dubitandum quin sit gravis blasphemia (*Dict. n.* 129.) 7. Maledicere Dæmoni, non est mortale, quia maledici solet ut Auctor mali, & Dei inimicus: ideoque in se veniale quidem est, præscindendo ab actu impatientiæ, qui tamen facile comitatur (*Ibid. v. Maledicere*). Dicere autem Diabolum *sanctum*, aut *omnipotentem*, est vera blasphemia, ac gravis, sed imo hereticalis, si proferretur cum intellectus errore, qui quidem regulariter loquendo non præsumitur. Sed non est blasphemia apellare Dæmonem *potentem*, aut *sapientem*, quia ille natura sua talis est; dummodo hoc non diceretur, ut ei honor præstaretur; aut dicere vulgo, *santo Dia.... santo Diana* (*Lib.* 3. *n.* 123. *v. Insuper*). Interroget 8. Quoties & qua occasione blasphemaverit; si in ludo,

aut

aut in caupona, aut venatione, & a quanto tempore versetur in hoc vitio? ut cognoscat si est recidivus, aut si sit in occasione proxima, quam pœnitens teneatur auferre.

31. Interroget etiam si blasphemavit coram filiis, aut famulis; tunc enim, præter blasphemiæ peccatum, peccavit etiam scandali. Demum hic addo cum quodam docto Auctore, blasphematores non excusari a peccato gravi, eo quod propter vim habitus mali, aut vehementem animi commotionem ad iram, non adverterint ad id quod dicebant; quia hi male habituati, licet habeant cognitionem minus vivacem aliis, qui usum blasphemandi non contraxerunt, tamen semper habent eam actualem cognitionem sufficientem ad hoc, ut actus sit deliberatus, & graviter peccaminosus. Cum enim ipsi tanti mali non faciunt peccatum, ideo in suo animo nullum hujus sceleris sensum experiuntur, sicuti perciperet alius, qui esset conscientiæ non tam depravatæ, & hinc oritur quod in eorum mente, ne signum quidem remaneat actualis cognitionis, quam in peccato habuerunt: aut si vestigium aliquod cognitionis relinquitur, est ita leve, ut interrogati faciliter respondeant se non animadvertisse: sed diligens Confessarius nullam in hoc debet eis præstare fidem; & neque debet ab his scisciatari, an adverterint nec ne, sed accipiendæ sunt omnes, ut veræ blasphemiæ actuales, semper ac ipsi sciebant tales esse.

32. Circa III. *Præceptum*. Quoad obligationem audiendi Sacrum diebus festivis, interroget pœnitentem, si aliquoties Sacrum omiserit? & si advertit ad omissionem? an dubitaverit tempore quo Sacrum audire poterat? etenim multoties pœnitens ad horam tardam Sacrum audire differens, licet casu repererit Sacrum, & illi interfuerit, nihilominus sine justa causa in periculum illud omittendi se injecit, & de hoc rudes non se accusant. Item si pœnitens se accusabit Sacrum omisisse, interroget de causa, an propter necessitatem, ut accidit famulis qui non possunt gregem derelinquere, aut matribus quæ domi non possunt relinquere pueros, aut conjunctis, qui non possunt relinquere infirmos, aut itinerantibus qui non possunt a comitatu disjungi sine gravi incommodo, ut esset subire periculum quod exspolientur a latronibus, aut viam errent, si soli pergant, &c. (*Tom. I. l.* 3. *n.* 326.): aut accidit alicui qui vestes decentes non habeat, quibus in Ecclesia decenter compareat (*Num.* 330.).

33. Quoad autem opera servilia quæ in die festivo prohibentur, interroget si laboravit die festo? & si ille affirmat, interrogetur I. quantum temporis laboravit? & quodnam laboris genus exercuit? nam secundum communiorem Doctorum (*Lib.* 3. *n.* 305.) excusant a gravi laborantem duas horas; imo alii admittunt quid amplius, saltem si labor est de se levis, aut adest aliqua causa notabilior. Si autem pœtens confitetur laborasse aliquando plus, aliquando minus, interrogetur quoties laboravit judicans laborare in materia gravi; sed opus est, ut eum doceat laborare post longum tempus etiam occulte, & animi solatio, ac gratis, etiam esse peccatum. 2. Interrogetur quare laboravit, an per regionis consuetudinem? an ob necessitatem? Verum est, quod paupertas potest excusare, ut plerumque excusantur pauperes, qui si non laborant non possunt se, aut familiam suam sustentare (*Num.* 397.); ut etiam excusantur illi, qui die festo vestes resarciunt, cum non possint diebus ferialibus (*Ibid.*). Sed oportet rudes ab errore dimovere, qui falso putant posse laborare die festo, cum laboratur pro familia sua, & sine mercede. Multi DD. excusant eos qui laborant, ut fugiant otium, ob quam in probabili peccandi periculo essent; sed hæc opinio non admissa est nisi in casu rarissimo, in quo tunc vexarentur tentatione ita molesta, ut superari non possit, nisi laborando. Nonnulli servi, aut famuli, aliquando coacti sunt a dominis ad frequenter laborandum in festo, & etiam ad Sacrum omittendum; hi tenentur discedere ab hujusmodi dominis, dummodo non se obligarint chirographo servire; aut dummodo justo timore non incutiantur, ne repugnando grave incommodum subituri sint. Et pariter hac sola ratione possunt excusari filii, & mulieres ad laborandum in festis coacti a parentibus, aut viris (*Lib.* 3. *n.* 296.). Interroget etiam, si in vigiliis, Quadragesima, Feria sexta, & Sabbato comederint cibos vetitos?

34. Circa IV. *Præceptum*. Si confitentur Filii, interrogentur I. Si oderint parentes? quia tunc duplex peccatum peccaverunt, contra charitatem nempe, & contra pietatem. 2. Si aliquid grave fecerint contra eorum præceptum expressum, & in re justa, sicuti esset ne a domo de nocte egrederentur, ne ludis damnosis luderent, ne cum malis sociis, aut cum personis diversi sexus, & similibus versarentur? Dixi *in re justa*; quia circa status electionem filii non tenentur parentibus obedire; imo parentes graviter peccarent, si sine justa causa filios ad statum matrimonialem, aut ad statum Ecclesiasticum, aut Religiosum cogerent; aut modis injustis retraherent eos a statu Religioso, quem illi eligere velint. (*Tom. I. lib.* 3. *num.* 335. *v. Præterea*, *& lib.* 4. *num.* 77.) 3. Interroget, si reverentiam adversus parentes non adhibuerint, factis, aut imprecationibus, aut injuriis gravibus coram irrogatis: ut esset eos appellando ebrios, bestias, fatuos, latrones, veneficos, scelestos: aut gestus eorum contumeliose exprimendo, aut aliis verbis proferendo, quibus gravem molestiam eis exhibuissent. Vocare autem eos senes, ignaros, stupidos, &c. non debet absolute condemnari de peccato mortali, nisi tunc cum illi graviter offenderentur. Notetur quod cum filii parentum debitam rationem non habuerint, tenentur læsum honorem eis restituere, veniam ab eis postulando, etiam coram iis, in quorum aspectu filii peccarunt. Nonnulli autem Confessarii parum cauti in eo casu pro satisfactione imponunt filiis, ut cum domum pervenerint, pedes parentum deosculentur, & absolutos dimittunt; sed illi postea hoc adimplere non curant, & novum peccatum admittunt. Satius est curare, ut ante absolutionem hanc veniam poscant, sed quin eis imponatur ut pedes, aut manum deosculentur; quia illi filii, quibus hoc faciendi consuetudo numquam fuit, difficillime hoc exequuntur. Si autem non possit commode hic actus ab illis exigi, ut veniam postulent ante absolutionem, non imponatur hoc sub gravi obligatione, sed potius ut consilium insinuetur, dum certe præsumuntur, saltem ut plurimum, parentes remittere filiis hanc obligationem, ne filii iterum in Dei offensam incurrant.

35.

35. Si contra confitentur parentes, interrogentur ab eis. 1. Si neglientes fuerint in filiis educandis, non curando, ut Doctrinam Christianam illi docerentur, ut Sacro interessent, Sacramenta frequentarent, pravos socios, & personas alterius sexus vitarent? Item eos interroget, si scandalo fuerunt illis, in eorum præsentia blasphemando &c.? Si de excessibus eos non corripuerint, & præcipue si aliquid furati sint? Si permiserint, ut sponsi suarum filiarum domum accederent? Et potissimum si filios secum in eodem lecto retinuerint; aut permiserint pueros, & puellas simul dormire? Item si omiserint alimenta necessaria filiis ministrare? Si modis injustis cogerint filios ad statum matrimonialem suscipiendum, vel ut Sacris initiarentur, aut aliquam Religionem inviti ingrederentur? nam hoc agentes graviter peccant. Sed de hoc parentes plures nullum sibi scrupulum faciunt, & hinc filiis pernicies, & Ecclesiæ maximum detrimentum evenire solet. Interroget etiam dominos, si famulos suos corripuerint, cum blasphemabant, aut præcepto Paschali non satisfaciebant, aut Sacro non intererant, aut inhoneste loquebantur, præcipue messis, & vindemiae temporibus; Domini enim cum possunt tenentur impedire scandala, quæ tunc committuntur. Interroget etiam viros, si familiæ alimenta ministraverint? Uxores, si viros ad blasphemias provocaverint, & si eos debito matrimoniali defraudaverint? plerumque de hoc interrogentur uxores, quia multoties propter hoc solum damnantur, & in causa sunt cur etiam viri damnentur, qui cum observent sibi denegari quod debetur, ad mille scelera effrænati decidunt. Nihilominus in hac interrogatione verbis modestioribus, quantum fieri poterit, utetur, verb. gr. *Es obediens tuo viro etiam in rebus ad Matrimonium spectantibus? aut habes forsan aliquem scrupulum, qui te mordet circa Matrimonium?* sed hæc interrogatio, ut plurimum, omittatur cum uxoribus, quæ vitam spiritualem profitentur.

36. Circa V. *Præceptum* interroget pœnitentem, si aliquod grave damnum proximo appetiverit, aut de illius damno se oblectaverit? & hic notetur, quod si aliquis suo inimico diversa mala exoptaverit, ex. gr. mortem, infamiam, paupertatem, &c. tenetur omnia declarare, & sunt diversa peccata numero distincta, cum ea voluit efficaciter illi inferre: aut si speciatim & in particulari optavit, ut hæc illi acciderent. Aliter autem, ut dicunt probabiliter multi DD. (*Tom. I. l.* 5. *n.* 509. *v. Quær.* 5.), si optaverit mala illa sub uno genere mali, nempe ut media ad ruinam oppetitam inimico. Et hic est confusio Confessariorum, ut discernendo an imprecationes, quæ rudibus esse solent usuales, fuerint peccata mortalia, an venialia. In hoc oportet interrogare in primis pœnitentem, an in illo actu desideraverit deliberate, ut illæ succederent; sed hoc non sufficit ad certum judicium faciendum; qua de re opus est, ut postea interroget, si imprecatus fuerit in extraneos, an in propinquos, quia in hos (præcipue in filios, conjuges, aut parentes) raro animus pravus adest. Postremo oportet interrogare de causa, cur eas imprecationes protulerit; dum si causa gravis, aut fervens ira intercesserint, facile est tunc etiam pravum desiderium interfuisse. Ceterum non sufficit pœnitenti ad excusandas imprecationes, dicere quod tantum in illo actu, ut evenerint, cupiebat; quia hoc jam sufficit, ut in illo actu commissa sit culpa gravis; unde Confessarius tunc perquirat de numero, & judicet de eis saltem ut coram Deo sunt: & quem recidivum in eo vitio reperit, non absolvat, nisi prius resipuerit, aut extraordinarium doloris signum dederit.

37. Interroget 2. Si in proximum intulerit injurias graves & an coram aliis; quia tunc tenetur coram ipsismet restituere illi honorem ablatum, veniam ab eo petendo, aut aliis reverentiæ signis; dummodo prudenter non præsumatur injuris affectum totum remisisse (*Lib.* 3. *n.* 984.): aut quod ab illa publica sactisfactione recuset, ne apud se rubor, & apud alios memoria injuriæ acceptæ renovarentur: aut nisi timeretur, ne illo sactisfactionis actu iterum odium excitaretur (*Num.* 988.). Si autem injuria fuit secreta, etiam secrete tenetur veniam postulare, secundum veram sententiam (*Num.* 985.). Attamen advertendum est, injurias, quibus ad invicem se onerant rudes, licet in se essent graves, nihilominus non esse semper graves inter hujus generis personas, ut cum se appellant latrones, veneficas, meretrices; quia ipsæmet non multi hæc faciunt, nec qui eas audit, fidem præstat; excipe si nominarent res particulares, & complices. Interroget item, si discordias excitasset, zizania disseminando, & referendo uni quæ ab alio audivit.

38. Denique interroget, si odio aliquem habuerit, & ei signa communia amicitiæ negavit? & hic expedit illius dubii, quod inter Doctores movetur, meminisse, utrum offensus offensori teneatur remissionem facere, *Salmanticenses* dicunt (*Tract.* 22. *c.* 6. *n.* 18.) offensum teneri quidem ad remissionem injuriæ, non autem publicæ pœnæ, quia hæc in Reipublicæ bonum redundat. Speculative loquendo, sententia vera est; sed in praxi nunquam mihi fuit animus absolvendi aliquem istorum, qui dicebant se parcere inimico, sed velle ut justitia suum locum haberet, ut scelesti digna factis suis reciperent; nunquam enim mihi suadere potui, quod hujusmodi qui quandoque peccatis onerati accedunt, tam ament bonum commune, & justitiam (non jam in alios delinquentes, sed solum in suos offensores), ut animus eorum sit penitus ab omni vindictæ affectu alienus. Unde in istis facillimum est, ut dicunt multi alii DD. (*Lib.* 2. *n.* 29. *v. Licet.*), eorum affectum ad bonum commune esse speciosum prætextum simulandi desiderium propriæ vindictæ. Attamen puto posse absolvi injuriis affectum, primo, si vellet jam remissionem facere, sed prætenderet juste satisfieri in damnis, quæ passus est; dummodo offensor non ita esset pauper, ut omnino solvendo non esset; secundo, si remissionem faceret sub conditione, ut offensor longe abesset a Regione, quia filios, aut fratres ætate provectos, vividos habet; aut quia offensor esset ita insolens, & ad rixas proclivis, aut prudenter timeret, propter sui animi imbecillitatem, illius petulantiam non posse sufferre.

39. Circa VI. *Præceptum*. I. Interrogentur de cogitationibus, num desideraverint, aut morose delectati fuerint de rebus inhonestis; & an plene ad eas adverterint & consenserint. Deinde, num concupierint puellas, aut viduas, aut nuptas; & quid mali

cum

cum illis se facturos intenderint. In quo advertendum, quod rustici, communiter loquendo, existimant majus peccatum stuprum, quam simplicem fornicationem: e contrario nesciunt malitiam adulterii; ideo cum iis, qui hujus vitii consuetudinem habent, non expedit eos monere de adulterii malitia, cum prævidetur monitio parum profutura, sed tantum effectura, ut pœnitens duplici peccato peccet, si carnis concupiscentiis non resistet. De his autem cogitationibus, quibus assentiti sunt pœnitentes, sumendus est numerus certus, si haberi potest; sin autem exquirantur, quoties in die, vel hebdomada, vel in mense cogitationibus consenserint. Sed si nec etiam id explicare possint, interrogentur, num concupierint singulas mulieres, quæ sibi occurrerunt, vel in mentem venerunt; aut num habitualiter turpiter de aliqua in particulari cogitarint, numquam pravis consensibus resistendo; & an semper illam concupierint, vel an tantum quando ipsam aspiciebant. Demum interrogentur etiam, num media apposuerint ad malas cogitationes exequendas; nam, ut diximus in libro (*Tom. I. l.* 5. *n.* 42.), tunc illa media, etsi indifferentia, a malitia interna informantur, & ideo explicanda ut peccata externa, sive opera incœpta.

40. II. Circa verba obscœna; interrogentur 1. Coram quibus, & quoties ita locuti sunt, ratione scandali; an coram viris, aut feminis? uxoratis, aut non? pueris, vel adultis? facilius enim scandalizantur puellæ, & pueri, quam adulti, præsertim qui in hoc vitio sunt habituati. 2. Quæ dixerint verba? an v. gr. nominarint pudenda sexus a suo diversi? hoc enim difficulter excusatur a mortali. 3. Num verba protulerint ex ira, vel joco? nam ex ira difficilius aderit complacentia, & scandalum. Caveat Confessarius ab absolvendis hujusmodi recidivis in colloquiis turpibus, quamvis dicant ea protulisse ex joco, nisi prius emendentur, vel signum extraordinarium doloris afferant. 4. Num jactaverint se de aliquo peccato? tunc enim tria peccata frequenter concurrunt, scilicet magnum scandalum audientium, jactantia de malo commisso, & complacentia de peccato narrato: ideoque interrogandi sunt, de quo peccato in specie se jactarint (*Num.* 26.). Interrogentur etiam, an delectati sint audire alios inhoneste loquentes? & an tunc adverterint ad correctionis præceptum, putantes eam profuturam?

41. III. Circa opera; interrogentur, cum qua rem habuerint? num alias cum eadem peccarint? ubi peccatum fuerit patratum (ad occasiones removendas) quoties peccatum consummatum, & quot actus interrupti adfuerint, seorsim a peccato? num peccato multum ante consenserint? Nam tunc actus interni interrumpuntur, juxta dicta (*Num.* 36.) & tum expedit formare judicium, toties multiplicata fuisse peccata, quot morulæ somni, distractionis, &c. adfuerint, prout sunt coram Deo, tantum interrogando de temporis duratione in peccato. Secus si malum propositum fuerit conceptum per duos, vel tres dies ante consummationem peccati, & intra illud tempus non fuerit retractatum, quia tunc sumitur pro uno numero peccatum; vide dicta *ibidem*.

Se polluentes interrogentur etiam de tactibus impudicis separatis a pollutionibus, & moneantur eos esse mortalia. Item interrogentur, an concupierint, vel an delectati fuerint de copula cogitata cum aliqua, vel pluribus mulieribus, aut pueris: tunc enim tot peccata distincta committunt. Item adverte, quod si quis coiret inter crura aut brachia mulieris, præter peccatum contra naturam, commiteret fornicationem inchoatam, sive effectivam, ut dicunt communiter *Filliuc. Tamb. Holz. Spor. &c.* (*l.* 3. *n.* 466. *v. Primam, infra ad n. III.*); unde hic duo patraret peccata diversæ speciei, unum contra naturam in effectu, alterum fornicationis in affectu. Circa peccata conjugum respectu ad debitum maritale, ordinarie loquendo, Confessarius non tenetur, nec decet interrogare, nisi uxores, an illud reddiderint, modestiori modo quo possit, puta, an *fuerint obedientes viris in omnibus?* de aliis taceat, nisi interrogatus fuerit. Quæ autem liceant, & quæ vetentur inter Conjuges circa idem debitum; vide quæ fuse dicta sunt in Opere (*Lib.* 6. *ex n.* 900.).

42. Circa VII. *Præceptum*. Interroget, si aliquid ab alio surripuerit? & a quo, & an ab uno, aut pluribus? an soli, an cum aliis, & an semel, an pluries? quia si qualibet vice materiam gravem sumpserit, qualibet vice peccavit mortaliter. Si vero materiam parvam sumpserit singulis vicibus, tunc non peccavit graviter, nisi ad gravem materiam adveneriint; dummodo a principio animum non habuerit perveniendi, ad materiam gravem; sed cum materia jam facta est gravis, licet ille graviter non peccavit, tamen sub gravi tenetur ad restitutionem (*Tom. I. l.* 3. *n.* 533.); saltem illius ultimæ quantitatis, quæ materiam gravem constituit (*Ibid. in fin.*). Notandum tamen plus materiæ ad constituendam gravitatem in furtis minutis, & majorem requiri, si a diversis sumantur; unde dicitur, quod in furtis minutis, quæ pluribus vicibus diversis facta sunt, duplum requiritur (*Lib.* 3. *n.* 530.). Et si inter ea notabile intercessit tempus, duorum nempe mensium, tunc furta probabiliter non coalescunt in materiam gravem (*Ibid.*). Probabiliter autem qui fructus ederent in aliorum vineis, dummodo non sint rari, & magni pretii, possunt excusari saltem a peccato gravi, si foras non exportant in magna quantitate (*Lib.* 3. *n.* 529. *Q.* 2.); in hoc enim rerum genere, quæ nimis sunt expositæ, major quantitas ad gravem materiam constituendam requiritur (*Num.* 529.). Et hac ratione faciliter possunt excusari famuli & famulæ, quæ sibi a Dominis sumunt res comestibiles; modo non sint in magna quantitate, & extraordinariæ (*Lib.* 3. *n.* 545.). Neque condemnari debent de peccato gravi, qui ligna incidunt, aut pecora ad pastum ducunt in agros communitatis, licet prohibitum sit; quia tales prohibitiones censentur esse pure pœnales (*Num.* 529. *& n.* 614. *v.* 2. *in loco*). Gravitas autem materiæ commensuratur a qualitate personæ, cui illatum est damnum; sed hoc fusius discussum est in Opere (*Lib.* 3. *n.* 529.). Cum autem furta fiunt a filiis, aut ab uxoribus, requiritur multo major quantitas, ut sint grave peccatum; & raro hi tenentur sub gravi obligatione ad restitutionem (*Num.* 539. *&* 543.).

43. Certus factus de gravi pœnitentis obligatione Confessarius, inspiciat si pœnitens valeat restituere, licet cum aliquo incommodo: & eum non absolvat, nisi prius restituat, licet ille signa extraordinaria emendationis exhibeat (*Lib.* 3. *n.* 682.). Bona enim sunt quidam sanguis, qui a venis non eruitur nisi

cum magna vi, & dolore. Unde si restitutio non fit ante absolutionem, cum difficultate maxima fiet postea, ut experientia admodum docemur. Potest excipi tantum aliquis pœnitens, qui ita meticulosæ conscientiæ esset, ut de eo nullus dubitandi locus, superesset. Dixi *cum aliquo incommodo*; quia si ille restituendo non esset, quin in gravem necessitatem se conjiceret, idest quin a statu suo, quem juste acquisivit, decidat, tunc ille potest differre restitutionem, dummodo creditor non sit in gravi necessitate. Imo, licet creditor sit in gravi necessitate, probabiliter nec etiam tenetur debitor ad restitutionem, cum ipse pariter in gravi necessitate reperitur, & per restitutionem constituendus esset in necessitate quasi extrema. Hoc tamen intelligitur modo res ablata non extet in specie; & modo creditor præcipue non redactus fuerit ob illud furtum in eam gravem necessitatem (*Num.* 703.). Curetur saltem tunc, nempe cum potest differri restitutio, suadere pœnitenti, ut identidem paulatim restituat, aut aliquem laborem faciat, aut aliquod donum aliquando creditori offerat.

44. Possibile hic non est omnes doctrinas scitu circa hanc materiam restitutionis necessarias, quæ est ita late patens, & implicita, iterum repetere. Observetur propterea quod fusius in Opere actum est. Solummodo hic lubet pauca adnotare, quæ frequenter accidunt, & quæ magis ad praxim pertinent. Et 1. Cum aliquis in comitatu aliorum furatum ivit, ad judicium formandum si ipse ad totum damnum teneatur, an non, distinguendum est: si ille mere a sociis inductus fuit, & sine ipso jam furtum accidisset, eodem modo quo accidit, non tenebitur ad aliud restituendum, quam quod ille surripuit. Si autem concorditer (alternis sibi animos incitantibus) ad furandum iverint; tunc quisque tenetur in solidum ad restitutionem (*Num.* 379. *v. Quær.*). Ita in theorica; sed in praxi rudes, præsertim illi qui parum sunt meticulosæ conscientiæ, difficulter suaderi possunt teneri ad restituendum, quod ab aliis acceptum est: & contra, domini ipsi contenti sunt de portione illorum ob idipsum, quod si obligantur ad totum, faciliter restituere omittent, nedum quod alii acceperunt, sed etiam quod accepit ipse. Propterea Confessarius ei scire faciat se teneri ad restitutionem, quin explicet quantitatem, restituere faciens quantum sua illius conscientia dictat (*Ibid. in fin. & Auct. Instruct. pro Confessar. Pagorum*, c. 8.). 2. Advertendum, neminem teneri ad damnum illatum restituendum, si nihil sibi utilitatis evenit, si illud damnum saltem in confuso non prævidit (*Lib.* 3. *n.* 613. *in fin.*); aut nisi per Judicis sententiam ad damnum reficiendum multatus fuerit (*Lib.* 1. *n.* 100. *in fin. & l.* 3. *n.* 554. *in fin.*). 3. Si furtum est incertum, nempe si incerta est persona cui illatum est damnum, obligandus est pœnitens ad restituendum, aut Missas celebrare faciendo, aut eleemosynas pauperibus, aut piis locis elargiendo (*Lib.* 3. *n.* 589. *in fin.*); & si ipse pauper est, potest sibi aut suæ familiæ applicare (*Num.* 672.). Sed si persona est certa, debet huic fieri restitutio; quare mirum quidem est tot reperiri Confessarios tam imperitos, qui, cum sciatur quis sit creditor, pœnitentibus imponunt, ut de re restituenda eleemosynas erogent, aut Missas celebrare faciant. In eo casu ego hanc defendi sententiam (*Lib.* 1. *n.* 39. *v. Quid si*), pœnitentem iterum teneri ad restituendum, quia fur in omnibus casibus, etiam fortuitis, debet reddere dominum indemnem, nec acquiescere potui opinioni adversæ. Dixi duntaxat (*Lib.* 3. *n.* 534. *Qu. II.*) quod si furta essent minuta, licet simul unita ad magnam summam advenerint, & etiamsi domini essent certi, sed diversi, tunc excusarem a peccato gravi eum qui vellet restituere pauperibus, propter rationem ibi allatam, & etiam a veniali, si rationabilis causa adesset, prout si restitutio fieri non posset dominis sine notabili incommodo, aut si aliqui pauperes in ea essent necessitate, ut præsumerentur domini consentire, ut illis fieret restitutio (*Num.* 595. *in fin.*). Si quis fraudem multis civibus, sed incertis fecerit per furta minuta, ex gr. vendendo vinum, oleum &c. mensura detracta, aut pondere imminuto, ego defendi teneri ad restituendum ipsismet civibus (aut pretium minuendo, aut pondus vel mensuram augendo), & non jam pauperibus loci, ut alii permittunt; licet, jam supra dixi, si pauperibus daret, non peccaret graviter, & ne venialiter quidem, si justa causa accederet (*Dict. n.* 593.). 4. Notandum, quod si quis rem alienam sumpserit, aut retineret cum præsumptione, quod si a domino eam peteret, libenti animo eam ipsi donaret, is non debet obligari ad restitutionem (*Lib.* 3. *n.* 700. *v. Quær. hic. I.*). 5. Neque debet obligari ad restitutionem, qui immemor debiti, suo creditori donum mere gratuitum præbuit (*Num.* 700. *v. Quær. III.*). 6. Advertendum quod ut pœnitens teneatur ad restitutionem sub culpa gravi, cum res ablata jam consumpta est, & ille ditior non est factus, opus est primo, ut intercesserit culpa gravis interna contra justitiam commutativam (*Lib.* 3. *n.* 550.). Præterea requiritur ex sua parte, ut actio externa, sive influxus sit damni causa efficax (*Num.* 584.), & insuper, ut hic influxus sit completus, sive graviter injustus (*Lib.* 3. *n.* 551.); & ut habeatur moralis certitudo quod ille talis fuerit (*Num.* 562. & 568.). Hoc est id quod ad acceptionem pertinet. Circa autem ad retentionem rei, cum pœnitens pro se habet probabilem opinionem cum legitima possessione, non potest a Confessario obligari ad restitutionem (*Lib.* 1. *n.* 669.); imo qui incœpit possidere in bona fide aliquam rem, post diligentiam factam ad veritatem inveniendam, non tenetur ad aliquid restituendum, nisi certus fiat de jure quod proximo competit, ut pluribus locis probavi. Quod si restitutionis obligatio esset certa, sed pœnitens maneret in bona fide, & Confessarius certe prævideret correptionem non profuturam, tunc debet eam omittere; ne per ipsum fiat, ut quod est peccatum materiale, evadat formale cum pernicie illius animæ, ut dicunt DD. (*Lib.* 6. *n.* 612. *v. Infer. II.*); vide dicta *Cap. I. n.* 8. & 9. Denique quoad obbligationem restitutionis ratione contractus, oportet alios consulere, libris studere, & postea decidere. Reliquum est, ut hic advertatur, quod si reperiantur aliqui contractus usu per longum tempus recepti in aliqua regione, ubi præcipue missiones factæ sunt, Confessarius non debet eos condemnare, nisi prius omnibus inspectis circumstantiis: siquidem primo aspectu multi contractus apparent usurarii, aut injusti, sed postea melius rebus perpensis tales non sunt habendi. Circa autem bonorum præscriptionem observa brum (*Lib.* 3. *ex n.* 504.).

45.

45. Circa VIII. *Præceptum* 1. Interrogetur pœnitens, si aliquem infamaverit? & si id effecerit, falsum delictum ei imponendo, aut verum patefaciendo? & cum delictum est verum, si illud erat occultum, aut publicum in aliquo loco, fama, aut Judicis sententia? item interroget, si infamaverit coram uno, an pluribus; & coram quot; item si divulgaverit factum, ut a se cognitum, an ab aliis auditum? Circa autem famæ restitutionem, si delictum quod est patefactum, erat falsum, qui infamiam intulit, tenetur se retractare. Si vero delictum est verum, debet infamiæ illatæ prospicere meliori modo, quo potest, sine mendacio: dicat ex. gr. *Allucinatus sum, me fefellit, erravi*. Alii etiam admittunt posse dici, *mentitus sum*, æquivocando, dum omne peccatum est mendacium, ut dicitur in Scripturis. Ego soleo dare consilium, ut dicant: *e capite meo hoc erui*, vulgo (*me l' ho cacciato di capo*), etiam æquivocando, quia omnia verba e mente (pro qua accipitur caput) procedunt. Quod si unquam famæ restitutio probabiliter judicaretur majus damnum quam utilitatem infamato allatura, quia præsumitur res ab hominum memoria effluxisse (ut præsumitur cum famæ obtrectatio multo ab hinc tempore accidisset, & inde de hac nulla amplius facta est mentio), tunc satius est occasiones captare infamia notatum laudandi in aliqua ejus virtute, ut eum in bonam aliorum opinionem ponat, quam in memoriam revocare res præteritas hac famæ restitutione. Confessarius procuret, ut hujusmodi famæ compensationes, cum commode fieri possunt, ante absolutionem fiant, quia postea difficulter adimplentur: licet hæ minus difficultatis habeant, quam pecuniæ restitutio. Denique hic advertatur quod proximi delictum patefacere, tunc proprie detractio dicitur, & est peccatum, cum intenditur, ut ait S. Thomas (2. 2. *q.* 73. *art.* 2.), famam alterius denigrare, non autem cum intenditur aliquod damnum vitare, ut esset parentes, dominum, Prælatum certiores facere, ut reus emendetur, aut aliorum damno consulatur. Modo illius damnum esset magni momenti, aut longe minus damno infamia notati. Observetur id quod habetur in Opere (*Lib.* 3. *n.* 669.).

46. Circa debitum restituendi alicui honorem ablatum, propter contumeliam ei irrogatam, jam actum est in Præcepto VI. *num.* 36. In hoc Præcepto VIII. DD. etiam agunt de judiciis temerariis. Multi rudes se accusant se male de aliquo sensisse. In hoc opus est advertere. Quod cum motiva sufficientia adsunt sic judicandi de aliquo facto, judicium non est temerarium, sed justum, & propterea culpa caret. 2. Quod plerumque hæc non sunt judicia, sed suspiciones, in quas domini, Patresfamilias aliquando tenentur induci, ut aliquod peccatum impediant, ex. gr. ne servi furentur, ne filiæ peccent, cum viris versando &c. Tantummodo eos de hoc moneat, ne hujusmodi suspiciones sine necessitate cum aliis conferant.

47. Reliquum esset sermonem facere de Præceptis Ecclesiæ, sed de iis, nempe de obligatione audiendi Missam, & de non laborando die festo, jam satis supra diximus *n.* 32. & 33. Circa jejunium autem, tria in Confessarii memoriam revocamus. I. Non omnes labores excusare a jejunio, sed eos duntaxat, qui multam corporis agitationem causant (*Lib.* 3. *n.* 141.). II. Operarios iis solis diebus excusari a jejunio, in quibus actu laborant, aut cum sperant crastina die laboraturos, & non posse nisi die præcedenti comedant (*Ibid. n.* 144.). III. Non sufficere ad jejunium satisfaciendum extra prandium & cœnam non comedere, aut vespere minus solito cœnare, ut falso multi credunt; jejunium enim importat unicam comestionem facere in die; & vesperi aliud non permittitur quam simplex collatiuncula octo unciarum juxta communem consuetudinem, aut ad plus decem unciæ possunt concedi illi, qui ob majorem exigentiam usus fuisset majori quantitate ordinariam excedente (*Num.* 125.). Pauperes vero, quibus mane non fuisset cibus sufficiens, & non possunt substentari sola collatiuncula serotina, hi excusantur (*Num.* 123. *v. Secundo*.). Quod si vespere hi haberent sufficientem cibum, dicunt DD. hos teneri ad jejunium, antevertendo cœnulam ad meridiem; sed multi alii hoc negant, quia hujusmodi jejunium incommodo extraordinario esset illis. Observentur quæ in Opere habentur (*Lib.* 3. *n.* 1034. *circa finem*.).

Postquam tale examen a rudibus exegerit, quomodo postea Confessarius se gerere debeat, ut disponat pœnitentem ad dolorem, & adjungat pœnitentiam, jam supra actum est (*num.* 10. & 11.). Sed ante omnia advertat tale examen non negligendum, ubi cognoscitur opus esse, dum invenitur Confessariorum major pars in hoc puncto deesse.

CAPITULUM III.

De intetrogationibus adhibendis cum Personis diversi status, aut conditionis, quæ sunt conscientiæ parum meticulosæ.

48. Hic advertitur, quod circa obligationes proprii status, aut officii non semper sufficit Confessario pœnitentem interrogare tantum, an suam obligationem impleverit, cum pœnitens videtur esse conscientiæ parum meticulosæ, aut Confessarius aliunde habet rationabilem suspicionem quod ille suis obligationibus desit; tunc oportet, ut ipsum interroget in particulari, saltem circa ejus obligationes principaliores.

49. Et primo, si est sacerdos qui ad confitendum accedit, interrogetur 1. an satisfecerit horis canonicis, & oneribus Missarum, vel an has per multum tempus distulerit celebrare? 2. an negotiationem exercuerit? 3. an nimis festinanter Missam absolvat? nam si infra quadrantem horæ illam terminat, ipse a culpa gravi nequit excusari, etiamsi Missa sit de requiem, ut non sine magno fundamento plures DD. docent (*Tom. II. l.* 6. *n.* 400.): infra enim tam breve spatium non est possibile Missam absolvere sine magna verborum & cæremoniarum negligentia; saltem nequit Missa celebrari cum ea gravitate & decentia, quæ tanto Sacrificio convenit. Insuper ex Missa nimis festinanter celebrata, oritur etiam grave scandalum laicorum, quibus, ut ait Bellarminus (*Ibid.*), videntur hujusmodi Sacerdotes non credere quod in Missa realiter sit præsens Divina Christi Domini Majestas.

50. Præterea, non erit improprium Sacerdotes inter-

terrogare, an in ipsorum Patria magna sit penuria Confessariorum? Eo enim casu posset aliquis Sacerdos teneri ad se reddendum idoneum ad Confessiones excipiendas, ut validis rationibus probavimus (*Num.* 625.); quibus addatur doctrina D. Thomæ, qui (*Suppl. quæst.* 34. *art.* 1.) inquit, Deum ad hoc instituisse in Ecclesia Ordinem Presbyterorum, ut ipsi aliis Sacramenta ministrarent; *Et ideo* (verba S. Doctoris) *posuit Ordinem in ea, ut quidem aliis Sacramenta traderent.* Idcirco Sacerdotes appellantur lux mundi, sal terræ, & coadjutores Dei. Cum igitur finis Sacerdotis sit Sacramenta ministrare, quomodo ipse poterit a culpa excusari, si viderit suos conterraneos carere Confessariis, & ideo plures eorum in peccato manere, cum magno damnationis periculo; & ipse Domini finem, ob quem ad Sacerdotium fuit evectus a Deo, frustraneum reddit, negligendo ex pigritia idoneum effici ad ministrandum pœnitentiæ Sacramentum, quod saluti animarum, excepto Baptismo, præ aliis necessarium est. Nimis verenda sunt verba Domini adversus eos Sacerdotes, qui salutem proximorum parum curant. *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei .... ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem ejus de manu tua requiram Ezech.* 3. 18. Si autem Sacerdos ille se excuset adducendo suam insufficientiam, audiat S. Franciscum Salesium, qui falsam vocat humilitatem eorum Sacerdotum qui renuunt animarum saluti incumbere, sub titulo suæ imbecillitatis. Ista (ait Sanctus) malitiosa est humilitas, & inventus amoris proprii, qui sub hoc specioso prætextu propriam quærit tegere socordiam. Subdit quod Deus, cum aliquod nobis talentum donaverit, juste petit a nobis, ut illud exerceamus: quapropter qui eo utitur & paret, ille magis humilem se ostendit. Superbi quidem causam habent, ut nullum suscipiant opus, quia tales in seipsis fidunt. Humiles contra magnanimi sunt, quia non proprias perpendunt vires, sed in Deo confidunt cui placet in nostra infirmitate suam omnipotentiam extollere; unde concludit quod humiles omnia aggredi possunt.

51. Secundo, si accedit ad confitendum aliquis Confessarius, de cujus idoneitate prudenter dubitatur, interrogetur, an studio sufficientem operam dederit, & an studere pergat? nam, ut diximus *n.* 18. *in fine*, ad bene exercendum officium excipiendi Confessiones, non satis est aliquando studuisse. Item, an absolverit eos qui manebant in occasione proxima peccati, aut erant recidivi, nec extraordinaria signa suæ dispositionis afferebant? Si unquam talis Confessarius aliquam pœnitentem sollicitasset ad turpia, interrogetur, an sciat eum non posse Sacrum facere, dum a SS. P. Benedicto XIV. sollicitantibus imposita est inhabilitas perpetua; & Papæ reservata, quæ, ut ostendimus in Opere (*Lib.* 6. *n.* 705.), ante omnem sententiam incurritur. An autem hæc incurratur etiam ab ignorantibus? Observa quæ dicuntur in eodem Opere loco citato, Venetiis edito.

52. Tertio, si accedit Parochus, interrogetur 1. an attendat ad debitas correctiones erga subditos? præcise erga eos qui aliquo tenentur odio, aut cum aliqua turpiter conversantur, aut domos sponsarum frequentant. Et de hac materia loquendo hujusmodi Parochus valde advertatur ad non accipiendas promissiones mutuas matrimonii, nisi parum ante, quam Nuptiæ sint contrahendæ, ut prudentes Parochi agunt; alioquin omne tempus illud usque ad matrimonium, peccatorum tempus erit. 2. An invigilet, ut sui subditi absque exceptione personarum Paschale impleant præceptum? Quot personas in Missionibus invenimus, præsertim majoris existimationis, quæ per multos annos præceptum implere omiserunt, quin Parochus eos admonuerit, & opportuna adhibuerit media ad ipsorum resipiscentiam? 3. An Sacramenta ministraverit (præcipue pœnitentiæ) in periculo mortis, aut cum requisitus fuerit per seipsum (*Num.* 623. *v.* 2. *Resp.* 2. *& Resp.* 3.)? Dico per *seipsum*, quia, cum ipse potest, non satisfacit illa per alios ministrando (*Lib.* 4. *n.* 27. *v. Hinc*). 4. An moribundis debitam præstiterit assistentiam? 5. An in Dominicis conciones habuerit, etenim Parochus cum non est legitime impeditus, omittendo concionari per mensem continuum, aut per tres menses discontinuos intra annum, a DD. non excusatur a gravi culpa (*Lib.* 3. *n.* 269. *vers. Hic obiter*). 6. An debitas largitus sit eleemosynas habens beneficium pingue, congruam excedens? 7. An attenderit ad instruendos in Doctrina Christiana pueros, & rusticos circa mysteria fidei, & media ad salutem? Præsertim an instruerit rudes circa dolorem peccatorum necessarium ad obtinendam absolutionem, necnon pueros circa Communionem ætate qua jam ad eam sunt idonei, nimirum ordinarie loquendo ab anno decimo usque ad duodecimum, vel ad summum ad decimum quartum (*Lib.* 6. *n.* 301. *v. Sed hic*)? Sciendum enim, S. Carolum Borromæum suis Parochis præcepisse quod ad Communionem idoneos redderent pueros, statim ac ad decimum annum pervenissent (*Ibid.*). At quidam Parochi renuunt etiam pueris, qui ad annum pervenerint duodecimum, Eucharistiam ministrare, & cur? ut incommodum effugiant illos instruendi. 8. Interroget sedulo, an facile, & ob humanos respectus attestationes in scriptis dederit initiandis necessarias, ut illi possint Ordines suscipere? in hoc enim oportet quod Parochi non sola notitia negativa sint contenti, cum debeant habere positivam de ipsorum probitate, & Sacramentorum frequentia; & ideo tenentur particulariter de his omnibus certiorari. Quandoque inveniuntur ordinandi mille culpis onerati, qui vix semel in anno communionem acceperint, imo qui etiam præceptum paschale omiserint, & deinde audacter attestationes Parochi præsentant de morum honestate, & Sacramentorum frequentia. Isti jam postea ordines suscipiunt, & scandalum fiunt populo; & de omnibus ipsorum flagitiis Parochus equidem rationem Deo reddere debet, nam Episcopi in hoc Parochis credunt: sed Episcopi seduliores fidem non præstant Parochis in hac materia tam gravi, a qua salus pendet populorum.

53. Quarto, si accedit Episcopus negligentis conscientiæ, Confessarius interroget 1. An debitam adhibeat diligentiam (præter scientiæ examen) in se certiorando de positiva probitate ordinandorum? prout Sacri Canones, Tridentinum, & Apostolus imponunt, minime acquiescendo Parochorum attestationibus, quæ (ut diximus) ut plurimum aut falsæ sunt, aut suspectæ. 2. An approbet ad confessiones Sacerdotes sat in moribus & doctrina expertos? Aliter illi plus damni quam utilitatis afferent. 3.

Quo-

Quomodo reditus mensæ expendat; & applicet? Ut enim probavimus (*Lib.* 3. *n.* 492.). Episcopi dempta honesta sua sustentatione, reliqua tenentur pauperibus elargiri. 4. Quomodo residentiæ obligationi satisfaciat? Etenim nec etiam per tres menses a Tridentino concessos, ipse a sua diœcesi potest abscedere, ut Pontifex Benedictus XIV. declaravit, si ex futili causa sive ob meram oblectationem abesset. 5. Quomodo invigilet ad inquirenda suarum ovium scandala, ut ipsa reparet meliori modo quo poterit, implorando etiam subsidium brachii secularis, si oportet? 6. Interroget quomodo se gerat in bono exemplo exhibendo? certe enim Prælatus speciali modo tenetur exemplarem se præbere, alioquin quomodo poterit suos Ecclesiasticos corripere; puta ne cum mulieribus versentur, neque ludos vetitos frequentent, si de his malum ipse tribueret exemplum?

54. Quinto, si confitetur Monialis, interrogetur. 1. An aliquem defectum commiserit circa vota, præsertim paupertatis, accipiendo vel largiendo sine licentia? 2. An satisfecerit horis canonicis? Opinio enim quod Moniales in privato non teneantur officium recitare, non est satis probabilis, ut ostendimus (*Lib.* 4. *n.* 141.). 3. An erga aliquem mutuam nutrierit benevolentiam periculosam, puta si adfuerint saltem verba, aut literæ amatoriæ? Et eo casu, si Monialis familiaritatem illam nollet relinquere, constans sit Confessarius in neganda ei absolutio; in hujusmodi enim familiaritatibus, licet finis positive pravus absit, semper tamen periculum urget: saltem adest scandalum, & malum exemplum respectu aliarum (*Diana part.* 5. *tr.* 7. *R.* 21. *&* 22.), 4. An aliquo teneatur odio in suas sorores. 5. Si Monialis aliquod exercet officium, interroget de illo in particulari; puta *Rotariæ*, an afferat literas aut nuncia de malo suspecta? *Portinariæ*, an oscitanter januam reseratam teneant, cum periculo scandali Monialium, aut aliorum? *Abbatissis*, an debitam adhibeant diligentiam, cum viri in monasterium ingrediuntur, aut morantur; aut an novis abusibus conniveant? Advertendo quod licet particulares Moniales peccent leviter, levem regulam transgrediendo, superiores tamen, quæ non curant impedire cum possint observantiæ relaxationem, peccant in re gravi (*Lib.* 4. *n.* 13.).

55. Sexto, si accedit quis judicis officio fungens, interrogetur 1. An fuerit personarum acceptor? 2. An causas expediverit? 3. An in judicando conveniens studium præmiserit, omiserit, vel ex aliqua animi affectione motus erga alteram ex partibus sententiam dixerit?

56. Si autem accedit tabellio, interrogetur 1. Quomodo se gerat in capiendis informationibus? 2. An intermiserit interrogationes suggestivas? 3. An testium depositiones diminuerit, vel auxerit?

57. Septimo, si accedit medicus interrogetur 1. An satis fuerit versatus in studio medicinæ, & in praxi medendi? necnon an studium adhibeat (ut tenetur) in casibus difficilioribus qui occurrunt? 2. An alicui impertierit licentiam edendi carnes ob merum humanum respectum, sine justa causa? 3. An aliquod periculosum remedium applicaverit infirmo, non adhuc de vita desperato (*Tom. I. l.* 1. *n.* 28. *v. Quær.* 2.)? 4. An fuerit causa ut remedia acciperentur ab aliquo pharmacopola suo amico, quem tamen noverit parum esse fidelem, vel peritum, aut ineptas vendere medicinas? 5. An attenderit ad curandos pauperes, si ad hoc stipendium exegerit; vel sine stipendio, si pauperes fuerint in gravi necessitate (*Trullench. t.* 1. *l.* 4. *c.* 1. *dub.* 11. *in fine*)? 6. An curaverit suos monere infirmos, ut tempore debito confiterentur, juxta præcepta pontificia? De hoc puncto in pluribus Operis locis sermonem fecimus (*Lib.* 3. *n.* 182. *& melius l.* 6. *n.* 664.), ubi dictum est quod Innocentius III. medicis præcepit, ne alicujus infirmi curam susciperent, nisi prius ille confessus fuerit; & S. Pius V. confirmans tale præceptum, insuper jussit, ut medicus post tertium diem relinquat infirmum, nisi sciat ipsum fuisse confessum; item mandavit quod omnes medici, antequam gradum Doctoratus assumant, dent juramentum observandi hoc præceptum; idque mandatum est omnibus collegiis. Sed dubium fit, quomodo hujusmodi præceptum, & juramentum intelligantur. Plures, DD. tenuerunt ea procedere, cum infirmitas est periculosa: vel saltem cum dubitatur an sit periculosa; & in hoc sensu dixerunt Bullam S. Pii receptam fuisse. Sed communior sententia vult quod præfatum præceptum, quamvis non obliget in quocumque morbo levi, tamen non intelligendum tantum urgere in morbis actualiter periculosis, sed etiam in illis qui prudenter judicantur posse in posterum fieri periculosi. Et ratio est, quia Innocentius præcipit, ut medicus imponat infirmo confessionem antequam ejus curationis onus medicus suscipiat ad hoc, ut infirmus (sic loquitur Pontifex) de Confessione monitus, de salute desperans, facilius in mortis periculum incurrit: Igitur intendit effici, ut infirmus confiteatur antequam morbus fiat mortalis. Hæc sententia mihi videtur vera. Hoc tamen non obstante, in contrarium est praxis medicorum, etiam timoratæ conscientiæ, qui non solent monere infirmos ad confitendum, nisi cum infirmitas probabiliter jam periculosa effecta est. Neque in hoc putant peccare adversus juramentum præstitum juxta Bullam S. Pii, innixi doctrinæ plurium auctorum (*Ibid. v. Notant infra ad n. V.*) sentientium quod præfatum juramentum non obligat, nisi pro illa parte, pro qua a consuetudine præceptum est. Ceterum non dubitandum, quin mortaliter peccent saltem medici illi, qui omittunt monere infirmos de confessione, cum infirmitas est jam periculosa. Oh quam miserum est infirmos (& præsertim eos qui spectatæ sunt dignitaris) ad incitas mortis reduci, ut rationes vitæ Deo mox reddituras parent, tempore quo sunt quasi exanimes, cum vix possint verba tunc modulare, vix alios audire, vix statum concipere propriæ conscientiæ, suorumque peccatorum dolorem. Et totum hoc evenit culpa istorum medicorum, qui ne displiceant infirmis, aut eorum propinquis, illos certiores non faciunt de periculo; imo eis blandiri pergunt usque dum omnino ipsi de vita desperantur. Cum igitur accedit medicus negligentis conscientiæ, curet Confessarius præcipue eum interrogare & monere, non obiter, sed cum calore de hac obligatione intimandi Confessionem infirmis saltem quando advertit morbum jam esse gravem aut dubitat quod sit jam gravis ut communiter dicunt DD. qui in hoc non discrepant. Dico *cum calore*, nam ex hoc puncto pendet salus spiritualis, non tantum medici pœnitentis, sed omnium etiam infirmorum qui sub ejus cura erunt.

58.

58. Octavo, si accedit pharmacopola, interrogetur 1. an præstiterit remedia prægnantibus ad abortum procurandum. 2. An vendiderit unum pharmacum pro alio, & carius quam res valebat (*Lib.* 3. *num.* 821.); Hic adde Gregorium XIII. in Const. 29. *officii nostri* omnem vetuisse societatem pharmacopolas inter, & medicos, aut chirurgos.

59. Nono, si accedit mercator, interrogetur 1. an deceperit in pondere & mensura; 2. An res vendiderit ultra pretium supremum; præsertim dando merces ad creditum, cum emptores essent securi, & nihil damni ipse esset passurus. An autem pretium augeri possit, vendendo ad creditum, eo quod tale est pretium currens in venditionibus ad creditum juxta communem æstimationem? Et an res, quæ venduntur minutatim, carius possint vendi? observa doctrinas in Libro adnotatas (*Num.* 809.).

60. Decimo, si accedit Sartor, interrogetur 1. an in diebus festivis per notabile tempus laboraverit sine extraordinaria causa, ut vestes compleret, & dominis afferret (*Lib.* 3. *n.* 303. *v. Sartor.*)? 2. An jejunia impleverit ab Ecclesia præcepta? nam Sartores ob sarciendi laborem minime a jejuniis excusantur (*Num.* 1041. *v. Barbitonsores*). 3. An si alii commiserint ei pannos emere, ipse pretium majus exegerit, sub colore quod Mercator ob peculiarem amicitiam pretio minori pannos ei dederit? Si revera pars illa pretii fuisset ipsi donata, tunc poterit eam exigere, modo moralem præmiserit diligentiam apud alios Mercatores, aut certo sciat quod alii communiter mercem illam minori non vendunt pretio (*Lib.* 3. *n.* 816. *v. Caute*); hoc tamen debet esse omnino certum, alioquin nihil amplius potest exigere quam solvit. 4. An sibi retinuerit frustula, sive resegmina vestium, quæ injuste retinet, nisi adsit consensus dominorum, aut nisi illi aliquid injuste detraherent ex pretio debito, adhuc infimo communiter æstimato? 5. An sibi occasio proxima peccandi esset ex accipiendis regulis bene formandi vestes mulierum per ipsarum corporum commensurationem (vulgo ut dicitur, *in pigliar la misura*), aut esset ex aptandis vestibus feminis, quod nequit fieri nisi cum ipsarum mulierum attrectatione, idque esset sartori occasio proxima incidendi in pravas delectationes, aut desideria prout non raro accidit improbæ conscientiæ viris?

61. Undecimo, si accedit aliqua Venditrix sive Proxeneta (intellige de his quibus traduntur a dominis res vendendas licitantibus) interrogetur 1. an aliquid retinuerit pretii ab emptoribus exacti; tenuimus enim (*Num.* 825. *v. Quær.*) quod Venditrix nequit illud superans sibi retinere, etiamsi traderet domino pretium ab eo designatum; quia talis determinatio fit, ut res non vendatur minoris, non autem, ut Proxeneta illud quod superest sibi retineat; idque procedit, etiamsi a domino fuerit locus designatus, ubi res venderetur, & Proxeneta, adhibita ibi debita diligentia, in alio loco multum distanti pluris deinde vendidisset: etenim tunc etiam dicimus, quod ipse nequit omne superfluum retinere, sed tantum id quod ipsi spectare potest ob illum extraordinarium laborem; nam res semper domino fructificat. Excipimus (*Ibid. v. Bene autem*). 1. Si Proxeneta rem meliorem reddidit, & ideo pluris vendidisset quam res prius valebat. 2. Si Proxeneta cum domino convenerit, amplius ei non tradere, nisi pretium ab eo determinatum: & hoc sive expresse sive tacite, prout esset si dominus nullum pro ejus labore stipendium assignasset. 3. Si quod superest esset parvi momenti, ita ut præsumeretur dominus condonare. Si 4. Proxeneta, facta ordinaria diligentia ipse sibimet emeret rem pretio ab aliis oblato, & post ea eam pluris venderet. Idem dicendum, si quis tibi commiserit aliquam rem emendam pretio designato, & tu minoris emisses; tunc enim nihil amplius exigere potes, nisi extraordinarium laborem adhibuisses ut impensæ parceres; aut si rem tuo nomine emisses, periculum in te assumendo; hoc tamen intelligitur, si jam præmisisses moralem diligentiam, nec invenisses a quo rem minoris emere potuisses (*Ibid.*).

62. Duodecimo, si accedit Barbitonsor, interrogetur an alios tondeat in diebus festivis, & ubi hujusmodi consuetudo non adsit? Dum contra id ei non est vetitum, ubi consuetudo jam introducta est: aut si ibi nequeunt viri tonderi nisi in festis, eo quod in aliis diebus labori operam navare debent, ut se suosque sustentare possint. Præterea interrogetur, an comam mulieribus componat, juxta improbum usum hoc tempore a Satan inventum. Ordinarie loquendo, puto id esse viris proximam occasionem peccandi lethaliter turpibus delectationibus, aut saltem desideriis; unde dico minime permittendum id alicui qui in se contrariam non habuisset experientiam. Quod si unquam quis per notabile tempus expertus fuisset, in hujusmodi actione se immunem a peccato, hic revera damnari nequit de mortali; sed hoc non obstante, non omittat Confessarius eum removere quantum potest ab hujusmodi officio, quod certe in se periculum continet. Hinc nolo dubium aliud discutere, an feminæ possint vel ne tuta conscientia viros accersere, ut illis suas componat comas. Audio quod ipsæ pluribus in locis hoc faciunt: & confitentur, & communicant, videant ipsæ & ipsarum Confessarii. Saltem Confessarius eis imponat, ut non utantur viro aliquo juniori, ex cujus actionibus perceperint malitiose se gerere. Ceterum censeo quod mulieres purioris conscientiæ non quidem utentur viris, sed contentæ erunt feminis, a quibus coma componatur, meliori modo quo potest.

CAPITULUM IV.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi.

63. Maxima Confessarii cura debet esse se bene gerendi cum iis qui sunt in proxima occasione peccandi, aut in vitiis consuetudinarii sunt, aut recidivi. Hic sunt duo magni scopuli, in quos major Confessariorum pars impetunt, & deficiunt. In Capitulo sequenti sermonem faciemus de habituatis, & recidivis; hic de occasionariis. Certum est quod si homines satagerent occasiones fugere, major peccatorum pars evitaretur. Satan, remotis occasionibus, parum lucratur, sed cum homo ultro in occasionem proximam se immittit; ut plurimum & fere semper hostis victoriam canit. Occasio, præsertim in materia turpium delectationum, est quasi rete, quod ad peccatum trahit, & simul mentem obcæcat: ita ut ho-

homo peccet, quin videat quod agat. Sed deveniamus ad praxim. Occasio primo dividitur in Voluntariam, & Necessariam. *Voluntaria* est illa quæ facile vitari potest. *Necessaria* quæ amoveri nequit sine gravi damno, aut scandalo. Secundo dividitur in Proximam, & Remotam. *Remota* est illa in qua homo raro peccat, vel illa quæ ubique reperitur. *Proxima*, per se loquendo, est illa in qua homines communiter ut plurimum deficiunt. Proxima autem *per accidens*, seu respectiva est ea, quæ licet respectu aliorum non sit proxima, tamen respectu alicujus proxima est, vel quia hic in tali occasione frequenter est lapsus, vel quia prudenter timeri potest quod labatur propter experientiam cognitam suæ fragilitatis. Quidam AA. volunt, non esse occasionem proximam nisi eam in qua homo fere semper, vel ut plurimum ceciderit; sed communior, & verior sententia docet, occasionem proximam esse illam in qua frequenter quis peccavit (*Tom. II. l.* 6. *n.* 452.). Verumtamen advertendum, quod sicut aliquando occasio quæ respectu ad alios communiter est proxima, respectu vero ad aliquem valde pium & cautum potest esse remota (*Ibid.*); Ita contra quædam occasiones quæ respectu ad alios communiter per se essent remotæ, forte erunt proximæ respectu ad aliquem qui propter experimentum relapsuum, & propter pravam inclinationem in quoddam vitium (præsertim si est turpe) factus est valde debilis & facilis ad labendum; & tunc iste tenebitur ad removendas non tantum occasiones proximas, sed etiam illas remotas, quæ respectu sui proximæ evadunt.

64. Ceterum est quidem in occasione proxima, 1. Ille qui retinet in propria domo aliquam feminam cum qua sæpe rem habuit. 2. Ille qui frequenter in ludo prorupit in blasphemias, aut fraudes. 3. Ille qui in aliqua caupona aut domo sæpe se inebriaverit, aut ceciderit in rixas, vel actus, verba, aut cogitationes obscœnas. Porro omnes isti absolvi nequeunt, nisi postquam occasionem abstulerint, aut saltem nisi auferre promittant, juxta distinctionem, quæ fiet in numero subsequenti. Et ita pariter non potest absolvi qui aliquam domum adeundo, quamvis semel in anno, semper ibi peccavit; talis enim aditus jam ipsi proxima est occasio. Nec etiam absolvi possunt, qui tametsi in occasione positi non labuntur, afferunt tamen aliis grave scandalum (*Lib.* 6. *n.* 452. *vers. ex præmissis*). Addunt aliqui DD. (*Ibid.*) negandam quoque absolutionem illi qui occasionem externam non removet, si cum occasione conjungitur habitus vitiosus, aut magna tentatio, seu vehemens passio, quamvis usque tunc in ea occasione nunquam peccaverit; nam facile deinde peccare poterit, si ab occasione se non amoverit. Hinc dicunt, quod si unquam aliqua famula tentaretur ab hero, & ipsa se noverit facilem ad labendum, ab ea domo abscedere tenetur, si commode potest, alioquin temere præsumeret se securam habere. Et hic caveant Confessarii a permittendo sponsis domos sponsarum adire, & puellis earumque parentibus sponsos in domum admittere, quia raro evenit quod tales sponsi non labantur, saltem in verba, aut cogitationes turpes in hujusmodi occasione, dum omnes aspectus, & colloquia sponsos inter sunt incentiva ad peccandum: estque moraliter impossibile ipsos invicem conversari, & non sentire stimulos ad eos turpes actus, qui tempore Matrimonii deinde succedere debent.

65. Generaliter autem loquendo de adolescentibus & puellis qui invicem se adamant, quippe non sunt isti omnes indistincte de gravi culpa damnandi, sed ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi. Id nimium experientia patet; nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in occasione a mortalibus invenientur immunes; & si non in principio, saltem in progressu; tales enim adamantes prius conversantur invicem ob propensionem, deinde propensio fit passio, & passio postquam radicem in corde fixerit, mentem obtenebrat, & eos in mille crimina ruere facit. Hinc Cardinalis Picus de Mirandula, Episcopus Albanensis, in sua Diœcesi per Editum suos admonuit Confessarios, ne tales adamantes absolverent, si potquam ter ab aliis jam fuerint admoniti, ab hujusmodi amore sectando non abstinuissent, præsertim tempore nocturno, aut diu, aut clam, aut intra domos (cum facili periculo osculorum, & tactuum), aut contra parentum præceptum, aut cum altera pars prorumpit in vera obscœna, aut cum scandalo (prout si in Ecclesia), aut cum Conjugatis, Claustralibus, aut Clericis in sacris. Et in hoc generaliter advertendum, quod ubi agitur de periculo peccati formalis, & præcise peccati turpis, Confessarius quanto magis rigorem cum pœnitente adhibebit, tanto magis ejus saluti proderit; & contra, tanto magis cum illo immanis erit, quanto magis benignus erit in permittendo, ut ille in occasione maneat, aut se immittat. S. Thomas de Villanova Confessarios in hoc condescendentes vocat eos, *impie pios*. Hæc charitas est contra charitatem. Solent in his casibus pœnitentes conari, ut Confessarii apprehendant, quod occasionem removendo magnum orietur scandalum. Fortis sit Confessarius ad hujusmodi timores despiciendos; majus semper erit scandalum, videre quod Pœnitens nec etiam post Confessionem occasionem aufert. Aut alii ejus peccatum ignorant, & tunc nihil mali suspicabuntur. Aut sciunt, & tunc Pœnitens famam potius recuperabit, quam amittat, removendo occasionem.

66. Plures DD. censent prima, aut secunda vice bene absolvi posse, qui est in occasione proxima; licet voluntaria, etiam antequam occasio auferatur, modo firmum habeat propositum, & promittat illam statim removere. Sed hic oportet distinguere cum S. Carolo Borromæo (in Instructione Confessarii ab eo tradita) occasiones quæ *sunt in esse*, & occasiones quæ *non sunt in esse*. Occasio quæ *est in esse*, est ex. gr. cum aliquis concubinam domi detinet, vel cum aliqua famula consentit quoties tentatur a Domino, & similia. Occasio autem quæ *non est in esse*, est ex. gr. cum quis in ludo prorumpit in blasphemias, aut versando in cauponio prolabitur in rixas, & ebrietates, aut accedendo ad convivia incidit in verba, & cogitationes turpes. His positis, dicendum, quod in occasionibus quæ *non sunt in esse*, recte docet S. Carolus quod Pœnitenti firme promittenti ab eis abstinere, potest ei semel, bis, & etiam ter Absolutio dari; quod si deinde ille occasionem non aufert, & eodem modo peccat, non potest absolvi, nisi prius occasionem removeat. In occasionibus autem quæ *sunt in esse*, cum eodem S. Carolo omnino neganda est Absolutio, nisi occasio prorsus auferatur. Hancque sententiam (ordinarie loquendo omnino tenendam probavimus in libro (*Lib.* 6. *n.* 454.). Ratio, quia talis Pœnitens est indispo-

si-

situs ad Absolutionem, si petat eam antequam occasionem removeat; etenim eam recipiendo, se immittit in proximum periculum frangendi propositum; & sic remanendi in eadem occasione. Clarius rationem hanc explicemus. Porro mortaliter peccat qui est in occasione proxima voluntaria, & eam non tollit, cum autem opus tollendi occasionem sit maxime arduum, & non impleatur, nisi per magnam violentiam, hanc vim difficulter sibi infert qui jam est absolutus, dum ablato timore sine Absolutione remanendi, de facili sibi suadebit quod tentationi resistet, quin occasionem auferat, & ita in ea manendo, certe quidem recidet; prout quotidie experimento probatur in pluribus Pœnitentibus, qui, carpta Absolutione ab aliquo Confessario parum cauto, minime postea attendunt ad occasionem removendam, & statim deterius relabuntur. Hinc diximus quod propter prædictum periculum frangendi propositum, mortaliter peccat Pœnitens qui ante remotionem occasionis Absolutionem petit, & gravius peccat Confessarius qui illum absolvit.

67. Diximus *ordinarie loquendo*, nam plures casus excipiuntur a DD. (*Ibid. v. Dixi tamen*) in quibus Pœnitens absolvi potest, antequam occasionem removerit. Et excipitur 1. casus in quo Pœnitens talia afferret extraordinaria signa doloris, ut prudenter judicari possit ipse non esse amplius in proximo periculo frangendi propositum de tollenda occasione; tunc enim signa illa indicant Pœnitentem donatum fuisse uberiori gratia, qua merito speratur quod in removenda occasione constans erit. Veruntamen, semper ac Absolutio commode differri posset, tunc illam etiam ei differrem, usque dum cum effectu occasionem auferat. Excipitur 2. casus in quo Pœnitens non possit redire, vel nonnisi post multum tempus; tunc bene potest absolvi, si censetur bene dispositus per propositum statim removendi occasionem; quoniam eo casu periculum frangendi propositum, remotum reputatur, causa magni oneris quod Pœnitens deberet pati, abscedendo sine Absolutione, aut repetendi Confessionem apud alium Sacerdotem, aut diu manendi sine gratia Sacramenti. Quapropter cum ille sit tunc in quadam morali necessitate recipiendi Absolutionem, antequam occasionem tollat, habet jus ut statim absolvatur (*Ibid. v. Excipiendus* 2.); dum enim hic non potest ante Absolutionem occasionem auferre, censetur ac si esset in occasione necessaria. Sed hoc nec etiam admittendum, si Pœnitens jam ab alio Confessario alias admonitus fuerit de occasione removenda, & non impleverit, quia tunc habetur ut recidivus, & ideo nequit absolvi, nisi afferret extraordinaria signa doloris, prout in sequenti Capitulo dicemus.

68. Hoc dicimus quoad occasionem proximam voluntariam; At si occasio est necessaria, aut *physice*, prout si quis detineretur in carcere, vel esset in periculo mortis, in quo non haberet tempus & modum ejiciendi Concubinam: vel *moraliter*, idest si occasio non posset auferri sine scandalo, aut gravi damno vitæ, famæ, aut bonorum, ut communiter docent DD. (*Lib.* 6. *n.* 455.); eo casu Pœnitens bene absolvi potest, quin occasionem auferat, quia tunc non tenetur eam removere, modo promittat exequi media necessaria ad efficiendum, ut occasio ex proxima evadat remota, prout sunt, præcise in occasione peccati turpis fugere familiaritatem complicis, & etiam aspectum quantum fieri potest: frequentare Sacramenta: & sæpe commendare se Deo, renovando quotidie (præsertim mane) ante Imaginem Crucifixi propositum non amplius peccandi, & quantum est possibile vitandi occasionem. Ratio, quia occasio peccandi non est proprie peccatum in seipsa, neque inducit peccandi necessitatem; unde bene consistere potest cum occasione verus dolor, & propositum non recidendi; & licet quisque teneatur auferre proximum periculum peccandi, id intelligitur cum ipse sponte vult tale periculum, sed cum occasio est moraliter necessaria, tunc periculum per remedia opportuna remotum evadit, & Deus tunc non se retrahit ab assistendo sua gratia illi qui vere deliberavit ipsum non offendere. Non dicit Scriptura quod peribit qui est in periculo, sed qui amat periculum; sed nequit dici amare periculum, qui illi invitus subjacet; unde inquit D. Basilius (*In Constit. Mon. c.* 4.): *Qui urgenti aliqua causa, & necessitate se periculo objicit, vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus subire; & ideo magis providebit Deus, ne illo pereat.*

69. Hinc dicunt DD. bene capaces Absolutionis esse qui nolunt relinquere aliquod officium, negotium, aut domum, in qua soliti fuerunt peccare, eo quod deserere eam nequeunt sine gravi detrimento, semper hac verum habeant propositum se emendandi, & media implendi ad emendationem, tales sunt ex. gr. Chirurgi qui in medendis Feminis, aut Parochi qui in excipiendis earum Confessionibus, prolapsi sunt, si, his muneribus relictis, non possent juxta suum statum vivere (*Lib.* 6. *n.* 455. *in fin.*). Sed omnes conveniunt expedire in his & similibus casibus Absolutionem differre, ut Pœnitens sit saltem diligentior in præscriptis remediis exequendis. Verumtamen ego censeo, Confessarium non tantum posse, sed etiam teneri ad differendam Absolutionem, semper ac commode differre potest, præsertim cum agitur de materia turpi; tenetur enim ipse tamquam Medicus Animarum opportuniora applicare remedia; & puto remedium magis idoneum non inveniri pro eo qui maneat in occasione proxima, quam differre ei Absolutionem, dum experientia nimis patet quod plures post Absolutionem acceptam negligunt media præscripta exequi, & sic facile recidunt. E converso, cum alicui differtur Absolutio, ille vigilantior erit ad media implenda, & ad obsistendum tentationibus, ob metum quod iterum sine Absolutione dimittetur, cum ad Confessarium redibit. Forte in hoc quis me nimium rigidum reputabit; sed ego semper sic me gessi in praxi, & sic pergam me gerere cum iis qui sunt in proxima occasione, quamvis necessaria, & quamvis extraordinaria signa doloris haberent, semper ac mihi non ostenderetur specialis necessitas eos statim absolvendi; & sic censeo multo magis prodesse Pœnitentium saluti. Utinam & omnes Confessarii sic etiam se gererent, oh quot peccata vitarentur, & quot aliæ salvarentur Animæ! Repeto quod supra dixi: Ubi agitur de liberando Pœnitente a peccato formali, uti debet Confessarius opinionibus benignioribus, in quantum Christiana prudentia concedit; sed ubi opiniones benignæ periculum peccati formalis proximius reddunt, prout in hac materia occasionum proximarum accidit, dico omnino expedire, & quandoque oportere, quod Confes-

fessarius sententiis rigidioribus utatur, tunc enim hæ valde magis prosunt Animarum saluti. Quod si autem quis, manendo in occasione necessaria, semper eodem modo relaberetur, etiam remediis adhibitis, & modica superesset spes emendationis, tunc dico omnino huic negandam Absolutionem prius quam occasionem tollat (*Ibid. n.* 457.). Et hic recte instare Evangelii præceptum: *Si oculus scandalizat te, ejice eum* (*Marci* 9. 46.). Excepto casu quo Pœnitens signa doloris ostenderet tam extraordinaria, quod posset concipi prudens spes emendationis (*Lib.* 6. *n.* 456. *in fin.*).

CAPITULUM V.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum Habituatis, & Recidivis?

70. Distinguendi sunt habituati a Recidivis? *Habituati* sunt qui habitum contraxerunt in aliquo peccato, de quo non adhuc sunt confessi. Isti, ut dicunt DD. (*Tom. III. l.* 6. *n.* 458.) bene absolvi possunt, prima vice qua confitentur de pravo habitu, vel si de eo confitentur postquam retractaverunt; dummodo dispositi sint per verum dolorem, & firmum propositum adhibendi media efficacia ad emendationem; verum si habitus esset valde radicatus, potest etiam Confessarius ei differre Absolutionem, ad experiendum quomodo sit constans Pœnitens in praxim deducendo media præscripta, utque ipse de suo vitio majorem concipiat horrorem. Advertatur hic quod quinque vices in mense jam possunt malum habitum constituere in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsas aliquod intervallum intercedat. Et in materia fornicationum, sodomiarum, & bestialitatum multo minor numerus habitum queit constituere: qui ex. gr. semel in mense fornicaretur per annum, bene hic Habituatus dici potest.

71. *Recidivi* autem sunt qui post Confessionem eodem, vel quasi eodem modo sunt relapsi absque emendatione; Isti, ut communiter docetur (*Ibid. v. Recidivus.*), nequeunt absolvi, si sola signa ordinaria afferant, nempe si tantum confiteantur, asserendo se pœnitere, & proponere, prout habetur ex Propos. 60. damnata ab Innocentio XI. Nam habitus contractus, & relapsus præteriti sine ulla emendatione magnam præstant suspicionem, quod dolor & propositum, quæ Pœnitens asserit habere, nequaquam sint vera. Unde istis differenda est Absolutio per aliquod tempus, usquedum appareat prudens signum emendationis. Et in hoc puncto lugenda est Animarum ruina, cujus causa sunt tot mali Confessarii, indistincte absolvendo tot Recidivos, qui cum repererint Confessarios, qui semper tam facile eos absolvunt, amittunt horrorem in peccando, & pergunt ad putrescendum in cœno vitiorum usque ad mortem. Quidam DD. (*Lib.* 6. *n.* 459. *v. Dicunt.*) admittunt, Recidivum solis signis ordinariis absolvi posse usque ad tertiam & quartam vicem; sed huic opinioni nunquam potui acquiescere, dum Habituatus qui post unam Confessionem recidit sine emendatione, jam est verus Recidivus, & fundatam præbet suspicionem suæ indispositionis. Et notetur hic quod hæc regula procedit, etiam respectu culparum venialium: quamvis enim communiter admittitur facilius absolvi posse eos qui prolabuntur in peccata levia, eo quod occasiones eorum frequentiores sint; attamen, cum sit communis sententia (*Num.* 499. *Dub.* 1.) grave esse peccatum, & sacrilegium Absolutionem recipere super levibus confessis sine vero dolore & proposito, nec sufficere dolere de multitudine seu de numero excessivo talium culparum, quin dolor habeatur de aliqua in particulari, prout tenuimus (*Ib. D.* 2.) contra quorumdam opinionem, facile metuendum est hujusmodi Confessiones sacrilegas esse, aut saltem invalidas. Hinc diligenter satagat Confessarius ad non absolvendos indistincte tales Pœnitentes, tunc etenim, etiamsi illi sint in bona fide, tamen non poterit a sacrilegio excusari, Absolutionem impertiendo eis qui ad Absolutionem non satis dispositi judicari possunt. Propterea curet, si Pœnitentem sine peccato vult absolvere, aut eum disponere ad dolendum præsertim de aliqua levi culpa, a qua ille magis horreat; aut ei insinuare, ut confiteatur de aliquo peccato graviori vitæ anteactæ contra aliquod præceptum (sufficit enim ut confiteatur in generali absque numero) ut habeat materiam certam super qua inniti possit Absolutio, alioquin etiam huic Pœnitenti per aliquod tempus differri oportet Absolutio.

72. Dico *per aliquod tempus*, eo quod Recidivis tam levium, quam gravium culparum non est necessarium differre eis Absolutionem per annos, aut menses, ut nimis rigide vult Juveninus (*Vid. l.* 6. *n.* 463.); sed regulariter satis erit, si peccatum procedit ex fragilitate intrinsecca, dilatio octo vel decem dierum, prout ait doctus Auctor Libri Romæ editi, cui titulus, *Istruzione per li Novelli Confessori* (*Part.* 1. *c.* 9. *n.* 215.); idemque dicit Auctor Libelli ubique in Italia accepti, cui titulus, *Istruzione per li Novelli Confessori di Terre, e Villaggi* (*Capo* 1. §. 4.), ubi pro hac doctrina citat Ludovicum Gabert (*in Praxi Pœnit. tr.* 4. *p.* 317. Addunque esse excessivam & periculosam dilationem mensis, quia post tantum tempus difficilis redditur reditus hujusmodi Pœnitentium. Et huic judicio favet Benedictus XIV. in *Bulla Apostolica* (*In Bullar. t.* 3. *p.* 143. §. 22.), ubi loquens de Confessariis, qui rite Pœnitentibus Absolutionem differunt, sic deinde eos monet *Illos quantocius ut revertantur invitent, ut ad Sacramentale forum regressi, Absolutionis beneficio donentur.* Nota verba, *quantocius, & donentur.* Ad summum (dico) his differri potest absolutio per quindecim, aut viginti dies. Sed excipere oportet illos qui tempore Præcepti Paschalis confitentur: pro istis enim majoris temporis experientia requiritur, cum justa suspicio haberi possit, quod hi abstineant a relapsu potius ut censuram effugiant, quam ex vero proposito mutandi vitam. Oportet etiam excipere eos qui lapsi sunt in occasione proxima extrinseca; isti enim majori egent experientia, cum occasio (ut dictum est in Capitulo præcedenti) sit fortius incentivum ad peccandum. Verum semper sufficiet experientia mensis. Caveat tamen Confessarius, ne dicat Pœnitenti, ut non redeat nisi post mensem; nam hic ob tantam dilationem, nimis terrebitur: potius imponat ei, ut redeat post octo, vel quindecim dies, & sic blando modo ipsum transferat ad recipiendam Absolutionem in fine mensis.

73. Ad absolvendos igitur Recidivos non sufficiunt

ordinaria signa doloris & propositi, sed requiruntur extraordinaria: quæ alias juxta communem sententiam (*Lib.* 6. *n.* 429. *v. Recidivus.*) certe sufficiunt ad Absolutionem impertiendam; illud enim extraordinarium signum (modo solidum sit & fundatum) aufert indispositionis suspicionem, quæ urget ratione relapsuum. Recte dixerunt Episcopi Belgii, in an. 1697. congregati, in quodam Decreto edito pro directione Confessariorum suarum Diœcesium, de hoc puncto loquentes: *Deum in conversione peccatoris, non tam considerare mensuram temporis, quam doloris* (*Apud Croix l.* 6. *p.* 2. *n.* 1824.). Hinc prohibuerunt, ne Confessarii stabili lege exigerent a Pœnitentibus adhuc recidivis experientiam notabilis temporis, antequam eos absolverent. Et jure merito, sola enim probatio temporis non est unicum signum mutatæ voluntatis, dum voluntas peccatoris mutatur virtute Divinæ Gratiæ, quæ tempus non requirit, sed aliquando illico operatur; quapropter mutatio voluntatis bene per alia signa cognosci valet, sine experientia temporis. Quinimo alia signa dispositionis actualis Pœnitentium, quandoque voluntatis mutationem manifestant multo melius, quam probatio temporis: nam talia signa directe dispositionem ostendunt, dum e converso experientia illam ostendit tantum indirecte; cum non raro accidat, quod aliquis diu abstinuerit a peccando, & adhuc sit etiam indispositus. Unde Auctor Libri citati (*Istruzione per li Novelli Confessori*) sic ait (*Part. I. c.* 15. *n.* 356.). *Se la caduta nasce dalla propria fragilità, senz' altra causa estrinseca volontaria, è quasi temerità il dire, che ogni ricaduto sia indisposto.* Et alibi (*Part. I. c.* 9. *n.* 215.) dicit quod Recidivus propter vim mali habitus absolvi debet, semper ac firmam ostendit voluntatem adhibendi media ad emendationem, sic subdendo: *E giudichiamo, che 'l fare altrimenti sia troppo rigore, e che 'l Confessore facendo s' allontanerebbe dallo Spirito della Chiesa, e del Signore, e della Natura del Sacramento, il quale non solamente è giudicio, ma è medicina salutare.*

74. Plura autem sunt hæc signa, prout docent DD. (*Lib.* 6. *n.* 460.) I. Major dolor manifestatus per lacrymas (modo sint veræ compunctionis), aut per verba ex corde procedentia, quæ aliquando certiora signa quam lacrimæ esse possunt. II. Minor numerus peccatorum (intellige cum Pœnitens fuerit in eisdem occasionibus & tentationibus peccandi); aut si Pœnitens post ultimam Confessionem perseveraverit in gratia per notabile tempus, puta per 20. aut 25. dies, ipse qui prius pluries in hebdomada prolabi solebat; aut vero si relapsus fuerit post magnam resistentiam; aut etiam si antequam ad Confessionem accederet, diu se abstinuerit a culpis mortalibus. III. Diligentia adhibita pro emendatione, ut esset si Pœnitens diligenter occasionem vitaverit, media præscripta a Confessario executioni mandaverit, aut si adhibuerit jejunia, preces, eleemosynas, &c. ad vitium extirpandum. IV. Si ipse petit a Confessario remedia, aut nova media ad emendationem; item si promittit implere media quæ tunc ei suggerit Confessarius; maxime si nunquam monitus fuerit ad illa adhibenda; sed his promissionibus censeo non omnino fidendum, si alia signa desint; cum Pœnitentes, ut Absolutionem carpant, facile promittant, sed postea difficulter attendant. V. Spontanea Confessio, nempe si Pœnitens accedit non jam ad implendum Præceptum Paschale, neque ex quodam usu pro se confitendi in aliquibus temporibus, prout in die Nativitatis Domini, in Festivitatibus Deiparæ, & similibus, neque accedit impulsus a Parentibus, a Domino, aut Magistro; sed venit omnino sponte, & vere inspiratus a Divino lumine, ad solum finem, ut Divinam gratiam recipiat. Præsertim si ad se confitendum longum iter aggressus fuerit, abstinuerit a lucro notabili, grave substinuerit incommodum, aut magnum conflictum internum vel externum superaverit. VI. Si venerit motus ab aliquo extraordinario impulsu, puta ob concionem auditam, aut mortem amici, obve metus alicujus imminentis flagelli, prout terræmotus, pestis, &c. VII. Si Pœnitens confiteatur peccata anterius per verecundiam tacita. VIII. Si Pœnitens, antequam accedat, restituerit rem, vel famam ablatam. IX. Si propter monitionem Confessarii ostendit apprehendisse novam cognitionem & horrorem sui peccati, periculique suæ damnationis. Alii alia signa addunt, prout si Pœnitens magnam libenter acceptat pœnitentiam; si asserit pœnituisse peccati statim ac illud patravit; si protestatur velle mori potius quam peccare. Sed hæc signa nescio an sola satis esse possint; potius dicerem quod possent deservire ad alia signa, quæ sola non sufficerent.

75. Denique semper ac aliquod adest signum, quo prudenter possit judicari Pœnitens mutasse voluntatem, bene absolvi potest; quamvis enim Confessarius, ut Pœnitentem absolvere possit, moraliter certus esse debeat ejus dispositionis, attamen advertendum, quod in aliis Sacramentis, in quibus materia est physica, physica etiam debet esse certitudo; sed in hoc Sacramento Pœnitentiæ, cum materia sit moralis, prout sunt actus Pœnitentis, sufficit moralis certitudo, sive respectiva, ut probatum est (*Num.* 57. & 461.): nimirum satis est quod Confessarius prudentem habeat probabilitatem de dispositione Pœnitentis, sine aliqua prudenti suspicione in oppositum, alioquin difficulter unquam posset ullus peccator absolvi, nam omnia signa Pœnitentium aliud non fundant quam probabilitatem quandam de ipsorum dispositione. Auctor (*dell' Istruzione per li Nov. Confessori*) sic inquit: *Non ricercarsi altro per amministrare la Penitenza, che un giudizio prudente probabile della disposizione del Penitente; onde se le circostanze non fondano un dubbio prudente, ch' egli non sia sufficientemente disposto, non deve il Confessore inquietare se stesso, nè il Penitente, per averne l' evidenza che non è possibile* (*Part. I. c.* 15. *n.* 360.). Et hic notandum circa malum habitum, quod facilius absolvi possunt Recidivi in blasphemiis, quam in aliis peccatis odii, furti, aut libidinis, quibus fortius habitus inhæret, causa majoris concupiscentiæ, sive inclinationis, quæ in illis invenitur.

76. Dictum est, Confessarium posse absolutionem impertiri Consuetudinario, & Recidivo, quando ille per signum extraordinarium dispositus apparet: sed non dicitur teneri, quia potest etiam absolutionem ei differre, si hoc censeat expedire, ut communiter DD. docent (*Lib.* 6. *n.* 462.). Etenim, licet Pœnitens post Confessionem suorum peccatorum jus habeat ad Absolutionem; tamen non habet jus ut statim absolvatur; nam Confessarius tanquam Medi-

dicus bene potest, imo quandoque tenetur Absolutionem differre, cum judicat tale remedium necessario prodesse saluti sui Pœnitentis. An autem expediat ordinarie uti hoc remedio, aut non sine consensu Pœnitentis? Certum est non expedire, quod dilatio afferre potest magis detrimentum, quam profectum; & idem dicunt DD. quando ob dilationem Pœnitens subire deberet aliquam infamiæ notam, aut periculum (*Num.* 463.). Extra autem hos casus, quidam volunt melius esse, quod hujusmodi Recidivis differatur Absolutio. Alii tamen communius censent id raro expedire; & hoc etiam sentit celebris nostrorum temporum Missionarius, R. P. Leonardus de Portu Mauritio in suo docto Sermone Romæ edito, cui titulus, *Discorso Mistico, e Morale*. Melius nihilominus dicendum, quod in hoc puncto nequit certa statui regula, sed Confessarius juxta occurrentes circumstantias gerere se debet. Deo se commendet, & secundum se sentit inspiratum, sic faciat. Ego ita censeo; Si Pœnitens relapsus est ex fragilitate intrinseca, prout accidit in peccatis iræ, odii, blasphemiarum, mollitiarum, aut delectationum morosarum, dico cum sententia communissima Doctorum (*Ibid. v. ut autem*) quod raro expedit differre Absolutionem Recidivo, cum ille est dispositus: nam sperari debet magis Gratiam Sacramenti, quam dilationem Absolutionis illi prodesse posse.

77. Dico *ex fragilitate intrinseca*; aliter enim agendum cum eo qui relapsus est ob occasionem extrinsecam, quamvis necessariam; nam occasio vivaciorem excitat concupiscentiam, & complicis præsentia vehementius sensus commovet, & intensiorem reddit affectum ad peccandum, quam faciat pravus habitus intrinsecus; & ideo pœnitens in occasione extrinseca magnam sibi vim inferre debet, non tantum ad superandam tentationem, sed etiam ad se removendum a familiaritate & præsentia complicis, ut periculum ex proximo reddatur remotum. Et tanto magis hoc procedit, si occasio est voluntaria, & omnino auferri debet, quia tunc recipiens Absolutionem, antequam occasionem amoverit, remanet in magno periculo frangendi propositum factum de illa removenda prout ostendimus in Capitulo præcedenti *n.* 61. E converso in consuetudinario ob causam intrinsecam remotius est periculum violandi propositum, dum ex una parte non adest objectum extrinsecum quod tam violenter eum impellat ad peccandum: & ex altera illi non est voluntaria retentio mali habitus; prout est voluntariam non amovere occasionem cum possit; unde in tali necessitate Deus male habituato magis succurrit, & ideo plus quam a dilatione Absolutionis, sperari potest emendatio a gratia Sacramenti, quæ illum fortiorem reddet, reddetque efficaciora media quæ ipse adhibebit ad habitum extirpandum. Cur enim, recte dicunt Salmanticenses (*De Pœnit. c.* 5. *n.* 67. *in fin.*), magis sperari debet quod peccatori Gratia carenti prosit dilatio Absolutionis, quam prosit amico Dei Absolutio qua gratiam recipit. Et Cardinalis Toletus (*Lib.* 5. *c.* 13.), loquendo præcise de peccato pollutionis, censet ad tale vitium vitandum non esse remedium efficacius quam sæpe se munire Sacramento Pœnitentiæ; subditque hoc Sacramentum maximum esse frenum hujusmodi peccatum committentibus: & qui eo non utuntur, inquit quod non sibi promittant emendationem nisi per miraculum. Et in facto S. Philippus Nerius (ut legitur in ejus vita) (*Cap.* 6. *n.* 2.) maxime hoc medio frequentis Confessionis utebatur pro Recidivis in tali vitio. Huic quoque confert id quod ait Rituale Romanum, agendo de Pœnitentia: *In peccata facile recidentibus utilissimum fuerit consulere, ut sæpe confiteantur; & si expediat, communicent*. Et dicendo *facile recidentibus*, certe intelligit loqui de eis qui nondum pravum habitum extirpavere. Aliqui Auctores qui per solam rigoris viam videntur velle Animas salvas facere, dicunt Recidivos pejores fieri, cum ante emendationem absolvuntur. Sed ipse scire vellem ab his Magistris meis, an omnes Recidivi, cum sine Absolutione dimittuntur, carentes gratia Sacramenti, omnes evadant fortiores, & omnes emendentur? Quot ego miseros novi in exercitio Missionum, qui dimissi sine Absolutione, vitiis & desperationi se abjecerunt, & per plurimos annos omiserunt confiteri? Ceterum repeto; quisque se dirigere debet juxta lumen, quo donatur a Deo. Hoc certum est, quod in hac materia tam errant ii qui plus justo sunt faciles, quam ii qui sunt difficiles ad absolvendum. Multi quidem propter nimiam facilitatem sunt in causa, quod tot Animæ perdantur (& negari non potest quod isti in majori sint numero, & majus damnum afferant, dum istis in majori numero accedunt peccatores habituati); sed alii ob nimium rigorem etiam magno sunt damno Animarum saluti. Et nescio, an Confessarius debeat tantum sibi scrupulum injicere, quando absolvit indispositos, & non etiam quando dispositos sine Absolutione dimittit. Concludo hic, & dico: Non nego quod aliquando bene prodesse potest Recidivo disposito dilatio Absolutionis. Dico secundo: semper proderit quod Confessarius hujusmodi Recidivos terreat, ostendatque ac si non posset eos absolvere. Dico tertio: Ordinarie loquendo, Recidivis ex fragilitate intrinseca, & per signum extraordinarium jam dispositis, magis Absolutionis beneficium proderit, quam dilatio. Utinam & Confessarii Recidivos absolverent tum solum cum signa extraordinaria afferunt! Id quod lugendum est; quod major, ne dicam maxima Confessariorum pars universaliter Recidivos absolvunt sine distinctione, sine signo extraordinario, sine admonitione, & sine aliquo saltem remedio præstito ad emendationem; & hinc vere procedit, non jam ab absolvendis dispositis, tot Animarum universalis pernicies.

78. Hoc tamen quod dictum est, communiter loquendo de habituatis, & Recidivis, non procedit jam circa Initiandos in Sacris Ordinibus habituatos in aliquo vitio (præsertim in peccato turpi); circa hoc enim alia currit ratio. Laicus habituatus absolvi potest, semper ac est dispositus ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, sed Ordinandus habituatus, si vult ipse ad sacrum ascendere Ordinem, non sufficit, quod sit dispositus ad Sacramentum Pœnitentiæ, sed oportet quod etiam dispositus sit ad recipiendum Sacramentum Ordinis; alioquin ad neutrum dispositus erit; cum enim sit indignus ascendendi ad Altare qui vix egreditur e statu peccati, nec habet probitatem positivam, necessariam respectu ad sublimitatem status in quem immitti inhiat, ipse graviter peccat, si absque illa vult sacrum Ordinem suscipere, etiamsi ponatur in statu Gratiæ. Quapropter

pter tunc Confessarius nequit eum absolvere, nisi promittat abstinere ab Ordine suscipiendo, ad quem ascendere non poterit, nisi post longi temporis, saltem plurium mensium probationem. Id plene probatum est in Dissertatione Operi inserta (*Lib.* 6. *ex n.* 63.), cum communi sententia Doctorum (*Ibid. n.* 68.) ibi relatorum, qui docent quod ad sacrum Ordinem suscipiendum non satis est bonitas communis, idest simplex immunitas a peccato mortali, sed requiritur bonitas specialis, virtute cujus Initiandus sit a pravis habitibus depuratus, ut docuit D. Thomas (2. 2. *qu.* 189. *art.* 1. *ad* 3.): *Ordines sacri præexigunt sanctitatem, unde pondus Ordinum imponendum parietibus jam per sanctitatem desiccatis, idest ab humore vitiorum.* Et ratio est, quia si Ordinandus hanc non habet specialem sanctitatem, indignus est super plebem constitui, ad altissima Altaris Ministeria exercenda: *Sicut illi* (loquitur idem S. Doctor) *qui Ordinem super Plebem constituuntur gradu Ordinis, ita & superiores sint merito sanctitatis* (*Suppl. qu.* 35. *art.* 1. *ad* 3.). Et alibi (2. 2. *qu.* 184. *art.* 8.) expressius præfatam rationem confirmat, dicens: *Quia per sacrum Ordinem deputatur ad dignissima Ministeria, quibus ipsi Christo servitur in Sacramento Altaris, ad quod requiritur major sanctitas interior, quam requirit etiam Religionis status.*

79. Veruntamen excipitur casus quo a Deo donaretur quis tam extraordinaria compunctione, quæ ipsum liberaret ab antiqua fragilitate; nam, ut ait idem Angelicus (3. *p. qu.* 86. *art.* 5. *ad* 1.) *Quandoque tanta commotione convertit* (Deus) *cor hominis, ut subito perfecte consequatur Sanctitatem spiritualem.* Raræ quidem sunt hujusmodi conversiones, & præsertim in Ordinandis, licet aliquam petant Domum Religiosam, ut spiritualia agant Exercitia; isti enim ut plurimum non ultro, sed coacti accedunt; sed quando vere quis tantam reciperet gratiam a Deo (cujus admirabiles sunt misericordiæ) quæ ipsum taliter mutatum redderet, quod licet adhuc aliquod pravum motum sentiret, magnum tamen concepisset horrorem adversus peccatum, & simul notabiliter diminutum in se cognosceret ardorem concupiscentiæ, ita ut a gratia munitus facile jam inciperet tentationibus obsistere; & insuper firme statuisset in posterum, non tantum vitare peccata, & occasiones, sed etiam media opportuniora suscipere ad vivendum ut Sacerdotem decet, & jam simul incœpisset ad suam conversionem confirmandam instanter preces effundere pro sua perseverantia, cum magna & tali in Deum fiducia, quæ eum redderet moraliter securum de quadam magna mutatione vitæ; eo casu bene posset Confessarius eum absolvere, etsi ipse vellet statim post Confessionem Ordinem sacrum suscipere. Attamen adhuc in hujusmodi casu Pœnitens magnam habuerit compunctionem, Confessarius quantum potest adhibere se debet, ut illum inducat ad differendam susceptionem Ordinis, ad hoc, ut melius a pravo habitu se purget, & melius concepta proposita exequatur. Imo ad hunc effectum, si ille nolit differre susceptionem, potest etiam Confessarius tanquam Medicus, ad majorem ejus profectum, differre insi Absolutionem, ut Initiandus Ordinis susceptionem differat. Hoc tamen intelligendum, modo ex tali dilatione non subeat ille periculum alicujus infamiæ, aut notæ; tunc enim (prout notatum est *n.* 59.) Pœnitens habet jus, ut statim absolvatur. Ceterum Confessarii debent esse difficiles, quantum fieri potest, in absolvendis hujusmodi Ordinandis, qui postmodum ordinarie pessimi evadunt, & sic populis & Ecclesiæ pernicium magnam afferunt (*Vide l.* 6. *ex n.* 69.)

CAPITULUM VI.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum Pœnitentibus qui contraxerunt aliquam censuram, aut casum reservatum, vel obligationem denunciandi, vel impedimentum dirimens, aut impediens Matrimonii.

80. Et 1. quod pertinet ad censuras, si quis accedat irretitus a censura, aut casu reservato, super quo Confessarius facultatem non habeat, jam supra diximus actum esse charitatis, ut Confessarius adeat Episcopum pro facultate obtinenda. Episcopus autem vi Cap. *Licet*, *Sess.* 24. Tridentini (*Vid. l.* 7. *n.* 75.) absolvere potest omnes casus Papales occultos. Et hanc facultatem potest delegare aliis Confessariis, etiam generaliter, dummodo eos specialiter deputet ad hujusmodi casus absolvendos (*Ibid. n.* 93.), excepta hæresi, & aliis casibus Bullæ Cœnæ (*Ibid. n.* 82.): Nisi Pœnitens esset impeditus adeundi Romam; tunc enim Episcopus absolvere potest ab omnibus Papalibus, etiam publicis (*Lib.* 1. *n.* 84.), & adhuc ab hæresi, & aliis Bullæ Cœnæ (*Lib.* 7. *n.* 84.). Insuper Episcopi absolvere possunt ab excommunicatione ob percussionem levem Clerici vel Monachi, & etiam ob gravem, si percutiens est mulier, ex *c. Ea noscitur*, & *c. Mulieres*, *de sent. Excomm.* Item ab excommunicatione propter abortum fœtus animati, virtute Bullæ Gregorii XIII. quæ incipit *Romana Sedes*: Item ab excommunicatione ob communionem in eodem crimine cum excommunicatis ab eisdem Episcopis; Item ab excommunicatione quam incurrunt Fratres Minores admittentes in suis Ecclesiis ad Divina Officia Fratres Tertii Ordinis; Item ab excommunicatione qua ligantur ii qui absoluti in articulo mortis ab aliqua censura ab Episcopo reservata, non se præsentant eidem postquam convaluerint, & demum ab omnibus censuris quas Episcopi sibi reservant (*Num.* 213.)

81. Regulares autem etiam absolvere possunt Laicos a Papalibus occultis (*Lib.* 6. *n.* 96.). Exceptis sex casibus Clementis VIII. (a quibus tamen bene possunt absolvere Episcopi, quando sunt occulti) scilicet 1. Percussionis Clerici. 2. Duelli. 3. Violationis Immunitatis Ecclesiasticæ. 4. Fracturæ Clausuræ Monialium. 5. Simoniæ Realis. 6. Simoniæ Confidentialis. Facultas enim quoad casus præfatos respectu ad Regulares degentes extra Romam, & intra Italiam, a prædicto Pontifice est eis expresse ablata (*Num.* 99.). Quamvis autem nequeant Regulares absolvere Laicos a casibus reservatis ab Episcopis (*Lib.* 7. *n.* 98.), possunt tamen ex probabiliori sententia absolvere a Papalibus reservatis Episcopis (*Num.* 99.), exceptis semper vero sex casibus Clementis, ut supra. Quoad subditos vero possunt eos absolvere ab omnibus casibus Papæ reservatis, etiam publicis, etiamque a casibus Bullæ Cœnæ, exceptis *Relapsu in hæresim*, *Falsificatione Lit-*

te-

terarum Apostolicarum, & Delatione prohibitorum ad Infideles, ex concessione facta Prælatis Ordinis Prædicatorum, & per communicationem aliorum Ordinum in Bulla, *Pretiosus*. 79. edita ann. 1727. ubi insuper concessum est Generali Ordinis, *ut ipse solus possit ab irregularitate hujusmodi* (scilicet orta ex homicidio) *dispensare cum Fratribus, sibi subditis, dummodo homicidium non fuerit appensatum, & intra claustra extiterit consummatum* (*Lib.* 7. *Vide n.* 101. *ex* 104.).

82. Notandum hic quod si quis ignorat censuram Papalem, nec ipsam, nec casus reservationem incurrit, quia casus Papales principaliter ob censuram reservantur (*Lib.* 6. *n.* 580.). Ad differentiam casuum Episcopalium, quorum nesciens censuram, etiam incurrit casum; quia Episcopi principaliter casum reservant (*Ibid.*): & hoc etiamsi ignoretur casus reservatio, ut probavimus (*Num.* 581.). Ceterum nulla incurritur censura ab eo qui invincibiliter eam ignorat (*Lib.* 7. *n.* 43.). Item notandum, quod cum quis sacrilege in Jubilæo confessus fuerit, tunc reservatio non aufertur, ut probatum est, præsertim ex Declaratione N. SS. Papæ Benedicti XIV. (*Lib.* 6. *n.* 537. *Q. II.*). Idemque tenuimus (*Ibid. v. Si autem*), si Confessio fuerit invalida, loquendo de Jubilæo; Sed extra Jubilæum, si quis invalide confessus fuerit apud aliquem Confessarium, qui facultate pollebat super peccatis reservatis, communis & probabilior est sententia quod absolutus a reservatione maneat (*Lib.* 6. *n.* 598. *Qu. IV.*). Estque etiam communior & satis probabilis opinio, Pœnitentem solutum esse a reservatione, quamvis Confessio fuerit sacrilega, modo ipse culpabiliter non tacuerit præsertim peccatum reservatum (*Ibid.*).

83. II. Quod pertinet ad obligationem denunciandi, advertat Confessarius, quod ipse tenetur sub culpa gravi imponere Pœnitenti obligationem denunciandi superioribus aliquem, qui serio protulerit propositionem, aut blasphemiam hæreticalem, cum errore intellectus, & pertinacia, non jam ob ignorantiam, incuriam, aut lapsum linguæ; nam eo casu sufficit quod Pœnitens eum de suo errore moneat (*Lib.* 4. *n.* 254. *v. Not. II.*). Præterea debet imponere Mulieribus, aut Pueris, ut denuncient Confessarios, qui eos sollicitaverit ad turpia, vel cum eis inhonestos tractatus habuerint. Observa Librum ubi distincte est hæc materia discussa (*Lib.* 6. *ex n.* 675.). Sed circa praxim advertat Confessarius 1. in hac sollicitationis materia non esse nimis festinum in imponendo Pœnitenti onus denunciationis, nam in dubio; an illa fuerit vel ne sollicitatio, tale onus injungi non debet (*Num.* 702.); nisi cum verba, aut actus ex se sollicitationem importarent, & tantum dubium veteret de intentione sollicitantis; aut si adessent vehementia indicia, esto non evidentia, sollicitationis, sine indiciis in oppositum; tunc enim illi quodammodo moralem fundant certitudinem (*Ib. v. Excipiendum.*) Advertat 2. ne sit facilis ad suscipiendum in se onus denunciationis, nisi in aliquo casu raro, in quo charitas id sibi proponeret, ob magnam difficultatem quam forte Pœnitens haberet adeundi Superiorem. Advertat 3. quod ipse nunquam omittere debet imponere Pœnitenti sollicitato hanc obligationem denunciationis, quamvis prævideret Pœnitentem illam non impleturum; nam directe Confessario injunctum est a Pontifice onus, ut talem obligationem intimet (*Lib.* 6. *n.* 694.). Unde donec Pœnitens eam non adimpleat, expedit quod Absolutionem ei differat. Atque si Confessarius dubitat, quod ille difficulter eam adimplebit, tunc omnino Absolutionem illi differre debet. Bene tamen potest eum absolvere, si Pœnitens est pro tunc impeditus, & firmum habet propositum denunciandi, statim ac commode potest (*Num.* 693.). Hujusmodi denunciationes fieri debent saltem intra mensem (*Ibid. v. Hoc tamen*): Item notandum, quod a N. SS. P. Benedicto XIV. (*Lib.* 6. *n.* 491.) cuique impositum est onus denunciandi Confessarium, quem sciret obligasse Pœnitentem ad manifestandum Complicem, nisi ex mera simplicitate aut imprudentia id egisset. Ultimo notandum circa sortilegia Laicorum, quod hodie in nostro Regno Neapolis, propter Insinuationem nostri Regis Caroli III. non adest obligatio illa denunciandi, nisi cum intervenit abusus SS. Eucharistiæ, aut Olei Sancti (*Lib.* 4. *n.* 253. *in fin.*).

84. III. Demum quod pertinet ad impedimenta Matrimonii, cum Pœnitens aliquod impedimentum habet, & Matrimonium nondum est initum, plura distinguere oportet: Si impedimentum est consanguinitatis, aut cognationis spiritualis, aut affinitatis ex copula licita usque ad quartum gradum, aut publicæ honestatis, etsi esset occultum, Confessarius adstringere debet Pœnitentem vel ad denunciandum impedimentum, vel ad Dispensationem obtinendam a Dataria. Si autem impedimentum est affinitatis ex copula illicita cum consanguinea Sponsæ usque ad secundum gradum, modo adfuerit copula consummata cum seminatione perfecta (*Lib.* 6. *n.* 1036. & 1075.) aut est impedimentum criminis, nimirum homicidii Conjugis utraque parte conspirante, aut homicidii cum adulterio, aut adulterii cum fide Matrimonii, aut Matrimonii attentati, prout fuse declaratum est in Libro (*Lib.* 6. *ex n.* 133.); in his casibus, semper ac impedimentum est occultum, impetranda est Dispensatio a S. Pœnitentiaria. Idemque currit, si Pœnitens impedimentum habeat voti Castitatis, aut Religionis. Si vero aliqua urgentissima adesset causa in aliquo casu raro, nempe scandali, rixarum, aut infamiæ imminentis, & tempus aut modus deesset recurrendi ad Pœnitentiariam, posset etiam tunc Episcopus dispensare (*Num.* 1122.). Et si neque adesset modus adeundi Episcopum, observa quod dictum est in Libro (*Lib.* 6. *n.* 612. *v. Sed hic.*) & supra *Cap. I.* §. 2. *n.* 8.

85. Si autem Pœnitens jam contraxisset Matrimonium invalidum ob impedimentum dirimens, tunc si impedimentum provenit ex copula licita, etiam observandus est Liber (*Num.* 1124.): si autem ex copula illicita, aut ex crimine, & Pœnitens est in bona fide, & contra adesset periculum mortis, scandali, aut incontinentiæ, si ipsi manifestaretur impedimentum, eo casu Confessarius impedimentum ei occultare debet, & interim procurare a S. Pœnitentiaria Dispensationem, qua obtenta, debet patefacere impedimentum, debetque tunc diligenter secum consulere modo quo reconciliatio Matrimonii facienda est. Ad hanc autem reconvalidationem non quidem est necessaria assistentia Parochi & testium, ut probatum est (*Num.* 1100.); sed ut dicimus (*Lib.* 6. *n.* 1115.), tenetur pars conscia impedimenti alteram certiorare de nullitate Matrimonii, juxta solitam Clausulam S. Pœniteutiariæ: *Ut dicta mulie-*

liere de nullitate prioris consensus certiorata, &c. Et ideo per se loquendo ad hanc clausulam exequendam, non sufficit id quod aliqui DD. admittunt, scilicet dicere: *Si me non duxisses, duceres nunc?* Aut: *Dic mihi, te volo.* Aut: *Pro mea consolatione renovemus consensum.* Semper enim talis consensus est dependens a priori, qui fuit nullus. Nec sufficit copula, ut alii dicunt, etiam affectu maritali habita. Bene tamen satis erit dicere: *Nostrum conjugium invalidum fuit ob quandam circumstantiam* (dum non est obligatio manifestandi qualitatem impedimenti), *renovemus consensum.* Aut: *Quando te duxi, non habui verum consensum* (nam consensus nullus, non est verus consensus). Aut: *Ego dubium habeo de valore nostri Matrimonii, unde iterum contrahamus.* Quia tunc consensus qui præstatur, jam a priori non dependet. Verum, quando prudens timor esset, quod præfatos modos adhibendo patefieret crimen, & pericula instarent rixarum, infamiæ, aut scandali; & viceversa Conjux impedimenti conscius non posset excusari a debito reddendo, tunc, executa jam Dispensatione, sufficit, quod ipse utatur aliquo ex modis supra relatis; etiamque sufficit quod ipse solus consensum ponat, cum possit in tali necessitate sequi sententiam, quæ docet bene conjungi ad Matrimonium convalidandum consensum suum cum consensu ab initio præstito a parte ignorante, qui per continuationem usus Matrimonii, aut cohabitationis virtualiter perseverat (*Ibid.*).

86. Si autem Pœnitens haberet impedimentum impediens, scilicet ad non petendum debitum, causa copulæ habitæ cum consanguinea in secundo gradu suæ uxoris, is a tali impedimento solvi debet, vel a S. Pœnitentiaria, vel ab Episcopo, aut ab aliquo Confessario Regulari qui facultatem habeat a Prælato sui Monasterii (*Num.* 1076. *v. Insuper.*) Sed si Pœnitens ignoraret legem Ecclesiasticam, quæ ultra Divinam hujusmodi incestum prohibet, tunc non incurrit impedimentum (*Lib.* 6. *n.* 1072.). Quinimo etiamsi legem sciret, sed talem ignoraret pœnam, etiam est probabile, quod eam non incurrat (*Num.* 1074.). Saltem si periculum exstet incontinentiæ, reliquendus est Pœnitens in sua bona fide.

87. Notemus hic Formulas ad obtinendum a S. Pœnitentiaria Dispensationem in præfatis impedimentis, necnon votis, aut irregularitatibus.

Circa impedimenta Matrimonii, untus sic scribatur: *Eminentissime & reverendissime Domine.*

N. N. Rem habuit cum quadam muliere, & postea Sponsalia contraxit cum ejus sorore. Impedimentum est occultum, & si conjugium non fieret, plura evenirent scandala. Supplicat ideo Eminent. V. ut dignetur ei Dispensationem concedere. Favebit responsum mittere Neapolim (*aut Aversam per viam Neapolis*) *ad N. N.* (hic exprimatur nomen & cognomen) *Confessarium approbatum*, &c.

Si autem Matrimonium est jam initum scribatur sic: *N. N. ignarus* (*aut conscius*) *impedimenti Matrimonium contraxit cum aliqua Femina, cujus Matrem* (*aut sororem*) *prius carnaliter cognoverat. Ideo, cum impedimentum sit occultum, & non possit separatio sine scandalo fieri, supplicat Eminent. V. pro absolutione & dispensatione, &c.*

Circa vota Castitatis: *N. N. votum emisit Castitatis; sed nunc est in gravi, & imminenti periculo incontinentiæ; ideo supplicat Eminent. V. ut dispensare dignetur in dicto voto, ut possit Orator Matrimonium inire, &c.* Eodem modo fere scribendum pro Dispensatione in Voto Religionis. Et notandum quod ad dispensandum in Voto Castitatis non sufficit quodvis commune periculum incontinentiæ, sed requiritur grave & imminens, prout innuimus.

Circa irregularitates: *N. N. Sacerdos contraxit irregularitatem causa homicidii* (*aut violationis censuræ, etc.*); *et cum adsit periculum infamiæ si abstinet a celebrando, ideo supplicat, etc.*

Foris in Epistola ponitur: *Eminentissimo, et Reverendissimo Domino Colendissimo.*

Domino Cardinali Pœnitentiario Majori

Romam.

88. Confessarius, aut is cui Dispensationis executio commissa erit, in dispensando post Sacramentalem absolutionem impertitam, sequenti formula uti poterit: *Et insuper auctoritate Apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento primi* (*seu secundi, seu primi et secundi*) *gradus proveniente ex copula illicita, a te habita cum sorore mulieris cum qua contraxisti* (*aut contrahere intendis*), *ut Matrimonium cum illa rursus contrahere possis, renovato consensu, et prolem, si quam suscipies* (*vel suscepisti*), *legitimam declaro. In nomine Patris, etc.* Si dispensatio autem est in voto Castitatis, dicet: *Insuper tibi votum Castitatis quod emisisti, ut valeas Matrimonium contrahere, et illo uti, in opera quæ tibi præscripsi dispensando commuto. In nomine, etc.* Et si quis, non obstante voto Castitatis Matrimonium contraxisset, dicet: *Item non obstante Castitatis voto quod emisisti, ut in Matrimonio remanere, et debitum conjugale exigere possis; Auctoritate Apostolica tecum dispenso. In nomine, etc.*

89. In quibus autem casibus S. Pœnitentiaria absolvere possit, aut dispensare a casibus Papalibus, censuris, irregularitatibus, votis, juramentis, restitutionibus incertis, &c. observa Librum (*Lib.* 7. *n.* 470.). Et in quibus casibus dispensare possit in impedimentis Matrimonii vide (*Lib.* 6. *n.* 1144.).

CAPITULUM VII.

Quomodo se gerere debeat Confessarius cum personis diversi generis?

§. I. *Quomodo cum Pueris, Adolescentibus, et Puellis?*

90. Cum pueris adhibere debet omnem charitatem, & modos suaviores quantum fieri potest. Primo eos interrogare debet, an sciant res fidei? & si nesciant oportet eos patienter instruere pro tunc, si tempus adest, vel eos mittere ad alium, ut instruantur saltem circa necessaria ad salutem. Cum autem agat de Confessione, in principio curare debet, ut pueri ex seipsis confiteantur peccata quorum memores sunt; & postea fieri illis poterunt sequentes interrogationes: 1. An tacuerint aliquod peccatum ob verecundiam? 2. An blasphemaverint in Sanctos, aut dies sanctos, vel an juraverint cum mendacio? 3. An omiserint in Festis audire Missam,

aut

aut in audienda illa sermones habuerint? Et an in Festis laboraverint? 4. An parentibus fuerint inobedientes, aut irreverentiam irrogaverint eos subsannando, manus in eos extollendo, vel convicia aut imprecationes coram ipsis proferendo. Et hic advertendum quod dictum est *n.* 34. de modo imponendi pueris petitionem veniæ a parentibus. 5. An aliquod turpe peccatum patraverint? Sed in hac materia Confessarius sit valde cautus in interrogando: incipiat interrogare de longe, & verbis generalibus: & prius an dixerint mala verba? an jocati fuerint cum aliis pueris, aut puellis? Et si jocos illos clam exercuerint? Deinde interroget, an commiserint res turpes? Multoties, etiamsi pueri negent, prodest uti cum eis interrogationibus suggestivis, verbi gratia; *Et nunc dic mihi, quoties hæc fecisti? Quinquies, decies?* Interroget, cum quo dormiant, & si in lecto manibus jocati fuerint? Puellas interroget, si aliquem juvenem amore fuerint prosecutæ, & an si adfuerint pravæ cogitationes, verba, aut tactus? Et a responsis procedat ad ulteriores interrogationes, sed caveat ab exquirendo a puellis, vel a pueris, an adfuerit seminis effusio; cum his enim melius est deesse in integritate materiali Confessionis, quam esse causam ut apprehendant quæ nondum noverint, vel ponantur in curiositate addiscendi. Interrogetur etiam a pueris, an attulerint nuntia vel dona virorum mulieribus? Et puellis, an acceperint dona a personis suspectis, nempe conjugatis, Ecclesiasticis, aut Religiosis? 6. Interroget, an commiserint furtum, vel an damnum attulerint prædiis alienis, bestiis, aut alio modo? 7. An alicui detraxerint? 8. Circa præcepta Ecclesiæ interroget, an impleverint Confessionem & Communionem Paschalem? Et an carnes aut lacticinia comederint diebus vetitis?

91. Quod autem pertinet ad absolutionem his pueris impertiendam, magna requiritur attentio. Si constet quod ipsi sufficientem usum rationis jam habeant, prout si distincte confitentur, vel adæquate interrogationibus respondent, & appareant quod ipsi jam comprehendant cum peccato offendisse Deum, & meruisse Infernum; tunc si satis videantur dispositi, absolvantur. At si in peccatis lethalibus sunt recidivi, ipsi tractandi sunt sicut adulti: unde si non præbeant extraordinaria signa doloris, absolutio eis differri debet. Si autem dubium sit, an puer perfectum usum rationis habuit, prout si ille in actu Confessionis non maneret compositus, sed oculos in gyrum ageret, manibus jocaretur, impertinentia interponeret: tunc si est in periculo mortis, aut in obligatione implendi Præceptum Paschale, absolvendus est sub conditione; & tanto magis si confessus fuerit aliquod dubium mortale (*Tom. III. lib.* 6. *n.* 482. *v. IV.*); bene enim potest administrari Sacramentum sub conditione, quando justa adest causa, ut esset hæc liberandi hunc puerum a statu damnationis, si unquam in illum est lapsus (*Lib.* 6. *n.* 28.). Idque agendum, etiamsi puer sit recidivus; dum ideo differri debet absolutio iis qui perfectam discretionem habent, quia spes est, quod ex tali dilatione ipsi redeant dispositi; sed spes hæc difficulter haberi potest a pueris qui perfecto usu rationis carent. Et probabiliter plures DD. dicunt (*Num.* 432. *in fine*). quod pueri isti dubie dispositi absolvi possunt (saltem post duos vel tres menses) sub conditione, licet sola venialia afferrent, ne careant diu gratia Sacramentali, & forte etiam sanctificante, si forte aliquam gravem culpam haberent ipsis occultam. Oportet autem curare, ut hi pueri eliciant actum doloris necessarium ad suscipiendam absolutionem, modo respectu ipsorum magis proprio, exempli gratia: *Amas ne Deum qui est Dominus tuus tam magnus, & tam bonus, qui te creavit, pro te est mortuus, etc.? Hunc Deum tu offendisti. Ipse tibi veniam dare vult, et tu spera quod propter Sanguinem Jesu Christi Filii sui tibi ignoscat. Sed oportet te pœnitere. Quid dicis? pœnitet te nunc eum offendisse, etc. Istis injuriis, quas Deo irrogasti, scis quod Infernum meruisti? displicet tibi quod ipsas commisisti? Deus meus, nunquam amplius volo te offendere, etc.* Pœnitentia autem his pueris injungenda levis sit quantum fieri potest; & curandum, quod illa ab ipsis quantocius impleatur, alioquin aut eam obliviscentur, aut omittent. Curet etiam Confessarius magnopere pueris insinuare devotionem erga Deiparam, utque recitent quotidie Rosarium, & ter *Ave* mane & sero, semper hanc precem ad ungendo: *Mater mea, libera me a peccato mortali.*

92. Circa vero statum ab aliquo adolescente eligendum, non audeat Confessarius illum ei determinare, sed tantum ex indiciis curet suadere statum illum, ad quem prudenter judicare potest ipsum a Deo vocari. Præsertim, loquendo de iis qui Religionem ingredi volunt, ante omnia curet Confessarius bene ponderare, in qualem Religionem ingredi cupiant; nam si unquam Institutum illud relaxatum est, melius erit alicui (ordinarie loquendo) quod in seculo remaneat; nam illi se aggregando ipse se geret sicut se gerunt alii, & parum illud boni quod prius exequebatur, de facili in tali Religione negliget, ut misere pluribus accidit. Et præcipue magnum scrupulum sibi faciat Confessarius, si ad insinuationem propinquorum suadeat juveni illi, ut intret in aliquam hujusmodi inobservantium communitatum. Si tamen Religio observantia floret, Confessarius vocationem sui pœnitentis bene probet, inquirendo si ad illam habeat pœnitens impedimentum aliquod inhabilitatis, infirmæ valetudinis, inopiæ parentum? & maxime expendat finem, an si rectus, nempe magis se conjungendi Deo, aut lapsus emendandi anteactæ vitæ, aut seculi pericula vitandi? quod si principalis finis esset mundanus, vitam agendi commodiorem, aut se liberandi a propinquis duræ conditionis, aut complacendi parentibus, qui ad hoc eum impellunt, caveat, ne permittat Religionem ingredi; nam eo casu illa non est vera vocatio, sine qua hujusmodi ingressus malum habebit eventum. Si autem finis est bonus, & abest impedimentum, nec debet, nec potest Confessarius, neque alius ut docet D. Thomas (*Quodlib.* 3. *art.* 14.), sine culpa gravi, illi impedire, aut dissuadere vocationem; quamvis prudenter aget aliquando, si executionem illi differat ad melius experiendum, an resolutio sit firma & perseverans, præsertim si noverit adolescentem esse volubilem, aut si deliberatio illa facta fuerit tempore Missionis, vel Exercitiorum Spiritualium: dum in hujusmodi occasionibus quædam concipiuntur proposita, quæ postmodum, primo fervore transacto, deficiunt.

93. Si aliquis adolescens vellet suscipere statum Presbyteri secularis, non sit facilis Confessarius ad annuendum, sine longa & probata experientia recti finis, & scientiæ, vel sufficientis capacitatis. Sacerdo-

dotes quidem seculares habent eandem, imo majorem obligationem quam Religiosi; & contra remanent in eisdem seculi periculis; unde ut quis bonus evadat Sacerdos in seculo (in quo raro, ne dicam rarissime boni inveniuntur) oportet, quod prius egerit vitam valde exemplarem, remotam a ludis, ab otio, a pravis sociis, & deditam Orationi & Sacramentorum frequentiæ (sed quis est hic, & laudabimus eum?) alioquin se ponet in statum quasi certæ damnationis; præsertim si hoc faciat, ut obtemperet parentum fini, qui est res domesticas augere. Jam autem dictum est supra *num.* 35. quam gravissimum sit peccatum, quod patrant parentes illi qui filios cogunt, ut statum Ecclesiasticum aut Religiosum inviti suscipiant. Quoad puellas vero quæ virginitatem suam Jesu Christo consecrare cupiunt, non permittat eis castitatem perpetuo vovere, nisi cognoscat eas bene fundatas in virtutibus, & edoctas in vitæ spiritualis regulis, & præcipue in oratione exercitatas. Sub initio eis tantum permittere potest, ut castitatem voveant per aliquod definitum tempus, nimirum a solemnitate alicujus festi ad aliam alterius.

94. Demum quoad adolescentes illos qui volunt aut debent ducere uxorem (dico debent, prout probatum est in Libro (*Lib.* 6. *n.* 75.), loquendo de iis qui essent incontinentes, & nollent adhibere alia media opportuna ad se continendos) advertendum, quod sicut peccarent parentes qui sine justa causa eis honestum Matrimonium impedirent (*Num.* 850. *v. Conveniunt*), ita contra peccarent filii (& ideo Confessarius tenetur illis hoc prohibere), qui vellent cum dedecore familiæ Matrimonium inire; aut quamvis conjugium non esset indecorum, vellent tamen illud contrahere, invitis parentibus, & cum eorum scandalo, quin ipsi filii justa causam habeant, ob quam excusentur. Observa quomodo in Libro id elucidatum est (*Num.* 49.).

§. II. *Quomodo se gerere debeat cum Scrupulosis?*

95. Doctores plures assignant regulas pro scrupulosis; sed certum est pro his post orationem, remedium maximum, ne dicam unicum, (ut recte ait *P. Segneri*) ad eos curandos est obedientia suo directori. Hinc ante omnia incumbat Confessarius, & suadeat pœnitenti hujusmodi duas principales regulas: Primam, quod ipse tuta coram Deo incedit via Patri spirituali obediendo, ubi evidenter peccatum non apparet; tunc enim non homini obedit, sed ipsi Deo qui dixit: *Qui vos audit, me audit.* Sic docent omnes Doctore, & spirituales Magistri cum S. Bernardo, S. Antonino, S. Francisco Salesio, S. Philippo Nerio, S. Theresia, S. Joanne a Cruce, S. Ignatio de Loyola, B. Dionysio Cartusiano, B. Umberto, Ven. P. M. Avila, Magno Gersone, &c. Alteram regulam, quod nullo alio scrupulo debeat angi quam si non obediat, propter magnum periculum cui se exponit amittendi, non tantum pacem, devotionem, & in virtutibus progressum, sed etiam mentem, sanitatem, & insuper animam; nam possent scrupuli eo progredi, ut eum ad desperationem reducerent, mortem sibi inferendo (prout pluribus accidit), vel habenas ad vitia relaxando. Præterea Confessarius hujusmodi pœnitenti scrupuloso insinuet, prout recte dicit doctus Auctor Instructionis pro novis Confessariis (*Part.* 1. *n.* 76.), cum Deo non ineundas esse rationes (ut dici solet) dati & expensi. Dominus propter nostrum bonum voluit, ut nos incerti de salute vivamus: quapropter, cum moralem adhibemus diligentiam ne ipsum offendamus, in ejus misericordiam totam nostram curam projicere debemus; & confitentes nos salvari non posse sine ejus gratia, hanc ab eo semper petere debemus cum perseverantia, fiducia, & animi quiete: *Hoc melius est*, dicebat S. Franciscus Salesius (*In vita circa fin. Massima 27. &c.*) *clausis oculis incedere sub divina Providentia inter tenebras & perplexitates in hac vita. Expedit, ut contenti simus, si a Patre spirituali sciamus nos bene incedere, quin causam investigemus. Nunquam periit vir obediens.* S. Philippus Nerius affirmabat, quod qui paret Confessario, securus sit de non reddenda actionum suarum Deo ratione (*In vita l.* 1. *c.* 20.). Et contra S. Joannes a Cruce ajebat, non inniti dictis Confessarii, superbia est, & fidei inobservantia (*Tratt. delle Spine coll.* 4. §. 2. *n.* 8.).

96. Denique Confessarius curet 1. sæpe sæpius colloqui cum hujusmodi pœnitente de nimia confidentia, quam habere debemus in Jesum Christum, qui propter nostram salutem mortuus est: & in ejus SS. Matrem, quæ tam potens est, & pia cum iis, qui ei se commendant; unde eum hortetur ad vivendum securum de sua salute, semper ac ad Jesum Christum, & Mariam confugit: certe enim ipsi exaudiunt. 2. Ei prohibeat, quominus legat libros qui scrupulos excitant; & quominus versetur cum scrupulosis; & si quis erit nimis angustiis affectus, ei vetet, ne concionibus terrore plenis interveniat, & ne conscientiam examinet de iis rebus, de quibus scrupulum, sed irrationabiliter habet. 3. Si scrupulus consistit in timore malis cogitationibus assentiendi (v. g. contra fidem, puritatem, aut charitatem), Confessarius sit liber & intrepidus in parvipendendo eum, & in asserendo pœnitenti, has cogitationes esse sibi pœnas, non autem consensus, nec peccata. Et in hoc præcipue ut Confessarius utatur illa regula quam assignant DD. (*Lib.* 6. *n.* 476.), quod cum persona est timoratæ conscientiæ, si non est plus quam certa de peccato mortali, debet judicare illud non admisisse: siquidem, ut ait P. Alvarez, tantum monstrum possibile non est in animam aditum habere quæ ab illo horret, quin patenter illud videat. Unde prodest, scrupulosis interdum imponere, ne penitus de talibus cogitationibus se accusent, nisi certi sint, & cum juramento testari possint se consensum præstasse. Et hic notandum, quod scrupulosi non sunt regendi regulis particularibus, sed generalibus: etenim particularibus regulis scrupulosi nunquam deveniunt, ut se expediant, dubitando semper an illa regula valeat vel non pro præsenti casu, qui semper sibi videbitur alius ab illo qui a Confessario supponitur.

97. Si 4. scrupulus est circa præteritas Confessiones, nempe quod in eis non satis explicaverint omnia pescata, aut circumstantias, vel quod defecerint in dolore, Confessarius, cum advertat pœnitentem fecisse Confessionem generalem, aut per aliquod notabile tempus pluries repetiisse res anteactas; huic imponere debet; ne illas amplius deliberate recogitet, & ne verbum faciat de culpis vitæ præteritæ, nisi cum jurare possit eas fuisse certe mortales, & præ-

te-

terea certe nunquam in Confessione eas dixisse: dum docunt DD. (*Lib. 1. n. 87. v. 2. Quod nihil*) scrupulosos, etiamsi ex inadvertentia omisissent aliquod grave peccatum, non teneri (saltem cum de hoc non sint certi) cum tanto incommodo & periculo ad servandam Confessionis integritatem, a qua minus quidem incommodum quam hoc jam excusare valet (*Lib. 6. ex n. 488.*). Curet in hoc Confessarius, ut pœnitens exacte obediat, & si non obedit eum increpet, privet Communione, & rigorose coerceat. Scrupulosi ordinarie cum dulcedine tractandi sunt, sed circa obedientiam magnus rigor cum ipsis est adhibendus; si enim hanc obedientiæ anchoram amittunt, certum incurrunt naufragium, nam aut amentes evadent, aut habenas in vitia relaxabunt.

98. Si 5. quis scrupulosus pavet peccare in omni re quam agit, huic præcipiat Confessarius, ut libere operetur, & scrupulum superet; eique dicat, imo ipsum teneri ad scrupulum vincendum, semper ac evidenter non advertit actionem illam esse certum peccatum; ita cum *P. Segneri* DD. docent (*Lib. 2. n. 86. & P. Segneri c. ult.*). Nec obest quod agat cum actuali timore, quin scrupulum deponat (quod est quasi impossibile a scrupulosis exigere); etenim hujusmodi pavor non est verum conscientiæ dictamen, sive formata conscientia, ut *Gerson* bene distinguit nec aufert judicium ante formatum (quod virtualiter perseverat, licet tunc ob impetum timoris non advertatur), nimirum quod ipse non peccat quicquid agendo quod certum peccatum non agnoscit, tunc enim non contra conscientiam, sed contra vanum illum timorem operatur (*Num. 86. v. Hinc duo*). Firmiter igitur Confessarius hujusmodi pœnitenti præceptet, ut scrupulum vincat & despiciat, libere agendo id quod scrupulus ei vetat; & insuper injungat, quod postmodum de illo nunquam non omnino confiteatur.

§. III. *Quomodo si gerere debeat cum personis devotis.*

99. Personis devotioni deditis, quæ frequenter accedunt ad Communionem, ordinarie loquendo, insinuandum, ut saltem in qualibet hebdomada Sacramentalem absolutionem suscipiant. Hujusmodi pœnitentes, si tantum de imperfectionibus confitentur quæ non pertingunt ad culpas certe veniales, dicit *Bonacina* (*Lib. 4. n. 432. v. IV. Si dubitetur*) hos absolvi posse sub conditione; sed hoc non admittendum censeo, nisi perraro, & cum ipsi non possent materiam certam præteritæ vitæ assignare, vel non sine magna molestia. Ceterum dico, quod si pœnitens certam non exhibet materiam, non debet Confessarius angi in eam perquirendo, ut illum absolvat; & casu quo perquisisset, nec invenisset, non tenetur ei conditionatam absolutionem impertire. Hoc procedit, cum pœnitens confitetur (ut dixi) de defectibus, de quibus dubitatur, an pertingant ad venialia; at si de certis venialibus confitetur, sed usualibus, sive quotidianis, puta de impatientiis, intemperantiis, distractionibus in officio, in oratione, & similibus, ut absolutio illi præberi possit, spectandum est, an ipse aliquando sibi quantum potuit vim intulerit, ut passionem superaverit, quia tunc judicari poterit ejus culpas potius ex humana fragilitate processisse, quam ex defectu doloris aut propositi. E converso, si ille frequenter & sine resistentia in hujusmodi culpas relapsus sit, tunc cum eo agendum tanquam cum recidivo, juxta dicta ex *n. 71.*

100. Plura insuper hic notanda; & 1. caveat Confessarius, ne his suis pœnitentibus spiritualibus, præsertim feminis prohibeat accedere ad alium Confessarium; & cum advertit accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse; imo ipsis imponat, ut aliquando apud alios confiteantur; præterquam si quis esset valde scrupulosus, de quo prudenter timeat, ne si ad alium accedat qui ejus conscientiam ignorat, notabiliter esset inquietandus. Caveat pariter Confessarius, ne sollicitum se ostendat, se velle alicujus animæ directionem suscipere. 2. Nunquam absque necessitate de aliorum Confessariorum defectibus loquatur, sed potius sedulo quærat eos ab aliquo errore commisso excusare. 3. Directionem non suscipiat alicujus qui vult directorem suum relinquere, nisi adsit urgens causa, ut docent S. Philippus Nerius, S. Franciscus Salesius, S. Carolus Borromæus, & alii; ex hoc enim sæpe dissipationes, perturbationes, & quandoque etiam scandala oriuntur. Advertatque, ad mutandum Confessarium non satis esse, quod pœnitens aliquam erga eum abominationem sentiat, vel quod videatur verbis ipsius fidem non amplius habere; ut enim ait S. Theresia, sæpe hæc est dæmonis tentatio. Unde S. Franciscus Salesius sic docet: *Confessarius non est variandus sine gravi ratione. Sed contra neque expedit in hoc esse invariabile, si legitimæ causæ mutationis superveniant.* Ceterum dicit S. Theresia justam esse posse causam mutandi Confessarium, defectum bonitatis, ita inquiens: *Si Confessarius proclivis alicui vanitati appareat, mutetur; cum ipse sit vanus, vanos alios efficiet.* Propterea poterit esse justa causa mutandi defectus doctrinæ; de hoc tamen certam oportet habere præsumptionem. De cetero, ait S. Theresia, quod de dubiis bene potest pœnitens alios doctos directores consulere, imo aliquando hoc omnino expedit. 4. Evitet Confessarius partialem se ostendere cum aliquo pœnitente. Quidam ad aliquam animi benevolentia nimis adjiciunt; cum illa omnem curam, tempus, & laborem insumunt. Non negandum quod aliqua anima quandoque majori indigebit assistentia, quam alia; sed alia est assistentia, alia est adhæsio, quæ efficit, ut parcior cura de aliis pœnitentibus habeatur. Ideo expediet, quod Confessarius personæ illi indigentiori aliquem diem aut tempus particulare assignet, quin alii incommodum recipiant.

101. Notandum 5. quod in excipiendis Confessionibus harum personarum spiritualium Confessarius cavere debet, ne nimis attollat vocem, quamvis de peccatis non loquatur: quia ex hoc accidere potest, quod alii expavescant suas culpas confiteri, ob hunc timorem quod Confessarius alta voce loquatur. 6. Non sit facilis permittere devotis puellis, ut capillos præcidant, & aliquem induant habitum religiosum; sed curet, ut ipsæ prius per multum tempus in vita spirituali & in virtutibus fixius radices immiserint. Propter istam nimiam facilitatem Confessariorum, quot puellæ postea habitum dimittunt, & nuptias ineunt cum scandalo loci, & malo exemplo

aliarum! 7. Neque his puellis indulgeat Confessarius, ut a viris doceantur legere, & tanto minus scribere. Quot puellæ simplices, quia didicerunt legere, animæ jacturam luxere? Hæc si non est proxima peccati occasio, saltem est non parum periculosa.

Si cupiunt talia addiscere, curent doceri ab aliqua alia muliere, aut ab aliquo fratre parvulo (& adhuc cum cautela), alioquin eas non absolvat; nec etiam absolvat matres quæ hoc permittunt. 8. Neque concedat feminis juvenibus ut vagent, Ecclesias visitando, utque in Ecclesia morentur, plus quam est necessarium, cum perturbatione parentum; sed eas moneat, ut attendat eis parere labores domesticos amplectendo. Quomodo autem, & quantum Confessarius cavere debeat a familiaritate suarum pœnitentium, de hoc sermo fiat *n.* 119. De directione autem animarum spiritualium in toto IX. Capitulo loquemur.

§. IV. *Quomodo debeat se gerere Confessarius cum mutis, & surdis?*

102. Si mutus esset etiam surdus, ut ordinarie evenit, ad ejus Confessionem excipiendam oportet eum adducere in aliquem occultum locum, ad exigendum quoddam signum suorum peccatorum & doloris, meliori modo quo potest. Sed prius quam eum audiat, curet Confessarius instrui ab ejus familiaribus de ipsius vitiis, & de modo tenendo, ut eum percipiat, & ab eo percipiatur; & cum aliquod jam perceperit ejus particulare peccatum, cum signo doloris, illum debet absolvere. Sed ego semper eum sub conditione absolverem, nisi quandam moralem certitudinem haberem de sua dispositione.

103. Mutus si sciret scribere, juxta nostram sententiam (*Tom. II. lib.* 6. *n.* 479. *v. Quær.*), ipse tenetur ad confitendum per scripturam; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ordinaria. Dico *ordinaria*, quia scriptum non esset muto ordinarium medium, si alioquin magnum ille deberet laborem subire ad suam Confessionem explendam, aut si manifestationis periculum esse posset.

104. Si unquam accederet ad Confessarium aliqua mulier surda, aut surdastra, & Confessarius in progressu Confessionis, interrogans de circumstantiis peccati confessi, adverteret eam esse surdam, dubium fit, an Confessarius possit illi alta voce dicere, ut redeat alio opportuno tempore & loco. Casus hic sæpe in Missionibus accidit, & valde quandoque Missionarios angit. Ego sic agendum puto: si illius surditatem sub initio Confessionis noverit, tunc libere potest ei imponere ut redeat. At si in progressu Confessionis id adverteret, eo quod pœnitens minime adæquate interrogationibus respondet, tunc nequit Confessarius ei injungere alta voce ut redeat, ita ut circumstantes hoc audiant; quia suspicionem quidem illis ingereret, quod pœnitens confessa sit de aliqua gravi culpa, aut saltem dubie gravi; quapropter eo casu, etiamsi ipsa de aliquo mortali fuerit confessa, eam absolute absolvat, si dispositam agnoscat; alioquin absolvat sub conditione; etenim, ne sigillum frangat, tunc nequit certiorari de illius dispositione, neque (ut dixi) potest ei injungere, ut redeat; & tunc levem ei imponat pœnitentiam, cum satisfactio illa ob surditatem etiam ab aliis audienda esset (*Num.* 643. *v. Petes.*)

§. V. *Quomodo se gerere debeat cum moribundis.*

105. Confessarius in excipiendis moribundorum Confessionibus, non debet tam exacte procedere circa numerum, & circumstantias; præsertim si jam accessisset Sacerdos cum Viatico, aut si Medicus instaret, ut cito Viaticum suscipiatur; tunc enim melius est ad dispositionem pœnitentis, quam ad Confessionis integritatem attendere. Sufficit tunc imponere infirmo, ut, cum convaluerit, Confessionem repetat. Et satisfactio sit levissima, imponendo proportionatam pro tempore quo ille convalescet; vel satis erit ei injungere, ut redeat tempore sanitatis. Vulnerati, & puerperæ, quæ ordinarie nequeunt ab assistentibus deseri, sufficit ut se accusent generice de suis peccatis, & in particulari de aliqua culpa levi, cum proposito integre confitendi si convalescant. Advertat Confessarius, quod si moribundus teneretur ad aliquam restitutionem, quam valeat tunc implere, ei imponere debet, ut statim faciat; & non sufficit, quod de illa onus hæredibus relinquat; alias eum non absolvat (*Observa Auctorem Instructionis di Terre, Villagg. c.* 14.).

106. Si autem infirmus notabilissimam subiturus esset perturbationem animi, in audiendo quod debeat Viaticum accipere, probabile est (*Lib.* 6. *n.* 285. *Dub.* 4.) posse Parochum Eucharistiam ei præbere, reticendo solita verba: *Accipe frater Viaticum*, &c. sed proferendo ordinaria verba Communionis: *Corpus D. N. Jesu Christi custodiat &c.*

107. Si deinde Confessarius adverteret moribundum jam esse in statu, quo teneretur suscipere extremam unctionem, & ille respueret; patefaciat ei magnos effectus hujus Sacramenti, quod grandem præstat animæ fortitudinem ad obsistendum in ultimo agone dæmonum tentationibus; eam solvit a culpis venialibus, & etiam mortalibus, si occultæ sint, & insuper sanitatem adhuc corporis confert, cum animæ saluti expedit; sed hanc sanitatem non præbet, si moribundus eo devenit, ut nequeat amplius nisi per miraculum convalescere; quia Sacramentum per viam ordinariam tantum operatur, causas naturales coadjuvando. Si vero hoc non obstante infirmus non acquiesceret, & pergeret nolle ungi, valde probabiliter plures DD. docent (*Num.* 733.), eum lethaliter peccare, saltem adversus charitatem erga seipsum, cum ultro se privet tanto auxilio in tanta necessitate.

§. VI. *Quomodo se gerere debeat cum capite damnatis?*

108. Cum his maxima charitas, & patientia adhibenda est. Prima vice qua Confessarius reum visitat, incipiat ei significare; mortem illam donum esse Dei, qui vult eum salvum facere. Dicat quod nos omnes ex hoc mundo discessuri sumus, & de brevi, ut ad æternitatem perveniamus, quæ non habet finem. Hinc ipsi loquatur de felici Beatorum vita, & de miseria damnatorum. Deinde hortetur eum, ut gratias agat Deo, qui usque ad illud tempus ipsum exspectavit: nec permisit, ut moreretur tempore quo erat in peccato. Demum inducat, ut mortem hilari animo accepiet,

ptet, eam conjungendo cum morte quam Christus Dominus pro suo amore perpessus est. Eumque confortet dicendo, quod ipse mortem propter sua peccata acceptando, certe salvus est, & cum magno merito salvus, unde in Cælo grandi remunerabitur præmio. Insinuet ei postea, ut confiteatur; & omnia peccata sue libere manifestet. Præcipue interroget, an odio adversus aliquem teneatur? & an servet secum Particulas consecratas, aut oleum Sanctum, aut superstitiosas scripturas? interroget etiam, an aliquod inierit cum dæmone pactum? postquam autem eum absolverit, curet, ut ille pluries communicet; monendo etiam, ut frequenter Deiparæ se commendet, ut bonam ipsi mortem obtineat. Dum e carceribus reus ad patibulum pergit, dicat ei, *Eja, fili mi; sequere Jesum Christum, qui ante te profectus est ad Calvarium, ad subeundam pro te mortem tua longe amariorem.* Cum ad locum supplicii perventum sit, iterum eum reconciliet, & absolvat; moneatque, ut aliquam Indulgentiam lucretur, & deinde sic dicat: *Eja N. hilari esto animo, jam nunc manes in gratia Dei; jam patet tibi Paradisi janua, ibi te expectant Jesus, & Maria. Conjunge mortem tuam cum morte Jesu qui pro tuo amore exsanguis inter ludibria, & cruciatus mortuus est. Amas ne illum? dic mecum, Domine, super omnia te diligo; mori volo, ut tuam faciam voluntatem. Mortem pro meis peccatis accepto. Spero jam mihi te pepercisse; iterum te offendisse me pœnitet. Cupio cito venire ad Cælum, ad tuos pedes osculandos, ac ad te amandum in æternum.* Dum vitta super oculos reo imponitur, & ipse scalam ascendit, ei dicat: *Fili mi, invoca Dei Matrem, ut tibi assistat. Offer mortem tuam pro culpis tuis. Protestare nolle consentire ullæ dæmonis tentationi.* Postquam scalam ascenderit (dum sententia executioni demandanda est), dicat: *Ecce Jesus Christus qui expansis brachiis te expectat ut amplectatur: Domine te offendi, mihi displicet; nunc te amo toto corde. Deus animæ meæ, tu me vocas, ecce jam venio. Maria Virgo adjuva me. Domine, in manus tuas commendo spiritum meum. Jesus, & Maria, Jesus, Maria, Joseph.*

109. Si autem reus obstinate nollet confiteri, quid agendum? 1. Confessarius quærat eum orationibus adjuvare, & curet, ut etiam ab aliis ille Deo commendetur, ac præcipue a Communitatibus Religiosis, ut Missis & precibus ipsum auxilientur. 2. Intimet damnato, quod sive ipse convertatur sive non, sententia exequenda erit. 3. Interroget, an forte de sua salute desperet, eo quod animam dæmoni tradiderit? eo enim casu illi suadere studeat, quod hujusmodi pactum vim non habet, quia solus Deus est animæ Dominus, & statim ac ipse pravam revocat voluntatem, Deus ipsi omnia peccata remittit. 4. Interroget, an aliquem odio insequatur, ex quo proveniat sua obstinatio? Insuper advertat, primis vicibus quibus talem obstinatum alloquitur, ne importune cogat ut statim confiteatur, quoniam obstinatior fiet. Melius erit sermonem secum facere de morte cui omnes tenemur, de misericordia Dei, de pœnis inferni, & de paradisi gaudiis. Enarret ei exemplum alicujus peccatoris, qui mortuus est impœnitens; aut nonnullius capite damnati, qui sanctam sortitus est mortem, prout illius qui, cum innocens damnatus fuisset, cumque interrogaretur, qua de re suam non defendisset innocentiam, sic respondit? *Et cur? Ego tot annos Deum rogavi, ut mihi concederet mori morte opprobriosa, sicut Salvator meus obiit pro me: ego jam obtinui quod petebam, & nunc hac optata sorte me privare volebam?* Et ita hilariter ad patibulum perrexit. Dictis his, Confessarius relinquet reum, ut secum ista animo revolvat; & postea iterum sciscitetur, an forte mutatus sit, eique dicat: *Fili mi, jam tua mors appropinquat, quid decernis? In tua potestate est infernum, aut Cælum eligere. Animadverte quod si obstinate decedis, per totam æternitatem te pœnitebit, sed tanto malo nullum amplius remedium suppetet.* Cum adhuc ipsum videat durum, curet ut circumstantes orent pro eo; & præsertim Litanias B. Virginis recitent, & deinde ante eum genuflectat, rogetque ne velit perire. Si ne proficiat quidem eum alloquendo, se vertat ad alloquendum Crucifixum. Denique, si reus jam advenerit ad supplicii locum, expostulet a populo, ut omnes genuflectentes pro illo obstinato preces effundant. Prodesse quoque poterit eum terrere dicendo: *Discede maledicte in infernum, quandoquidem vis te perdere. Sed scito, quod tua pœna acrior in inferno erit memoria hujus temporis quod Deus tibi largitur, & tu abuteris.* At postmodum dulcem resumat sermonem. Si unquam damnatus jam scalam ascenderit, & petat confiteri, flagitet Justitiæ ministro, ut permittat ei descendere, protestando quod tunc ipsi tenentur tempus illi concedere ut confiteatur. Hoc tamen currit pro eo qui nondum confessus est; nam si reus jam alias confessus fuerit, tunc confessarius moneat eum, ut actum contritionis eliciat, & inde sic interroget; *Eja fili mi, nunc nonne intendis confiteri mihi omnia peccata tua, & præsertim illa quæ mihi dixisti?* & cum reus annuerit, levissimam ei satisfactionem imponat (v. gr. ut invocet Jesum, & Mariam), & absolvat.

§. VII. *Quomodo se gerere debeat Confessarius cum infestatis a dæmone.*

110. Aliqui obsessi a malibus spiritibus vexantur spectris horribilibus, aut corporalibus cruciatibus. Horum facilis est cura; insinuetur eis oratio, patientia, & super omnia divinæ voluntati uniformitas. Confessarius non sit ita incredulus quod judicet omnes has invasiones, aut infestationes dæmonum esse phantasias, aut corporales infirmitates; quia non negandum, veros obsessos etiam inter Christianos existere. Ecclesia enim adversus invasiones istas tot instituit exorcismos, quorum exercitium testatur nobis Concilium Tridentinum (*Trid. sess.* 23. *c.* 3.) semper in usu fuisse apud Ecclesiam. Præterquamquod, si obsessi non existerent, inutiliter Ordo Exorcistatus institutus fuisset, quo super energumenos & catechumenos potestas confertur (quod certe non potest supponi); & quidem hic Ordo est unus ex septem, qui semper in Ecclesia Dei fuerunt, ut idem Concilium declaravit. Cæterum consilium est semper de talibus invasionibus suspicionem habere; non enim negandum, majorem earum partem esse aut fictiones, aut imaginationes, aut infirmitates, præsertim in mulieribus.

111. Qui tamen magis solent confessariorum mentem gravioribus difficultatibus implicare, sunt ii qui tur-

turpibus visionibus, motibus, ac etiam tactibus vexantur a dæmone, qui non solum fomitem sensualem excitat, sed aliquando etiam cum eis carnale commercium sub forma viri aut mulieris habet, quapropter *Succubus*, vel *Incubus* appellatur. Quidam hos dæmones incubos, vel succubos dari negarunt; sed communiter id affirmant Auctores; ut *Martinus Delrio in opere Disquis. Magic. P. Hieronym. Menghi l. 1. c. 15. Cardinalis Petrucci Epist. part. 2. lib. 2. opusc. 5. cap. 15. n. 5. & Sixtus Senensis lib. 5. Bibl. Sacr. Annot. 77. ex S. Cypr. S. Just. Tertull. &c.* Et maxime hoc confirmat *S. Aug. lib. 15. de Civ. Dei* 23. ubi sic scribit *Apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, ut non solum videri, verum etiam tangi possent, verissima scriptura testatur, & multos (quos vulgo Incubos vocant) improbos sæpe extitisse mulieribus, & earum appetiisse, ac peregisse concubitum. Quosdam dæmones hanc assidue immunditiam, & tentare, & efficere, plures talesque viri asseverant, ut hoc negare imprudentia videatur.* Equidem possunt dæmones ad hunc improbum usum defunctorum corpora assumere, vel de novo sibi assumere ex aere, & aliis elementis ad carnis similitudinem, ac palpabilium, & calidorum corporum humanorum species effingere, & sic ea corpora ad coitum aptare. Imo tenet præfatus *Delrio*, citans *D. Thom. D. Bonavent. Scotum, Abulens.* aliosque plures, quod dæmon potest etiam verum semen afferre aliunde acceptum, naturalemque ejus emissionem imitari, & quod ex hujusmodi concubitu vera proles possit nasci, cum valeat dæmon semen illud accipere, puta a viro in somno pollutionem patiente, & prolificum calorem conservando, illico in matricem infundere, quo casu proles illa non erit quidem filia dæmonis, sed illius cujus est semen, ut ait D. Thomas apud citatum Auctorem. An autem, inspectis legibus a divina Providentia constitutis pro propagatione generis humani, hæc aliquando evenisse, aut evenire posse credendum sit, Sapientiorum judicio remittimus. Hic autem fit dubium, an possit dæmon, permittente Deo, absque hominis culpa manus illius admovere ad se tactibus polluendum? Affirmat Pater Gravina Dominicanus, & quidem probabiliter; si enim valet dæmon totum corpus alicujus movere, ut narratur de Simone Mago, ope dæmonis in aerem sublato, cur non poterit & manum? Præterea si dæmon potest alicujus commovere linguam, ut invitus proferat obscœna verba, aut blasphemias contra Deum, quidni manus ut turpia patrentur? idem sentit *Card. Petrucci l. c. num. 8.* ubi sic inquit: *Non semel compertum fuisse, quod dæmon aliquam partem in humano corpore cœperit quodammodo possidere, puta oculos, linguam, vel etiam verenda. Hinc fit linguam obscœnissima verba proferre, licet mens talia tunc non advertat. Hinc impetus, & affectus quandoque se turpiter denudandi proveniunt. Hinc fœdiora, quæ me conscribere pudet.* Idque satis confirmatur a S. Thom. *de malo qu. 3. art. 3. ad 9.* ubi sic docet: *Dæmones facere possunt, ut homines non discernant species a rebus, in quantum Deo permittente perturbant interiores vires sensitivas, quibus perturbatis, ligatur usus rationis humanæ, quæ indiget prædictis viribus ad suum actum, sicut patet in Arreptitiis. Ligato autem usu rationis; nihil imputatur homini ad peccatum, sicut nec bestiæ. Unde secundum hoc diabolus non erit causa peccati, etiamsi sit causa actus, qui alias esset peccatum.* Potest igitur juxta S. Thomam dæmon esse causam actus turpis, & simul ita ligare usum rationis, ut actus minime imputetur homini ad culpam.

Huic autem opponi possunt duæ Propositiones Michaelis Molinos proscriptæ ab Innoc. XI. Prima *n. 44.* dicebat: *Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex dæmonis violentia.* Altera *n. 49.* quæ magis ad casum pertinet, dicebat: *Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces.* Sed respondetur 1. hasce propositiones esse patenter falsas; nam prima innititur textui illi: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo. Job* 33. Hunc textum varie explicant Interpretes: *Estius* dicit, quod Job optabat illic nullam fieri in futurum suæ nativitatis mentionem propter suam infelicitatem: *Pereat dies, idest,* (verba Estii) *sum infelicissimus, itaque pereat dies; nec anniversaria recolatur.* Alii autem cum *Tirino* ajunt, quod Job inculpabiliter naturales maledicebat ærumnas tanquam suorum cruciatuum causas. Quid igitur ad hæc pertinent blasphemia, & violentia dæmonis? Cæterum non repugnat, ait *Card. Petruccius loco supra cit.* quod dæmon possit linguam hominis movere ad turpia verba proferenda. Refertque *P. Joannes Baptista Scaramelli* (in Vit. Ven. Sororis Mariæ Crucifixæ Satellico) quod dæmones ipsa ad blasphemandum cogebant hoc modo: *Dopo averla commossa ad empj affetti, le moveano velocemente la lingua alle maledizioni delle cose più sante; ed alle volte si servivano delle sue mani per gittare a terra medaglie, e libri sagri.* Deinde refert verba ejusdem Sanctimonialis, quæ suam enarrans pœnam sic suo Directori scribebat: *Con questa lingua consagrata ogni mattina dal contatto di Gesù Cristo io abbia poi a maledirlo? mi sento morire, benchè fossi senza peccato ... Le maledizioni variano secondo le solennità, proferendo bestemmie ereticali, negando i misteri sacrosanti ec.* Idem dicendum de altera Propositione 49. Michaelis Molinos; nempe quod sit falsa, & insuper scandalosa, dum Job non loquitur de pollutione, sed tantum dicit: *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces. Job* 16. 18. explicat Malvenda: *Quasi dicat, hæc venerunt mihi præter culpam meam.* Et Menochius: *Cum manus supplices ad Deum elevarem, quas neque rapina, neque alio scelere contaminaveram.* Repeto, quid ad hæc pertinet pollutio, & violentia dæmonis? en quam falsæ erant duæ Propositiones relatæ!

Sed quoad Propositiones istas responsio magis propria, & convincens hæc est. Propositiones proscriptas, nemo ignorant, intelligendas esse juxta sensum Auctoris qui eas protulit. Quædam Quesnelli Propositiones videntur primo intuitu æquæ & sanctæ, attamen juxta illius sensum sunt perversæ. Ex. gr. Propos. 30. sic dicit: *Omnes quos Deus vult salvare per Christum salvantur infallibiliter.* Hæc Propositio in sensu recto & catholico tenetur ab omnibus, qui propugnant pro gratia efficaci ab intrinseco; sed damnata est in sensu Quesnelli, nempe quod

Deus

Deus velit tantum salutem prædestinatorum. Et sic dicendum damnatas etiam esse Propositiones relatas 44. & 49. Michaelis Molinos. Hujus impii systema hoc erat, quod cum persona libertatem suam Deo donaret, non debet amplius resistere malis commotionibus, nec ullum exercere conatum ad actus malos impediendos; quoniam illi imputandi sunt, non jam propriæ voluntati, sed violentiæ dæmonis, aut sensualis passionis. En Propositio sua fundamentalis (quæ est *n.* 17.); quomodo loquitur: *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria. Et si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura.* Adest alia sua Propositio (*n.* 47.) quæ magis individualiter ad casum nostrum pertinet, & dicit: *Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Sathana operetur, nullam adhibendo industriam nullumque conatum, etiamsi sequantur pollutiones &c.* Notentur verba, *sinere oportet; nullum adhibendum conatum, &c.* Sed quomodo potest esse sine culpa omittere resistentiam in hujusmodi commotionibus, & sinere ut dæmon operetur, etiamsi pollutiones sequantur? Nonne patenter hic apparet concursus propriæ voluntatis? Hoc quidem erat quod ajebat Molinos, & ita intelligendæ sunt omnes aliæ ipsius damnatæ Propositiones.

Cæterum cur, permittente Deo, non potest dæmon cogere hominem sine ullo ipsius voluntatis sensu ad faciendum aliquem actum malum? Nequimus autem nos, ait S. Augustinus, per rationes philosophicas, & humanum ratiocinum scire, ad quid extendatur vel ne potentia naturalis Angelorum; quapropter in hac materia plusquam philosophicæ rationes movere nos debent ad judicandum auctoritates Theologorum, qui juxta lumina ex sacris Scripturis accepta loquuntur. Habemus in Evangelio Matthæi, quod dæmon usum linguæ bene potest impedire; *Obtulerunt ei* (sic ibi dicitur) *hominem mutum demonium habentem, & ejecto dæmone locutus est mutus. Matth.* 9. 32. & 33. Inquit Chrysostomus apud Cornelium a Lapide: *Hinc videtur, quod dæmon fecerit eum mutum, impediendo usum linguæ.* Sicut igitur dæmon humanorum usum membrorum impedire potest, sic illa commovere sine hominis voluntate. Item in eodem Matthæi Evangelio habetur, quod dæmon transtulit ipsum Christum super templi pinnaculum: *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam Civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Matth. 4. v.* 5. & 6. Si igitur potuit dæmon movere, & totam transvehere ipsius Domini personam, tanto magis linguam aut manus alicujus hominis poterit movere. Præterea habemus apud Danielem, quod Habacuc fuit ad Angelo translatus in lacum leonum: *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis suis: posuitque eum in Babylonem super lacum in impetu spiritus sui. Dan.* 14. 35. Animadvertantur verba, in impetu spiritus sui, quæ clare denotant naturalem Angeli potentiam.

Hinc merito dicunt Theologi sat posse dæmonem sua naturali vi, Deo permittente, membra hominis agitare. Præter S. Thomæ, & S. Bonaventuræ auctoritates supra relatas, idem scribunt plures Auctores neoterici. Id scribit *Card. Gotti: Diabolus quidem potest cogere ad actum, qui ex genere suo est peccatum, ut in energumenis, quos cogit ad enuncianda verba blasphema, vel etiam ad alios actus ex objecto malos. Sed tunc, ratione ligata, id non imputatur homini ad peccatum, quia deest libertas arbitrii. Theol. tom. 2. tr. 4. de Vitiis qu.* 6. §. *n.* 15. Idem scribit *Wigandt tr. 4. eod. tit. Exam. 2. n.* 69. *in fin.* Idem scribit *Calmet* (Auctor, quem omnes sciunt, quam sit ponderatus in suis effatis); ipse in Dissertatione quam apponit in Evangelio S. Lucæ de energumenorum veritate *art. 2. pag. mihi* 387. postquam suam exponit sententiam de præfata potentia dæmonis, hanc sibi objicit oppositionem: *Si dæmon de se operaretur in homine, adessent eodem tempore duo principia activa, nempe duo spiritus; sed hoc repugnat, quia unus posset agere in contrarium ad id quod alter vult.* Sed respondet, quod cum dæmon, permittente Deo, operatur in humano corpore, tunc eodem tempore (prout docet etiam S. Thomas) impedit, & ligat in homine usum rationis. Nec dubitat, quin Sathan sua vi naturali possit libertatem hominis ligare, eumque cogere contra ipsius voluntatem etiam ad blasphemias proferendas. Deinde *Calmet* ait signum esse, quod sit opera dæmonis, si *homo alio veluti spiritu animatur, agitur invitus, plura admittit ab insita sibi indole longe aliena, sed ita admittit, ut singularia omnia videantur & violenta.*

Idem scribit laudatus P. *Joannes Scaramelli in suo Directorio Myst. tr.* 5. *c.* 11. *n.* 124. sic dicens „ (Ciò „ ben può succedere senza peccato formale della per„ sona, se il demonio nel mentre che opera ester„ namente, internamente impedisce in tutto l'uso „ della ragione, e toglie ogni libertà a resistere (se„ condo parla S. Tommaso) movendo con tal vee„ menza l'appetito sensitivo, e perturbando di tal „ fatta la mente, che cessi ogni lume di ragione. „ Che per ciò il Confessore dee esaminare il peni„ tente, se in quelle cose che patisce, avverte al„ quanto alla malizia del peccato, e se ha qualche „ sentimento, che lo ritrae da quell' azione. Se e„ gli dice, che allora talmente se gli offusca la men„ te, che niente conosce, e non ne sente alcun ri„ morso, allora potrà giudicarsi esente dal peccato. „ Altrimenti poi, se allora ha qualche lume di ra„ gione, e la ragione non è totalmente legata, sic„ chè ben possa resistere)". Insuper prædictus Auctor monet Confessarios ad curandum, ut illi qui patiuntur turpes commotiones, patefaciant in Confessione hujusmodi actus; isti enim difficulter erunt ab omni culpa saltem levi immunes, ratione alicujus advertentiæ imperfectæ, vel defectu resistentiæ, quæ erat adhibenda.

112. Si quis unquam advenit infestatus ab hoste hujusmodi genere tentationis (dictæ *Spiritus fornicationis*, a quo S. Ecclesia nobis præcipue injungit petere a Domino, ut ab eo nos liberet), debet Confessarius multum satagere ad præmuniendum pœnitentem in tam horrendo conflictu; nam ait doctus Cardinalis Petruccius, has animas in magno periculo versari, si remedia non adhibeant multum efficacia, & aliquando si oportet etiam extraordinaria: cum enim ad resistendum requiratur ingens subsidium ex parte Dei, & magna violentia ex parte patientis, difficulter ab hujusmodi pugnis victor egredietur;

tur; qui perseveranter non adjicit magnam mortificationem, & super omnia validam orationem, centies & millies se commendando, gemendo, & misericordiam petendo ad Crucifixi, & Deiparæ pedes. Alioquin si anima tepescit, & deficit in orando, aut se mortificando, dicit Petruccius, quod ipsa in magno erit periculo ruendi saltem indirecte in aliquam occultam illarum turpium delectationum complacentiam. Itaque, ut deveniamus ad remedia, si Confessarius judicare potest nullam omnino adesse culpam in hac tentatione ex parte pœnitentis, ipsum ante omnia moneat hæc adhibere: jugibus precibus sibi subveniat, frequenter invocando SS. Nomina Jesu, & Mariæ: se diligenter avertat a sensuum voluptatibus; communionem frequentet: protestetur sæpe nolle consentire cuicumque tentationi, aut delectationi, quam opera dæmonis sentiret: sæpe utatur signo Crucis (illam ferendo quoque secum), & aqua benedicta, cum ipsa lectum & cubiculum aspergendo: afferat etiam secum aliquam reliquiam Sanctorum, & & Evangeliorum librum: secum pariter adhibeat exorcismos privatos, dicendo *Spiritus nequam, in nomine Jesu Christi præcipio tibi, ut a me discedas, & ne me amplius vexes:* hortetur præterea, quod vexatus ille sæpe humiliter, & in hujusmodi humilitatis actibus sæpe se exercitet; cum Deus aliquando, ad aliquam internam superbiam ab anima removendam, hujusmodi tentationes permittit.

113. Si quis autem in his tentationibus misere cadit, aut earum occasiones magis quærit quam effugit, hujus curatio est valde difficilis; nam hujusmodi peccatores qui cum dæmone commercium habent, difficillime ex corde convertuntur. Ex una parte enim erga hos dæmon dominium quoddam acquirit super eorum voluntates, & ex altera ipsi remanent nimis debiles ad resistendum; indigerent extraordinaria gratia Dei; sed difficillime solet hanc Deus hujusmodi impiis concedere. Veruntamen Confessarius, si quis eorum accesserit, non diffidat, sed curet cum ipso summam adhibere charitatem, confortetque dicendo, quod ubi non est voluntas, non est peccatum; hinc si ipse voluntate resistit, minime peccat. In his casibus ante omnia Confessarius adversus dæmonem præmittat exorcismum, saltem privatum, qui certe licitus est (*Tom. I. l. 3. n. 103. de Adjuratione ibid. ad n. IV.*) hoc modo, *Ego ut Dei minister præcipio tibi, aut vobis, Spiritus immundi, ut recedatis ab hac creatura Dei.* Deinde pœnitentem interroget, an unquam hostem invocaverit, & cum eo aliquod inierit pactum? an aliquando fidem negaverit, aut contra ipsam actum aliquem exercuerit? interroget, qua forma ipsi dæmon appareat, an hominis, mulieris, aut belluæ. Tunc enim, si cum illo coit, præter peccatum contra castitatem, & religionem, reus erit peccati fornicationis, aut sodomiæ, aut incestus (intellige affectivi), adulterii, aut sacrilegii. Item interroget, quo loco & tempore hoc commercium habuerit? ostendat ei postea hujusmodi criminis immanitatem, quæratque eum inducere ad veram conversionem, & Confessionem integram faciendam; isti enim perditi homines, etiamsi confiteantur, de facili peccata omittunt. Eadem demum remedia supra annotata illi præscribat, nempe quod sæpe ad Deum, & B. Virginem recurrat: frequenter nomina Jesu, & Mariæ invocet: aquam lustralem, & crucis signum adhibeat: aliquam reliquiam, & Evangelium secum ferat: sæpe etiam privatum proferat exorcismum, prout dictum est supra. Differat deinde eum absolvere, sed hortetur ut sæpe redeat, ut sic cognosci possit, quomodo se gerat in resistendo hostis invasionibus, & in remediis adhibendis; nec eum absolvat, nisi post longum experimentum, tales enim conversiones, ut diximus, raro sunt veræ, & rarissime perseverantes.

CAPITULUM VIII.

De Prudentia Confessarii. I. in seligendis opinionibus. II. in corrigendis erroribus a se commissis. III. in custodiendo sigillo Sacramentali. IV. in excipiendis Confessionibus mulierum, illisque tractandis.

114. Confessarius summam adhibere debet prudentiam in seligendis opinionibus. Hic non loquar de quæstione tam hodie controversa, utrum sequi liceat opinionem minus probabilem, & minus tutam in concursu probabilioris? satis de hac passim loquuntur Auctores, & præcipue tot docti Scriptores, qui nuper de ea scripserunt, in quibus profecto desiderassem, ut potius rationibus, quam mordacibus insectationibus veritatem nos docuissent. Tantummodo hic repetam quod superius dixi *n.* 65. & 69. cum egimus de occasione proxima, quod scilicet quando agitur de vitando peccato formali, regulariter Confessarius sequi debet (quando licet) sententias benigniores; cum solum peccatum formale sit Dei offensa: at quando opiniones benignæ exponunt pœnitentem periculo peccati formalis, tunc Confessarium sequi debet opiniones rigidiores, quoniam istæ in hoc casu sunt magis pœnitentibus salutares. Verumtamen quando pœnitens uti vellent aliqua opinione probabili, & aliunde jam foret dispositus, tunc tenetur Confessarius eum absolvere, quoniam ratione Confessionis jam factæ, habet pœnitens jus certum & strictum ad absolutionem, ne cogatur eam recipere ab alio Sacerdote cum gravissimo onere repetendi Confessionem. Hæc opinio est communis, illamque admittunt etiam multi Auctores rigidioris sententiæ, ut sunt *Pontassus*, *Cabassutius*, *Victoria*, & præcipue *S. Antoninus*. Videatur liber, in quo hoc probatum est pluribus in locis (*Lib. 1. n. 25. & l. 6. n. 604.*).

115. Tanto magis hoc currit in casu quo Confessarius vellet obligare pœnitentem ad aliquam restitutionem, ad quam iste probabiliter non teneretur (*Lib. 3. n. 669.*). Imo hoc currit, etiamsi Confessarius non haberet tanquam solide probabilem opinionem pœnitentis, & pœnitens non esset rudis, eamque cum aliis gravibus Doctoribus tanquam probabilem teneret, ita ut pœnitens rectam jam sibi formet conscientiam bene operandi. Hoc tamen intelligendum est, quando opinio pœnitentis haberet aliquam (ut dixi) probabilitatem saltem apparentem, nam si Confessarius haberet eam ut omnino falsam, ex eo quod haberet contra eam principium aliquod certum seu rationem convincentem, contra quam existimaret, nullum esse responsum quod posset inducere ad dubitandum de certitudine propriæ sententiæ: tunc enim non debet, neque potest absolvere pœnitentem, qui illi non vult acquiescere (*Lib. 1. n. 25. v. Quod*). Attamen si prævideret Confessarius

rius suam monitionem non esse pœnitenti profuturam, sed potius redderet formale peccatum illud quod in pœnitente est tantum materiale, tunc debet dissimulare, exceptis aliquibus casibus; videatur quod dictum est supra *n.* 8. & 9.

116. II. Si aliquando Confessarius commiserit aliquem errorem circa valorem Sacramenti sine sua culpa, non tenetur ex justitia monere pœnitentem, sed solum ex charitate, quæ non obligat cum gravi incommodo (*Num.* 619. *Lib.* 6. *n.* 620.); dummodo Confessarius non sit ejus Parochus, qui teneretur reparare grave damnum subditi: & dummodo pœnitens non sit in mortis periculo, aut in periculo amplius non confitendi, quia tunc charitas obligat etiam cum gravi incommodo. Quod si Confessarius in hoc gravem culpam commiserit, tunc semper tenetur etiam cum gravi incommodo resarcire errorem (& præcipue si relinquit pœnitentem in aliqua occasione proxima); nisi pœnitens aliis confessus non fuerit, aut saltem Sacram Eucharistiam susceperit. At sine licentia pœnitentis nunquam debet, neque potest fieri præfata monitio extra Confessionem; quotiescumque posset illi aliquod afferre gravamen. Si vero error fuerit solum circa integritatem Confessionis, puta quia pœnitentem non interrogaverit de speciebus, aut numero peccatorum, etiam cum sua culpa; non tenetur Confessarius errorem illum emendare extra Confessionem, quia in hoc adest semper erubescentia pœnitentis, dum audit rursus ibi sua peccata rememorari. Si vero ex sua malitia, vel ignorantia culpabili exemerit pœnitentem a restitutione, aut ad illam injuste obligaverit; tunc tenetur eum monere, obtenta prius licentia; alias tenetur ipse ad restitutionem. Si autem in hoc gravem culpam non commiserit, non tenetur monere cum gravi suo incommodo; verum, si absque suo gravi incommodo posset reparare errorem, & non faceret, tunc etiam tenetur ad restitutionem. Denique si Confessarius omiserit admonere pœnitentem de restitutione, non tenetur ipse restituere, quamvis esset Parochus, & etiamsi gravem culpam in hoc commisisset. Vide Librum VI. (*Num.* 621.) in quo discussa sunt hæc omnia cum suis rationibus, & auctoritatibus DD.

117. III. Debet quoque Confessarius esse summe prudens in custodiendo sigillo Sacramentali. Jam notum, & certum est, quod Confessarius nunquam potest loqui de iis quæ in Confessione audivit quoties adest periculum revelationis sigilli (directe vel indirecte), aut gravaminis pœnitentis; & hoc currit etiamsi tantummodo dubitet, utrum ea in Confessione audierit, vel non, aut in ordine ad Confessionem (*Lib.* 6. *n.* 636.). Veruntamen non prohibetur Confessarius sermocinari (generaliter loquendo) de aliquo peccato in Confessione audito, quoties alii non possent venire in cognitionem pœnitentis, aut quoties haberet expressam licentiam a pœnitente. Nihilominus etiam in hoc cautissime est procedendum: & 1. Nunquam loquendo de peccatis in Confessione auditis, coram simplicibus personis, quæ possent suspicari de revelatione Confessionis. 2. Nunquam dicendo e suggestu in Concionibus, regnare in ea urbe aliquod vitium, quod ipse excipiendo Confessiones, intellexerit ibi magis frequentari. (Hoc tamen intelligitur (*lib.* 6. *n.* 653.), quando id aliunde non scivit, & quando locus est parvus), & præsertim si concionetur in aliquo Monasterio, in quo non debet vehemeutius invehere contra aliquem defectum, quem in Confessione audivit ibi esse communiorem. 3. Non sit Confessarius nimis importunus in obtinenda licentia a pœnitente, quoniam ea licentia, quæ non est omnino spontanea, & plene libera, ipse nequaquam uti poterit. Unde sit parcissimus, quantum fieri poterit, in exquirendis hujusmodi licentiis sine speciali necessitate: & tunc tutius erit insinuare pœnitenti, ut de eo, quod est necesse, loquatur extra Confessionem. Nemo autem ignorat, quod extra Confessionem non potest Confessarius nec etiam cum ipso pœnitente loqui de rebus in illa auditis, sine ejusdem expressa licentia: in ipsa vero Confessione bene potest de illis loqui, quoties existimat hoc ipsi pœnitenti expedire (*Num.* 652.). 4. Nequit exquirere nomen complicis, & si negaverit absolutionem ei qui dicere recusaverit, incurrit suspensionem *ferendæ sententiæ:* & qui docuerit hoc fieri posse, incurrit excommunicationem Papalem *ipso facto* (*Lib.* 6. *n.* 191.).

118. Casu vero quo pœnitens teneatur sub gravi manifestare nomen complicis, ad reparandum puta aliquod damnum commune (*lib.* 6. *n.* 191.), contra aliorum opinionem, nec etiam tunc posse a Confessario obligari pœnitentem ad manifestandum sibi nomen complicis, sed tantum posse & debere imponere pœnitenti, ut manifestet complicem iis qui possunt scandalum impedire. Quod si pœnitens ex se vellet Complicem Confessario manifestare, tunc bene potest illum audire, & quemadmodum oportet, damnum reparare. Insuper advertendum est, ex hoc non prohiberi Confessariis exquirere a pœnitente circumstantias quas scire oportet, ut intelligat, an adsit species peccati diversa, vel ut consulat saluti pœnitentis: hinc bene potest interrogare, an complex sit conjunctus? an ligatus voto castitatis? an cohabitet in sua eadem domo? an sit ancilla? & his similia: etiamsi per istas interrogationes indirecte manifestari debeat persona complicis; numquam tamen exquiratur illius nomen (*Ibid.*).

119. IV. Summe cautus debet esse Confessarius in excipiendis Confessionibus mulierum. Et primo notandum quod in Decr. S. C. Episcoporum 21. Jan. 1610. dicitur: *Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum confessiones post crespusculum vespertinum & ante auroram.* Loquendo autem de prudentia Confessarii, ipse regulariter in Confessionario cum junioribus sit potius rigidus quam suavis; nec permittat illas ante Confessionarium accedere, ut sibi loquantur, & multo minus, ut manus deosculentur. In actu Confessionis non ostendat eas agnoscere; aliquæ enim, quæ religiosæ haberi volunt, aliquando advertentes se nosci a Confessario, non faciunt integram Confessionem. Imprudentia quoque est conjicere oculos in pœnitentes, cum e Confessionario recedunt, easque per aliquod tempus intueri. Extra Confessionarium nec etiam immoretur ad colloquendum cum ipsis in Ecclesia, omnemque familiaritatem devitet. Abstineat etiam a recipiendis munusculis; & præcipue ad illarum domos nunquam accedat; uno excepto casu gravis infirmitatis, & tunc non nisi vocatus accedat; & tunc magnam adhibeat diligentiam in audiendis illarum Confessionibus, unde januam apertam relinquat, sedeat in loco ubi videri possit ab aliis, oculosque in faciem pœnitentis nunquam defigat. Et hoc præsertim currit, si sint personæ spirituales, cum quibus est periculum majoris

ad-

adhæsionis. Dicebat Ven. P. Sertorius Capotus, diabolum ad conjungendas inter se personas spirituales, ab initio uti prætextu virtutis, ut deinde affectus a virtute transeat ad personam: unde ait S. Augustinus apud S. Thom. (*Opusc. 64. de Famil. Dom. &c.*): *Sermo brevis, & rigidus cum his mulieribus habendus est; nec tamen quia sanctiores, ideo minus cavendæ; quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt.* Et idem Angelicus Doctor addit. *Licet carnalis affectio sit omnibus periculosa, ipsis tamen magis perniciosa, quando conversantur cum persona quæ spiritualis videtur; nam quamvis principium videatur purum, tamen frequens familiaritas domesticum est periculum; quæ quidem familiaritas quanto plus crescit, infirmatur principale motivum, & puritas maculatur.* Et subjungit, quod tales personæ hoc non statim advertunt; quoniam diabolus ab initio non emittit sagittas venenatas, sed illas tantummodo, quæ aliquantulum feriunt, & augent affectum. Sed brevi hujusmodi personæ eo deveniunt, ut non amplius agant secum tanquam angeli, quemadmodum cœperant, sed tanquam carne vestiti; vicissim se intuentur mentesque sibi feriunt blandis allocutionibus, quæ adhuc a prima devotione videntur procedere: hinc alter alterius præsentiam incipit appetere; *sicque* (concludit) *spiritualis devotio convertitur in carnalem.* Et quidem oh quot Sacerdotes, qui antea erant innocentes, ob similes adhæsiones quæ spiritu cœperant, Deum simul & spiritum perdiderunt! Advertatur hic quod ex Decr. S. C. Episc. sub. 21. Jan. 1620. *Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum Confessiones post crepusculum vespertinum, & ante auroram.*

120. Deinde Confessarius non adeo mulierum Confessionibus sit addictus, ut per hoc homines ad se venientes audire recuset. Oh qualis miseria est cernere tot Confessarios qui impendunt bonam diei partem in audiendis religiosis aliquibus mulierculis, quas vulgo dicunt *Bizocas;* & cum postea vident ad se accedere homines aut feminas uxoratas, qui sunt pleni angustiis, & molestiis, & qui ægre domos, & negotia sua relinquere poterunt, dimittunt eos, dicendo, *Habeo aliud quod agam, ite ad alios*, unde fit, ut isti, non invenientes cui sua peccata confiteantur, vivant per tot menses & annos sine Sacramentis, & sine Deo. Hoc non est audire Confessiones, ut Deo placeamus, sed potius, ut genio serviamus; quare nescio quale meritum apud Deum sint habituri Confessarii illi, qui hoc modo suum ministerium exercent. Scio ego, imo & contra aliorum opinionem, qui asserunt esse tempus frustra impensum, teneo esse opus valde Deo carum dirigere animas ad viam perfectionis; ideoque de hoc fusius loquar capite ultimo; sed assero probos Confessarios, qui tantum, ut Deo placeant, Confessiones excipiunt (quemadmodum facere consueverunt S. Philippus Nerius, S. Joannes a Cruce, S. petrus Alcantara, aliique) quando cernunt aliquam animam indigentem, præferunt eam animabus devotis, quibus audiendis auxiliandisque, quando Confessarius vult, tempus non deerit.

CAPITULUM IX.

Quomodo se gerere debeat Confessarius in dirigendis Animabus Spiritualibus?

121. Quod olim dixit Dominus Jeremiæ: *Ecce constitui te super gentes, ut evellas, & dissipes, ædifices & plantes;* idem nunc repetit singulis Confessariis, qui non solum debent evellere vitia ex suis pœnitentibus, sed etiam debent in illis virtutes inserere. Unde expediens est addere hic in fine Caput hoc, quod poterit inservire Confessariis tyronibus ad dirigendas animas spirituales ad perfectionem. Non sunt quidem expellendi peccatores, ut superius diximus, sed e contra opus est etiam multum Deo acceptum sponsas illi adornare, animas scilicet Spirituales excolere, ut in totum se illi donent, tradantque. Acceptior est ejus oculis anima sola perfecta, quam mille imperfectæ. Unde cum videt Confessarius pœnitentem vivere immunem a culpis mortalibus, omnem curam adhibere debet, ut eum in viam perfectionis, & Divini amoris introducat, illi repræsentando meritum, quod habet Deus, ut ametur, & gratitudinem quam debemus Jesu Christo, qui nos amavit usque ad moriendum pro nobis; nec non periculum in quo versantur omnes animæ, quæ vocatæ a Deo ad vitam perfectiorem, illi resistunt. In tribus igitur præcipue posita est directio Confessarii quoad animas spirituales, scilicet in Meditatione, in Contemplatione, in Mortificatione, & in Frequentia Sacramentorum, & de omnibus his singillatim dicemus.

§. I. *De Oratione Meditationis.*

122. Prudens ergo Confessarius cum cernit animam aliquam abhorrentem peccata mortalia, & desiderantem progredi in amore Divino, ante omnia debet illam disponere ad faciendam orationem mentalem, scilicet ad meditationem veritatum æternarum, & bonitatis Divinæ. Et quamvis necessaria non sit ad æternam salutem consequendam, sicut est necessaria petitio; nihilominus videtur valde necessaria animabus, ut in Dei gratia perseverent. Cum reliquis pietatis operibus potest peccatum consistere; sed non possunt cohabitare Oratio, & peccatum. Anima aut relinquet orationem, aut peccatum. Dicebat S. Theresia: *Animam, quæ in oratione perseverat, quotquot illi peccata opponat Diabolus, tandem pro certo habeo quod eam Dominus ad salutis portum conducet.* Et ideo Diabolus nullum aliud exercitium tam quærit impedire, quam illud orationis, quoniam, inquit eadem Sancta: *Novit Dæmon quod certe amittet animam quæ perseveranter incumbit Orationi.* Præterea solus amor est qui animam Deo jungit, & stringit; sed fornax in qua accenditur flamma divini amoris est Oratio, seu Meditatio: *In meditatione mea exardescet ignis*, Ps. 38. 4.

123. Incipiat ergo Confessarius introducere animam in orationem. Ab initio non plusquam mediæ horæ spatium assignet: quod deinde crescente spiritu, plus minusve augebit. Neque desistat ex eo quod pœnitens difficulter adducet, quod desit sibi tempus, lo-

locus ad se colligendum: imo imponat ei, ut saltem mane, vel vespere quando in domo major est quies, vel etiam in ipsis occupationibus (quando aliud non posset efficere) elevet identidem mentem ad Deum; & meditetur veritates fidei, ut sunt novissima, quorum cogitatio, & præcipue mortis, est utilior pro incipientibus. Meditetur quoque Christi Passionem, quæ meditatio est omnibus fructuosa. Si vero Pœnitens non sit litterarum rudis, expediens est, ut utatur aliquo libro spirituali, quo magis habeat ingressum in orationem, quemadmodum facere solebat S. Theresia. Moneat quoque, ut seligat materiam illam, in qua anima majorem experitur devotionem, & in iis locis in quibus anima se vehementius affici sentit, & commoverit, moretur aliquantum, & lecta meditatione totam se exerceat in actibus voluntatis, vel incumbat petitioni, aut faciendis propositis. Dico 1. se exerceat in *faciendis actibus*, scilicet humilitatis, actionis gratiarum, fidei, spei, & præsertim in repetendis actibus contritionis, & charitatis erga Deum offerendo se illi totam; totamque suæ sanctissimæ voluntati resignando, & repetendo plusquam alios, actum illum cui anima se magis sentit inclinatam. Dico 2. exerceat se *in petendo;* nam a petitione omne nostrum bonum dependet, & S. Augustinus inquit Deum ordinarie nullam gratiam hominibus concedere, & præsertim gratiam perseverantiæ, nisi per canalem petitionis. Dominus dixit: *Petite, & accipietis;* Ergo concludit S. Theresia, qui non petit non accipit. Quapropter si volumus animam nostram salvare, necesse est semper orare, & ante omnia petere perseverantiam, & amorem erga Deum. Et quidem nullum tempus opportunius est ad petendum, quam tempus orationis mentalis. Qui non orat, difficiliter petit, quia difficiliter se actuat ad considerandas gratias, quibus eget, & necessitatem ipsam petendi; & ideo qui non facit orationem, difficulter in Dei gratia perseverat. Dico 3. in *Statuendo*, ut oratio non remaneat infructuosa, & anima mandet executioni ea lumina, quæ in oratione recepit: undè, quemadmodum inquit S. Franciscus Salesius, nemo debet imponere finem orationi, nisi prius fecerit particularem aliquam determinationem, puta vitandi defectus quosdam magis usuales; aut exercendi virtutem aliquam, in qua se noscit debiliorem. Videatur circa hoc quod dicetur in Appendice versus finem, cum loquemur de instructione pro oratione mentali §. III.

124. Exigat igitur Confessarius ab animabus istis rationem orationis; exquirendo ab illis quomodo aut in ea se gesserint, aut saltem si fecerint; & imponat illis, ut in Confessione ante omnia alia se accusent de oratione omissa, quando eam intermiserint; quoniam relicta oratione anima salvari non poterit. *Anima quæ omittit orationem* (dicebat S. Theresia) *tamquam a semetipsa se collocat in inferno sine opera Dæmonum*. Oh Deus & quantam Confessarii afferrent animabus utilitatem adhibendo hanc minimam diligentiam! Et oh qualem Deo rationem sunt reddituri, nisi ita se gerant, quoniam ipsi tenentur procurare quantum in se est spiritualem progressum suorum pœnitentium! Oh quot animas possent ipsi ad viam perfectionis dirigere, easque a recidivis in peccata gravia liberare, si adhiberent hanc tenuem industriam dirigendi eas per viam orationis; & interrogandi postea saltem sub initiis vitæ spiritualis utrum eam fecerint, vel non! Quando anima aliqua se in oratione solidavit, difficillime plus Deum amittit; & ideo oratio mentalis insinuanda est non tantum timoratis, sed etiam peccatoribus, qui sæpe ob defectum considerationis redeunt ad vomitum.

125. Super omnia Confessarii adhibere debent diligentiam hanc, cum pœnitentes patiuntur desolationem spiritus. Initio quo anima se tradit vitæ spirituali solet Deus illam allicere specialibus quibusdam luminibus, lacrymis & sensibilibus aliis consolationibus; sed elapso aliquo tempore, solet claudere hanc venam, ut probet earum fidelitatem, & ut eas ad majorem perfectionem extollat, subtrahens eis sensibilem omnem dulcedinem, cui facile anima adhæret non sine impuritate quadam, & culpa ex amore suipsius. Consolationes sensibiles (quin & attractiones supernaturales) sunt quidem Dei dona, sed non sunt ipse Deus; unde ipse, ut animas sibi dilectas avellat etiam a donis suis, ut Donatorem puriori amore diligere cogantur, efficit; ut non inveniant amplius in oratione pabulum consuetum, & solitam consolationem; sed tædia, ariditates, tormenta, & quandoque etiam tentationes. Invigilet ergo summopere Confessarius ad confortandas animas istas, ne orationem omittant, & præscriptas Communiones; revocet illis in memoriam verba illa S. Francisci Salesii, scilicet: *Plus valere coram Deo unciam unam Orationis in medio desolationum, quam libras centum in medio consolationum*. Quoniam ille qui Deum diligit ob consolationes, plus Dei consolationes quam Deum ipsum diligit; sed qui Deum amat, eique adhæret sine consolationibus illis, hic verum ostendit amorem. Hæc de meditatione sufficiunt, sed opportunum duco aliquam hic novis Confessariis præbere notitiam contemplationis infusæ, ac suorum graduum, nec non aliorum donorum supernaturalium una cum regulis præscriptis a spiritualis vitæ Magistris ad directionem animarum, quibus Deus hujusmodi gratias voluerit impertiri.

§. II. *De Oratione Contemplationis, & diversis suis gradibus.*

126. Quando anima aliqua a Deo contemplationis gratia donatur, oportet, ut Confessarius optime sciat modum quo eam dirigere debeat, & ab omnibus illusionibus liberet; alias maximum illi afferet damnum, & quemadmodum ait S. Jo. a Cruce, magnam ipse Deo redditurus est rationem. Contemplatio multum differt a meditatione. In meditatione quæritur Deus labore discursus, in Contemplatione sine hujusmodi labore contemplatur Deus jam inventus. Insuper in meditatione anima operatur actibus suarum potentiarum; in contemplatione operatur Deus, & anima tantum patitur, & recipit in se dona, quæ a divina gratia sibi infunduntur absque eo quod aliquod operetur, quoniam ipsa lux, & divinus amor, quo tunc tota impletur, reddunt eam suaviter attentam ad contemplandam Dei sui bonitatem, qui tot illam cumulat donis.

127. Advertere etiam oportet, quod Deus antequam concedat animabus donum contemplationis, solet eas introducere in orationem recollectionis, vulgo dictam *di Raccoglimento*, vel *otii Contemplativi* (sic illud vocant Mystici), quæ non est adhuc con-

templatio infusa, quoniam anima adhuc est in statu activo. Hæc recollectio (loquor hic de naturali, quoniam de supernaturali & infusa inferius loquemur *n.* 111.) est quando intellectui opus non est cum labore quasi extra animam exire ad considerandum mysterium aliquod, aut æternam veritatem, sed avulsus a rebus externis, & collectus quasi intra animam ipsam absque labore, imo cum magna suavitate attendit illi veritati, aut mysterio quodcumque sit. *Otium Contemplativum* est fere idem, nisi quod in collectione anima attendit alicui devotæ cogitationi particulari; in otio vero cum generali quadam Dei notitia sentit se in seipsa collectam, & suaviter Deo attractam. In hac collectione, sive otio contemplativo, dicunt quidam Mystici, quod etsi hæc oratio sit naturalis, nihilominus anima cessare debet non solum a meditatione, sed etiam ab actibus voluntatis, scilicet amoris, oblationis, resignationis &c. & tantum manere debet in quadam amoris vigilantia, & attentione ad Deum, absque eo quod actum aliquem faciat. Veruntamen hujusmodi incantationibus ego prorsus acquiescere non valeo. Nulli dubium, quod quando anima collectam se sentit, non debet se applicare meditationi, quia jam invenit sine ullo labore quicquid ipsa postulabat; præterquamquod ipsa ordinaria meditatio, ut ait P. Segneri in suo aureo opusculo de *concordia inter laborem, & quietem* (*Part.* 1. *c.* 1. *n.* 1.), producit post aliquod tempus contemplationem quæ dicitur *acquisita*, nempe illam quæ unico intuitu cognoscit veritates, quas ante nonnisi longo discursu, & labore cognoverat. Sed his non obstantibus, nescio cur anima cessare debeat a bonis actibus voluntatis: & quodnam tempus opportunius his faciendis actibus esse poterit, quam tempus quo anima se collectam sentit? Verum quidem est, quod S. Franciscus Salesius consilium dedit B. Joannæ de Chantal, ut in sua oratione, cum se Deo unitam sentiret, non repeteret novos actus, sed quare; quia scilicet Beata jam pervenerat ad contemplationem passivam. Unde quando anima adhuc est in statu activo, non est ratio cur actus boni impedire debeant gratiæ operationem. Idem S. Franciscus Salesius præfigebat animabus devotis a se directis determinatum quendam numerum adspirationum amoris, faciendum intra certum temporis spatium. Quando anima pervenit ad statum passivum contemplationis, tunc anima etsi non mereatur, quia eo tempore non operatur, sed tantum *patitur*, nihilominus acquirit magnum quemdam vigorem ad operandum postea cum majori perfectione: sed quando anima adhuc est in statu activo, ut mereatur, operari debet, actus bonos faciendo; atque hæc sunt opera, quibus anima meretur gratiam divinam. Unde recte concludit idem P. Segneri, quod quando Deus loquitur & operatur; & oportet, ut anima taceat, & cesset a suis operationibus, nihil aliud ponendo ex latere suo circa principium, quam attentionem quandam amoris ad divinas operationes: sed quando Deus non loquitur, necesse est, ut anima se adjuvet eo modo quo potest ad conjungendum se Deo, scil. meditationibus (quando hæ sunt necessariæ), affectibus, precibus, & determinationibus, dummodo actus isti non eliciantur inviti: unde illi tantummodo sunt faciendi, quibus se anima sentit suaviter inclinatam.

128. Insuper advertendum est, quod Deus, antequam introducat animam in orationem contemplationis, solet eam purgare, ponendo in ariditate supernaturali, quæ appellatur *purgatio spiritualis*, ut eam purificet a suis imperfectionibus, quæ illi impediunt contemplationem. Atque hic distinguendum est inter ariditatem *sensibilem*, quæ pertinet ad sensum, & ariditatem *substantialem*, quæ pertinet ad spiritum. Ariditas *sensibilis* (de *substantiali* loquemur num. sequenti) quando est naturalis fert secum quoddam tædium rerum spiritualium, & obscuritatem quandam leviorem, & minus durabilem; sed quando est supernaturalis, de qua hic agimus, ponit animam in quadam obscuritate profundiori, quæ diutius durat, & quotidie majus accipit incrementum. Nihilominus anima in tali statu constituta, licet sentiat se magis a creaturis alienatam, & habeat cogitationem semper in Deum defixam, una cum ingenti desiderio, & determinatione eum perfecte amandi, tamen sentit se redditam tanquam impotentem ad hoc exequendum ob suas imperfectiones, quarum causa videtur facta Deo odibilis: sed interea, hoc non obstante, non cessat se recte gerere in virtutibus. Hæc molesta ariditas est quidam tractus gratiæ, est lux quædam supernaturalis, sed lux quæ affert pœnam, & obscuritatem, quoniam volens se nudo spiritui communicare, & inveniens sensus, atque potentias animæ sui non adhuc capaces, ex eo quia nondum prorsus a consolationibus sensibilibus sint disjunctæ, & consequenter materialibus, quæ plenæ sunt formis, imaginibus, & figuris; producit in anima hujusmodi tenebras tam molestas, sed valde utiles, quoniam per ipsas anima pervenit ad alienationem quandam ab omnibus voluptatibus sensibilibus tam terrenis, quam spiritualibus; & insuper acquirit magnam suarum miseriarum cognitionem, atque impotentiæ ad quodvis opus bonum perficiendum, & simul magnam erga Deum venerationem, qui illi repræsentatur venerabilis, & terribilis. In hoc statu Director debet animam confortare ad sperandas res magnas a Deo, qui ad hunc finem ita se gerit cum ea. Insinuet ei, ne conetur se exercere in meditatione, sed humiliet se, faciat actus oblationis: totamque se Deo committat, perfectissime resignata dispositionibus suæ voluntatis, quæ tota tendit ad bonum nostrum.

129. Post hanc purgationem sensus solet Dominus concedere donum contemplationis, quæ dicitur gaudii; scilicet recollectionis supernaturalis, quietis, & unionis, de qua deinceps loquemur; sed ante unionem, & post recollectionem, & quietem, solet Deus purgare animam ariditate spiritus, quæ dicitur ariditas *substantialit*, qua Dominus vult, ut anima se totam in seipsa annihilet. Ariditas sensus est subtractio devotionis sensibilis, sed ariditas spiritus est quadam lux divina, qua Deus facit, ut anima suum nihil agnoscat. Atque hic est, ubi anima se cernit in quadam terribiliori agonia; nam etsi tunc ipsa sit magis determinata ad se vincendum in omnibus, & magis attenta ad Deo placendum, nihilominus quo magis agnoscit suas imperfectiones, eo sibi videtur a Deo expulsa, atque derelicta tanquam ingrata beneficiis acceptis: imo & ipsa spiritualia exercitia, quæ peragit, ut sunt orationes, Communiones, mortificationes, eam magis contristant; nam cum ea omnia non sine magno tædio, & pœna perficiat, credit omnia digna suppliciis, & se Deo odibiliorem. Quin multoties animæ illæ videntur sibi summopere odisse Deum, quam ob causam Deus eas

jam

jam reprobaverit tanquam sibi inimicas; & adhuc in vita faciat illis experiri damnatorum pœnas, & divinam derelictionem. Et aliquando Deus permittit, ut hujusmodi desolationes comitentur mille aliæ tentationes, & motus impuritatis, iracundiæ, blasphemiæ, incredulitatis, & præsertim desperationis: ita ut miseræ in magna illa obscuritate, & confusione non valentes discernere resistentiam voluntatis, (quæ revera tunc adest, sed ipsis est occulta aut saltem dubia, ratione præsertim tenebrarum) timeant jam consensisse, & ideo tanto magis existimant se derelictas a Deo.

130. Hic ergo Confessarius quando ei aliqua ex animabus istis occurrit, quæ jam per perfectionem progreditur, & opinatur se derelictam in primis non terreatur videndo confusionem hanc, & audiendo tot expressiones timoris, & desperationis; nec se ostendat timidum aut ullo modo hæsitantem, sed viriliter eam confortet ad nihil timendum: & eo tempore plusquam alias animet ad confidendum in Deo, recitans illi ea verba, quæ Dominus dicit S. Theresiæ, quod scilicet nemo Deum amittit absque eo quod cognoscat amittere. Dicat ei omnes illas suggestiones blasphemiarum, incredulitatis, impuritatis, & desperationis non esse consensus, sed pœnas, quæ si cum resignatione tolerentur, animam magis, magisque Deo conjungunt. Dicat, a Deo nunquam odio haberi animam, a qua amatur, & quæ bonæ est voluntatis. Addat, Deum, ita se gerere cum animabus a se magis dilectis. *Ariditatibus*, & tentationibus (dicebat S. Theresia) probat Deus suos amatores. Quamvis ariditas tota vita perduret, anima non omittat orationem; veniet tempus quo omnia ei *persolvetur*. O quam pulchram pro anima desolata sententiam! Hortetur ergo, ut forti animo sit, & viriliter exspectet res magnas a Deo, dum eam per tutiorem viam deducit, scilicet per viam crucis; moneat etiam, ut primo humiliter se utpote dignam ita a Deo tractari ob anteactæ vitæ defectus: secundo, ut divinæ voluntati se totam resignet, paratissimam se præbendo ad ea omnia perferenda, imo & majora pro omni tempore quod Deo placuerit: tertio projiciat se tanquam mortuam in brachia divinæ misericordiæ, & committat protectioni Mariæ SS. quæ mater misericordiæ, & afflictorum consolatrix jure appellatur.

131. Ariditas sensus perdurat quousque, purificatis sensibus, anima apta ad contemplationem reddatur. Ariditas vero spiritus durat quousque reddatur capax divinæ unionis: quamvis aliquando etiam post unionem permittat Dominus, ut anima iterum redeat ad hanc ariditatem, ea potissimum de causa, ne anima seipsam negligat, & ut identidem suum nihil agnoscat.

132. Completa ergo purgatione sensus, & ad finem perducta ariditate sensibili, ponit Deus animam in statu contemplationis. Contemplatio vel est affirmativa, vel negativa. *Affirmativa* est quando anima beneficio lucis divinæ, sine ulla sua opera cernit aliquam veritatem aut creatam, ut esset infelicitas inferni, felicitas Paradisi &c. aut increatam, ut divinam misericordiam, amorem, potentiam, bonitatem. *Negativa* est quando dignoscit perfectiones divinas non in particulari, sed in genere cum confusa quadam notitia, sed quæ ingerit conceptum longe majorem magnitudinis divinæ; & ita etiam in confuso agnoscit aliquam veritatem creatam, ut horribilitatem inferni &c. Sed transeamus ad primos contemplationis gradus: hi sunt, recollectio interior spiritus, & quies: de unione loquemur post.

133. Primus igitur gradus contemplationis est *recollectio supernaturalis*. De naturali jam diximus supra *n.* 125. quæ tunc habetur, quando animæ potentiæ colliguntur ad considerandum Deum intra se; & dicitur *naturalis*, non quia anima ex se valeat illam operari; omnis enim actio virtutis, ut possit æternum præmium promereri, indiget auxilio gratiæ; unde generatim loquendo est etiam supernaturalis; sed *naturalis* dicitur, quia anima tunc est in statu activo, & beneficio gratiæ ordinariæ operatur. Recollectio vero *supernaturalis* est illa, quâm operatur Deus ministerio cujusdam gratiæ extraordinariæ, & per quam Deus collocat animam in statu passivo; ita ut recollectio supernaturalis, seu infusa tunc proprie habeatur, quando collectio potentiarum non evenit opera ipsius animæ, sed beneficio lucis, quam Deus infundit, & per quam excitatur in anima magnus, & sensibilis amor divinus. In hoc statu non est cogenda anima ad suspendendum tranquillum eum discursum, quem forte ei lux ipsa suaviter insinuaret: quemadmodum nec debet incumbere considerationi rerum particularium, aut determinationibus quas valet efficere. Nec debet curiosius investigare quidnam sit interior ea spiritus recollectio: sed sinat se dirigi a Deo ad considerandas res illas, illosque actus faciendos, ad quos se magis a Deo ferri cognoscit.

134. Secundus gradus est *quietis*. In recollectione vis amoris communicatur immediate sensibus externis, quos Deus ipse intra animam facit colligere. Sed in quiete amor communicatur immediate spiritui in ipso animæ centro: & amor ipse est ardentior, qui deinde etiam ad sensus externos diffunditur: hoc vero non semper: unde multoties accidit, quod anima habeat orationem quietis, sed sine ulla dulcedine sensibili. Dicit S. Theresia (*In Vita c.* 14.) quod in hac oratione non suspenduntur omnes potentiæ: suspenditur quidem voluntas, & remanet tanquam ligata, quia tunc nullum aliud objectum præter Deum valet amare, qui eam sibi trahit; sed intellectus, & memoria, aut phantasia quandoque remanent liberæ, & huc illucque excurrunt. Unde dicit Sancta (*Camm. di perfez. p.* 209.) animam de hoc non debere tristari: *Redeat* (inquit) *de sua cognitione, illamque deserat veluti stultam, & maneat in sua quiete: & cum voluntas sit domina, ipsa cogitationem ad se reducet, absque ullo vestro labore*. Quod si anima velit se applicare ad colligendam cogitationem, nihil omnino aget, & suam quietem amittet. In hoc statu multo minus quam in recollectione anima debet se applicare ad faciendas determinationes, aut alios actus ex se ipsa emendicatos: eos tantummodo faciat, ad quos se sentit a Deo suaviter impelli.

135. Dicamus nunc aliqua de oratione puræ contemplationis, scilicet de contemplatione negativa superius enunciata, quæ est longe perfectior quam affirmativa. Hæc contemplatio *negativa* dicitur *Clara Caligo*, quia ob nimiam lucis abundantiam intellectus obscuratur: quemadmodum qui intuetur solem, radiorum fulgore obcœcatus nihil cernit, sed tantum intelligit solem esse magnum quoddam lumen: sic Deus in ista caligine infundit animæ lucem magnam,

quæ

quæ facit, ut illa intelligat non jam veritatem aliquam particularem, sed acquirat generalem quandam, & confusam notitiam suæ incomprehensibilis bonitatis, unde anima incipit efformare altissimam de Deo ideam, licet confusam. Quando anima aliquantulum noscit aliquam ex divinis perfectionibus, altum quidem conceptum suæ bonitatis concipit, sed longe melior est conceptus quem format, quando cognoscit divinam perfectionem non posse comprehendi. Scribit Cardinalis Petruccius in doctissimis suis Epistolis, hanc orationem propterea vocari orationem caliginis, quia in hac vita anima non est capax clare intelligendi divinitatem, unde in hoc statu intelligit non intelligendo; sed intelligit longe melius omni alio modo intelligendi. Non intelligit, quia cum Deus non sit res quæ formet imaginem aut figuram, intellectus nequit de eo ideam efformare, & ideo nihil aliud intelligit, quam quod illum non valet intelligere; quapropter hujusmodi intelligentia vocatur ab Areopagita: *Sublimis cognitio Dei per ignorantiam*. In hac oratione caliginis suspenduntur omnes interiores potentiæ animæ, & quandoque etiam sensus exteriores: ita ut anima aliquando ingrediatur in *Ebrietatem Spiritualem*, quæ facit eam prorumpere in quædam amoris deliria, ut cantus, clamores, fletus immodicos, saltus, & his similia, quemadmodum eveniebat S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis.

136. Post gradus istos facit Dominus animam ad unionem transire. Unicus animæ scopus hic esse debet, unio scilicet cum Deo; sed ut anima perfectionem attingat, non est necessaria unio *passiva*; satis est illi pervenire ad unionem *activam*. Paucissimæ, inquit S. Theresia, sunt animæ illæ, quæ diriguntur a Deo per vias supernaturales: & nos in cælo permultas aspiciemus, quæ sine hujusmodi gratiis supernaturalibus erunt gloriosiores illis, quæ gratias istas receperunt. Unio *activa* est perfecta uniformitas divinæ voluntati, in qua certe consistit tota perfectio divini amoris: *Perfectio*, inquit S. Theresia (*Conc. dell' amor di Dio Conc. III.*) *non consistit in extasi, sed vera unio animæ cum Deo est unio voluntatis cum divina voluntate*. Hæc unio est necessaria, non vero unio *passiva*; & animæ illæ quæ solam habent activam, inquit eadem Sancta (*Avvisi per l' oraz. 22.*), *fieri poterit quod habeant meritum longe majus; quia majorem patiuntur laborem, & Dominus dirigit eas ut fortes, & consolationes quas in hac vita non habent, servat ut postea det eis in alia*. Cardinalis Petruccius inquit, quod absque contemplatione infusa recte quidem potest anima beneficio gratiæ ordinariæ pervenire ad annihilationem propriæ voluntatis, & ad eam transformandam in Deum, nihil aliud volendo, quam voluntatem Dei. Et quamvis sentiat passionum motus, tamen hi non impediunt illi præfatam transformationem; unde subdit, quod cum in hoc posita sit tota sanctitas, unusquisque nihil aliud debet desiderare, & petere a Deo, quam ut dirigatur ab ipso, & in ipso suam efficiat voluntatem. S. Theresia tractando de unione passiva, inquit (*Mans. V. c. 1.*), quod anima posita in ea, *non videt, non sentit, neque advertit ita se habere;* quoniam ex abundantia lucis, & amoris efformatur illa beata caligo, in qua suspenduntur omnes potentiæ animæ; memoria enim non recordatur, nisi Dei: voluntas conjungitur Deo tali amore, ut nequeat amare aliud objectum; & intellectus tanta luce repletur, ut nullam rem aliam valeat cogitare, nec etiam gratiam quam actu tunc recipit; unde intelligit multum, sed nequit percipere quid intelligat. In summa anima in hoc statu constituta habet claram, & experimentalem cognitionem Dei præsentis, qui in animæ centro eam sibi conjungit. Hæc unio, inquit S. Theresia (*Vita c. 48.*), non multum perdurat; sed ad summum dimidiam horam non excedit. In aliis Contemplationibus, de quibus antea locuti sumus, Deus præbet se videndum tanquam proximum animæ, hic vero tamquam præsentem; & anima experitur eum sibi conjunctum per suavem quemdam contactum. Unde inquit Sancta (*Mans. V. c. 1.*), in aliis contemplationibus posse animam dubitare, utrum fuerit Deus, in hac vero non. Hoc tamen non obstante, debet eam Confessarius monere non ideo evasisse impeccabilem, & propterea, quo magis se videt a Deo hujusmodi gratiis donatam, eo magis esse debet humilior, & ab omnibus alienata, unice diligendo crucem, & vivendo in totum divinis dispositionibus uniformata cum assiduo timore quod suæ infidelitates ex eo tempore acerbius punientur, ob majorem qua committentur ingratitudinem. Inquit S. Theresia (*Mans. V. & VI.*) sibi cognitas plures animas, quæ, cum antea ad hunc statum unionis ascendissent, postea in peccata mortalia præcipites ceciderunt.

137. Tres dantur species Unionis, & sunt; unio *simplex*, unio *desponsationis*, & unio *consummata*, quæ vocatur unio *Matrimonii spiritualis*. Unio simplex est illa, de qua usque adhuc locuti sumus. Dicendum nunc est de unione *desponsationis*. Hanc unionem solet ordinarie præcedere ariditas substantialis, quæ est purgatio spiritus, de qua jam supra locuti sumus *n.* 107. In hac vero unione desponsationis tres sunt alii gradus diversi, scilicet *Extasis*, *Raptus*, & *Elevationis spiritus*. In simplici unione suspenduntur potentiæ, sed non sensus corporei, quamvis hi remaneant valde infirmi ad operandum. In unione autem extasis amittitur quoque usus sensuum, ita ut persona non videat, non audiat, & non percipiat neque incisiones, neque adustiones. Raptus vero nihil aliud est quam impressio quædam gratiæ validior, qua Dominus non solum elevat animam ad unionem, sed etiam rapit illam motu quodam subitaneo, & violento; ita ut aliquando elevetur etiam corpus, & reddatur leve ad instar plumæ. *Elevatio spiritus* est, quando anima sentit se rapi quasi extra se, & extolli supra seipsam cum magna quadam violentia, unde anima ab initio magnum experitur timorem. In elevatione spiritus continentur tam extasis, quia intervenit amissio sensuum, quam raptus, idest motus violentus. Retulit mihi persona quædam similibus gratiis a Deo donata, quod in talibus elevationibus spiritus videbatur sibi tanquam si anima e corpore fuisset avulsa, & elevata cum tanta velocitate ac si conficeret decies centena milia milliaria in quovis temporis momento non sine magno terrore, quoniam ignorabat quo esset ascensura; sed cum postea subsedisset, tunc illustrabatur ad cognoscendum aliquod divinum arcanum. Sed hic oritur dubium; Si in hac unione suspenduntur potentiæ, & intellectus obscuratur a lucis abysso, nequit attendere rebus quas intelligit, qua unquam ratione potest ibi anima intelligere, & verba facere de illo divino arcano? Respondent mystici, quod quando Deus vult,

ut

ut anima intelligat aliquod secretum, aut immittere illi aliquam visionem intellectualem, vel imaginariam, minuit nonnihil lucem, ita ut anima remaneat habilis ad cognoscendum, & perpendendum quodcunque Deus voluerit.

138. Tandem perfectior unio, quæ dicitur *consummata*, & major quam in hac vita possit Deus concedere animæ viatrici, est illa quæ dicitur *Matrimonii spiritualis*, per quam anima transformatur in Deum, & fit unum quid cum Deo: eodem modo quo vas aquæ infusum mari evadit unum cum aqua maris. Et advertendum hic est, quod in reliquis unionibus, ut loquuntur mystici; potentiæ remanent suspensæ; & in hac vero minime suspenduntur; quoniam potentiæ purificatæ a sua sensibilitate, & materialitate jam effectæ sunt capaces divinæ unionis, ita ut voluntas amet Deum suum placidissime, intellectus recte cognoscat, & attendat huic intimæ divinæ unioni, quæ jam facta est in animæ centro, quod accidit eodem modo ac si quis intueretur solem, & sine ulla offensione oculorum solis splendorem cognosceret. Insuper est advertendum, quod hæc unio non est transitoria, ut duæ priores, sed permanens; ita ut anima fruatur habitualiter divina præsentia jam sibi conjuncta, & fruatur in pace stabili: nam passiones nihil amplius eam perturbant: illas quidem anima cernit dum faciem suam ostendunt, sed non tristatur, nec ullam patitur molestiam ab illis, ad instar ejus qui forte habitans super nubes, cerneret tempestates inferius evenientes, & ipse non tangeretur ab illis.

139. Hic abs re non erit aliqua dicere de visionibus, locutionibus, & revelationibus ad discernendas falsas a veris. Visiones vel sunt *externæ*, vel *imaginariæ*, vel *intellectuales*. *Externæ* sunt quæ oculis cernuntur. *Imaginariæ* quæ spectantur in phantasia, seu imaginativa. *Intellectuales*, quæ neque oculis, neque in phantasia videntur, sed a solo intellectu divina luce adjuto, quæ species intelligibiles ingerit; atque hæc visionum species, teste S. Theresia, tota est spiritualis; nullam enim in ea partem habent sensus neque externi, neque interni, qui sunt imaginativa, & phantasia. Notandum quod neque oculis, neque phantasia potest anima cernere res sibi representatas, nisi in apparentia corporea, etiamsi essent substantiæ spirituales; e contra beneficio intellectus res cernuntur tantum spirituales, etiamsi fuerint materiales; vel ut melius dicam, noscuntur, non videntur, sed noscuntnr longe melius quam si oculis cernerentur.

140. Advertendum tamen hic est, quod visiones istas tam Deus, quam diabolus potest operari; quod est intelligendum etiam de intellectualibus, ut videtur innuere S. Joannes a Cruce, (*Salita l. 2. c. 24.*) contra id quod sentit Cardinalis Petruccius, quamvis multo facilius corporales, quæ ut plurimum, & præcipue in fœminis, ab ipsa phantasia efformantur. Signa ad distinguendas veras a falsis sunt. 1. Si veniant ex improviso sine ulla præcedenti animæ cogitatione. 2. Si ab initio afferant confusionem, & terrorem, sed postea relinquant animam in pace. 3. Si sint raræ, quia frequentes sunt valde suspectæ. 4. Si parum durent, quoniam, inquit S. Theresia, (*Mans. VI. c. 9.*) quando anima intuetur per longum tempus rem sibi repræsentatam, signum est quod sit potius actus phantasiæ. Visio divina ut plurimum transit ad instar fulguris, sed remanet inde immobiliter menti infixa. 5. Vera visio relinquit animam in summa pace, & vivida cognitione miseriæ suæ, non sine ingenti desiderio perfectionis; ad differentiam visionum diabolicarum, quæ parum remanent impresse, & relinquunt animam in quadam siccitate, perturbatione, motibus propriæ æstimationis, & cum fame sensibili harum gratiarum. Verum cum omnibus signis superius memoratis, inquit S. Theresia (*Ibid.*), nullam certam haberi posse securitatem, quoniam multoties dæmon fecit simulare quietem, cogitationes humilitatis, desideria perfectionis; quæ omnia incertum est a quo procedant; quoniam sæpe ipse dæmon, ut ei fides præstetur, solet hæc insinuare, ut tandem illum percipiat fructum, & deceptiones, quas intendit. Unde director, regulariter loquendo, non prohibeat animæ enarrare sibi hujusmodi visiones, imo imponat illi, ut manifestet quæcunque videt sive vera ea sint, sive falsa, ut docet S. Theresia (*Mans. V. c. 9.*); sed e contrario nullam ostendat curiositatem sciendi hujusmodi visiones, neque de his minute animam interroget: nec præveniat dicendo: *Non fuit sic? Vidistine hoc, vel illud?* quia tunc facile anima respondet affirmative aut ex sua malitia, aut simplicitate. Si aperte noverit hujusmodi visiones esse opus phantasiæ, aut diabolicum, quia forte arcent animam ab obedientia, humilitate, aut ab alia virtute, tunc patenter ei hoc dicat. Si vero id Confessarius non discernat, non omnino expedit indubitanter asserere visiones illas esse vel diabolicas, vel phantasias, quemadmodum solent quidam nimis increduli (ad differentiam aliorum qui nimis creduli omnes habent ut veras); sed dicat pœnitenti, ut oret Deum quo non amplius ducatur per vias adeo periculosas, se protestando quod quamdiu vivet in terris, velit Deum cognoscere solum per viam fidei. Cæterum insinuet, ut ex visionibus habitis, vel falsis, vel veris, illum percipiat fructum, qui magis est necessarius, & præcipue se recte cum Deo gerendi; ita enim agendo, quanquam visiones fuerint a dæmone, dæmon remanebit elusus.

141. Quod vero *ad Locutionem* attinet, *locutio esse potest successiva, formalis et substantialis*. Successiva est quando anima meditando aliquam veritatem fidei, sentit sibi quasi responderi ab ipsomet suo spiritu, sed veluti ac esset persona extranea. Hæc quando bonos parit effectus, ut essent amoris, aut humilitatis extraordinariæ, esse potest speciale Dei lumen: sed quando non videt augeri consuetum amorem, indicium est, eam esse intelligentiam proprii intellectus. *Formalis* est quando anima audit aliqua verba formata, sed extra se; & potest hæc percipi vel auribus, vel imaginativa, vel intellectu. Hæc, ut discernatur utrum sit divina, vel diabolica, videndæ sunt res quas exprimit, aut faciendas imponit; & effectus quos relinquit. Præcipue, si est divina, imponitque opera patientiæ, propriæ abjectionis, aut quodvis aliud opus spirituale, relinquet facilitatem quamdam ad omnia toleranda, ad operandum, & se humiliandum. *Substantialis* est eadem ac formalis, & solum differt in effectu; quoniam formalis aut instruit, aut imponit; substantialis vero cito operatur id quod exprimit; ut e. c. si diceret: *Consolare, noli timere, dilige me*: anima tunc in eodem temporis puncto remanet consolatione repleta,

ta, intrepida, aut amoris igne succensa. Hæc locutio ceteris omnibus est securior; prima enim est valde incerta: secunda, idest formalis, est multum suspecta, præsertim quando jubet res exequendas; unde Director si observat ea quæ jubentur esse Christianæ prudentiæ opposita, debet ea omnino prohibere; si vero non sint prudentiæ contraria, expedit, ut earum suspendat executionem quousque deveniat in majorem securitatem, & multo magis si res sint extraordinariæ.

142. Denique quod attinet ad *revelationes* rerum occultarum, aut futurarum, ut scilicet mysterium fidei, status conscientiarum, prædestinationis animarum, mortis, promotionis ad aliquam dignitatem, & his similia; hæ possunt tripliciter haberi, nempe per visiones, per locutiones, & per intelligentias nudarum veritatum. In hujusmodi Revelationibus debet director magnam adhibere prudentiam, nec sit nimis facilis ad credendum, & præcipue ad exequendum, quando agitur de certiorando aliquem ob notitiam in Revelatione acceptam. Ante omnia jubeat animæ, ne revelationem aliis indicet, & ipse cautissime semper procedat, imo utatur sapientiorum consilio, quoniam ut plurimum tales revelationes dubiæ sunt, & suspectæ. Minus vero suspectæ sunt intelligentiæ simplicium veritatum circa mysteria, attributa divina, malitiam peccati, damnatorum infelicitatem, & his similia: hæc quando sunt fidei conformia, inquit S. Joannes a Cruce (*Salita l.* 11. *c.* 33.), quod anima non debet illas expetere, sed si ipsi concedantur, hubiliter sunt ab ea accipiendæ, & non refutandæ.

143. Oritur hic dubium: Utrum omnes istæ species gratiarum, & communicationum supernaturalium debeant rejici, aut acceptari? Et distinguendum est, ut ait doctus quidam Auctor (*F. Bernard. da Castelvetere Dirett. Miss. l.* 2. *p.* 2. *c.* 1.) cum S. Joanne a Cruce, & aliis: gratiæ illæ quæ elongant a fide, ex eo quia consistunt in quibusdam notitiis distinctis, ut sunt visiones, locutiones, & revelationes, has oportet omni conatu rejicere; sed illæ, ex opposito, quæ sunt uniformes fidei, ut sunt notitiæ confusæ, & generales, & tactus divini, qui uniunt animam Deo, non sunt rejiciendæ, imo possunt humiliter expeti, & desiderari, ut magis magisque Deo uniatur, & in suo sancto amore solidetur. Hoc nihilominus intelligitur pro illis animabus, quæ jam donantur similibus favoribus, quoniam pro aliis tutior via est desiderare & expetere tantummodo unionem activam, quæ, ut diximus, est unio voluntatis nostræ cum divina voluntate. Director igitur quando ei occurrerit anima cum his communicationibus contemplationis, aut caliginis, aut unionis, non debet ei imponere, ut eas rejiciat, sed ut humiliter, & cum gratiarum actione recipiat. Semper vero utatur verbis, quæ animam non omnino securam efficiant, sed relinquant quendam timorem, qui eam etsi non conturbet, detineat vero in humilitate, & ab omnibus alienatione. Gratias autem quarundam notitiarum distinctarum quæ habentur per viam visionum, & his similium, ut superius diximus, jubeat Confessarius constantissime recusari, semper tamen in spiritu humilitatis (& sine ullo contemptu, ut expuendi in faciem, irridendi &c. quod non licet, ut plures asserunt); & protestando se coram Deo: Se velle ei in pura fide servire. Cæterum, inquit S. Theresia (*Vita c.* 15. *& Mans. VI. c.* 9.), quod quotiescumque anima sentit se suaviter accendi ad amorem erga Deum, habere debet communicationem tanquam divinam, non ideo ut credat se aliis meliorem, sed ut animum faciat ad perfectius coram Deo ambulandum; ita enim agendo Deus efficiet ut dæmon, etiamsi iste aliquam partem haberet, victus remaneat, & suis ipsis armis sibi damnificet.

144. Sed concludamus. Director ergo. 1. Imponat animæ, ut superius diximus, ut fideliter enarret omnes communicationes quas habet in oratione, nullam tamen eas sciendi gulam demonstret: nec unquam aliis manifestet gratias supernaturales suæ pœnitenti concessas; fiet enim ut illi ejus precibus se commendent, eamque maximo superbiendi periculo exponant: vel si post hanc notitiam, levissimum intueantur defectum, multum scandalizabuntur, & in derisione habebunt. 2. Non ostendat huic animæ talibus favoribus distinctæ particulare aliquod signum æstimationis, & multo minus mittat alias pœnitentes ad petendum consilium ab ea, vel ad exposcendum solatium, aut directionem, potius ostendat minoris eam facere, quam alias animas quæ ambulant per viam fidei, quoniam animæ his favoribus ornatæ, regulariter loquendo, semper & multum sunt humiliandæ. 3. Si advertat animam servare humilitatem, atque timorem in istis divinis communicationibus, oportet eam adjuvare, imo & securam facere, quoties expedire cognoverit. Inquit S. Theresia, quod anima nunquam movebitur ad magna pro Deo gerenda, nisi agnoverit magna accepisse a Deo. Et quidem eadem Sancta, quando a SS. Francisco Borgia, & Petro de Alcantara fuit facta securior, dona quæ ipsa acceperat, esse vere divina, ex eo tempore ad perfectionem non amplius cucurrit, sed evolavit. Neque ex eo quod cernit director animam identidem in aliquem defectum incidere (quoties defectus non sunt plene deliberati, aut commissi cum adhærentia, & contemptu) reputare debet omnes hujusmodi communicationes pro mendaciis, & illusionibus. Dominus tales gratias concedit non tantum animabus perfectis, sed aliquando etiam imperfectis, ea scilicet ratione, ut liberet a suis imperfectionibus, & ad vitam perfectiorem extollat. Unde quando dignoscitur quod per hujusmodi communicationes anima magis magisque se liberat a passionibus, & proficit in amore divino, atque in desiderio perfectionis, signum est quod illæ sint bonæ. De reliquo quando agitur de gratiis externis, ut sunt visiones, locutiones, & revelationes, regulariter loquendo, ut diximus, tutius est, ut director ostendat parvi eas facere, dicendo id quod ait S. Theresia e cælo post obitum suum cuidam personæ Religiosæ: *Ne fidant animæ visionibus, & revelationibus particularibus, nec collocent perfectionem in eis habendis: licet enim aliquæ ex eis sint veræ, plures nihilominus sunt falsæ, & mendaces: et difficile est invenire unam veritatem inter plura mendacia* (quare plures sunt visiones falsæ quam veræ): *et quo avidius expetentur, et in pretio habebuntur, eo magis persona aberrabit a fide, & humilitate, quæ est via tutior, quam posuerit Deus.* Quare det ei consilium, ut oret Deum, ut veram concedat extasim, scilicet totalem a rebus terrenis, & a semetipsa alienationem, sine qua ad perfectionem nunquam valebit pervenire. Quod si unquam director advertat animam non esse bene fun-

da-

datam in suæ miseriæ cognitione, & vellet pro certo tenere quod suæ communicationes sint divinæ; & turbaretur audiendo, quod Director nollet eas credere uti tales, pessimum signum est: signum est quod illæ sint dæmonis ex effectibus qui observantur, scilicet adhæsionis, superbiæ; aut indicium est quod anima non bene ambulet, quoniam ipsa saltem dubitare deberet, quoties dubitat Confessarius, & ideo in hoc casu omnibus modis est humilianda, & in timore detinenda quantum fieri potest; & tunc si nec etiam acquiescit, privet eam Communione, & severius mortificet, quia tunc in magno versatur periculo, ne decipiatur a dæmone. Denique director etsi judicaret reddere animam certiorem, quod suæ communicationes sint a Deo, tamen ei insinuet, ut in Oratione semper præ oculis habeat (vel saltem in principio) punctum aliquod vitæ, vel passionis Jesu Christi. Dicebat S. Theresia, animam quæ amittit directionem boni Jesu, numquam perventuram ad perfectam cum Deo unionem. Animæ incipientes meditantur Domini passionem per modum discursus; contemplativæ vero non utuntur discursu, sed proposito sibi mysterio aliquo admirantur bonitatem, misericordiam, amorem divinum, & hic Deus facit eas transire, quando ei placuerit, ad contemplationem suæ divinitatis.

§. III. *De Mortificatione.*

145. Quoad mortificationem oportet advertere; quod quando animæ vitam spiritualem incipiunt, ex eo quod solet tunc Dominus, ut diximus, eas allicere consolationibus sensibilibus, in primis illis fervoribus vellent se interficere disciplinis, ciliciis, jejuniis, & similibus exercitiis afflictivis. Interea oportet, ut director sit parcissimus in hujusmodi mortificationibus concedendis: nam alias superveniente inde tempore ariditatis, ut ordinarie solet accidere, facile anima destituta suo pristino fervore sensibili, omittet omnes suas mortificationes; & incipiens inde diffidere, relinquet etiam orationem, & vitam ipsam spiritualem, utpote res minus sibi accommodatas, & consequenter amittet omnia. Aliquando etiam accidit, ut hæ animæ incipientes ratione primi illius fervoris dent in res immoderatas, & incidant in morbos corporales, & tunc ut reficiantur, omittunt omnia exercitia spiritualia non sine ingenti periculo amplius ea non resumendi. Ideo director curare debet, ut prius ipsæ in vita spirituali solidentur, & postea consideratis circumstantiis sanitatis, occupationum, atque fervoris, concedat illis eas mortificationes externas, quas ipsis magis judicaverit convenire secundum christianam prudentiam. Dico *secundum christianam prudentiam;* quoniam dantur aliqui directores adeo imprudentes, qui omnem animæ progressum collocare videntur in onerando eam jejuniis, ciliciis, disciplinis sanguineis, adustionibus, & his similia. Alii vero omnes omnino mortificationes externas videntur reprobare tamquam inutiles spirituali progressui, totam perfectionem in interiori mortificatione collocando. Sed hi etiam errant ut primi, quoniam mortificationes corporales adjuvant internas, & sunt quodammodo necessariæ (quando possunt exerceri) ad frænandos sensus, & ideo legimus ab omnibus Sanctis plus minusve fuisse frequentatas. Verum quidem est, quod mortificatio interior passionum est a pœnitentibus potissimum exigenda; ut ex. gr. esset, non respondere injuriis, non quærere, neque manifestare aliis quæ tendunt ad propriam æstimationem, cedere in contentionibus, aliorum voluntati condecendere (sed sine damno spirituali); unde expedit aliquando alicui animæ prohibere omnes mortificationes externas, quousque se sentiat liberam ab aliqua passione magis dominante, ut vanitatis, rancoris, cupiditatis rerum hujus mundi, æstimationis propriæ, aut propriæ voluntatis. Sed absolute asserere, mortificationes externas nihil, aut parum prodesse, maximus error est. Dicebat S. Joannes a Cruce ei qui reprobat pœnitentias, nullam præstandam esse fidem, etiamsi miracula perpetraret.

146. Ab initio ergo director ante omnia injungat pœnitenti, ut nihil unquam faciat contra, aut sine ejus obedientia. Qui contra obedientiam pœnitentias agunt, inquit S. Joannes a Cruce, *Hi magis progrediuntur in vitiis, quam in virtutibus.* Sit quoque, ut dixi, valde renitens in concedendis hujusmodi mortificationibus, quamvis id importunius efflagitent pœnitentes; satis erit ab initio eis concedere aliquam tenuem, sed raram mortificationem, ut disciplinam tenuem, catenulam ferream, abstinentiam, potius ad ingerendum in eorum animis mortificationis desiderium, quam ad eos ut convenit mortificandos; & postea processu temporis poterit liberalius agere juxta progressum quem anima faciet in virtutibus; quando enim illa erit in spiritu solidata, non poterit ei sine scrupulo opportunas mortificationes denegare. Ceterum, ordinarie loquendo, generalem hanc regulam sibi proponat, nunquam scilicet concedendi mortificationes externas, nisi prius requisitus, quia hæ non multum prosunt, si absque magna appetentia recipiantur: & quoties concedit, semper minus quam postulatur concedat, & potius, ut inquit Cassianus, excedat in denegando, quam in concedendo. Præcipue curet suadere mortificationem externam circa gulam, cujus quædam animæ spirituales non admodum sunt amantes: hæc revera est omnium durissima, sed utilissima spiritui, & sæpe etiam corpori: dicebat S. Philippus Nerius: *Qui non coercet gulam, nunquam perveniet ad perfectionem.* E contrario sit parcus in concedendis mortificationibus somni, quoniam hæ facile tum corporis, tum spiritus saluti sunt nocivæ; sublato enim somno sufficienti, patitur caput, & languente capite remanet persona inhabilis ad meditandum, & ad cetera alia exercitia devotionis. Quamcunque vero mortificationem concesserit pœnitenti, ut omnem illi auferat superbiendi occasionem, persuadeat illi hoc nihil prorsus esse respectu ejus quod Sancti fecerunt, & respectu pœnarum quas pro nobis perpessus est Jesus Christus. Dicebat S. Theresia: *Totum est immunditia quicquid agere possumus in comparatione unius sanguinis guttæ quam Dominus effudit pro nobis.* Meliores mortificationes, utiliores, & periculis minus obnoxiæ sunt negativæ, ad quas faciendas, regulariter loquendo, non est necessaria obedientia directoris, ut esset privare se visione, aut auditione rerum curiosarum: loqui parce: contentus esse cibis gustui minus acceptis, seu male conditis: non accedere ad ignem tempore hyemis: eligere pro se res viliores: exultare & lætari

def-

defficientibus quibusdam rebus etiam necessariis; quoniam in hoc consistit virtus paupertatis, ut ait S. Bernardus: *Virtus paupertatis non est paupertas, sed amor paupertatis.* Insuper non queri de incommodis temporum; de contemptu sui ipsius; de persecutionibus, molestiisque infirmitatum corporis. Scalpro cruciatuum, & dolorum perficiuntur lapides Hierusalem cælestis. Dicebat S. Theresia: *Credere quod Deus admittat in suam amicitiam gentem commoditatis amicam, dementia est. Animæ, quæ vere diligunt Deum, nesciunt quietem expetere.*

147. Hic oritur dubium: Evangelium in quodam loco ait: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Matth.* 5. 16. alio loco dicit: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Matth.* 6. 3. Quæritur ergo, utrum actus virtutis sint manifestandi aliis, vel occultandi? Et respondetur distinguendo: opera communia ad virtutem christianam necessaria exerceri debent palam; ut esset frequentia Sacramentorum, oratio mentalis, visitatio Venerabilis; audire Missam genibus flexis, & cum interiori spiritus recollectione, defferre oculos modestos, silentium in Ecclesia servare; dicere: *Volo sanctus evadere;* fugere garrulitatem, conversationes periculosas, curiositates, & his similia. Opera vero quæ dicuntur supererogationis extraordinariæ, & quæ sapiunt singularitatem, ut supra enarratæ pœnitentiæ externæ ciliciorum, flagellorum, orationis cum brachiis in crucem expansis, comestionis herbarum amariorum, suspiriorum, fletus tempore orationis &c. ocultari debent, quantum possibile est. Reliqua vero opera virtutis ut ministrare infirmis, erogare eleemosynam pauperibus, humiliare se facienti injurias, & similia; hæc melius erit occultare quantum fieri potest: sed si forte exerceri nequeant nisi publice, non debent prætermitti, dummodo fiant tantum intuitu placendi Deo.

§. IV. *De frequentia Sacramentorum.*

149. Tandem dicenda sunt aliqua de modo quo Confessarius dirigere debet animas spirituales circa frequentiam Sacramentorum, scilicet Confessionis, & Communionis. Quod spectat ad confessionem expedit ipsis insinuare, ut generaliter de suis peccatis confiteantur, si adhuc non fecerint; qui si forte jam fecerint, vel si anima esset scrupulis agitata, oportet omnino confessionem hanc prohibere; quoad vero confessionem ordinariam, quædam animæ delicatioris conscientiæ consueverunt quotidie confiteri; sed, generaliter loquendo, sufficiet personis spiritualibus præsertim scrupulosis confiteri semel, aut ad summum bis in hebdomada. Sed quando aliqua ex istis gravaretur aliqua culpa levi, & non haberet opportunitatem confitendi, dicit P. Barisonius in suo tractatu de Communione, innixus auctoritati S. Ambrosii, & complurium aliorum Auctorum (quod etiam suadet S. Franciscus Salesius in quadam sua Epistola), quod non ideo omittere debet Communionem; ad remissionem enim venialium docet sacrum Concilium Tridentinum esse quoque alia media, ut essent actus contritionis, & amoris; unde melius tunc est ad purificandam animam a culpa illa, uti istis mediis, quam privari Communione propter absentiam Confessarii. Et sapiens quidam director dicebat, quod aliquando longe fructuosius est pro quibusdam animabus timoratis disponere se ad Communionem actibus suis, quam cum ipsa confessione. Et multoties accidit, quod tunc anima se disponat actibus ferventioribus contritionis, confidentiæ, & humilitatis.

149. Quoad vero Communionem non loquimur hic de obligatione Pastorum animarum non negandi Communionem cuicunque subdito qui non sit publice peccator, & quoties rationabiliter petat. Satis de hoc egimus in Libro (*Lib.* 6. *n.* 254.), in quo vidimus, Innocentium XI. in quodam suo Decreto ordinasse usum Communionis frequentis totum remitti prudentiæ Confessariorum; unde sine evidenti causa, nescio quomodo Parochi possint tuta conscientia denegare petentibus Communionem. Et notandum est, quod in præfato Decreto prohibetur Episcopis præscribere in genere suis subditis dies ad faciendam Communionem: sed loquimur hic duntaxat de modo quo Confessarii debent se gerere in concedenda Communione suis pœnitentibus. In hoc quidam errant ob nimiam indulgentiam, alii ob nimium rigorem. Non est dubium quin error sit, ut advertit SS. P. Benedictus XIV. in aureo suo libro de Synodo, concedere Communionem frequentem iis qui sæpe in peccata gravia labuntur, nec solliciti sunt de agenda pœnitentia, ac de sua emendatione; aut iis qui accedunt ad Communionem cum affectu ad peccata venialia deliberata sine ullo desiderio se ab eis liberandi (*Lib.* 6. *n.* 270.). Expedit quidem aliquando concedere Communionem aliquibus, qui essent in periculo labendi in peccata lethalia, ut vires recipiant ad resistendum: sed respectu earum personarum, quæ non existunt in tali periculo, & e contra committunt ordinarie peccata venialia deliberata, & nulla in eis emendatio, neque desiderium emendationis effulget, optimum erit non permittere eis Communionem plusquam semel in hebdomada, imo poterit expediens esse illis aliquando per integram hebdomadam Communionem interdicere, ut majorem concipiant horrorem in suos defectus, & majorem erga Sacramentum hoc reverentiam (*c. Peracta, 2. Dist. 2. de Consecration.*). Tanto magis, quod sententia communior tenet, recipere Eucharistiam cum peccato levi actuali, aut cum affectu ad ipsum, novam esse culpam ratione irreverentiæ, quæ irrogatur Sacramento. Quidam afferunt Decretum S. Anacleti (*Catech. Rom. de Sacram. Eucharist. p. 2. n.* 61.), in quo habetur: *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus; sic enim et Apostoli statuerunt, et S. Romana tenet Ecclesia.* Sed in primis negatur a P. Suarez, & aliis quod unquam fuerit tale Apostolorum præceptum. Secundo Decretum istud, ut Glossa ibidem testatur, & Catechismus Romanus (*Ibid. n.* 60.), non obligabat omnes fideles, sed tantum ministros assistentes altari. Et tandem posito quod Decretum obligaret omnes, certum est, hodie in desuetudinem abiisse.

150. E contrario errant certe quidam alii Directores, & multum se elongant a spiritu Ecclesiæ, dum sine ullo respectu ad exigentiam aut progressum animarum, negant indiscriminatim Communionem frequentem, non alia ratione ducti, quam quia frequens est. Ipse Catechismus Romanus (*Ibid.*) explicans de-

desiderium S. Concilii Tridentini, ut omnes sacrificio Missæ adstantes communicent, docet, esse officium Parochi sedulo hortari fideles ad Communionem non modo frequentem, sed etiam quotidianam: cum obligatione instruendi illos, quod sicut corpus, ita & anima eget quotidiano alimento. Prætermitto hic afferre Sanctorum Patrum, & magistrorum spiritus auctoritates omnino conformes, quoniam hæ reperiuntur adnotatæ in tot libris, qui tractant de frequenti Communione. Sufficiat scire ex Catechismo Romano loco supra citato, & ex Decreto Innocentii XI. relato in nostro libro (*Lib.* 6. *num.* 254.), quod frequens Communionis usus, imo quotidianus fuit semper ab Ecclesia & ab omnibus Patribus approbatus; qui, ut demonstrat doctus quidam auctor, quoties adverterunt frigescere usum Communionis quotidianæ, omnem diligentiam adhibuerunt ad illum reintegrandum. Et in III. Synodo Mediolanensi habita sub S. Carolo Borromæo, injunctum fuit Parochis exhortari fideles in concionibus ad hanc frequentiam Communionis; & insuper impositum fuit Episcopis provinciæ, ut prohiberent concionari, & severius punirent eos qui oppositum disseminarent tamquam scandalorum satores, & totius Ecclesiæ sensui contradicentes. Insuper in præfato Decreto Innocentii imponitur Episcopis, ut diligentissime caveant, ne alicui Communio denegetur, etiam quotidiana, & quærant, ut par est, in suis subditis hanc alere devotionem. Fatentur ultro quidam spiritus rigidiores licitam quidem esse Communionem quotidianam, sed dicunt requiri ad hoc debitam dispositionem; sed scire ab ipsis desideramus quidnam intelligant hoc nomine *debitæ dispositionis?* Si intelligunt dignam, ecquis unquam deberet amplius ad Eucharistiam accedere? Solus Jesus Christus digne Eucharistiam sumpsit, quia solus Deus digne Deum potuit recipere. Si vero convenientem dispositionem intelligunt, jam superius dictum est, quod iis qui actualia habent peccata venialia, aut affectum ad illa, sine desiderio emendationis, æquum est frequentem Communionem denegare. Sed si postea loquamur de illis, qui sublato jam affectu etiam ad venialia, & superata majori parte pravarum suarum inclinationum, magnum communicandi desiderium habent, inquit S. Franciscus Salesius (*Introd. alla vita divota c.* 20.) quod hi prævio sui Directoris consilio recte possunt communicare quotidie. Et S. Thomas (4. *Sent. Dist.* 12.) docet quod quando anima aliqua experitur beneficio Communionis se crescere in amore divino, nec imminui reverentiam in Sacramentum, non debet abstinere a Communione etiam quotidiana; en ipsa S. Doctoris verba: *Si aliquis experientia comperisset ex quotidiana Communione augeri amoris fervorem, & non minui reverentiam, talis deberet quotidie communicare.*

151. Et quamvis aliquo die a Communione abstinere sit etiam virtus, tamen inquit Granata in suo Tractatu de Communione, esse communem Doctorum opinionem, quod melius sit accedere quotidie ad Communionem ob amorem, quam abstinere ob reverentiam. Et hoc confirmat idem S. Thomas (*p.* 3. *q.* 80. *art.* 10. *ad* 3.), dicens: *Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti, & quod quotidie sumatur, et quod aliquando abstineatur. Amor tamen, et spes, ad quæ semper Scriptura nos provocat, præferuntur timori.* Imo recte ait P. Barisonius, quod ille, qui ad Eucharistiam accedit cum desiderio crescendi in amore divino, etiam reverentiæ actum exercet erga Jesum Christum: imo hic facit actum positivum, quando ille qui abstinet, facit tantummodo negativum. Plures Sancti, qui magnam erga hoc Sacramentum reverentiam habuerunt, non abstinuerunt a quotidiana Communione: ut consueverunt S. Gertrudes, S. Catharina Senensis, S. Theresia, B. Joanna de Chantal, & alii. Et asserentibus hodie non amplius existere has S. Theresias, recte reponit idem P. Barisonius, temeritatem hanc esse supponere quod hodie manus Domini sit abbreviata. V. P. Magister Avila non dubitat dicere quod illi qui damnant eos, qui sæpius ad Eucharistiam accedunt, dæmonis officio funguntur.

152. Cæterum considerando relatas doctrinas, videtur non posse Director sine scrupulo negare Communionem frequentem & etiam quotidianam (excipe ordinarie loquendo unum diem in quavis hebdomada, ut facere solent prudentes aliqui Directores, & excipe tempus illud quo privare velint pœnitentes communione, ad probandam eorum obedientiam, aut humilitatem, aut ob aliquam aliam justam causam) quibusdam animabus eam desiderantibus, ut proficiant in divino amore; semper vero ac illa vivendo alienata ab affectu cujuscumque culpæ venialis, incumbit insuper multum orationi mentali, & conatur tendere ad perfectionem; & amplius non labitur in peccata, etiam venialia plene voluntaria. Hæc enim, ut ait S. Prosper, est perfectio, quæ potest in hac vita haberi, attenta humana fragilitate. Et quando Confessarius utile esse cognoverit concedere Communionem frequentem similibus personis, inquit Innocentius XI. in suo Decreto nihil obstare, quod sint etiam negotiatores, & conjugati. En ejus verba: *Frequens* (ad Eucharistiam) *accessus Confessariorum judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiæ fructu, et ad pietatem processu laicis, negotiatoribus, et conjugatis, quod prospiciunt eorum saluti profuturum, id illi præscribere debebunt.*

153. Et quamvis anima aliqua caderet aliquando in veniale peccatum voluntarium ob meram fragilitatem, sed cito postea doleret, emendationemque proponeret; si deinde Communionem desideraret ad robur accipiendum a Sacramento, ne cadat, & ad progrediendum in via perfectionis, quanam de causa ei esset deneganda Communio? Damnata jam fuit ab Alexand. VIII. propositio 22. Baji, quæ dicebat: *Sacrilegi sunt judicandi qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam de delictis suis pœnitentiam egerint.* Et Propositio 23. *Similiter arcendi sunt a sacra Communione quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.* Sacrum Concilium Tridentinum vocabat hoc Sacramentum: *Antidotum quo liberamur a cupis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservamur.* Et quidem ad hunc finem præservandi animam a recidivis, Apostoli Communionem quotidianam primitivis Christianis concedebant, inter quos sine ullo dubio reperiebantur similiter imperfecti, & fortasse imperfectiores, ut arguitur ex Epistolis SS. Pauli, & Jacobi. S. Ecclesia (in postcommunione Dom. XXIII. post Pentecostem) orat, *ut quicquid in nostra mente vitiosum est, dono medicationis hujus Sacramenti curetur.* Ergo communio fuit instituta etiam pro

imperfectis, ut virtute hujus cibi sanentur. Notandum insuper est id quod S. Franciscus Salesius in sua Philothea (*Vita divota c.* 21.) in hoc proposito dicit: *Si quærunt a te cur tam frequenter communices, responde illis, quod duplex personarum genus debet sæpius communicare, perfecti scilicet, & imperfecti; perfecti, ut se in perfectione conservent; imperfecti, ut ad perfectionem valeant pervenire. Fortes, ne debiles fiant; debiles, ut fortes evadant; infirmi, ut curentur; benevalentes, ne infirmentur. Et quod ad te attinet utpote imperfectam, infirmam, ac debilem, eges frequenti Communione. Dic illis, quod ii, qui mundanis negotiis non sunt implicati, debent sæpius communicare, quia habent opportunitatem; qui vero hujusmodi negotiis detinentur, quia egent Communione.* Denique Sanctus concludit, dicens: *Accede sæpius o Philothea ad Eucharistiam, imo quam sæpissime consilio tui directoris, & crede mihi, quod lepores in nostris montibus albi evadunt non alia ratione, nisi quia non edunt nisi nivem: et tu comedendo puritatem in hoc Sacramento tota pura evades.* Item P. Granata in suo tractatu de Communione ait: *Non debet homo recedere ab hoc Sacramento ob propriam indignitatem; pro pauperibus enim relictus est hic thesaurus, et pro infirmis hæc medicina: itaque nemo* (subdit) *quantum imperfectum se noscat, debet se longe ab hoc remedio tenere, si vere curari desiderat.* Imo ait idem auctor, quod quanto magis quis se debilem noscit, tanto magis ad hunc cibum fortium debet accedere, quod valde consonat cum eo quod inquit S. Ambrosius (*Lib.* 4. *de Sacram. c.* 6.): *Qui semper pecco, debeo semper habere medicinam:* & S. Augustinus (*Lib.* 5. *de Sacram. c.* 4.): *Quotidie peccas, quotidie sume.*

154. Adde, quod S. Thomas docet (*S. Th.* 3. *p. qu.* 79. *art.* 8.), effectum Sacramenti, quantum ad augmentum gratiæ, non impediri a peccatis venialibus, dummodo non committantur in ipsa Communione: & quamvis hæc impediant in parte, non tamen in toto effectum Sacramenti impediunt. Hanc sententiam communiter tenent Sotus, Suarez, Valentia, Vasquez, Coninkius, & plures alii apud Salmanticenses (*Lib.* 6. *n.* 279. *v. Qu. II.*). Insuper tenent plures graviores Auctores (*Ibid. n.* 269. *Eff. II.*), hoc Sacramentum ex *opere operato* remittere peccata venialia, de quibus anima actualem complacentiam non habeat; atque hoc concordat cum eo, quod ait Catechismus Romanus (*De Euchar. p.* 2. *n.* 52.): *Remitti vero Eucharistia, et condonari leviora, quæ venialia dici solent, non est quod dubitari debeat; quicquid enim cupiditatis ardore anima omisit, totum Eucharistia, eas minores culpas abstergens, restituit.* Saltem, aut ait Angelicus (3. *p. qu.* 79. *art.* 4.) cum communi, excitatur per Communionem actus charitatis, quo inde peccata remittuntur: *Qui* (actus charitatis) *excitatur in hoc Sacramento, per quem peccata venialia solvuntur.*

155. Quod si postea dignoscatur, non obstante frequentia Communionis, animam nihil proficere in via perfectionis, neque se emendare a culpis deliberatis, licet venialibus, ut si adhæret etiam voluptatibus sensuum in videndo, audiendo, edendo, cum aliqua vanitate vestiendo, tunc certe consulto restringendus erit usus Communionis, etiam ut serio cogitare incipiat de sua emendatione, & suæ spirituali perfectioni consulere. Cæterum advertendum est, quod licet juxta S. Thomam (*Ibid. q.* 80. *art.* 10.), ut possit quis ad Communionem accedere, *requiritur, ut cum magna devotione accedat:* nihilominus non est necessarium, ut illa sit summa, vel aperte sensibilis. Sufficit Directori detegere in intimo voluntatis sui pœnitentis quandam alacritatem ad exequenda quæcumque Deo placuerint. Qui ab Communione abstineret, quia non sentiret in se magnum quendam fervorem, inquit doctus Gerson, esse comparandum illi qui nimis frigescens nollet ad ignem accedere, quia nullum in se experitur calorem. Unde docet P. Granata cum Cajetano, personas pusillanimes, quæ ob immoderatum timorem suæ indignitatis Communionem omittunt, magnum suo proprio progressui inferre præjudicium. Neque ad prosequendas Communiones, inquit S. Laurentius Justinianus, oportet, ut anima sentiat, aut aperte in se discernat augmentum fervoris, quoniam non raro hoc Sacramentum operatur, absque eo quod ipsi animadvertamus. S. Bonaventura inquit (*De Profectu Religios. c.* 78.): *Licet tepide, tamen confidens de misericordia Dei fiducialiter accedas, quia qui se indignum reputat, cogitet, quod tanto magis eget medico, quanto senserit se ægrotum: neque ideo quæris te jungere Christo, ut tu eum sanctifices, sed ut tu sanctificeris ab illo.* Et postea subdit: *Neque prætermittenda est sancta Communio, si quandoque non sentit homo specialem devotionem, cum se ad illam præparare studeat, vel in ipsa perceptione, vel post forte minus devotum se sentit, quam vellet.* Ergo bene sentit Sanctus, quod etsi anima experiretur minorem devotionem post susceptam Eucharistiam, quam antea, nec etiam debeat eam omittere. Quapropter, quemadmodum quando anima sentit se maximopere ad Communionem inclinatam, expedit identidem eam mortificare Communionem differendo (præsertim si advertatur, quod per illam prohibitionem turbetur; hujusmodi enim contristatio est argumentum superbiæ, quæ eam vere reddit indignam); ita ex opposito quando sentit in se ariditatem, & tædium ad Eucharistiam suscipiendam, expedit tunc illam sæpius ad Communionem impellere, ut a Sacramento vires acquirat.

156. O utinam, concludo, o utinam & in mundo plures animæ hujusmodi invenirentur (quæ a nonnullis ultra quam convenit rigiditati addictis, irreverentes, & temerariæ vocantur) quæ odio habentes etiam culpas leviores, expeterent communicare, non modo frequenter, sed etiam quotidie, cum vero desiderio se emendandi, & in divino amore proficiendi: si enim hoc esset, longe plus in mundo Jesus Christus diligeretur. Bene experientia demonstrat omnibus his qui dirigendarum animarum munus exercent, ut & ego expertus sum, valde quidem proficere personas illas, quæ recto cum desiderio ad Communionem accedunt; & Dominum mirum in modum eas ad suum amorem pertrahere, quamvis sæpe hoc eis non manifestat pro majori earundem bono: quin & multoties eas relinquit in tenebris, & desolatione, & sine ulla devotione sensibili. Animabus istis (ut docent S. Theresia, & S. Henricus Susonius) nullum efficacius est remedium, quam frequens Communio. Unde, ut concludamus, curet Confessarius Communionem suadere, quoties verum desiderium demonstret, & quoties advertit animam in spiritu pro-

proficere beneficio Communionis. Curet etiam insinuare, ut post Communionem immoretur in gratiarum actione pro eo tempore quo potest. Paucissimi sunt directores qui sedulo id faciunt, scilicet inculcare suis pœnitentibus, ut per aliquod notabile tempus post susceptam Eucharistiam gratias agant, & ratio est, quia paucissimi sunt Sacerdotes qui post Missæ Sacrificium cum Jesu Christo in gratiarum actione subsistant; & ideo pudet eos aliis insinuare quod ipsi non faciunt. Gratiarum actio ordinarie per integram horam durare deberet; fiat saltem per dimidiam, in qua anima in amando, & petendo se exerceat. Inquit S. Theresia, quod post Communionem Jesus existit in anima tanquam in throno misericordiæ, ut illi gratias elargiatur, dicens: *Quid vis, ut tibi faciam?* Et alibi: Post Communionem non amittamus tam præclaram opportunitatem negotiandi. Non solet sua divina majestas male rependere hospitium, si bene in anima excipiatur. Insinuet etiam, ut sæpius spiritualiter communicet: quæ res valde a Tridentino Concilio commendatur. *Spiritualiter communicare* (inquit S. Theresia) *est valde utile. Nolite id prætermittere: hic enim experietur Dominus quantum eum ametis.*

§. V. *Methodus vitæ pro aliqua Moniali quæ exposceret dirigi per viam perfectionis.*

156. Ante omnia præmittere oportet, ea quæ inferius exponam, intelligenda esse, quoties non obstet pœnitenti aliquod impedimentum sanitatis, officii, aut obedientiæ: quod etiam intelligendum est cum licentia Patris spiritualis, & etiam præsulis monasterii, pro eo quod spectat mortificationes externas quæ aliorum oculis sunt expositæ.

157. Et primum quoad orationem, 1. Tres saltem horas orationis mentalis efficere, unam mane, aliam vespere & aliam post Communionem. 2. Visitare SS. Sacramentum, & Mariam SS. per semihoram, vel saltem quadrantem. In his orationibus incumbat renovandis votis pluries in die, si jam emiserit professionem, vel illis quibus forte se obligavit. 3. Recitare Rosarium saltem quinque decadum cum aliis orationibus vocalibus; sed hæ non sint plus justo, quia cum plures sunt, recitantur cum tenui fructu, caput aggravant, & inde orationem mentalem impediunt. 4. Uti sæpissime orationibus jaculatoriis, ut e. c. *Deus meus, & omnia, quam bonus est Deus meus! Diligam te, Jesu amor meus, pro me crucifixum. Domine quare non amaris ab omnibus? Oh utinam et nunquam offendissem te! Volo domine quæcumque tu vis. Quando te videbo, et amabo de facie ad faciem! Ecce me, fiat de me quodcumque vis.* Insinuet magnopere director hujusmodi jaculationes amoris, & anima magni eas faciat. 5. Orationi adjungere lectionem spiritualem per semihoram, legendo Opera vel Rodriquez, vel Santejurei, vel monita ad Religiosos, vel alium librum qui tractet de de virtutibus, vel legere vitas Sanctorum, quarum lectio est fortassis cæteris omnibus utilior.

158. Secundo accedere quotidie ad Communionem, uno excepto die in quavis hebdomada. Sed in novenis Spiritus Sancti, Nativitatis Domini, & Mariæ sanctissimæ, & sanctorum Patronorum communicet quotidie, & quotidie saltem ter communicet spiritualiter.

159. Tertio quoad mortificationes. 1. Quotidie flagellationem incruentam per horæ quadrantem circiter, & sanguineam bis, vel saltem unam in mense adhibere. 2. Mane catenulam ferream usque ad prandium: post prandium vero aliquam parvam, in brachio. Numquam tamen catenam circa cincturam, neque cilicia equinis crinibus contexta, quoniam hæc valde officiunt sanitati. 4. Jejunium in pane & aqua in die sabbati, & vigiliis septem festivitatum Mariæ, si commode per valetudinem poterit, vel saltem unico tantum uti obsonio. In refectione vespertina ordinarie non excedere octo uncias cibi, nisi adfuerit aliqua extraordinaria urgentia; abstinere a fructibus diebus Mercurii, & Veneris, & in Novenis superius enunciatis, in quibus potest etiam abstinere ab aliqua alia portione cibi consueti; & in edendo miscere cibis aliquam particulam herbæ amarioris, sed nunquam cinerem. Extra mensam nihil comedere, quoniam melius est, comparative loquendo, quotidie præfatam abstinentiam exercere, quam bis, vel ter in hebdomada jejunare. Somnus non extendatur ultra sex horas: semper vero ad quinque; quoniam excedens defectus somni nocet capiti, & impedit cætera exercitia spiritualia. 4. Servare silentium per tres horas diei, quod intelligi debet de non proferendis verbis non necessariis.

Monita in genere pro Perfectione.

160. I. Collocare omnem suam fiduciam in Deo, & omnino diffidere de se, & de suis bonis propositis. Mascula determinatio se vincendi, & vim sibi in occasionibus inferendi. Ait S. Theresia: *Si defectus non procedit a nobis, ne timeamus quod Deus se abstineat ab impertiendo nobis auxilia ad nostram sanctificationem.*

161. II. Cavere a quocunque minino defectu deliberato, sive apertis oculis admisso. *A peccato deliberato*, (inquit eadem Sancta) *quantumvis parvo Deus vos liberet.* Subditque: *Dæmon enim per opera minimarum rerum, aliqua facit foramina, per quæ res magnæ ingrediuntur.*

162. III. Non tristari post admissos defectus, sed cito se humiliare, & ad Deum confugiendo cum brevi actu contritionis, & proposito, se in pace remittere; & ita semper se gerere, etiamsi centies in die quis caderet. Et in hoc monet S. Theresia ne communicentur propriæ tentationes animabus imperfectis quia ita & sibi, & aliis damnum affertur.

163. IV. Alienare se ab omnibus propinquis, rebus, voluptatibus; aliter, inquit S. Theresia: *Animæ non recedendo a voluptatibus mundanis, non post multum, denuo recedet a via Dei.* Effugere familiaritatem personarum diversi sexus, quantumcunque fuerint religiosæ; sæpe enim diabolus introducit cum illis quasdam affectiunculas non puras, eas obtrudendo pro spiritualibus. Videantur notata *n.* 45. Oportet ante omnia renuntiare propriæ æstimationi, & propriæ voluntati, imo & rebus spiritualibus, ut orationi, Communioni, & mortificationibus, quando hæc obedientia non permittit. Uno verbo oportet expellere a corde omne quod non est Deus, & quod non est secundum majus Dei beneplacitum.

164. V. Lætari cum spiritu quoties se cernit contemni, irrideri, & omnium vilissimum reputari. O

quam

quam pulchre orat anima illa quæ vilipendia libenter amplectitur! præcipue in Communitatibus in quibus hæc virtus est omnium longe necessaria; consequenter oportet fovere affectionem specialem erga nostros inimicos, & persecutores, illis inserviendo, benefaciendo, honorando, saltem benedicendo, & commendando specialiter Deo quemadmodum Sancti facere consueverunt.

165. VI. Alere ardentissimum desiderium amandi Deum, illique placendi. Ait S. Theresia: *Dominus adeo desideriis delectatur, ac si fuissent executioni demandata.* Sine hoc desiderio anima non progredietur in via perfectionis, nec Deus largietur illi gratias valde speciales. Eadem S. ait: *Ordinarie Deus non impertitur favores multum singulares, nisi iis qui diu desideraverunt ejus amorem.* Ei desiderio oportet semper conjungere determinationem faciendi quantum possumus, ut Deo placeamus. Præfata Sancta inquit: *Diabolus potissimum timet magnanima corda.* Et alibi: *Nihil aliud a nobis exigit Dominus quam validam determinationem, ut reliquum ipse inde perficiat.* Oportet quoque fovere affectum summum erga orationem, quæ est fornax in qua accenditur amor divinus. Omnes Sancti, quoniam unice Deum diligebant, unice quoque dilexerunt Orationem. Est etiam necessarium, ut quis ardenter desideret Paradisum; in Cælo enim animæ diligunt Deum cum omnibus viribus suis, quod consequi nemo potest in terra, & ideo vult Deus, ut ardentissime hoc regnum desideremus, quod Jesus Christus nobis acquisivit sanguine suo.

166. VII. Habere magnam uniformitatem divinæ voluntati in omnibus rebus appetitui nostro contrariis, & se pluries in die Deo offerre. S. Theresia hoc quinquagies in die facere consueverat: *Non consistit progressus* (inquit Sancta) *in sibi procuranda majore fruitione Dei, sed in adimplenda illius voluntate.* Et alibi: *Vera unio est unire nostram cum divina voluntate.*

167. VIII. Præstare exactam obedientiam regulis, superioribus, & Patri spirituali. Dicebat V. P. Vincentius Caraffa: *Obedientia est regina omnium virtutum; omnes enim virtutes obediunt obedientiæ.* Et S. Theresia: *Deus ab anima, quæ sibi proposuit illum amare, nihil aliud exigit quam obedientiam.* Perfecta vero obedientia consistit in cito, fideliter, alacriter, & sine ullo judicio obediendo, nullam exquirendo rationem, quoties res jussa non sit certe peccatum, ut inquiunt SS. Bernardus, Franciscus Salesius, Ignatius Loyola, & omnes spiritualis vitæ magistri: & in rebus dubiis eligere id quod præsumitur quod jussisset obedientia; & quando hæc præsumptio non posset haberi, id eligere quod magis nostris inclinationibus adversatur. Hoc est illud *Vince te ipsum* toties inculcatum a S. Francisco Xaverio, & S. Ignatio, qui solitus erat dicere longe pluris proficere animam mortificationis amicam unico horæ quadrante, quam alias non mortificatas per plurimas horas.

168. IX. Attendere semper divinæ præsentiæ; inquit S. Theresia: *omne malum provenit ex eo quod non consideremus Deum præsentem.* Qui vere amat nunquam obliviscitur objecti amati. Ad conservandam vero memoriam hujus divinæ præsentiæ juvat in praxi aliquod speciale signum gestare, vel intra cubiculum habere. Maxime vero oportet hanc præsentiam fovere, sæpius in die repetendo actus amoris in Deum, & petendo divinum amorem. E. C. Deus meus, & omnia. Diligam te ex toto corde meo. Totum me tibi do. Fac de me quod tibi placuerit. Nil aliud volo nisi te, & tuam voluntatem. Da mihi amorem tuum, & dives sum satis &c. Advertendum tamen est quod actus isti faciendi sunt sine ulla vi, & nullam desiderando consolationem sensibilem, sed cum suavitate quadam, & voluntate, puta, unice Deo placendi. Afferebat S. Theresia: *Ne vereamur relinqui irremuneratam a Deo vel unicam elevationem oculorum ad ejus recordationem.*

169. X. Dirigere intentionem placendi Deo in quacunque actione quotidiana sive spirituali, sive corporali, dicendo: Domine hoc facio tantum, ut placeam tibi. Recta intentio appellatur alchimia spiritualis, quæ omnes actiones, etiam viliores, aureas facit.

170. XI. Quotannis exercitia spiritualia peragere per octo, vel decem dies, alienando se, quantum fieri potest, ab omni conversatione, & officio quod distractiones afferat, ut solum cum Deo versetur. Similiter singulis mensibus aliquam diem ad se colligendum destinare. Devote celebrare Novenas nativitatis Domini, Spiritus Sancti, septem festivitatum Mariæ, S. Josephi, Angeli sui custodis, & Sancti tutelaris. In his Novenis poterit quotidie accedere ad communionem orando per horam, vel saltem dimidium plus consueto. Recitare aliquas alias orationes vocales, sed non multas; quoniam longe melius erit exercere determinatum quendam numerum actuum amoris, vel similium.

171. XII. Habere devotionem specialem erga S. Joseph, Angelum suum custodem, sanctum suum tutelarem, & præcipue erga S. Michaelem universalem cunctorum fidelium patronum. Sed ante omnia erga Beatissimam Virginem Mariam, quæ ab Ecclesia nostra vita, & nostra spes appellatur; est enim moraliter impossibile, ut anima multum in perfectione proficiat, sine particulari, & tenera quadam devotione erga sanctissimam Dei genitricem.

CAPITULUM X.

De quibusdam Monitis magis notatu dignis ad Confessarios, & Parochos: cum praxi docendi orationem mentalem.

§. I. *Monita ad Confessarios.*

127. Ex his quæ superius diximus adnotanda sunt hic aliqua principaliora, & quæ advertere debet Confessarius in suo officio exercendo.

173. I. Ante omnia curet ex una parte summam adhibere charitatem in excipiendis peccatoribus, iisque animandis ad confidendum in divina misericordia; ex altera vero ob humanum respectum non prætermittat eos fortiter admonere, simulque ostendere ipsis statum infelicissimum, in quo reperiuntur, ac assignando media opportuna ad se liberandum ex malis habitibus jam contractis; & præcipue sit inflexibilis in differenda eisdem absolutione, quoties oporteat.

174. II. Ut plurimum interroget rudes, utrum sciant principalia fidei mysteria. Videatur circa hoc quod diximus *n.* 22.

175.

175. III. Hujusmodi rudes, aut alios neglectæ conscientiæ non omittat interrogare circa ea, in quæ frequentius solent incidere; quoties ipsi ex se non confitentur.

176. IV. Cautissime se gerat in interrogationibus de materia turpi, præsertim cum puellis, puerisque, ne isti addiscant quod ignorant. Et si ipse in hujusmodi materia tentationes patiatur, elevet sæpius mentem ad Deum se convertendo ad aliquam sacram imaginem; & priusquam incipiat Confessiones audire, renovet semper rectitudinem intentionis.

177. V. Patres, matresque familias interroget non modo in genere circa filiorum educationem, sed etiam in particulari; & maxime exquirat, utrum filios corrigant sicut oportet; si curent, ut sciant doctrinam Christianam: ut vitent consortium personarum pravi exempli, & præsertim si sint puellæ, diligentissime cavendo, ne conversentur cum juvenibus, & multo minus cum personis suspectis, scilicet uxoratis, Religiosis, & Ecclesiasticis.

178. VI. Pœnitentes, de quibus justa potest esse suspicio, quod propter erubescentiam aliqua peccata tacuerint, (ut sunt rudes, mulieres, & pueri) interroget, utrum anteactæ vitæ scrupulum aliquem habeant, eos animando ad dicendum omnia. Per has interrogationes solent liberari plures animæ a sacrilegiis.

179. VII. Etiamsi magnus esset pœnitentium concursus, non se acceleret plusquam oportet, ita ut pro audiendis plurium Confessionibus, deficiat vel circa integritatem Confessionis, vel circa debitam dispositionem, aut omittat illis præbere monita necessaria.

180. VIII. Quando quis confitetur aliquod grave peccatum, & præsertim si pluries illud commiserit, non sufficit exquirere tantummodo speciem, & numerum; sed interroget, utrum antea in illud cadere consueverit; & insuper cum qua persona peccaverit? Et quo loco? ut intelligat utrum sit habitus, aut occasio quæ sit auferenda. In hoc plures errant Confessarii, & inde tot tantarumque animarum ruina procedit; omittendo enim Confessarius hujusmodi interrogationes, nequit dignoscere, utrum pœnitens sit recidivus, & consequenter nequit illi tradere media opportuna ad evellendum habitum, & occasionem. Observetur quod dictum est in Cap. IV. & V. in quibus vidimus pœnitentem recidivum omnino absolvi non posse, nisi post experientiam emendationis, vel post exhibitum extraordinarium aliquod signum suæ dispositionis. Et quando agitur de occasione proxima, fortiter se gerat sine ullo personarum respectu in differenda absolutione, quousque pœnitens occasionem removeat, quando actu existit, ut explicavimus *n.* 61. Et si occasio est necessaria, saltem quousque e proxima evadat remota adhibendo media sibi assignata.

181. Speciali modo sit inflexibilis in deneganda absolutione sponsis qui secum conversantur; sicut & genitoribus qui id permittunt: neque credat illis asserentibus nullum inesse malum; hoc enim est moraliter impossibile, ut docet experientia.

182. IX. Deneget quoque absolutionem illi qui volunt ad aliquem Ordinem sacrum ascendere, dum adhuc sunt aliquo vitioso habitu irretiti. Nisi viderit illos adeptos esse bonitatem positivam ad hunc gradum necessariam, ut dictum est *n.* 70.

X. Caveat etiam, & diligenter caveat dissuadere aliquem adolescentem a vocatione religiosa propter humanos respectus; quod excusari non potest a peccato mortali, ut docet S. Th. *Quodlib.* 3. *art.* 14. Oh quot Confessarii imperiti sine ullo scrupulo abstrahunt juvenes a vocatione ad statum magis perfectum, nulla alia ratione ducti, quam ut placeant eorum propinquis, asserendo filios teneri præstare obedientiam genitoribus! Docent communiter Doctores cum S. Thoma, in electione status unumquemque frui sua libertate: & magis quam genitoribus præstandam esse obedientiam Deo vocanti. E contrario advertat Confessarius, quod ipse nequit absolvere quosdam alios, qui sine vocatione vellent ad Ordines sacros ascendere. Vide Librum 6. *n.* 803.

183. XI. In excipiendis Sacerdotum Confessionibus reverenter se gerat; sed gerat se etiam fortiter in faciendis debitis correctionibus, & in deneganda absolutione, quoties oportet. Et Sacerdotem parum meticulosæ conscientiæ non omittat interrogare præcipue circa hæc tria. 1. Utrum distulerit celebrationem Missarum per mensem, si fuerint Missæ Mortuorum; & per duos, si fuerint vivorum: hoc enim non excusatur a peccato gravi (vide *lib.* 6. *n.* 317. Qu. II.). 2. Utrum celebraverit festinanter; impendens enim in Missæ celebratione minus quam horæ quadrantem, etiamsi esset Missa votiva BB. Virginis, aut Mortuorum, nec etiam excusabitur a culpa gravi (*l.* 6. *n.* 400.), quoniam in tali temporis spatio non poterit non deesse notabiliter cæremoniis, aut saltem convenienti earumdem gravitati tam necessariæ ad venerationem tanti hujus Sacrificii. 3. Utrum satisfecerit obligationi divini officii, præcipue si est Beneficiatus. Non omittat etiam insinuare, ut se habilitet juxta suam capacitatem ad lucrandas Deo animas, ut celebret Missam cum debita præparatione, & gratiarum actione, ut incumbat orationi mentali, sine qua difficillime bonus erit Sacerdos.

184. XII. In materia restitutionis ordinarie non absolvat pœnitentem, nisi prius, cum possit, restituerit rem ablatam. Nihilominus advertat multos excusari a restitutione ratione præscriptionis cum bona fide. Et hic notandum. 1. Bona mobilia, quando adest titulus præsumptus, præscribi spatio trium annorum; immobilia vero spatio decem annorum *inter præsentes*, & viginti *inter absentes*. 2. Probabile esse præfatam præscriptionem valere in foro conscientiæ, etiam in illis locis, in quibus in foro externo non viget lex præscriptionis, ut in Regno nostro, ob difficultatem probandi bonam fidem. Excipiendæ vero sunt præscriptiones illæ, quæ expresse prohibentur ab aliqua lege Municipali, ut ex. c. in Regno nostro reprobatur præscriptio hæredis, quoties testator mala fide possederit. Videantur aliæ doctrinæ circa præscriptionem relatæ in Morali (*Lib.* 3. *ex n.* 504. *usque ad* 517.).

185. XIII. Si pœnitens aliquam acceperit injuriam, propter quam inimicus sit inquisitus in Curia, non absolvat illum, (ordinarie loquendo) nisi prius in scriptis fecerit remissionem. Videatur præsens Praxis *n.* 38.

186. XIV. Quando prævidet monitionem non esse profuturam, & pœnitens est in bona fide, illam omittat: præsertim quando agitur de nullitate Matrimonii jam contracti. Excipienda tamen est obligatio denunciandi Confessarios sollicitantes in materia

ria turpi, quoniam Confessariis directe est injunctum præceptum imponendi omnibus sollicitatis hanc obligationem. Vide Praxim *n.* 8. 9. & 12.

187. XV. Curet, ut omnes in Confessione eliciant actum contritionis, nisi certe præsumat pœnitentem jam rite fecisse: nec omittat præbere illis motiva attritionis, & contritionis eo modo, quo adnotavimus *n.* 10. Et speciali modo advertat, si pœnitens venerit indispositus, teneri Confessarium, quantum fieri potest, eum disponere ad absolutionem. Vide *n.* 7. *in fine*.

188. XVI. Non absolvat pœnitentes illos, qui afferunt tantummodo peccata venialia, sed habituata; nisi cognoscat illos vere pœnitere, & proponere emendationem saltem de aliquo ex illis; aut si non ponant pro materia aliquod peccatum gravius vitæ prioris, ut notavimus *n.* 65. Oh quot Confessiones invalidæ (quæ in se vera sunt sacrilegia) fiunt in hoc ob Confessariorum negligentiam!

189. XVII. Illas tantummodo pœnitentias injungat, quas judicaverint facile a pœnitentibus adimplendas, ut diximus *n.* 11. Sed curet, ut illæ sint medicinales, ut essent: frequentia Sacramentorum: visitationes: commendare se Deo mane, & vespere: lectio alicujus libri spiritualis: adscribere se alicui Congregationi, & similia.

190. XVIII. Personis devotis, quæ frequentant Sacramenta, non omittat insinuare usum orationis mentalis, exigendo inde rationem de ea, vel saltem interrogando, utrum illam fecerint. Adhibendo hanc minimam diligentiam quisque Confessarius poterit multas animas sanctificare. Nec sit renitens in concedenda Communione frequenti, quoties cernit aut prudenter existimat, pœnitentem fructum ex ea percepturum.

191. XIX. Scrupulosis personis insinuet ante omnia obediendiam, illisque semper inculcet, quod obediendo erunt securæ; inobediendo vero exponent se periculo damnationis. Viriliter semper, & rigide exigat obedientiam, intrepide semper loquendo; quia si cum timore loquetur, illas pejus quam antea confundet. Det illis regulas generales ad dubia sua deponenda, quemadmodum cuique magis expediet: e. c. Illi, qui semper dubitat de transactis confessionibus, jubeat amplius non confiteri, nisi peccata illa, quæ certo sciat fuisse peccata mortalia, & certo etiam sciat nunquam se confessum esse. Et circa hoc Confessarius constantissime se gerat, nunquam audiendo, si non obediat; si enim Confessarius aliquando cedat, pœnitens nunquam curabitur. Quidam Confessarii maximam hujusmodi animabus causantur perniciem, eas audiendo. Alicui vero timenti singulas suas actiones esse peccata, imponat vincere scrupulum, & libere operari quoties non advertat certum esse peccatum.

192. XX. In seligendis opinionibus, quando agitur de subtrahendo pœnitente a periculo peccati formalis, Confessarius non raro uti debet opinionibus benignioribus, quantum christiana prudentia permittit. Quando vero aliqua opinio reddit magis proximum periculum peccati formalis, tunc omnino suadere debet opinionem rigidiorem. Vide dicta *n.* 64. Dico suadere, quia quando opinio est probabilis, & pœnitens vult eam sequi, non potest illi absolutionem denegare ob jus certum, quod ille acquisivit per confessionem jam factam suorum peccatorum, ut *n.* 95.

193. XXI. In audiendis Confessionibus mulierum, illisque pertractandis, adhibeat eam majorem austeritatem, quæ conveniens est secundum prudentiam; & ideo recuset munuscula, effugiat familiaritatem, & omnia alia, quæ possunt esse causa adhæsionis. Ob aliquam circa hoc negligentiam, oh quot Confessarii & suas, & pœnitentium animas perdiderunt!

194. XXII. Sit humilis, nec de sua doctrina præsumat; unde frequenter oret Deum ob merita Jesu Christi, & præsertim in casibus dubiis, ut velit sibi lucem ad bene solvenda dubia impertiri: *Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ*, *Sap.* 7. 6. Et ideo Confessarius, qui orationem non facit, difficulter recta incedet; & in dubiis magis implicatis, aut majoris consequentiæ non omittat consulere alios viros doctos, & majoris experientiæ. Præsertim ita se gerat in directione alicujus animæ elevatæ, & quæ a Deo aliquibus gratiis supernaturalibus sit donata, quando ipse in hac materia est parum expertus. Aliquos, qui scientiam mysticam vix primoribus libris degustarunt, pudet ab aliis consilium petere: non ita se gerunt vere humiles; hi non modo consilium petunt, immo & a pluribus petunt quoties oportet: sed etiam nullam omnino sentiunt difficultatem præcipiendi hujusmodi animabus, ut se conferant, ob directionem, ad magistros magis peritos: vel saltem, ut illorum subeant judicium. Has vero animas Confessarius nunquam audiat in diebus festivis, sed tunc det locum magis indigentibus, & præcipue pauperibus campestribus.

§. II. *Monita ad Parochos.*

195. Expedit hic breviter adnotare quasdam particulares Parochorum obligationes circa curam suarum ovium.

196. I. Parochus tenetur eas instruere circa fidei mysteria, & res alias ad salutem necessarias, ut sunt. 1. Quatuor mysteria principalia, scilicet quod existat unus Deus, qui est omnipotens, sapientissimus, creator, & Dominus omnium, misericors, & amabilior quocunque bono; & præcipue quod tam bonorum, quam malorum sit justus remunerator; insuper mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, & mortis Jesu Christi. 2. Sacramenta necessaria, ut Baptisma, Eucharistia, Pœnitentia, & alia saltem quando sunt suscipienda. 3. Symboli articuli, inter quos præsertim virginitatis Mariæ Sanctissimæ; sessio Jesu Christi ad dexteram Patris, scilicet quod ipse in cælis sedat cum Patre in gloria coæquali: resurrectio corporum in judicio finali faciendo a Christo Domino: unitas Romanæ Ecclesiæ, in qua sola reperitur animæ salus; & denique æternitas paradisi, & inferni. Quæ omnia unusquisque fidelis tenetur scire sub gravi. 4. Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ. 5. *Pater noster*, *et Ave Maria*, & actus fidei, spei, amoris, & contritionis. Sicuti graviter peccat ille, qui scire hæc negligat (quæ scienda sunt non modo in quantum ad nomina, sed etiam in quantum ad sensum), ita etiam graviter peccat Parochus, ut ajunt communiter Doctores, si per se, vel per aliam idoneam personam (quoties ipse fuerit legitime impeditus, ut habetur in Concilio Tridentino *sess.* 5. *c.* 2.) omiserit docere saltem in substantia suos parœcianos, pueros, & adultos, qui ea ignorant. Unde

de quoties ipse videt patres, aut dominos non curantes mittere filios, aut servos ad doctrinam, tenetur apprehendere media opportuna apud Episcopum, qui, ut habetur in Tridentino *sess.* 25. *cap.* 4. potest cogere genitores etiam per Ecclesiasticas censuras. Parochi probi retinent notam puerorum ut sciant eos qui desunt. Immo dicit *Croix l.* 2. *q.* 149. *et l.* 3. *p.* 1. *n.* 767. si extent personæ aliquæ rudes, quæ nequeant ad Ecclesiam venire, ex eo quia debent custodire domos, aut greges; si illæ existant in gravi necessitate spirituali, debet Parochus privatim accedere ad eas instruendas *cum quantocunque suo incommodo*, ut loquitur idem auctor. Saltem, quando hoc difficillimum esset ob magnum numerum harum rudium personarum, procuret eas examinare, & instruere tempore præcepti Paschalis, vel quando veniunt ad petendas fides pro susceptione Sacramenti Confirmationis, vel Matrimonii. Operæ quoque pretium est, ut Parochus exploret magistros, & magistras, ut bene instruant pueros, & puellas circa doctrinam, & media bene vivendi in sancto Dei timore.

197. II. Parochus tenetur per se ministrare Sacramenta, quoties parœciani juste exposcunt. Et si forte œconomum constituerit, ejus vitam, & scientiam diligenter examinet; alias omnium inconvenientium, quæ postea evenient, ipse Deo redditurus est rationem. Insuper tenetur assistere morientibus, nisi adsit alius idoneus. Peccatoribus autem habituatis morientibus specialem tenetur præstare assistentiam, quoniam isti existent in gravi necessitate suæ assistentiæ. Et circa Extremam Unctionem, attendat id, quod habetur in Catechismo Romano (*part.* 2. *cap.* 6. *n.* 9.). *Gravissime peccant qui illud tempus ægrotos ungendi observare solent, cum jam omni saluti spe amissa, vita, et sensibus carere incipiant.* Tenetur quoque se informare, utrum sui subditi præcepto Paschali satisfecerint; *Barb. de Off. Par. c.* 2. *n.* 7. *et Segneri Par. Inst. c.* 23. Et diligentissime caveat nunquam committere cuicunque Clerico schedulas Communionis.

118. III. Cavere quoque debet Parochus, ne concedatur habitus clericalis illis pueris, aut adolescentibus, qui moribus suis non præseferunt indolem ecclesiasticam. Diligenter postea erudire debet circa statum Ecclesiasticum Clericos suos jam habitum deferentes; aliter illi sine instructione relicti, & moribus depravatis, aut per fas, aut per nefas ad Ordines inde non sine magno suæ urbis scandalo, & detrimento ascendent. Prætermitto hic loqui de maxima ratione, quam Deo reddituri sunt Parochi illi, qui exhibent fides Ordinandis, quos ipsi bene noscunt indignos, aut exhibent illas priusquam se reddant securos, prævia diligendi informatione, de ordinandorum bonitate.

199. IV. Tenetur Parochus se informare de iis, qui vivunt in peccato lethali, ut eos corrigat: de inimicitiis, & scandalis præsertim inter sponsos, ut quantum possibile est, illis afferat remedium. Inquit S. Th. (2. 2. *qu.* 15. *art.* 1.): *Qui habet specialem curam alterius, debet eum quærere ad hoc, ut corrigat de peccato.* Et quando scandalum est alicujus personæ potentis (& præcipue Sacerdotis) cui ipse non valet remedium afferre, debet saltem de hoc Episcopum certiorare pro remedio opportuno: & ob quemcunque respectum, aut timorem hoc non potest omittere. Bonus pastor tenetur dare vitam pro ovibus suis.

200. V. Curet, ne sponsalia celebrentur longe prius quam celebretur matrimonium: perfectis enim sponsalibus, toto tempore, quod nuptias præcedet, tam sponsi, quam eorum genitores in mortali peccato existent.

201. VI. Quando in aliqua urbe cernuntur notabilia inconvenientia, quibus Parochus nequit afferre remedium, ipse tenetur omnem curam adhibere ad Missionem obtinendam. Et semper expediens erit, ut quandoque advocet etiam aliquos Presbyteros exteros pro bono animarum verecundiorum: & multo magis si ad suum oppidum non solet Concionator quadragesimalis accedere ad audiendas confessiones: Parochus vero ille, qui rejicit Missiones, magnam ingerit suspicionem suæ probitatis.

202. VII. Non modo Parochus debet auferre malum, sed etiam bonum promovere, quemadmodum faciunt omnes boni pastores, qui nunquam omittunt exhortari ad frequentiam Sacramentorum, & Congregationum, ad visitandum Sanctissimum Sacramentum, & divinam Matrem: ad Novenas, ad associationem Venerabilis, quando datur tanquam Viaticum, & ante omnia ad orationem mentalem, de qua in §. III. ubi exponemus praxim, & methodum facilem, quæ parochis, & Confessariis poterit inservire ad cæteros in ea erudiendos.

203. VIII. Parochus tenetur ad concionandum diebus Dominicis, & festis principalioribus; ex quo Doctores (vide *l.* 3. *n.* 269. & 590.) affirmant graviter peccare Parochum qui per mensem continuum, aut per tres menses discontinuos concionare omittit, exceptis duobus mensibus, in quibus permittit Trid. Parochis, ex justa causa ab Episcopo approbanda, posse licite abesse. Et hic notandum est, Trid. (*sess.* 5. *c.* 2. *de Ref.*) præcepisse, ut Parochi gregem suum verbo divino pascant, sermones faciles pro ejus captu habentes; quo possint populos capere, quæ illi concionantur: cum enim expertum habetur, fidem, sicut ipsa diffunditur prædicatione, ita per eandem conservari (*fides ex auditu*), parum utilitati erunt populi eæ conciones, quæ similes non erunt illi concionandi rationi, quam tenuerunt Christus, & Apostoli, qui prædicabant non in *persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & veritatis*, ut Apostolus ait. Ideoque jure merito V. P. Magister Avila non Jesu Christi ministros, sed proditores appellabat eos, qui inanis gloriæ cupiditate conciones habent. Et P. Gaspar Sanctius ajebat, his nullos esse crudeliores in Ecclesiam Dei insectatores, dum sic concionando causa sunt cur pereant multæ animæ, quæ, si illis juxta Apostolorum normam prædicaretur, utique salvæ fierent. Verba inania, periodos sonoros, descriptiones inutiles, dicebat S. Franciscus Salesius, esse pestem concionis, cujus unius finis esse debet, auditorum voluntates erga bonum movere, non autem intellectum inutiliter pascere. Experientia jam docemur, per hujusmodi conciones tot figuris, & tropis, & dicendi fucato artificio adornatas, animas ad bonam frugem non redire, quia auxilium suum Deus vanitati, non confert. Et hoc omnium concionatorum gratia, qui ex vanitate concionantur, dictum sit, sed potissimum eorum, qui curam animarum habent, quibus Tridentinum loco citato sic præscribit: *Archipresbyteri quoque, Ple-*

Plebani, et quicumque curam animarum obtinent per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis. Notentur illa verba, *pro earum capacitate;* unde certe Concilio contraveniunt illi Pastores qui sublimi stylo utuntur populi audientis capacitatem excedente.

204. Hic quoque juvat animadvertere quædam magna consideratione digna, quæ Parochus, conciones habens, populo sibi commisso inculcare debet. Et 1. quod ad emendationem non sufficit proponere peccata vitare, sed etiam debent occasiones peccandi removeri. Et loquendo de sponsis, qui domos sponsarum frequentant, dicat tam ipsos, quam illarum parentes, qui hoc permittunt, non posse absolvi, nisi præfatas occasiones auferant.

205. Insistat 2. in homines qui cauponas frequentant, eis patefaciendo plurima peccata, quæ ibi præter ebrietates committi solent, blasphemias nempe, contentiones, scandala, obscœnitates, discordias cum domesticis, defraudationes victus a familia &c.

206. Increpet 3. atque invehatur sæpe contra vitium (quod est generale, præcipue in campis, & in officinis) inhoneste loquendi: & tanto magis si hæc verba inhonesta proferantur coram pueris, puellis, aut personis diversi sexus. Ob hos turpes sermones quot pueri perversi fiunt! Et de hoc admoneat parentes, dominos, & opifices officinarum, ut vigilantes sint in corripiendis, & castigandis filiis, aut famulis, qui hos sermones effutiunt, præcipue messis & vindemiæ temporibus.

207. Insistat 4. in ostendendo sacrilegii enormitatem, quod committunt illi, qui confitentur, & communicant, aliquod peccatum propter erubescentiam reticentes. Et ut horrorem concipiant adversus tantum scelus, curet sæpe narrare aliquod formidabile exemplum ex illis, qui, erubescentes de aliquo peccato, sacrilege confessi sunt; & ad hoc potest uti præcipue illo libello P. *Vega*, cui titulus: *Casi della Confessione* &c.

208. Sæpe insinuet 5. necessitatem doloris, & propositi ad Confessionem requisitorum, etiam pro venialibus exhortans, ut nemo ad absolutionem recipiendam accedat, nisi saltem de aliquo peccato veniali eorum, de quibus se accusat, verum habeat dolorem; aut nisi exponat pro materia certa aliquod peccatum vitæ præteritæ, jam alias confessum, cujus vere se pœnitet, ut valida sit confessio. Et quoniam rudes parum intelligunt, quomodo debeat esse dolor, sæpe ostendat quod pœnitentes, ut valide confiteantur (sive contritionis, sive attritionis sit dolor) debent eam concipere displicentiam de suo peccato, ut illud odio habeant, & abhorreant plus quam cetera mala.

209. Hortetur 6. ut in iracundiæ motibus, vice blasphemiarum, aut imprecationis assuescant dicere: *Maledictum sit peccatum meum, maledictus sit dæmon;* aut dicere, *Maria SS. adjuva me. Domine; concede mihi patientiam.*

210. Inducat 7. in horrorem superstitiones, aut vanas observantias, quæ in usu sunt apud plures ad finem morbi medendi, aut latrones dignoscendi.

211. Instet 8. In parentes, ut in filios animadvertant, præcipue cum sunt pueri, tunc quando blasphemant, aut furantur, &c. Item, ut invigilent ad observandum, & inquirendum, cum quibus illi versantur; & interdicat eos versari cum pravis sociis; & cum personis diversi sexus. Item, ut filios non admittant in lectum suum cubandos; aut enim sunt nimis parvuli, & timetur ne illi suffocentur; aut grandiores, ut si sextum annum jam excesserint, & timetur ne illis aliquod præbeatur scandalum. Et tanto minus permittant simul dormire pueros, & puellas.

212. Moneat 9. jugiter suos parochianos, ut internas tentationes, (præcipue contra castitatem) superent, invocando nomina sanctissima Jesu, & Mariæ; hoc enim est maximum contra tentationes remedium.

213. Moneat 10. jugiter quoque, ut si quis in peccatum mortale labatur, statim se conferat cum proposito quantocius confitendi, quo amissam gratiam recuperet; & hanc dæmonis fraudem ab eis eripiat, Deo idem esse unum, quam duo peccata remittere; nam potest contingere, quod Deus post unum peccatum ad pœnitentiam exspectet, post secundum vero eos derelinquat.

214. Doceat 11. actus, in quibus quisque mane, die & vespere se exercere debet; & ut hos in promptu habeat, breviter illos hic describimus = Actus faciendi de mane Signet se signo crucis, & postea dicat I. *Te adoro, Domine Deus, et ago tibi gratias de omnibus beneficiis in me collatis, et præcipue, quia hac nocte me custodire dignatus es.* II. *Amo te ex toto corde, et quidquid mihi hodie patiendum contigerit, et quidquid faciam, tibi offero in unione operationum, et cruciatuum Jesu et Mariæ; cum intentione lucrandi omnes Indulgentias, quotquot possum, in animarum Purgatorii suffragium.* III. *Propono evitare hodie quodlibet peccatum, ac omnem occasionem; et obsecro te propter amorem Jesu Christi, ut concedas mihi perseverantiam. Propono, præcipue in rebus adversis, obsequi voluntati tuæ, dicendo semper: Domine, fiat voluntas tua. Jesu mi, ne removeas hodie manus tuas a me. Maria sanctissima, custodi me: Angele custos, et sancti Advocati, præsto mihi estote.* Deinde recitet *Pater, Ave, et Credo*, & ter Ave puritati Mariæ sanctissimæ. = Cum laborare incipit dicat: *Domine Jesu, in unionem perfectissimorum operum tuorum commendo tibi hoc opus meum, secundum tuam voluntatem regendum* = Ante comestionem: *Benedic, Domine, cibum istum, et me quoque, ut in comedendo nullum committam defectum, et hoc totum sit ad gloriam tuam* = Post comestionem: *Ago tibi gratias, quod bona tribuisti mihi inimico tuo.* = Ad sonitum horologii = *Jesu mi, amo te; ne permittas me offendere te.* = Si urget aliqua tentatio, replicet *Jesus, et Maria.* = Si lapsus sit in aliquod peccatum = *Deus meus, me pœnitet offendisse te, nolo amplius hoc facere.* = Et si peccatum fuerit grave statim confiteatur. Vesperi, dum cubitum se confert, agat gratias de bonis sibi collatis. Examinet conscientiam, & postea eliciat actum doloris. Deinde eliciat actus christianos, quorum exemplum habebis infra *n.* 286. Hortetur omnes matres, ut quotidie hoc actus practicari faciant a filiis suis. Præterea ostendat, parentes teneri operam dare, ut filii Sacramenta frequentent; nam si ad ea frequenter non accedunt, facile Dei gratiam perdunt; & parentes huic damno prospicere debent. Insuper eosdem moneat, quod peccant, si, causa justa non accedente, impediant filios quominus Matrimonio conjungantur, aut

eos

eos invitos ad Matrimonium cogant (Vide *l.* 6. *n.* 849. *v. Conveniunt ad* VI.) Sicut contra peccant filii, qui parentibus juste invitis, Matrimonia ineunt. (*l.* 6. *dict. n.* 849.).

215. Item 12. cum pro comperto habeatur, ut supra ostensum est, quod Parochus nedum tenetur ad mala impedienda, sed etiam ad bonum promovendum, populum hortetur ad quotidianam Sanctissimi Sacramenti, ac B. Mariæ Virginis visitationem. Hæcque visitatio potest fieri vespere ab ipso in communi, una simul cum populo sibi commisso, designando horam populo magis accommodam, prout usus in multis regionibus cum magno fructu introductus est. Et hortetur, ut quibus commoditas Ecclesiam adeundi non est, ex domo propria eam faciant. Præ ceteris insinuet hominibus, ut frequentent Congregationem. Et omnibus, ut sæpe communicent, præcedente debita animi præparatione, & gratiarum actionibus eam consequentibus, per exercitium actuum fidei, charitatis, oblationis, & petitionis, eos docendo practicum modum, quo hi actus fieri debeant.

216. Invigilet 13. sæpe reddere suas oves erga devotionem Mariæ Virginis studiosas, declarando quanta sit potentia, & misericordia hujus divinæ Matris in suis devotis adjuvandis. Ideoque insinuet, ut in communi cum familia quotidie recitent quinque decades Rosarii, ut Sabbato jejunent, & celebrent Novenas in festivitatibus nostræ Dominæ, quas ipse ab altari annuntiet, quotiescumque illæ incident. Valde laudabile erit, si in Sabbato ille conciunculam faceret de B. Virgine, semper narrando aliquod exemplum, & semel in anno celebrando Novenam aliquam solemnem nostræ Dominæ cum sermone, & expositione SS. Sacramenti; & ad hoc uti possent inter ceteros illo libro, quem ego ad hunc finem typis dedi, cui titulus, *Glorie di Maria*, ubi congestas reperiet materias, & exempla. Felix ille Parochus, qui, suos parochianos fervidos tenet in Beatissimæ Virginis devotionem; nam illi cum ejusdem Virginis auxilio vitam morigeram ducent, & ipse in vitæ exitu ipsam fidelem, & potentem Advocatam habebit. Denique insinuet ante omnia, ut assuescant sæpius se Deo commendare, ab eo sanctam perseverantiam per merita Jesu Christi, & Mariæ postulantes. Sæpius quoque prædicet gratias, & præcipue perseverantiæ donum non concedi nisi petentibus; *Petite, & accipietis*. Notamque faciet illam promissionem Jesu Christi, quidquid a Patre postulabimus in nomine ejus, id omne Patrem daturum nobis. *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (Joann. 16. 23.) Insinuet etiam orationis mentalis usum, & curet in Ecclesia cum populo quotidie, aut saltem diebus festivis, ut illa fiat; docendo etiam modum, quem domi in ea facienda tenere possunt; ideoque hic subjungitur sequens instructio, ubi exponitur necessitas, & modus practicus orationis mentalis.

§. III. *Brevis Praxis orationis mentalis.*

217. Non est dubitandum quin ex considerationis veritatum æternarum defectu, mundus peccatis scateat, & infernus animabus repleatur; *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde. Jerem.* 12. 11. Et contra ait Spiritus Sanctus, eum, qui sæpe mortem, judicium, & æternitatem memoratur, a peccatis liberari: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Eccli.* 7. 40. Quidam auctor dicit; quod si a damnatis sciscitaretur: *Cur vos in inferno estis?* Major eorum pars responderet: *Nos hic sumus, quia infernum non cogitavimus.* Ait S. Vincentius de Paula, quod si peccator missionem, aut exercitia spiritualia audiret, & non converteretur, miraculo id tribuendum esset. Jam in oratione mentali Deus est, qui loquitur: *Ducam eum in solitudinem, & loquar ad cor ejus. Oseæ* 2. 14. Deus utique omni concionatore melius loquitur. Omnes Sancti per orationem mentalem sancti facti sunt. Et experientia scimus, quod, qui orationi mentali dant operam, difficulter in peccata mortalia decidunt, & si casu aliquando in ea labuntur, orationi insistendo, statim resipiscunt, & ad Deum redeunt. Oratio mentalis, & peccatum, una simul consistere nequeunt. Ajebat quidam servus Dei, quod multi recitant Rosarium, Officium Virginis Mariæ, jejunant, & in peccatis vivere pergunt; sed qui orationem non intermittit, impossibile est, ut in Dei offensa vitam prosequatur ducere; aut enim orationem omittet, aut a peccatis cessabit. Sed si orationem non omittet, non solum peccata relinquet, sed a creaturis amorem suum removebit, & ad Deum convertet. *In meditatione mea exardescet ignis. Ps.* 48. 4. Oratio est fornax, ubi animæ accenduntur in divinum amorem.

218. Loquendo de loco, ubi oratio facienda sit, magis proprior est Ecclesia; sed illis qui illuc ire aut ibi morari nequeunt, quisque locus erit orationi aptus, sive sint domus, sive villæ. Etiam iter, & labor orationi non disconveniunt, cum etiam tunc possit mens in Deum elevari. Quot rusticulæ, cum eis nihil temporis nec loci supersit laborando, & iter agendo, suam faciunt orationem? Quærenti enim Deum in omni loco, & in omni tempore invenire ille se facit.

219. Quoad tempus, aptius erit tempus matutinum. Bonum non habebunt exitum, quæ in die fiunt, cum mane orationem suam quisque facere neglexit. Orationi proprie bis in die vacari deberet, mane, & vesperi; sed cum vespere commoditas non est, fiat saltem mane. Ajebat V. P. D. Carolus Carafa piorum Operariorum fundator, unum actum amoris cum animi fervore mane in oratione factum, sufficere ad retinendam animam in suo fervore per totum diem. Quoad autem tempus, quod in oratione insumendum erit, Parochus, aut Confessarius pro sua prudentia se dirigat. Certum est, ut ad perfectionis gratiam sublimem perveniatur; mediæ horæ spatium non esse sufficiens. Cæterum satis erit hoc tempus pro incipientibus; quos vero sedulo moneat, ne orationem omittant cum tempus desolationis advenerit. Observetur quod dictum est *n.* 125. Sed progrediamur ad modum practicum orationis, quem docere decet. Oratio tribus constat partibus, præparatione, meditatione, & conclusione. In præparatione tres continentur actus quibus se exercere debet, *fidei* nempe per præsentiam Dei, *humilitatis*, & *supplicationis* divini luminis. Dicendo 1. *Deus meus, credo te mihi esse præsentem, & in mei nihili abysso demersus majestatem tuam adoro.* 2. *Domine, propter peccata mea nunc ego in Inferno cruciandus essem; me pœnitet offendisse te, per pietatem tuam*

tuam mihi parce. 3. Pater æterne propter Jesum, & Mariam præbe mihi lucem tuam in hac oratione, ut ab ea fructum percipiam. Deinde dicatur semel salutatio Angelica Mariæ SS. ut ipsa hanc impetret lucem, & semel *Gloria Patri* S. Josepho, Angelo custodi, & S. Patrono. Hi actus fiant cum animi attentione, sed breviter, & statim progrediatur ad meditationem.

220. Circa meditationem, juvat illum qui legere scit, uti aliquo libro, sistendo ubi sentiat animum suum moveri. Ait S. Franciscus Salesius, in hac re debere nos apes imitari; quæ tandiu morantur super uno flore, usquedum totum mel extraxerint, & postea ad alium meant. Qui autem legere nescit, meditetur Novissima, Dei beneficia, & ante omnia vitam, & passionem Jesu Christi: hæc (ait S. Franciscus Salesius) nobis debet esse nostra meditatio ordinaria. Oh quam excellens liber est passio Christi animabus devotis? ibi melius quam in quolibet libro percipitur peccati malitia, & Dei amor erga hominem. Quædam imago Redemptoris semel quondam allocuta est Ven. Fr. Bernardum a Corlione, qui ab illa scire petiit, an vellet, ut ipse legere disceret? & Crucifixus respondit: *Quid tua legere refert? Quid tibi libri? Ego sum liber tuus, hic tibi sufficit.*

221. Oportet autem advertere orationis mentalis profectum non solum, nec tam consistere in meditatione, quam in affectibus faciendis, in supplicando, & in deliberandis agendis: & hi sunt tres meditationis fructus ut supra innui *n.* 123. Igitur postquam aliquam æternam veritatem quis meditaverit, & postquam Deus cor ejus allocutus fuerit, oportet, ut ipse suo corde Deum alloquatur, eliciendo affectus, ut sunt actus fidei, aut actionis gratiarum, adorationis, laudis, humilitatis, & præ ceteris amoris, & contritionis, qui etiam est actus amoris. Amor est illa catena aurea, quæ astringit animam cum Deo. Quilibet actus amoris est thesaurus: per quem certi efficimur de Dei amicitia: *Infinitus est thesaurus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Sap.* 7. 14. *Ego diligentes me diligo. Prov.* 8. 17. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo. Jo.* 14. 21. *Charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Pet.* 4. 8. Observetur id quod in Opere morali dictum est circa hoc *l.* 6. *n.* 442. Ven. sorori Mariæ Crucifixæ visa fuit ingens quædam flamma, in quam, cum projectæ fuissent quædam paleæ, statim visæ fuerunt consumi: & hac visione ei ostensum fuit, quod per unum actum amoris auferuntur, atque consumuntur in anima omnes culpæ commissæ. Accedit id, quod docet S. Thomas, nempe, quemlibet actum amoris mereri unum gradum gloriæ æternæ. *Quilibet actus charitatis meretur vitam æternam.* Actus autem charitatis sunt dicere: *Deus meus, super omnia te æstimo. Te diligo ex toto corde. Cupio te ab omnibus diligi.* Aut se totum divinæ voluntati committere, dicendo; *Domine, fac, ut cognoscam quod tibi de me placet fieri, nam promptus sum totum exequi.* Aut se ita offerat Deo, quin sibi aliquid reservet, dicendo: *Ecce me, & de me, & de iis, quæ ad me pertinent, dispone pro tua voluntate.* Et hi actus oblationis sunt actus amoris, qui valde sunt Deo cordi, propterea S. Theresia quinquagies quolibet die se Deo offerebat. Sed inter alios præstantius erit dicere: *Gaudeo Deus meus, quod es qui es; quod es summum bonum nullius indigens &c.* Cum autem anima cognosceret se supernaturali sive infusa recollectione elevatam (ut explicatum est *n.* 133.) tunc non debet ipsa niti ad aliud actus faciendos, præter illos, ad quos sentit se a Deo suaviter trahi; cum debeat tunc animo amabiliter intento attendere ad id quod Deus in se operatur. Alioquin obstaculo posset esse divinæ operationi. Insuper notetur, ut advertit S. Franciscus Salesius, quod si unquam Spiritus Sancti afflatu mens nostra ad aliquem bonum affectum ante considerationem concitata fuerit, tunc, posthabita consideratione, locus dandus est affectibus, nam consideratio ad id deservit, ut affectus concitentur: quare, obtento fine, medium derelinquendum est.

222. Item summopere juvat petitiones in oratione repetere, cum humilitate, & fiducia exposcendo a Deo suum ipsius lumen, peccatorum remissionem, perseverantiam, bonam mortem, paradisum, & in primis donum sui sancti amoris. Hortabatur S. Franciscus Salesius inter cæteras gratias postulandam esse cum animi vehementiori fervore divini amoris gratiam, quia (ajebat) obtento amore, omnes reliquæ gratiæ obtinentur. Igitur sufficiens erit animæ, si propter spiritus desolationem in qua repetitur, aliud facere non posset, sufficiens (dico) ei erit, ut repetat hanc Davidis petitionem: *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, adjuva me, festina mihi auxiliari.* Dicebat Ven. P. Paulus Segneri experientia didicisse, nullum aliud exercitium esse animabus utilius in meditatione, quam iterum, atque iterum petere, in nomine sive per merita Jesu Christi, qui nobis illam magnam jucundamque promissionem fecit, ut superius dictum est: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

223. Item expedit, ut in oratione, saltem in ipsius fine, aliquid deliberare, non solum in genere, ut evitare omnem culpam deliberatam etiam levem, & se totum Deo committere; sed etiam in particulari, ut est accuratius evitare aliquem defectum, in quem sæpius offendit, aut vigilantius attendere ad aliquam virtutem, circa quam frequentiores habet occasiones se exercendi, ut tolerandi alicujus molestias, tali superiori, aut tali regulæ diligentius obediendi, & majus studium adhibendi, ut in tali & tali re desideria sua cohibeat; & ab oratione non discedendum, nisi aliquid in particulari deliberatum sit.

224. Demum conclusio orationis tribus actibus terminatur. 1. Gratiæ Deo agantur de omnibus illustrationibus quæ in meditatione acceptæ sunt. 2. Proponatur omnes deliberationes factas fideliter observare. 3. Oretur æternus Pater, ut propter Jesum, & Mariam auxilium suum præbeat, ad fideliter exequendum quod ei sponsum est. Et in fine orans commendet Deo animas Purgatoriis, Prælatos Ecclesiæ, peccatores, & omnes sibi conjunctos, amicos, benefactores, recitando semel *Pater*, & *Ave*, quæ sunt omnium precum, quas a Christo, & Ecclesia docti sumus utilissimæ.

225. Antequam tamen ab oratione exeatur, oportet (ut ait S. Franciscus Salesius) colligere fasciculos florum, ut totum diem illi olfiant, nimirum seligere præ ceteris unam, vel alteram rem, in qua anima magis moveri sensit, ut reliquum diei illam re-

recogitet. 2. Oportet operam dare, ut statim executioni mandet deliberationes factas, tam in parvi, quam magni momenti occasionibus, quæ nobis occurrent, ex. gr. superet cum mansuetudine molestias, quæ sibi inferuntur ab aliquo in se ira succenso; aut ut se mortificet in visu, auditu, in loquendo. Et præcipue refert, ut cum silentio quantum possibile est conservet illos animi pios motus affectuum, quos in oratione Deus ei communicavit, alioquin si statim ad actiones externas, & ad inutiles sermones divertet, illico fervor ille devotionis in oratione conceptus, tepescet, & irritur reddetur.

226. Præ ceteris denique director suum pœnitentem sedulo admoneat, ne orationem intermittat, neque ab illa aliquid temporis detrahat, præcipue in ariditatis tempore, & nunquam turbetur, licet nimis, & diu cognoscet animam in ariditate positam, ac omni devotionis fervore carentem. Quot aulici, ajebat S. Franciscus Salesius, eunt suum Principem honoratum, & contenti sunt, si duntaxat ab eo aspecti sunt? Ad orationem nos pergimus, ut obsequium præstemus Deo, & ei obsecundemus; si ipsi lubet nos alloqui, & suis consolationibus nobis favere, de tanta gratia ei rependamus; sin minus, sufficiens erit nobis suæ divinæ præsentiæ adesse æquo animo, eum adorando, & nostras necessitates ei exponendo; & si tunc Dominus vobiscum non loquetur, utique acceptabit nostram attentionem, & nostram fidelitatem, & pro nostra in eum fiducia nostras petiones exaudiet.

CAPITULUM VIII. ET ULTIMUM.

227. Non adest charitatis opus magis Deo acceptum, magisque ad animarum salutem conducens, quam in extremo vitæ periculo positos ad sancte moriendum adjuvare; nam tempore mortis (a qua uniuscujusque æterna vita pendet) inferni vires fortiores sunt, infirmorum vero debiliores. Deus, ut manifestaret quantum gratam habeat assistentiam moribundis præstitam, multoties S. Philippo Nerio ostendit angelos Religiosis infirmorum ministris verba suppeditantes.

228. Nec id Parochorum tantum munus est, ad quos animarum cura ex officio pertinet, sed omnium etiam Sacerdotum. De Parochis tamen Ritualis Romanus præsertim loquens, ait præcipuam sui muneris partem esse ægrotantium curam habere: quapropter vult, ut ipsi, statim ac aliquem ex suis parochianis ægrotare intelligunt, non exspectent, ut infirmus Parochum accerset, sed ipse Parochus ultro eum invisere curet; idque non semel tantum, sed frequentius, si infirmum etiam spiritu ægrotare advertit. Quod si legitime sit impeditus, id saltem præstandum providebit per alium Sacerdotem, modo hic sit pius, & prudens: quidam enim Sacerdotes, hoc munus exercendo, magis quam utilitati, damno esse solent, tam infirmis, quam sibi, & infirmorum domesticis, quorum profectum Sacerdos assistens etiam respicere debet. Monet insuper Ritualis, quod si Sacerdos forte deesset, id Parochus præstandum curabit saltem per aliquem laicum pium & christiana charitate præditum, qui sanctis verbis infirmo præsto sit.

§. I. *Monita ad Sacerdotem assistentem.*

229. I. Sacerdos clam procuret a medico scire, an infirmitas sit mortalis. Dico *clam*, quia detestabilis usus medicorum est, ægrotos decipere, ne eos & propinquos contristent, pœne ac si infirmis obligationem intimare confessionis (quam, cognito periculo, illis imponere debent), idem sic ac mortem denunciare.

230. II. A conjunctis, amicis, nec non ab ipsomet ægroto, ejus naturam, indolem, & defectus perquirat: item quibus indulserit passionibus, & præsertim si ad aliquam bonorum aut famæ restitutionem teneatur: si odium aut pravam habuerit amicitiam, ut omnibus opportunum præbere possit remedium. Caveat memorare infirmo personas odio habitas, aut impure dilectas, si ad hoc ex necessitate non obstringatur. Vulneratos, postquam quicquid ad remissionem pertinet provisum fuerit, ne interroget quis illos, qua de causa, vel quomodo læserit; & si infirmus de hoc loquitur, sermonem ad aliud divertere curet. Et ita etiam, si necessitas non urgeat, nec de litibus, filiis, bonis, aliisque rebus impertinentibus verbum quidem faciat.

231. III. Post igitur quam morbum periculosum esse deprehenderit, in primis non alloquatur infirmum de confessione, sed tantum eum de infirmitate, doloribus, & quomodo valeat benigne interroget. Hortetur inde, ut se Dei voluntati conformet, utque suas cum Christo in cruce languenti pœnas conjungat, necnon ut eas pro peccatorum satisfactione patienter ferat. Et sic paulatim, qua par est prudentia, illum, tempus a quo confessus sit interrogando, ad confessionem inducat. Moneat, ut omnem suam spem in Deo ponat, qui potens est ipsum in pristinam si velit reducere sanitatem. At eodem tempore sensim efficiat, ut ægrotus suæ infirmitatis periculum agnoscat. Præsertim advertat, ne ille omnino fidem præbeat medicis, & propinquis, qui forte morbi gravitatem ei celabunt, ne ipsum mœrore afficiant. Dicat, sapientis esse prævidere futura. Hortetur, quod dum mens valet, confessionem suscipiat, quæ corporis salutis (si animæ expedierit) etiam proderit. Refert Belluacensis de quodam moribundo, quod statim ac ipse sua confessus fuit peccata, e strato incolumis surrexit. Pariter Cantipratensis enarrat, quod quidam eques, ubi multæ non profuerunt medicinæ, confessionis virtute statim convaluit.

232. Si tamen ægrotus dilationem quærit, & periculum mortis, lethargi, vel delirii imminens non est, poterit ei indulgere. Curet tamen, ut ille determinet tempus, puta vesperarum, vel diem crastinum, confessioni explendæ. Si tamen periculum imminens est, ipsum cum D. Augustino moneat, quod Deus non promisit peccatores exspectare, sed tantum parcere eis si pœniteant: *Crastinum non promisit, fortasse dabit, fortasse non dabit.* Quod si adhuc infirmus nec etiam per hæc monita ad confessionem adduci possit, Sacerdos nunquam eum deserat, sed quandoque terroris, quandoque fiduciæ argumentis curet ipsum expergiscere; & provideat, ut tam privatæ, quam publicæ pro hujus miseri salute preces ad Deum adhibeantur.

233. IV. Si morbus increbuerit, infirmum hortetur, ut de suis domesticis rebus opportune disponat;

id

id enim expedit pro familiæ pace, & eo magis si opus sit pro suæ conscientiæ levamine. In hoc tamen Sacerdos sedulo caveat, ne ipse in aliquam lucri notam incidat. Si autem ægrotus fratres vel sorores indigentes habeat, moneat ipsum sub gravi obligatione teneri illis bona sua relinquere, saltem quod ad eorum necessitatem sublevandam sufficit. Hæc tamen gravis obligatio non videtur urgere pro remotioribus propinquis. Observa quod dictum est in Opere *Tom. I. lib.* 3. *num.* 946. Si vero ægrotus vult pro sua anima aliquod testari, ipsum moneat, ne onus illud hæredibus imponat; quia experientia docet, legatos pios pæne nullos satisfieri; sed potius hortetur, ut aliquod corpus relinquat, aut pecuniæ summam, ad Sacrificia, aut aliam piam operam persolvendam. Caveat Sacerdos, ne consulat infirmis quicquid aliis præjudicio esse potest, cum Christi Ministros non deceat aliorum odium sibi commovere.

234. V. Cum rudibus, dum actus christianos eis suggerit, Italico, imo vernaculo semper loquatur sermone. Cum Litteratis contra comioribus verbis, & aliquoties etiam latinis ex Scripturis excerptis, sed brevibus sententiolis utatur. Monet tamen Rituale, ne Sacerdos nimis loquendo, & crebris sententiis, ut aliqui solent, infirmo potius caput obtundet, quam adjuvet. Pater Recupitus e Soc. Jesu de seipso refert, morti proximum quicquid ei dicebatur, non intellexisse, sed tantum quoddam molestum murmur, ita ut, ne magis caput læderent, coactus rogaverit, ut aliquam verbis moram interponerent.

235. VI. Præter parvas Christi Domini crucifixi, Beatæque Virginis Imagines, quas juxta infirmum apponi curaverit, si fieri potest, etiam ob oculos ejus collocare faciat Imagines Deiparæ & Redemptoris majoris molis, ut sic ægrotus, quocunque se vertat, eas cernere possit, & illis se commendare.

236. VII. Curæ ei etiam sit, ut ab infirmi cubiculo periculosa objecta removeantur, veluti arma, imagines parum honestæ, & præsertim personæ, quæ aliquo modo occasionem peccati præbere possunt; & istæ non solum a cubiculo, sed a tota domo expelli debent. Et dum infirmus agoniæ proximus videtur esse, Sacerdos omnes ab ejus cubiculo depellat, præter unum aut duos tantum, qui ipsi dum oportet præsto sint. Ceterum, omnino prohibeat in ægroti cubile propinquos ingredi, ne alicui passioni causam præbeant.

§. II. *Remedia adversus tentationes.*

237. Præcipua contra tentationes remedia sunt Jesu ac Mariæ SS. nomina sæpius invocare, & crucis signaculo se munire. Pro aliquibus tamen specialibus dæmonis insidiis quædam hic adnotare expedit.

238. Et I. *Adversus fidei tentationes.* Ab hac terribili tentatione præsertim agitantur, qui cum perditam egerint vitam, sibi suoque judicio nimis adhæserunt; præcipue si viri eruditi fuerint. Hic sedulo advertendum, quod si dæmon aliquod eis circa fidem dubium aut subtilitatem suggerat, statim constanti animo tantum generatim respondeant: *Ego credo quod S. Mater Ecclesia credit, quæ veritatem credit & confitetur.* Horteturque Sacerdos infirmum, ut maximas Deo gratias agat, quod ipsum in Ecclesiæ sinum ab incunabulis accipere dignatus sit; ideoque in ipsa fide usque ad extremum vitæ perseverare velle profiteatur. Præcipuus tamen modus, & utilior ad hujusmodi tentationes repellendas erit mentem alio divertere, aliosque varios elicere actus, nempe contritionis, spei, charitatis erga Deum, & similia. Cujusdam Doctoris Bellarminus refert, quod hic dum in morte cum dæmone disserere de quodam fidei articulo voluerit, deceptus succubuit, & mortuus est.

239. Si tentatio tamen pergit vexare, ostendat infirmo quod nostræ fidei (per se sanctæ, & intemeratæ, a pauperibus piscatoribus per totum orbem diffusæ, tot miraculis, ac tot millium martyrum sanguine, qui vitam suam pro ipsa immolaverunt, confirmatæ) argumenta luce clariora sunt, & manifeste illam veram esse patefaciunt, licet res, quas ipsa docet, nunc per speculum in ænigmate videamus; nam si mysteria de quibus nos instituit essent evidentia, ubi esset meritum fidei? quæ ideo fides dicitur, quia res, quas docet, obscuræ sunt & non apparentes. Hinc dictum fuit: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Jo. 20. 29.

240. II. Adversus tentationem *desperationis.* Hæc est præcipua tentatio, qua infernus vehementius ægrotos impetit; unde illis de divina justitia, de damnatorum pœnis loqui, eorumque patrata scelera exaggerare, Sacerdos caveat; sed potius ipsis; fiduciæ in misericordia Dei, Salvatoris passione, divinis promissis, & Dei Matris intercessione argumenta insinuentur.

241. Primum igitur nostræ spei motivum est divina misericordia, dum Deus vocatur, & vere est pater misericordiarum (2. *Cor.* 17.). Ipse occurrit etiam non quærentibus se: *Invenerunt, qui non quæsierunt me. Isaiæ* 65. 1. Magis Deus cupit nos salvos facere, quam nos salutem optamus: quare ipse merito de illis queritur, quos etiam fugientes amplexari desiderat, ut ait D. Bernardus: *Amplecti quærit, a quibus desertum esse se queritur.* Ipse est totus pronus ad ignoscendum: *Multus ad ignoscendum. Is.* 55. 7. Protestatur nolle mortem peccatoris: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur, & vivat. Ezech.* 31. 21. Inquit quod cum peccator sua detestatur peccata, ipse eorum memoriam amittit: *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Ezech.* 18. 21. Post hæc divina testimonia, quis unquam de Dei misericordia diffidere poterit? Unus tantum pœnitentiæ actus ad innumerabilia peccata delenda sufficit. Publicanus, vix ingemendo dixit: *Propitius esto mihi peccatori*, & justificatus est. Prodigus filius, statim ac ad patris pedes rediit, pater eum amplexus est. David, ut dixit, *peccavi*, Natan ei respondit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, 2. *Reg.* 12. 13.

242. Secundum motivum, est passio Jesu Christi, qui non ad aliud quam ad peccatorum salutem in terram descendisse protestatur: *Non veni vocare justos, sed peccatores, Matth.* 9. 13. Profitetur etiam nullum a se abire pati: *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. Jo.* 6. 37. Et apud *Matthæum* 18. 12. inquit, quod ipse est bonus ille Pastor, qui dispersas oves quærit, & si quam repetit, exultat, eam amplectitur, suisque humeris imponit: & videtur deinde hanc majori diligere affectu, prout se gessit cum S. Maria Ægyptiaca, B. Angela a Fuligno, S. Margarita a Cortona, aliisque pœnitentibus. Qui igitur rectam habet voluntatem, timere non debet damna-

mnari a Domino, qui ne damnaret nos, seipsum ad mortem crucis damnare non dubitavit.

243. Tertium motivum, sunt divina promissa. Multis in locis Evangelii petentibus divina promittitur gratia: *Petite, & accipietis. Jo.* 16. 24. *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Jo.* 16. 23. Et hic non solum de justis, sed etiam de peccatoribus sermo fit, juxta textum Matthæi. *Omnis qui petit, accipit, Matth.* 7. 8. Satis igitur est gratias a Deo petere ad salutem, ut certe obtineantur: *Bonus est Dominus animæ quærenti illum. Thr.* 3. 25.

244. Quartum motivum, est Sanctorum intercessio, & præsertim Deiparæ, quam vult Deus, ut nos cum tota Ecclesia salutemus nostrum refugium, vitam, & spem nostram, ac dicamus: *Refugium peccatorum, ora pro nobis: vita, spes nostra salve.* Unde merito ipsa B. Virgo appellatur a Blorio, *Spes desperantium*, & a S. Ephrem, *Adjutrix destitutorum.* Eadem Dei mater B. Birgittæ revelavit, quod sicut aliqua mater, videns filium inter enses suorum hostium versantem, animosa in tutelam suam illum suscipit; ita ipsa curat devotos suos tutari, dum a dæmonibus vexantur, eique se commendant. Insuper dixit, quod cum accedit apud eam peccator, ipsa non ejus merita discutit, sed cum quali intentione veniat, attendit. Et Deus ipse B. Catharinæ Senensi revelavit, Mariæ suæ filiæ concessisse, quod quivis peccator ad eam recurrens, nullo modo possit a dæmone rapi.

245. III. Adversus tentationem *vanæ gloriæ.* D. Bernardus ait, quod vanagloria est quædam sagitta, quæ *leviter penetrat, sed non leviter vulnerat:* præsertim si persona timoratæ sint conscientiæ. Si igitur Sacerdos unquam adverteret moribundum nimis se reputare securum de sua salute, quia nimis suis operibus fidit; ei dicat quod peccata solummodo nostra sunt, omnia autem bona a Deo recepimus, ex illo: *Quid habes quod non accepisti? 1. Cor.* 4. 7. Et cum certum sit nullum suæ salutis æternæ, divinæque gratiæ infallibilem certitudinem habere posse (*Nescit homo, utrum amore, an odio dignus, sit, Eccles.* 9. 1); ideo quisque semper pavere debet, & cum metu, & tremore salutem suam operari, ut ait Apostolus *Philipp.* 2. 12.

246. IV. Adversus tentationem *impatientiæ.* Si infirmus ex morbi cruciatibus impatientia afficitur, huic ostendatur, quanta Martyres pro Christi nomine tormenta sint passi, vivi excoriati, adusti, trucidati. Et præsertim ei ob oculos ponantur omnia quæ innocens Jesus propter nostrum amorem est perpessus. Dicatur ægroto, quod infirmitatis dolores vitari nequeunt; unde si ipse invitus eos patitur, male nunc, & in altera vita se habebit; si autem libenti animo pro Deo acceptet, non solum hic a morbi pœna levabitur, sed ibi minus purgatorii tormenta luet, magisque postea in cælo remunerabitur: *Tristitia vestra vertetur in gaudium. Joann.* 16. Moneatur, quod extremæ vitæ cruciatus nostram complent æternam coronam, quoniam (ut S. Bonav. dicit) pœnas patienter tolerare, aliis cunctis operibus perfectius opus est, juxta illud Jacob: *Patientia opus perfectum habet. Jac.* 1. 4. Et ita Deus suos in hac vita amicos tractat, dum crux est nostræ prædestinationis securius signum. B. Clara per 28. annos doloribus vexata vitam duxit. S. Lidovina per 38. annos semper infirmitatum pondus toleravit. Et divina Mater quodam die B. Birgittæ ægrotanti sic dixit: *Scis quare tua infirmitas tam in longum abiit? abiit, quia te Filius meus & ego nimis diligimus.* Nos miseros viatores inter hujus sæculi ærumnas Apostolus valde consolatur dicendo: *Momentaneum & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor.* 4. Et alibi: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Rom.* 8. 18.

247. Et sic infirmo sedulo oportet suadere, ut Dei voluntati conformetur, non solum si dolores patitur, sed etiam si medici errant, aut assistentes ipsius curam negligunt. Hinc crebro moneat illum, ut a Deo patientiam expostulet.

248. V. Iis qui ægre ferunt mori tam immature, ob oculos ponantur præsentis vitæ miseriæ, infirmitates, animi angores, nec non peccandi & damnationis pericula. Ideo sancti viri tam avide mortem exoptabant. S. Theresia ajebat. *Heu mihi, quia in omnis vitæ meæ momento Deum amittere possum;* unde quoties horologium sonabat, toties valde gratulabatur, eo quod jam hora hujus periculi transacta esset. Martyres sancti hilares ad patibula procedebant, ut citius hoc periculum effugerent, & Deo fruerentur. Hinc dicitur in Apocalypsi (14. 13.): *Beati mortui, qui in Domino moriuntur ... ut requiescant a laboribus suis.* In hac lacrimarum valle viatores sumus: *Non habemus hic manentem civitatem. Hebr.* 13. 24. Unusquisque aut Rex, aut Pontifex mortem subire debet.

249. Hortetur infirmum, ut Deo gratias agat quod non permiserit mori tempore quo erat in peccato; & quod tunc ipsum Sacramentis munitum discedere disponat. Dicat, saltem mortem libenti animo excipiendam esse, quia evadimus tot leves culpas, a quibus in hac vita immunes esse non possumus.

250. Dicat ægroto: *Frater mi, oportet; ut te conformes voluntati Dei, qui omnia disponit propter nostrum bonum. Quis scit, an si amplius viveres, animam perderes?* Sed dicet infirmus: *Ego vivere optarem, ad aliquam Deo de culpis meis satisfactionem præbendam, & aliquid boni ante mortem peragendum, dum usque adhuc nihil egi.* Respondeat Sacerdos: *Fili, nulla pœnitentia est Deo magis accepta, quam mortem in peccatorum expiationem libenter acceptare; nullusque actus perfectior est, quam mortem accipere ad voluntatem Dei exequendam.*

251. VI. Adversus tentationem *adhæsionis* bonis, & propinquis. Eis quibus mori displicet, quia nimis adhærent bonis, dicat Confessarius, hæc non esse vera bona, cum sit transeuntia, & de brevi defectura, & si non deficiunt, potius animum angunt, quam solantur.

252. Si autem affligitur infirmus propter uxorem, filios, aut nepotes dilectos, quos relinquit, blande sic hortetur: *Fili mi, statutum est omnibus mori, omnes te ordine sequentur; nunc tuæ saluti consule, & animam tuam salva, & sic pro ipsis in cælo orabis, unaque cum ipsis eris aliquando beatus in æternum. Sed nunc quid dulcius, quam proficisci ad manendum cum Jesu Christo, cum Regina cæli, & omnibus Sanctis!*

253. Si autem angitur, quia conjunctos suos relinquit inopes, ei dicat: *Audi fili, si tu æternam*

sa-

salutem assequeris, multo melius de cælo, quam de terra tuis opem ferre poteris. Sed ne dubites, quia Deus, qui volatilia pascit, non omittet eis providere. Si tu illos amas, Deus plus te diligit.

VII. Adversus tentationem *odii*, & *vindictæ*. Si quis propter aliquam acceptam offensam odio tenetur, 1. ipsi intimetur divinum præceptum: *Diligite inimicos vestros*. 2. Dicatur ei quod qui non dimittit, nec veniam sperare potest a Deo, qui dicit, *Foris canes*, *Apocal.* 22. 15. Canes (vindicum symbolum) repelluntur a cælo. E converso Deus veniam certam promittit illi peccatori, qui veniam dat offensori suo, ex illo: *Dimittite, & dimittemini*. *Luc.* 37. 3. Subdat, quod si inimicus injuste læserit ipsum, quanto injustius ipse Deum? Quamobrem, si ipse petit a Deo ut sibi ignoscat, quanto magis proximo ipse ignoscere debet? *Sicut Dominus donavit vobis, ita & vos*. *Col.* 3. 13. Ultimo ostendat eidem, quam gratam rem Deo exhibet, qui injurias dimittit. S. Joannes Gualbertus, postquam fratricidæ pepercit, Ecclesiam ingrediens, imaginemque Crucifixi salutans, vidit Redemptorem erga se caput inclinasse, ac si propter veniam datam ipsi gratias ageret. Sanctus Jacobus ante mortem amplexatus est eum qui se accusavit. Sanctus Stephanus oravit pro eis qui eum lapidabant. Sanctus Aloysius Galliæ Rex apud se cœnare feci qui sibi mortem fuerat molitus. Sanctus Ambrosius per multum tempus cuidam suo proditori alimenta subministravit. Et præcipue primum exemplum de hoc præstitit Dominus noster Jesus Christus, qui in cruce positus pro persecutoribus, & maledicentibus sibi valde Patrem exoravit.

§. III. *Varia motiva, & affectus ægrotis suggerendi.*

254. I. Motiva *fiduciæ*. De his supra (*in* §. II.) jam locuti sumus; illis possunt sequentes adjungi ex Scriptura; *Nullus speravit in Domino, & confusus est*. *Eccl.* 2. 11. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. 1. *Joan.* 2. Jesus Christus ad hoc mortem subiit, ut nobis veniam criminum obtineret. *Pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit*, *Rom.* 8. 32. Quomodo igitur Deus remissionem nobis negabit, qui nobis proprium dedit Filium?

255. Affectus fiduciæ: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Ps.* 26. 1.

In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.

Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

In te Domine speravi, non confundar in æternum.

O bone Jesu, intra vulnera tua absconde me.

Vulnera tua, merita mea. S. Bernardus.

Jesu mi, non negabis mihi veniam, qui vitam, & sanguinem mihi non negasti.

Passio Jesu, tu es spes mea. Merita Jesu, vos estis spes mea. Vulnera Jesu, vos estis spes mea. Mors Jesu, tu es spes mea.

Maria mater mea, salva me, miserere mei.

Spes nostra salve.

Sancta Maria mater Dei, ora me peccatore.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei genitrix.

256. II. Motiva & affectus *Contritionis*. Dicit S. Augustinus, quod quisque usque ad extremum vitæ non debet omittere peccata sua deplorare.

Non intres in judicium cum servo tuo. Ps. 142. *Jesu mi, & Judex meus, parce mihi, antequam venias ad me judicandum.*

Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Deus meus, oh nunquam te offendissem!

Domine mi, non debebas sic tractari a me, sicut impie feci.

Pater non sum dignus vocari filius tuus. Ego a te discessi, tuam despexi gratiam, ultro te amisi: toto corde me pœnitet, Deus meus, propter amorem & sanguinem Jesu Christi parce mihi.

Maledicta peccata mea, quæ Deo me privastis, ego vos detestor, abominor, & maledico.

Deus meus, quid mali fecisti, quod ipse tam offendi te? Propter Jesum Filium tuum miserere mei.

Nunquam Domine te offendam quoadusque vivam; aut parum, aut multum mihi supersit, volo te amare.

Offero tibi in satisfactionem contumeliarum, quas tibi irrogavi, mortem meam, & dolores, quos usque ad mortem perferam.

Domine, merito me punis; nimis te offendi. Sed quæso, in hac, non in alia vita, me castiga.

O Maria, impetra mihi dolorem culparum mearum, remissionem, & perseverantiam.

257. III. Motiva & affectus *amoris*. *Deus meus, qui es bonitas infinita, super omnia te diligo, amo te plusquam me, amo te ex toto corde. Deus meus, non sum dignus te amare, quia nimis te offendi, sed propter amorem Jesu fac me dignum.*

Oh utinam & omnes te diligerent!

Jesu dulcissime, cupio pati & mori pro te, qui propter me pati, & mori dignatus es.

Domine castiga me uti vis, sed ne me prives te amare.

Deus meus salva me; salus mea est amare te.

Opto Paradisum, ut in æternum, & ex totis viribus meis te diligam.

Deus meus, ne me dejicias in infernum ut mereo: ibi tu odio mihi habendus esses, sed animus mihi non suppetit te odio habere. Et quid mali, Domine mi, fecisti mihi, ut tu odio mihi habendus esses: fac, ut te amem, & mitte me quo vis.

Volo pati, quantum tibi placet, volo mori, ut tibi placeam. Devince me tecum, Jesu mi, ne permittas me unquam separari a te.

Deus meus, fac, ut sim totus tuus, antequam moriar.

Quando erit, ut dicere possim: Deus meus, non possum amplius amittere te.

Oh Deus meus, amare te vellem, quantum tu mereris.

O Maria, trahe me totum ad Deum.

Mater mea, ego multum te diligo; volo venire ad Cælum, ad te amandum in æternum.

258. IV. Motiva, & affectus *conformitatis*. Omne nostrum bonum, & vita consistit in eo, ut conformemur Dei voluntati, juxta illud: *Vita in voluntate ejus*. *Ps.* 29. Deus quidem vult quæ nobis sunt meliori bono. S. Gertrudi cum Jesus apparuisset, mortem & vitam offerens, respondit ipsa: *Domine, quod tu vis & ego volo*. Pariter S. Catharina Senensis, cum Jesus se illi præbuerit, offerens duplicem coronam, unam gemmarum, spinarum alteram,

sam, ut ipsa eligeret, ipsa respondit: *ego eligo, quæ tibi placet.*

259. Affectus: *Eja N. si Deus te vocat ad aliam vitam, contentus es? Es contentus. Dic igitur semper: Domine, ecce me, fac de me, quid tibi placet. Semper fiat voluntas tua; volo tantum, quod tu vis. Volo pati, quantum tu vis. Volo mori quando tu vis.*

In manus tuas commendo animam, & corpus meum, vitam, & mortem.

Benedicam Dominum in omni tempore; aut me consolaris, aut me crucias, Deus meus, ego te amo, & semper te amare volo.

Deus meus, cum morte Jesu mortem meam conjungo, & sic eam tibi offero.

O voluntas Dei, tu es amor meus.

O beneplacitum Dei mei, me tibi totum in holocaustum trado.

260. V. Motiva, & affectus *desiderii* erga Paradisum. *Motiva.* Refert Blosius plures revelationes, ex quibus habetur, quod in Purgatorio illi, qui tepide Cælum optavere, excruciantur peculiari pœna, appellata a Doctoribus Mysticis pœna *Desiderii*, aut *Languoris.* Præsens vita est pœnarum carcer, in quo Deum videre non possumus; unde merito rogabat David: *Educ de custodia animam meam, Ps.* 141. & S. Augustinus clamabat: *Eja Domine moriar, ut te videam.* S. Hieronymus appellabat mortem, sororem suam, eique dicebat: *Aperi mihi, soror mea.* Et quidem recte, nam mors est illa quæ Paradisi januas nobis reserat. Et ideo pariter S. Carolus Borromæus, videns mortis effigiem cum falce in manu depictam, pictori præcepit, ut falcem deleret, & ejus vice clavem auream tanquam Cæli clavem depingeret. Expedit igitur, ut Sacerdos sæpius alloquatur Moribundos de cælestis patriæ bonis, in mentem eis revocans quod Apostolus ait: *Nec oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* 1. Cor. 2.

261. *Affectus. Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei? Ps.* 41. Quandone erit, Deus meus, quod tuam infinitam pulchritudinem videbo, & facie ad faciem te diligam?

In Cælo semper te amabo, tu semper me amabis; ad invicem igitur in æternum nos amavimus, Deus meus, amor meus, & omnia.

Jesu mi, quando osculabor vulnera, quæ pro me sustulisti?

O Maria, quandonam erit, ut me videam ad pedes illius matris, quæ tantum me amavit, & auxiliata est?

Eja ergo Advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte, & Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.

262. VI. *Affectus, qui infirmo suggeri possunt dum Crucifixum deosculatur.*

Dulcissime Jesu, ne respicias quid ego in te, sed quid tu pro me fecisti.

Recordare quod sum una ex ovibus tuis, pro qua mortuus es.

Libenter pro te, qui pro me passus es, Jesu mi moriar.

Accepto, Jesu mi, consumi pro te, qui totus consumi voluisti pro me.

Domine, majora tu pro me, quam ego pro te patior: tu innocens, ego peccator.

Deosculare, frater mi (*dicet Sacerdos infirmo*) pedes illos, qui tam ad te perditam ovem quærendam & salvandam laboraberunt. Dic quæso; Amabilissime Redemptor, amplector pedes tuos, ut Magdalena amplexa fuit, fac ut audiam mihi pepercisse, ut illa audivit.

Deus meus, mihi propter amorem Jesu Christi parce, & fac, ut bene moriar.

Pater æterne, tu mihi Filium tuum tradidisti, me ego tibi trado.

Jesu mi multum tibi ingratus fui, miserere mei. Multoties infernum merui; non in alia, sed in hac vita me puni.

Si me fugientem quæsivisti, me te quærentem ne derelinquas.

Jesu dulcissime, ne permittas me separari a te.

Quis me separabit a charitate Christi?

Domine Jesu Christe, per illam amaritudinem, quam sustinuit nobilissima anima tua, quando egressa est de benedicto corpore tuo, miserere animæ meæ peccatrici in egressu de corpore meo. Amen.

Jesu mi, tu propter amorem meum mortuus es: ego propter amorem tuum mori volo.

263. VII. *Affectus qui suggeri possunt Sacerdotibus, & Religiosis infirmis.*

In pace in idipsum dormiam, & requiescam.

Deus meus & omnia. O me beatum, si omnia amittam, ut acquiram te meum summum bonum.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Ne projicias me a facie tua.

Jesu dulcissime, ne permittas me separari a te.

Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. *Ita dicebat Sanctus Franciscus.*

Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

In te Domine speravi, non confundar in æternum.

Diligam te, Domine, fortitudo mea.

Eja moriar, Domine, ut te videam.

Quid mihi est in Cælo; & a te quid volui super terram?

Deus cordis mei, & pax mea in æternum.

Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo?

Pater, peccavi, non sum dignus vocari filius tuus.

Averte faciem tuam a peccatis meis.

Tuus sum ego salvum me fac.

Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Quis nos separabit a charitate Christi?

Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis. *S. Ignatius Loyola.*

Dilectus meus mihi, & ego illi.

Misericordias Domini in æternum cantabo.

Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, &c.

Vita, dulcedo, spes nostra salve.

Refugium peccatorum, ora pro nobis.

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

O salus te invocantium! *S. Bonav.*

§. IV. *Monita circa ultima Sacramenta, & modum quo utiliter recipi possunt.*

I. *Circa Confessionem.*

264. Jam supra in Praxi monitum est (vide nostram Moralem *l.* 6. *n.* 260. & 484. *ad n.* 2.) quod dum periculum mortis instat, aut forsan Viaticum delatum est, & longa esset Confessio, tunc infirmus non tenetur omnia & singula peccata confiteri. Hic amplius animadvertenda sequentia, nimirum. 1. Quisque Sacerdos in mortis non solum articulo, sed etiam periculo (ut *Trid. sess. c.* 7. declaravit) censuris & casibus reservatis districtos potest absolvere (*l.* 6. *n.* 561.) Advertendum tamen est, quod circa censuras reservatas tenetur Confessarius facultate carens, infirmo imponere, ut elapso mortis periculo, se præsentet Superiori, secus in censuras reincidet, *n.* 563. *v. Secus*. 2. Simplex Sacerdos absolvere non potest, præsente Confessario approbato; secus tamen, si Confessarius approbatus veniat jam incepta Confessione; secus etiam, si approbatus sit complex personæ infirmæ in peccato turpi, uti decrevit Summ. Pontif. Benedictus XIV. (*loc. cit. n.* 555.) 3. Moribundus sensibus destitutus recte potest absolvi, saltem sub conditione (quod securius est) dummodo constet infirmum absolutionem desiderasse, pœnitentiæ signum præbens, aut si Confessionem quæsierit; *n.* 471. & id intelligitur, etiamsi moribundus in actu peccati sensus amiserit, *l. c.* ex D. Augustini auctoritate, & ratione; quia ex una parte conditio Sacramenti irreverentiam removet, & ex alia semper in tali casu quemque velle suæ saluti consulere judicatur, & sensibile aliquod signum ostendere, licet morbi causa signum non bene intelligatur. 4. Si infirmus post tertium diem, licet de periculo monitus, nec tamen confiteri vellet, optimum erit si Sacerdos medicum monefaciat, ut juxta S. Pii V. Bullam, eum non amplius invisere eat. Si tamen infirmus in sua adhuc maneat pervicacia, tunc Medico curam denuo suscipere licebit; vide *l.* 6. *n.* 664.

II. *Circa Communionem.*

265. Sequentia adnotatur monita. I. Ut infirmo Viaticum ministrari possit necesse non est, ut omni vitæ spe destitutus sit, sed sufficit mortis periculum, *l.* 6. *n.* 284. II. Si vomitus periculum adsit, Viaticum dari non potest; licet præmittatur experientia cum particula non consecrata. *n.* 282. *v. In dubio* III. Pueris ratione pollentibus etiam rite Viaticum dari potest; necnon freneticis, dummodo sancte vixisse constet, aut paulo ante confessi sint, & periculum irreverentiæ non adsit: ideoque cum istis probabiliter licitum est experiri cum particula non consecrata. IV. Infirmis etiam in Parasceve, ut habetur ex S. Rituum Congregationis Decreto anno 1622. edito, Viaticum ministrare, non tantum licet, sed ad hoc Parochi tenentur.

266. V. Communis sententia tenet, quod in eadem infirmitate ægroto non jejuno pluries Viaticum dari potest; saltem si intersit sex vel octo dierum spatium; imo multi Doctores minus temporis intervalli exigunt, vide *n.* 284. & 285. Si tamen ægrotus mane ex sua devotione communicavit, non potest eo ipsomet die Viaticum dari, nisi tamen mortis periculum ex aliquo supervenienti morbo violento, nempe vulneris, veneni, casus & similis advenerit. Secus si ægrotus in infirmitate jam constitutus mane communicavit; vide rationem cit. n. 285. Dub. 3.

267. VI. Si tamen infirmus tantum confessus sit, & malum increbrescit, tunc Sacerdos eum, ut quanto citius Viaticum accipiat, sedulo disponat; ut sana mente, & majori fructu recipiat; ideoque desiderium recipiendi Viaticum in animum inducere curet, ut ita munitus dæmonis viribus majori nixu & gratia obstare possit, itaque Jesu Redemptori nostro magis se uniat; qui eum invisere cupit (dicat) ut suas possit in se gratias effundere, & ad cælestem patriam brevi perducere; sin autem, ut si expedierit, etiam corporis salutem impertiatur. S. Cyrillus Alexandr. ait, quod Sancta Eucharistia *etiam morbos depellit, & ægrotos sanat*. Et de suomet patre S. Gregor. Nazianz. refert, quod statim ac Communionem accepit, convaluit.

268. Sacerdos igitur sic infirmum alloquetur: Frater mi, licet tua sanitas non sit desperata, in periculo tamen est; ideoque optimum est, ut quanto citius potes, Viaticum accipias; nam Christus in pristinum te restituet sanum, si hoc tuæ æternæ saluti expedierit; si tamen mori debes, contra diabolum in tuum auxilium veniet, & tui itineris ad beatam patriam comes erit. Quid dicis? cupis ne Viaticum accipere? Quidem: Eja igitur præpara animam tuam ad amplectendum tuum Redemptorem, qui pro te mortuus est. Dic toto corde: Veni Jesu mi, veni amor meus, omne bonum meum, veni, ad te anima mea desiderat. *Quid mihi est in Cælo, & a te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea in æternum.*

269. Sacerdotis autem, cum Viaticum pervenerit, sit cura ab infirmi cubiculo parentes, uxorem nempe, sorores, filios, &c. qui passionis ei esse possunt, depellere. Tunc ei subjungat: S. Philippus Nerius, cum in suo cubiculo SS. Sacramentum viderit, exclamavit: *En amor meus, en amor meus*. Dic etiam, frater, dic: En amor meus: En hic est Filius Dei, qui pro tua salute descendit de Cælis homo factus est, pro te in crucem mortem subire voluit, & nunc te invisere in ipso tuo cubiculo venit. Bono sis animo, jam tibi peccata condonavit. Culparum tuarum jam te pœnituit, & adhuc pœnitet. Sed nunc diligis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; ita ne est? Eja ergo dic: Amo te, Deus meus, super omnia, & quia diligo te, me pœnitet peccasse: propter amorem tuum libenter moriar; jam tibi placet, mori cupio, ut videam te, & in æternum amem.

270. Dicat inde: Si igitur N. Jesum amas, parcis nunc amore sui omnibus, qui te in aliquo offenderunt: non est ita? petis ne etiam veniam, quibus injurias, & offensas irrogasti? Eja igitur converte faciem tuam ad Jesum, qui te amplecti cupit: dic toto corde; Domine, non sum dignus sed licet indignum te tanto munere fatearis, ad te tamen Dominus venire vult. Iterum igitur eum ardenter voca, veni Domine, veni amor meus, Deus meus, & omnia, veni; ad te sitit anima mea, & præter te nihil aliud cupit.

271. Communicato jam infirmo, ad gratiarum actionem illum adjuvet Sacerdos: Eja igitur frater, age nunc Domino gratias, qui ad te venire, tecum amplecti dignatus est. Sacramentum est, & vere dicitur, *futuræ gloriæ pignus*. Dominus tecum est quid amplius times? Exulta, frater, Deus tibi dare vult Paradisum, ideoque totum se tibi impertiri dignatus est; dic ergo: Dominus meus, amor meus, te amplector. Tibi gratias ago, te amo, & in æternum te amare spem habeo: me pœnitet te offendisse, & nunc quidquid mihi superest vitæ, in tuum amorem impendere firmiter propono.

272. Jesu mi, vitam meam in holocaustum libenter offero, si tibi placet eam mihi auferre. Fiat semper voluntas tua. Sanctam perseverantiam, amorem tuum mihi tantum concedere precor, ita ut amando te animam efflem, ut veniam ad te semper amandum in Cœlo. Tu me non deseres, ego non deseram te; ergo Deus animæ meæ, in æternum nos ad invicem diligemus.

III. *Circa Extremam Unctionem.*

273. Extrema Unctio, uti est ultimum Sacramentum, ita ex D. Thoma est vitæ spiritualis corona; ipsa homo munitus, ad cælestem patriam ingredi disponitur. Unde Sacramentum hoc dum ægrotus, mente pollet, ut ei magis prosit, opus est ut conferatur; quoniam, licet conferri non possit, nisi grave mortis periculum (saltem probabile) immineat (ut in nostra Moral. *l.* 6. *n.* 714. *Dub.* 4.); tamen ad ultimum vitæ discrimen prorsus differenda non est; *l. c. Adn.* 1. Unde ait Catechismus Romanus §. 9. graviter peccare Parochos illos, qui conferunt Extremam Unctionem, quando nulla adest spes vitæ & ægrotus jam privatur sensibus.

274. Ægroto Sacerdos suadere studeat, quod Extrema Unctio, si animæ profutura erit, etiam ad corporis sanitatem conferet, ut Trident. *Sess.* 14. *cap.* 2. *Interdum sanitatem corporis consequitur, ubi saluti animæ expedierit*. Hæc tamen sanitas non confertur, cum naturaliter impossibile sit iterum restitui ad salutem. De quodam jam defuncto refert Joannes Eroldus, hunc revelasse; quod si Extremam Unctionem prius accepisset, statim e morbo convaluisset; sed quia distulerat, ideo vita defunctus erat, & ad Purgatorii ignem centum annis damnatus. Secundo, Extrema Unctio peccatorum reliquias remittet, & per consequens ipsa peccata mortalia occulta, ut docet D. Thomas: vide *n.* 731. *v. Commune;* ideoque instruatur infirmus, ut dum quinque corporis sensus unguntur, ipse de culpis per ipsos commissis doleat, & cum astantibus etiam respondeat, *Amen*. Tertio, particularia auxilia, quibus in illo extremo agone inferni vim, & impetum frangat, submistrabit. Quare multum probabile est gravi se obstringi scelere, qui hoc Sacramentum accipere recusaret, ut supra diximus *n.* 107.

275. Aliqua hic de hujus Sacramenti administratione scitu necessaria adnotare licebit. I. Speculative tantum probabilis est opinio dicens, sufficere ministrare hoc Sacramentum cum una gutta olei, illam per partes non diffundendo, non tamen practice, quia hæc vera unctio non esset; vide in morali *n.* 709. *Dub.* 4. II. Unctio quinque sensuum, secundum communiorem sententiam, est de necessitate Sacramenti; unde pestis tantum tempore, aut alicujus imminentis mortis periculi, una tantum, & in uno sensu (consultius in capite) unctio adhiberi potest; sed semper sub conditione si valet, & cum unica forma dicendo: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, nempe visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum*. Si tamen æger supravivat, unctiones etiam sub conditione reiterari debent in omnibus quinque sensibus solitis orationibus. III. Non est de necessitate Sacramenti geminam unctionem in geminis partibus adhiberi; imo unum tantum oculum, unam manum, &c. ungere, licite sufficit, dum periculum infectionis, aut alia necessitas adest, ut si infirmus nequit verti ad aliud latus. Unctio renum in mulieribus, & etiam in viris, *quando infirmus* (ut Ritualis monet (*commode moveri non potest, relinquitur*. Unctionem tamen pedum non esse de necessitate Sacramenti, communis sententia tenet; sed quoad hoc Ecclesiarum consuetudo servanda est; *l. c. v. Certam*. Nec etiam de necessitate Sacramenti est in unctione partium ordinem servari: gravi tamen culpa se obstringit; qui receptum Ordinem non servat, *l. c. v. Nec etiam*. IV. Extrema Unctio rite confertur pueris, qui ratione pollent licet non adhuc S. Communionis idonei sint; in dubio tamen de usu rationis, sub conditione administrari potest. Hoc tamen cum prorsum carentibus non procedit; *num.* 719. & 720. V. Amentibus, phreneticis, delirantibus, qui dum rationis usum habuerunt, pii animi significationem dederint, & Extremam Unctionem petierint, aut verisimiliter petiissent, aut contritionis signum dederint, remoto irreverentiæ periculo, dari potest; & eo magis, si lucidum aliquod rationis intervallum habent. In dubio autem, an quis unquam rationis usum habuerit, conditionate dari potest. Idem de ebriis, si in mortis periculo sint, nisi tamen constet in mortali culpa fuisse, cum sensus ipsi amiserint; impœnitentibus enim, & qui in manifesto peccato moriuntur, necnon excommunicatis penitus denegari debet, ut Ritualis Rom. monet, vide *n.* 732. Mulieribus etiam, si ob partus dolores in mortis periculo sint, conferri potest. VI. Orationes præscriptæ, extra formam, in casu necessitatis omitti possunt; quæ postea dicentur; si tempus suppetet; *n.* 728. & in tali casu Sacramentum dari potest, etiam sine luminibus, & ministro; *n.* 728. & etiam probabiliter sine superpellico, & stola *n.* 726. VII. Extrema Unctio in eadem infirmitate iterari non potest, nisi infirmus a priori probabiliter convaluerit, & in aliud simile vitæ discrimen inciderit, ut docent Trident. *Sess.* 14. *c.* 3. vide *n.* 715. VIII. Cautus sit Sacerdos in movendo ægroto, ut partes viciniores ungat; si tamen caute revolvat, & casu ille e vita decedat, irregularitatem non teneat incurrisse, quia in hoc casu irregularitas, non potest incurri nisi ob delictum, a quo qui charitatis causa aliquod inculpabiliter agit, immunis est. Denique recte Parochus in sua domo oleum sanctum in nocte servare potest, dum probabile periculum prævidet, ut si vocatus ad conferendam Unctionem præsto non esset *l.* 6. *n.* 730.

§. V. *Monita circa agonem, & mortem.*

276. Cum infirmus ad agonem pervenit, solitis Ecclesiæ armis, ad eum juvandum quantum potest, Sacerdos utatur. 1. Sæpius infirmum aqua benedicta aspergat, præsertim si diabolicis tentationibus exagitatur, dicendo: *Exsurgat Deus & dissipentur inimici ejus*. 2. Crucis signaculo eum muniat, & benedicat, dicens: *Benedicat te Deus Pater, qui te creavit, benedicat te Filius, qui te redemit, benedicat Spiritus Sanctus, qui te sanctificavit*. 3. Salvatoris necnon Mariæ aliquam Imaginem sæpius osculandam præbeat. 4. Curet, ut infirmus lucretur omnes indulgentias, quas potest, & præsertim accipiat Benedictionem in articulo mortis Bened. XIV. cum indulgentia plenaria quam infra *n.* 287. adnotabimus. 5. Identidem suggerat aliquam sententiam doloris, conformitatis, spei in Domini passionem ac B. Mariæ intercessionem, necnon desiderii videndi Deum. Curet tamen Sacerdos intervallum aliquod interponere, ut infirmus habeat & ruminandi tempus, & quiescendi. 6. Studeat, ut sæpissime SS. Jesu, & Mariæ nomina, saltem corde, si loqui non potest, invocet, ac multoties dicat orationem illam: *Maria mater gratiæ, &c.* 7. Agonis tempore faciat, ut circumstantes plures B. Mariæ Virginis Litanias pro ægroto dicant. Proderit etiam procurare, ut tunc pulsetur campana agonis ad significandam omnibus instantem mortem exspirantis ægroti, ut pro ipso orent; quod etiam sanis juvare potest. Et hic generatim animadvertendum est, quod cum infirmus est sensibus destitutus, magis illi prosunt orationes, quam verba. 8. Cum tempus exspirandi instat, Sacerdos flebili voce, & flexis genibus consuetas Ecclesiæ orationes recitet: *Proficiscere, &c.* ut in fine Breviarii, aut Rituali habentur. 9. Dum manus, pedes, &c. infirmi tangit, ut an friguerit videat, caveat saltem ne sæpius fiat, ne eum perturbet; & ne illum vertant, curet illo agonis statu, nam id mortem accelerare posset. 10. Dum infirmus proximus est ad transitum, tradat ei candelam benedictam ut teneat; & ita in fide mori profiteatur. 11. Dum infirmus adhuc sensibus viget, absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem juvabit, ut ita ille magis circa statum gratiæ securus reddatur, si forsan præteritæ Confessiones invalidæ fuissent, aut saltem gratiæ augmentum recipiat, nec non Purgatorii pœnæ ei minuantur. Et si forte infirmus tunc in lethale incidat peccatum, ne exterreat, sed moneat, ut Jesu ac Mariæ nomina invocet, si rursus tentatur benigne ipsum confortet, procuret ut Contritionis actum eliciat, & statim absolvat. Si tamen infirmus jam sensibus caret, & nullum doloris, nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit valde sæpius intra eundem diem absolutionem ei impertiri; quia tunc, licet conditionate detur, tamen ut Sacramentum valeat administrari sub conditione, urgens & gravis causa requiritur; unde opus est, ut aliquod notabile temporis spatium intermediet. Verum in hoc Sacerdos ex conscientia quam noverit infirmi, se dirigere debet; nam si ille habituatus fuit in pravis cogitationibus, si aliquo vulnere moritur, aut aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba, & ipse non libenti animo suffert, tunc sæpius absolutio dari potest; sin autem, sufficit ut trium aut quatuor horarum spatium intercedat: frequentius, tamen, si jam jam moriturus est. Non abs re autem erit ægrotum, dum mente pollet, monere, ut si loqui non possit, signum aliquod determinatum det, dum absolutionem quærit, aut dum Sacerdos ipsi conferre vult, ex. gr. oculos claudat vel reseret, manum elevet, caput inclinet, & similia.

277. Denique cum e vita jam migrasse videtur, caveat Sacerdos, ne statim det suæ mortis signum, nec ei statim oculos, aut os claudat, aut visum pannis cooperiat; quia si nondum mortuus esset, fieri posset, ut mors acceleraretur: Cum autem certo scit animam jam ad æternitatem migrasse, circumstantes, ut pro illo orent, moneat & ipse flexis genibus dicat orationem: *Subvenite, &c.* ut in Rituali, vel in Breviario.

§. VI. *Affectus, qui suggeri possunt agonis, & exspirationis tempore.*

278. In te, Deus meus, infallibilis veritas credo, in te, immensa misericordia spero; te, infinita bonitas, amo.

In te Domine speravi non confundar in æternum.

Quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea in æternum.

Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.

In pace in idipsum dormiam, & requiescam.

Deus meus, ne permittas me separari a te.

Nihil aliud quam te cupio. Bonitas infinita, te amo, te amo, te amo.

(*Hic animadvertendum est, actus frequentiores, qui moribundis suggeri debent, esse amoris, & doloris*).

Jesu mi, qui mox me judicaturus es, parce mihi antequam judices. Te amo, & quia te amo, me pœnitet offendisse.

Jesu mi dulcissime, ne permittas me separari a te.

Sanguis Jesu lava me. Passio Christi salva me.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Moriar Domine, ut te videam.

Maria Mater Dei, ora Jesum pro me.

Illos tuos misericordes oculos ad nos converte, & Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.

O Maria, nunc tempus est auxiliandi servum tuum.

Mater mea, ne derelinquas me.

O Paradise, o Pulchra patria, o amoris patria, quando te videbo.

Deus meus, quandonam facie ad faciem te amabo?

Quandonam Jesu mi, te non amplius amittendi securus ero?

Deus meus, & omnia.

Contentus sum omnia amittere, ut acquiram te, Deus meus.

Deus meus, propter amorem Jesu miserere mei.

Mitte me Domine in Purgatorii ignem, per quantum vis; noli tamen in infernum, ubi te amare non possum.

Te ergo quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.

Æ-

Æterne Deus, spero, & cupio in æternum te amare.

Amor meus crucifixus est. Jesus meus, amor meus pro me mortuus est.

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum &c.

Pater æterne, propter amorem Jesu Christi da mihi gratiam tuam. Te amo, me pœnitet.

Quomodo possum de tot tantisque beneficiis quæ mihi fecisti, Deus meus, tibi rependere gratias? spero in æternum in Cælo tibi gratias agere.

Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, &c.

Miserere mei Deus, secundum magnam &c.

Misericordias Domini in æternum cantabo.

Dum jam Ægrotus est proximus ad exspirandum.

279. In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Jesu mi, tibi animam quam tuo Sanguine redemisti commendo.

(*Hic notandum, quod dum infirmus jam ad exalandam animam vicinus est, actus suggeri debent sine pausa, & fortiori voce*).

Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum.

Deus meus adjuva me; sine me venire ad amandum te in æternum.

Jesu mi, amor meus, te amo, me pœnitet. O nunquam te offendissem!

O Maria spes mea, adjuva me, ora pro me Jesum.

Jesu mi propter passionem tuam salva me. Te amo.

Maria Mater mea, in hac hora adjuva me, S. Joseph adjuva me, Archangele Michael defende me. Angele Custos custodi me, S. N. (*hic præcipui protectoris ægroti fiat mentio*) commenda me Jesu Christo, Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro me.

Jesus, Jesus, Jesus.

Jesus & Maria, vobis cor & animam meam dono.

§. VII. *Imminentis mortis signa.*

280. Opus est, ut Sacerdos, qui hoc charitatis opus exercet, imminentis mortis signa sciat, ut ita ægroto jam exspiranti melius auxiliari possit. Præcipua & universalia sunt tria. 1. Pulsus deficiens, intermittens, & formicans. 2. Respiratio anxia. 3. Oculi excavati, & vitreati, aut apertiores solito, vel nimis lucidi, vel qui respiciunt objecta diverse quam aliis apparent, ut cum palpebra superior relaxatur, & inferiorem prætergreditur.

281. Sunt etiam proxima mortis signa nasus acuminatus, & in extremitate albescens, & si nares ad instar follis suffluant; manus tremantes; ungues lividæ, facies flavescens, livida, & mutata; flatus male olens & frigidus; corpus immobile; sudor frontis & frigidus; calor in cordis parte nimius; festucas aut lenugines colligere; frigiditas in extremis omnibus partibus.

282. Signa tamen proximiora exspirationi sunt respiratio intermittens aut languida; defectio pulsus; dentium contractio, stridor: distillatio in gula, lene quoddam suspirium, aut gemitus; lacryma per se fluens; oris, oculorum, & totius corporis torsio.

283. Advertatur 1. quod laborantes hydropisi, ectica febri, vel vulnere, asthmate, pleuritide, sanguinis fluxu, vomitu, angina, & reumatismo, interdum cum paucis nominatorum signorum, & cum pulsu valido, ac loquentes exspirare solent. Advertatur 2. proximos morti esse, qui pleuritide laborant, dum respirationis difficultas, anhelitus augmentum, & labia livida apparent. Vulnerati capite interdum subitaneo deliquio moriuntur. Hydropici, dum pulsus deficit, & anhelitus crescit, ac in ore spuma apparet. Qui febri intermittente laborant, mori solent in principio accessionis, dum convulsiones vehementes sunt. Advertatur 3. quod in aliquibus ægrotis flatus est adeo debilis, & cordis exagitatio, ut jam mortui videantur, & tamen non sunt. Signa certiora mortis sunt omnium partium frigiditas etiam in regione cordis, corporis gravitas, alicujus spiritus naribus admoti stimulum non sentire, speculum ori accessum flatu non maculari, & similia. Demum advertatur, quod interdum signa superius in primo loco adducta fallunt, & etiam sine illis repente moritur infirmus: ideoque dum ægrotus in agone manet, Sacerdos oportet ne unquam illum deserat.

§. VIII. & Ultimus.

Preces, Actus Christiani, & Benedictiones.

285. Sacerdos domum ægroti ingrediens, dicat, ℣. *Pax huic domui.* ℟. *Et omnibus habitantibus in ea.*

Cubiculum aqua benedicta aspergat, dicens: *Asperges me hyssopo & mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.*

Dsinde dicere potest orationes, quæ in Rituali pro Extrema Unctione extant. Postea Redemptoris Imaginem accipiat, dicens: *Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ.* Et ægroto osculandam præbeat, dicens: *Deosculare pedes Jesu Christi, qui in hac cruce pro salute tua mortuus est.*

285. Deinde dicat: in Deo NN. igitur spem tuam jacta: sperare volumus Mariam a Deo salutem tibi intercedere velle: infirmitas tamen gravis est, voluntati Dei tuam conforma, ut de te faciat quod ipse vult. Eja igitur mecum recita christianos actus, ut cum istis ad mortem te disponere valeas, si pro bono animæ tuæ sic Deus determinavit; dic ergo mecum.

276. *Actus fidei.* Deus meus, infallibilis veritas, quia tu quod credere debeam, S. Ecclesiæ revelasti, credo quod ad credendum mihi proponit Ecclesia. Credo te esse Deum meum, omniam Creatorem, qui per totam æternitatem Paradiso justos remunetas, peccatores vero castigas inferno. Credo Mysterium SS. Trinitatis, idest Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, tres personas, sed unum Deum. Credo secundam Personam, idest Filium Dei, hominem factum in utero Mariæ semper virginis, & pro nobis peccatoribus mortuum esse. Inde resurrexit, & nunc sedet ad dexteram Patris; & inde venturus est judicare vivos & mortuos. Credo septem sancta Sacramenta, & præcipue Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, & Extremam Unctionem. Credo omnes resurgere habere, cum corporibus suis; & denique credo

do omne id, quod credit S. Ecclesia Catholica Romana, in qua sola credo esse veram fidem.

Actus spei. Deus meus, confisus tuis promissis, quia tu fidelis, potens, & misericors es, propter merita Jesu Christi peccatorum meorum veniam spero, perseverantiam finalem, & gloriam Paradisi.

Actus amoris, et doloris. Deus meus, quia tu es bonitas infinita, infinito amore dignus, toto corde meo te diligo super omnia. Et omnium peccatorum meorum, quia tuam infinitam bonitatem offendi, tota anima mea me pœnitet, & displicet. Potius mori quam peccare propono, cum gratia tua, quam, ut nunc mihi des & semper, te precor. Et propono sancta Sacramenta recipere in vita, & in morte.

(*Benedictus XIII. Omnibus qui semel in die hos eliciunt actus, septem annos Indulgentiæ largitus est; et si per mensem integrum fiant, confessis et communicatis, juxta mentem Pontificis orantibus, Indulgentiam plenariam, etiam pro defunctorum animabus, concessit; et si in fine vitæ quis faciat, Indulgentiam in articulo mortis.*)

Benedictio in articulo mortis.

287. Pontifex regnans anno 1747. Episcopis facultatem concessit, & eorum delegatis, Indulgentiam plenariam ægrotis petentibus impertiri, postquam Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ-Unctionis Sacramenta acceperint, aut verosimiliter quæsiissent, aut si signum aliquod doloris dederint, & postea sensus amiserint. Non vero excommunicatis, & impœnitentibus; nec etiam illis qui in evidenti peccato moriuntur. Advertendum tamen, quod prædicta facultas debet ab Episcopis exposci a quocunque Pontifice pro tempore; in Bulla enim, *Pia Mater, n.* 34. edita a Bened. XIV. die 5. April. ann. 1747. sic dicitur: *Cum novi Episcopi Catholicis gregibus in posterum præficientur, volumus, atque statuimus, ut singulis eorum hujusmodi facultatem a Nobis, sive a Romano pro tempore Pontifice postulantibus, Apostolicæ Litteræ etc.* Modus quo datur benedictio est hic.

288. Sacerdos ægroti domum ingrediens dicat: *Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.* Et aspergat aqua benedicta, dicens: *Asperges me hyssopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.* Postea dicat: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri, etc.* Et nihil aliud dicens repetat Antiphonam: *Asperges me etc.*

Si ægrotus Confessionem petit, Sacerdos benigne audiat; sin vero, contritionis actum ut ægrotus eliciat studeat, confortetque eum ad Paradisi gloriam sperandam: hortetur, ut totum se offerat Deo, & pro peccatorum suorum satisfactione id quod vult Deus, ipsamque mortem acceptet, inde dicat:

289. ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.

Antiph. Ne reminiscaris Domine delicta famuli tui (vel ancillæ tuæ) neque vindictam sumas de peccatis ejus, Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pate rnoster &c.

℣. Et ne nos &c.
℟. Sed libera &c.
℣. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam) Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Domine exaudi &c.
℟. Et clamor meus &c.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Clementissime Deus Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. quem tibi vera fides, & spes Christiana commendat. Visita eum in salutari tuo, & per Unigeniti tui passionem & mortem omnium ei delictorum suorum remissionem, & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui te Judicem propitiatum inveniat, & in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem, &c.

Tum postquam Clericus dixerit, Confiteor Deo, &c. *Sacerdos dicat:* Misereatur, &c. Indulgentiam, &c. *deinde.*

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, & restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti, & ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, &c.

Per sacrosancta humanæ reparationis mysteria remittat tibi Omnipotens Deus omnes præsentis, & futuræ vitæ pœnas, Paradisi portas aperiat, & ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, ✠ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

At si infirmus esset tam morti proximus, ut tempus non suppeteret supradictis precibus, Sacerdos statim impertiatur ei præfatam Benedictionem.

Dominus noster Jesus Christus, &c.

290. *Benedictio Scapularis S. Mariæ de Monte Carmelo.*

Sacerdos conversus ad habitum dicat:

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine Deus virtutum converte nos.
℟. Et ostende faciem tuam, & salvi erimus.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Caput omnium fidelium Deus, & humani generis Salvator, hunc habitum, quem propter tuum, tuæque Genitricis Virginis Mariæ de monte Carmelo amorem, atque devotionem servus tuus est delaturus, dextera tua sanctifica ✠: & hoc, quod per illud mystice datur intelligi, tua semper custodia cor-

corpore, & animo servetur, & ad remunerationem perpetuam cum Sanctis omnibus felicissime perducatur. Qui vivis & regnas in sæcula Sæculorum. Amen.

Deinde aspergat aquam benedictam super habitum, & postea ipsum imponat personæ recipienti, dicens:

Accipe, vir devote, hunc habitum benedictum, precans SS. Virginem, ut ejus meritis illum perferas sine macula, & te ab omni adversitate defendat, atque ad vitam perducat æternam. Amen.

Deinde dicat.

Ego ex potestate mihi tradita, & concessa suscipio, ac recipio te ad participationem omnium orationum, disciplinarum, precum, suffragiorum, eleemosynarum, jejuniorum, vigiliarum, Missarum, Horarum Canonicarum, ac ceterorum bonorum spiritualium, quæ passim die, nocteque (cooperante misericordia Jesu Christi) a Religiosis peraguntur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Bene ✠ dicat te Conditor Cæli & terræ Deus omnipotens, qui te eligere dignatus est ad Beatæ Virginis Mariæ de monte Carmelo Societatem, & Confraternitatem, quam precamur, ut in hora obitus tui conterat caput serpentis, qui tibi est adversarius, & tandem tanquam viator palmam & coronam sempiternam hæreditatis consequaris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur recipiens aqua benedicta.

291. *Benedictio Scapularis S. Mariæ Septem Dolosum.*

℣. Adjutorium nostrum &c.
℟. Qui fecit Cælum, & terram.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam largitatis tuæ abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod sancti Patres ad innocentiam, humilitatisque indicium in memoriam septem Dolorum B. Virginis Mariæ nos ferre sanxerunt, ita bene ✠ dicere digneris, ut qui illis fuerit indutus, corpore pariter, ac anima induat te Salvatorem nostrum. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Postea Sacerdos, asperso Scapulare aqua benedicta, illud imponat, dicens:

Accipe, charissime frater, habitum B. Matiæ Virginis, singulare signum servorum in memoriam septem Dolorum, quos ipsa in vita & morte Unigeniti Filii sui substinuit, ut ita indutus sub ejus patrocinio perpetuo vivas.

Benedictio Dei omnipotentis, ✠ Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendat super te, & maneat semper. Passio Domini nostri Jesu Christi, & Compassio Beatæ Mariæ Virginis sit in corde, & corpore nostro. Amen.

292. *Benedictio Scapularis Conceptionis immaculatæ Dei Matris.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, tuæ largitatis clementiam humiliter imploramus, ut hoc genus vestimenti, quod in honorem, & memoriam Conceptionis immaculatæ Beatæ Mariæ Virginis (necnon, ut illo indutus exoret) in hominum pravorum morum reformationem institutum fuit, bene ✠ dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui eo indutus fuerit, eadem Beata Maria Virgine intercedente, te quoque induere mereatur. Qui vivis & regnas &c.

Postea Sacerdos, asperso Scapulare aqua Benedicta, imponat recipienti, dicens.

Accipe, frater, Scapulare Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ, ut, ea intercedente, veterem hominem exutus, ab omni inquinamento mundatus, ipsum perferas sine macula, & ad vitam pervenias sempiternam. Amen.

Et ego ex facultate mihi tradita recipio te in participationem bonorum spiritualium, quæ in nostra Congregatione gratia Dei fiunt, & quæ per Sanctæ Sedis Apostolicæ privilegium concessa sunt. In nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Si infirmus numquam acceperit aliquod Scapulare, vel aliquod ex iis, de quibus supra sermonem fecimus, curet Sacerdos qui facultatem habet, ut infirmus tunc recipiat, ut Indulgentias lucretur.

EXA-

EXAMEN ORDINANDORUM

Ab eodem Auctore breviter concinnatum ex eadem sua Theologia Morali, res scitu magis necessarias continens.

INDEX

Cap. I. De Sacramentis in genere.
Cap. II. De Sacramento Ordinis in genere.
Cap. III. De Ordinibus in specie.
Art. I. De prima Tonsura.
Art. II. De Ordinibus Minoribus.
Sect. I. De Ostiariatu.
Sect. II. De Lectoratu.
Sect. III. De Exorcistatu.
Sect. IV. De Acolythatu.
Art. III. De Ordinibus majoribus.
Sect. I. De Subdiaconatu.
§. I. De Voto Castitatis.
§. II. De Horis Canonicis.
§. III. De Censuris in genere.
§. IV. De Censuris in specie.
I. De Excommunicatione.
II. De Suspensione.
III. De Depositione.
IV. De interdicto.
V. De Irregularitate.
Sect. II. De Diaconatu.
Sect. III. De Presbyteratu.
§. I. De Ordine Presbyteratus.
§. II. De Sacrificio Missæ.
§. III. De Potestate Sacerdotis.
§. IV. De Munere docendi, & prædicandi.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

Quid sit Sacramentum. 1. Quæ requirantur ad constituendum Sacramentum? An Circumcisio &c.? 2. Quæ sint Sacramentalia. 3. Distinguuntur Sacramenta. 4. Qu. I. Quæ requirantur ad essentiam. De Materia. 5. De forma, & de connexione materiæ cum forma. 6. De mutatione substantiali, aut accidentali. 7. De Sacramento sub conditione. Si cum forma, aut materia dubia, vel mixta. Interruptio formæ. 8. De intentione ministri, & suscipientis. 9. Qu. II. De Ministro. 10. An debeat esse in gratia. 11. Si sit laicus, aut ministret non solemniter, an sufficiat Contritio. 12. Si absolvat in mortali: si ministret Eucharistiam: si celebret Missam. 13. Si Subdiaconus aut Diaconus ministret solemniter. 14. Si ministret indigno. 15. Simulare administrationem Sacramenti. 16. Simulare susceptionem. 17. An Minister debeat intendere quod facit Ecclesia. 18. Qu. III. Quid ad valide; & licite Sacramenta suscipienda. 19. An petere ab Excommunicato, vel Peccatore. 20. An liceat dare pecuniam pro administratione Sacramenti. 21. Effectus, & I. De gratia. 22. & 23. II. De Charactere. 24.

Sacramentum, generaliter loquendo, significat mysterium, sive rem occultam: Sacramentum vero in Ecclesia Christiana sic definitur: *Est visibile signum invisibilis gratiæ ad populum Dei sanctificandum, a Christo institutum.* Dicitur *Signum visibile*, scilicet signum externum in materia sensibus subjecta. *Invisibilis gratiæ*, quia Sacramentum significat gratiam quam causat invisibiliter, scilicet ex opere operato, sive per se, modo suscipiens sit dispositus. *A Christo institutum*, quia juxta sententiam probabiliorem, Christus etiam ut homo Sacramenta instituit ex potestate quæ dicitur *excellentiæ* (*Vide Opus Morale l.* 6. *n.* 1. 2. & 3.) 1

Tria igitur ad Sacramentum constituendum requiruntur. 1. Signum externum. 2. Promissio gratiæ. 3. Institutio Christi, cum omnia Sacramenta ex Christi passione vim habeant. 2

Dubitatur, an Circumcisio fuerit olim verum Sacramentum, conferens gratiam ex opere operato? Affirmat *Scotus*, sed communiter id negant DD. nam Circumcisio operabatur sanctitatem tantum externam, non autem internam; commune tamen est quod fuerit verum Sacramentum (*l.* 6. *n.* 4.)

Sacramentalia autem sunt quædam actiones sacræ ab Ecclesia institutæ, prout sunt, aqua lustralis, benedictiones rerum, consecrationes, & similia. Hæc non habent per se vim remittendi peccata, sed tantum impetrandi auxilia divina ad eliciendos actus bonos, quibus postea peccata remittuntur (*l.* 6. *n.* 9. *ad* 94.) 3

Multipliciter distinguuntur Sacramenta. *Primo* alia sunt necessaria necessitate *medii*, ut sunt Baptismus pro omnibus, Pœnitentia pro lapsis in mortale, & Ordo pro iis qui Sacramenta Eucharistiæ, & Pœnitentiæ ministrant: etiam Eucharistia (juxta probabiliorem sententiam), saltem in voto implicito (*n.* 191.) Alia necessitate *præcepti*, ut sunt Confirmatio, juxta probabilem sententiam, licet opposita *Nav. Suar. Soti, Laym. Ronc. Wigandt, ex D. Th.* (*in* 3. *p. qu.* 72. *art.* 8. *ad* 6.) & aliorum etiam sit probabilis (*l.* 6. *n.* 181.); & Extrema Unctio, juxta probabiliorem sententiam, omnino suadendam (*n.* 733.). *Secundo*, alia sunt Sacramenta *Iterabilia*, ut Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, & Matrimonium, alia sunt *Initerabilia*, ut Baptismus, Confirmatio, & Ordo, propter Characterem, quem indelebiliter imprimunt. *Tertio*, alia sunt Sacramenta *Mortuorum*, ut Baptismus, & Pœnitentia, quia primam conferunt gratiam & supponunt animam mortuam, idest gratia carentem: alia *Vivorum*, quæ aliquando per accidens dant etiam primam gratiam, nimirum casu quo aliquis attritus, bona fide putans se contritum, illa suscipit, ut docent probabiliter, *Lugo, Suar. Con. Cajetan. Croix, Salm. Castrop.* & alii plures ex *D. Th.*, 4

con-

contra alios, ex communi (*l.* 6. *n.* 87.), *Quarto*, alia sunt *Formata*, idest cum effectu gratiæ, alia *Informia*, scilicet sine collatione gratiæ, quæ est Sacramenti forma. An autem detur Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, idest sine gratia; alii negant; sed communiter, & verius alii affirmant. Casus esset nimirum si quis acciperet absolutionem ab aliquo mortali peccato cum attritione concepta tantum ex turpitudine supernaturali illius peccati, & cum oblivione inculpabili alterius peccati mortalis. (*Qui vult videre hanc quæstionem cum omnibus suis rationibus enucleatam, observet* Caput XVI. Tom. II. ad n. 18.)

5 Quær. I. Quæ requirantur ad essentiam Sacramenti? Tria requiruntur, Materia, Forma, & Intentio. *Materia* est res corporea & sensibilis, quæ suscipienti applicatur, v. gr. Aqua, Chrisma, Oleum sanctum &c. Et hæc est Materia *remota*, nam *proxima* est ipsa applicatio materiæ, ut ablutio, unctio &c.

6 *Forma* sunt verba prolata a Ministro. Ut autem Sacramentum valeat, requiritur connexio, sive simultas Materiæ, & Formæ, scilicet, ut Materia applicetur antequam prolatio Formæ terminetur, vel postquam prolatio Formæ sit incœpta. Sententia autem quod sufficiat applicare Materiam immediate ante vel post prolationem Formæ, est tantum probabilis, non autem moraliter certa, ut requiritur, ubi agitur de valore Sacramenti, ex Propos. 1. damn. ad Innoc. XI. ideoque non est practice probabilis. Excipiuntur tamen Sacramenta Pœnitentiæ, & Matrimonii, quæ valent etiamsi interponatur aliqua mora inter Materiam & Formam (*l.* 6. *n.* 9.).

7 Si mutetur substantialiter Materia, nempe applicetur vinum pro aqua, vel mutetur Forma, nempe si verba non habeant eundem sensum, puta dicendo, *Te aspergo*, pro *te baptizo*, invalidum est Sacramentum. Secus si mutatio est accidentalis, scilicet si aqua sit calida, aut decocta, aut si dicas, *Ego te baptizo in nomine Patrias, & Filias, &c.* ut habetur ex *c. Retulerunt, de Consecr. Dist. 4.* vel *in nomine Patris omnipotentis &c.* Sic tamen mutans non excusaretur a peccato gravi (*n.* 11.)

8 In casu necessitatis, vel magnæ utilitatis bene possunt conferri sub conditione (saltem mente retenta) Sacramenta, non solum characterem imprimentia, ut est certum ex *c. 2. de Baptism.* sed etiam alia, si non possit haberi materia nisi dubia; ita *Suar. Castrop. Habert, Bonac. Rone. Salm.* & alii communiter, contra *Juenin & Antoine* (*n.* 28. & 29.). An autem Minister possit uti Materia, aut Forma dubia, si ad id cogatur metu mortis? probabiliter potest: nisi cogatur in contemptum Religionis; ita *Sanch. Coninch.* Si in materia propria misceatur extranea in majori, vel æquali parte, Materia est inepta; secus si in minori; ita *S. Th.* (3. *part. qu.* 74. *n.* 3. *ad* 3.). Interruptio Formæ si est modica, non officit valori Sacramenti. Secus si talis sit, ut verba non constituant unum sensum (*l.* 6. *n.* 11. *ad* 6.). Non licet autem formam repetere, nisi adsit probabile dubium, quod forma invalide fuerit prolata (*n.* 224. *v. Advertendum*). Alii dicunt aliquas Sacramentorum Materias & Formas fuisse a Christo in genere determinatas, & relictas Ecclesiæ, ut ipsa in particulari determinaret. Sed probabilius alii docent omnes fuisse a Christo determinatas in substantia. Unde si aliqua invenitur inter novam & priscam Ecclesiæ consuetudinem differentia circa Materias, & Formas, mutatio illa censetur tantum accidentalis (*n.* 12.). (*Vide hanc quæstionem ad trutinam revocatam* Cap. XVIII. *n.* 15.).

Demum ad essentiam Sacramenti requiritur *Intentio* Ministri, & quidem actualis vel saltem virtualis. Intentio *Actualis* est ea, quæ actu habetur. *Virtualis* autem, quæ permanet in virtute actionis, quam Minister exequitur ex intentione actuali prius habita; ad differentiam intentionis *Habitualis*, quæ aliquando est habita, & non est retractata (*n.* 15.). Hæc autem Habitualis non sufficit in Ministro, sed bene sufficit in suscipientibus Sacramenta; atque in necessitate etiam si ipsi sint dormientes, aut ebrii, aut ceciderint in amentiam postquam jam habuerint intentionem illa suscipiendi, ut communissime docent *Lug. Castrop. Salm.* & alii plures cum *D. Th.* (*in 4. Dist.* 6. *qu.* 1. *art.* 2. *qu.* 3. *ad* 2.), & patet, ex *c. Majores*, §. *Verum*, *de Baptism.* & etiam ex *Instruct. de Baptism.* data a Bened. XIV. incipiente, *Postremo mense* (*in Bullar. tom.* 2. *n.* 46.). Imo quoad Extremam Unctionem, & etiam Confirmationem satis est pro suscipientibus adhuc *Interpretativa*, idest ea quam suscipiens non habet nunc, nec unquam habuit, sed haberet si rem adverteret (*n.* 81.). 9

Quær. II. Quis sit Minister Sacramentorum? Quoad Ordinem solus Episcopus est Minister (*l.* 6. *n.* 761.): & quoad Confirmationem ipse est Minister Ordinarius, nam extraordinarii possunt esse etiam simplices Sacerdotes (*n.* 170.) Aliorum autem Sacramentorum solus Sacerdos est Minister, excepto Matrimonio (*n.* 897.), & etiam Baptismo in necessitate; in ea enim possunt etiam laici, & adhuc Hæretici baptizare (*n.* 113.). 10

Ad valide autem ministranda Sacramenta, non est opus, ut Minister sit in gratia, nam peccatores etiam valide ministrant. Non vero Hæretici, nec Excommunicati vitandi respectu ad Sacramentum Pœnitentiæ. Vide dicta *Tom. II. Cap. XVI. n.* 92. Ad licite tamen ministrandum requiritur status gratiæ, sed in extrema necessitate, si Minister non posset tam cito conteri, probabiliter a culpa excusatur si ministrat; ita *Sotus, Suar. Tolet. Cajetan. Armil. Valen. Anacl.* (*Vide l.* 3. *n.* 33. *& Cabrin. Luc. Moral.* (*p.* 2. *tract.* 41. *n.* 56.). Nunquam autem excusatur Parochus, aut Œconomus: hi enim debent esse semper parati ad ministrandum. Celebrans autem in mortali quatuor mortalia committit, 1. quia indigne consecrat, 2. quia indigne sumit, 3. quia indigne ministrat; & 4. quia ministrat indigno, qui est ipse idem (*l.* 6. *n.* 33. *v. Hinc*). 11

Quær.: an peccet graviter qui existens in mortali ministrat Sacramentum in necessitate, si ad illud non est ordinatus, ut laicus Matrimonium contrahens, aut baptizans; vel si est ordinatus, sed ministrat non solemniter? Alii probabiliter negant, ut *Conc. Tourn. Natal. Alexand.* & alii ex *D. Th.* 12

Th. (3. *p. qu.* 64. *art.* 6. *ad* 3.). Sed probabilius affirmant *Cont. Tourn. La-Croix*, *Antoine*, *Lugo*, *Pontius*, *Vasq. Navarr. &c.* Quia semper santa sancte tractanda sunt (*l.* 6. *n.* 32.). Minister autem solemniter ministraturus Sacramenta si est in mortali, sufficit, ut eliciat certum actum contritionis (*Ibid. n.* 34.); celebraturus vero Missam, debet Confessionem præmittere: excepto casu quo ex necessitate ex una parte deberet celebrare, & ex alia non adesset copia Confessarii; sed tunc post celebrationem debet quam primum confiteri, ut præcipit Tridentinum *sess.* 13. *c.* 7. (*Vid. l.* 6. *ex n.* 255.) Vide dicta *de Eucharist. Cap. XV. ex n.* 22.

15 Confessarius tantum audiens Confessionem in mortali, probabilius est cum *Lugo*, *Spor. Salm. Elbel*, *Croix*, & aliis, quod non peccet graviter, quia non conficit Sacramentum. Si vero absolvit plures pœnitentes, etiam successive, in statu peccati mortalis, plura mortalia committit, quia plura Sacramenta distincta ministrat (*n.* 36. *Qu.* 5.). Sacerdos item, aut Diaconus ministrans Eucharistiam in mortali mortaliter peccat, quia proxime concurrit ad sanctificationem Communicantium. Ita tenendum cum pluribus, contra alios (*n.* 35.) Celebrans autem in mortali, si pluribus Eucharistiam ministrat, probabilius unum mortale committit, quia ministratio illa, & communio est unica actio moralis, unicumque convivium (*Vid. l.* 6. *ex n.* 255.

14 Diaconi, & Subdiaconi, si ministrant in altari existentes in mortali, juxta plures probabiliter peccant graviter, sed juxta communiorem sententiam, & satis probabilem, id negatur, quia non conficiunt nec ministrant Sacramentum, nec exercent functiones proxime ordinatas ad sanctificationem animæ (*l.* 6. *n.* 37. & 38.). Concionator item qui prædicat in mortali, non peccat graviter, ut communius, & probabilius docent *Gonet Lugo*, *Cas. Bon. Vasq. Salm. Croix*, & alii (contra *Merb. Juen. &c.*); non enim exercet Ordinem, sed officium annexum ordini, quod per se non causat gratiam, ut causant Sacramenta (*n.* 41.).

15 Peccat graviter Minister, si dat Sacramentum indigno petenti occulte; secus autem si ille sit peccator occultus, & publice petat (*n.* 43. *ad.* 51.). Notandum vero, quod Episcopus etiam ob occulta peccata potest denegare alicui collationem Ordinis, licet publice ille petat, ex Trid. *sess.* 14. *c.* 1. ubi dicitur teneri Clericum obedire Prælato vetanti susceptionem Ordinis propter occultum crimen. Nec tenetur tunc Episcopus causam manifestare, cur repellat Ordinandum, ut pluries declaravit Sacr. Congr. Concilii (*l.* 6. *n.* 52.). An autem Confessarius possit absolvere Ordinandum recidivum in culpis gravibus, qui vult sacrum suscipere Ordinem sine prævia probatione, vide dicta *Cap. VII. ex n.* 48. & *cap. ult. n.* 16. & 17.

16 Non licet Ministro etiam ob metum mortis simulare administrationem Sacramenti ex Prop. 29. proscripta ab Innoc. XI. Tunc autem censetur Minister simulare administrationem, cum profert formam sine intentione, aut aliquid aliud pronunciat, ad hoc, ut alii credant ipsum jam conferre Sacramentum, unde alias licite potest Confessarius aliquam recitare orationem super pœnitente indisposito, non jam, ut alii credant absolutionem illi ministrari, sed tantum ad occultandam absolutionis negationem; tunc enim non simulat Sacramenti administrationem, sed tantum veritatem occultat (*Lib.* 6. *n.* 52.). Præterea ait *Cardenas* bene posse Confessarium, cum pœnitens minatur ei mortem si non absolvat, dicere, *Ego te non absolvo*, submisse pronunciando verbum *non*, quia hæc non est restrictio pure mentalis; ut objicit *Viva*, dum Confessarius non tenetur efficere, ut pœnitens audiat verba absolutionis, & ideo non habet ille jus, ut Confessarius omnia verba formæ intelligibiliter proferat (*n.* 59.).

Sicut autem non licet Ministro simulare Sacra- 17
menti administrationem, ita nec etiam alii Sacramenti susceptionem, ut dicunt *Card. Croix & Gormaz*. Hoc tamen non prohibet, quo minus liceat alicui accedere ad Confessionarium, ibique genuflectere ad aliquod negotium agendum. Præterea ajunt communiter *Sanch. Conc. Castrop. Card. Viva*, *Croix*, aliique plures, contra *Milante*, quod si aliquis Sponsorum cogitur contrahere per injustum metum vel habens impedimentum dirimens, ad evitandum scandalum, tunc poterit ille (saltem sine gravi culpa) simulare celebrationem Matrimonii: tunc enim, deficiente consensu, deficit contractus, & deficiente contractu, nec etiam existit Sacramentum (*ib. in fin.*).

Minister invalide ministrat Sacramentum, si non 18
intendat facere actum externum quod facit Ecclesia, ritumque Sacramentalem adhibere quem intendit Ecclesia a Christo instituta, & hoc etiamsi Minister, non joco (ut adhuc insipienter admittebat Lutherus), sed serio ministret, ut probavimus *Tract. XIV. n.* 2. & vide in Morali (*l.* 6. *ex n.* 20. & 23.). Si vero id jam intendat, valide ministrat, etiamsi non habeat intentionem explicitam conferendi Sacramentum. Dico *non habeat intentionem explicitam*; nam si positive haberet intentionem non conferendi Sacramentum, tunc neque conferret, quia tunc revera nullam haberet intentionem faciendi quod facit Ecclesia (*ib. n.* 23.). Sacerdos autem conficiens Sacramentalia, puta aquam benedictam, in mortali, non peccat graviter (*n.* 40. *in fin.*).

Quær. III. quid requiratur, ut quis valide, & 19
licite Sacramenta suscipiat? Ut valide suscipiat requiritur. 1. Ut sit baptizatus, nam alias non est capax aliorum Sacramentorum. 2. Excepto Sacramento Baptismi, pro quo nulla requiritur intentio in pueris, & perpetuo amentibus, cum in eis suppleat intentio Ecclesiæ; in aliis Sacramentis opus est, ut suscipiens saltem habuerit prius intentionem (quæ dicitur habitualis) suscipiendi Sacramentum, & eam non revocaverit, ut supra diximus *n.* 9. Hinc si quis ordinetur per vim, invalide ordinaretur; secus si per metum, quia metus non tollit voluntarium. Probabilissimum est, quod Sacramenta in periculo mortis licite conferri possunt tam ebriis, quam lapsis in amentiam, si prius intentionem habuerint illa suscipiendi; ita *Lug. Castropal. Salm. Croix*, *Card. Lambertinus*, *&c.* ex *D. Th.* & *cap. Majores*, §. *Verum*, *de Bapt.* (*Lib.* 6. *n.* 11. *v. Utrum*). Sufficit etiam tempore mortis intentio interpretativa in suscipiente sensibus destituto quoad Sacramenta Extremæ Unctio-

ctionis, ut habetur ex Rituali, & etiam Confirmationis, & Eucharistiæ, ut ajunt *Lugo*, *Conine. Spor. Croix*, *&c.* non vero quoad Baptismum, & ordinem; & tanto minus quoad Pœnitentiam, & Matrimonium, in quibus omnino requiritur intentio actualis, aut saltem virtualis (*n.* 82.). Ut licite autem quis suscipiat Sacramenta, requiritur conveniens dispositio, nempe status gratiæ; unde si quis est in mortali, debet saltem esse contritus cum proposito confitendi. Imo ad recipiendam Eucharistiam requiritur prævia Confessio, nisi necessitas urgeat, & non adsit copia Confessarii, quo casu debet Sacerdos qui celebravit (ut diximus *n.* 12.) quamprimum confiteri, ex Trid. *sess.* 13. *c.* 7. Necessitas autem erit 1. ob dandum Viaticum. 2. Ob vitandam infamiam, aut scandalum. 3. Si ille est Parochus, & occurrat festum de præcepto. 4. Si celebrans post Consecrationem recordetur mortalis culpæ (*l.* 6. *n.* 260.). Insuper advertendum quod suscipiens Sacramentum Pœnitentiæ sine dispositione, non solum illicite, sed etiam invalide suscipit, dum contritio pœnitentis est etiam materia hujus Sacramenti. Respectu vero ad alia Sacramenta, si quis indispositus ea suscipit, valide suscipit; ita ut recedente fictione, sive obice peccati, illa reviviscunt; idest gratiam causant, ut docent plures ex *D. Th.* (*ib. n.* 87.).

20 Quær. VI. An liceat petere Sacramenta a Ministro peccatore vel excommunicato; non licet a peccatore quamvis sit Parochus (quicquid aliqui dicant), nisi adsit justa causa; sufficit autem gravis utilitas (*ib. n.* 89.), ut communissime docent *Suar. Sanch. Scot. Pal. Tol. Anacl. Holzm. Salm. &c.* Hinc dicunt licite peti, 1. si urgeat præceptum Confessionis aut Communionis, aut Missæ, aut si occurrat Indulgentia lucranda. 2. Si alias carere debeas Jubilæo. 3. Si maneres alias in mortali; etiam per horam, ut dicunt *Suar.* & *Escob.* 4. Si diu carere debeas fructu Communionis, aut Confessionis, &c. Absolute vero sine alia causa licet recipere Sacramentum ab excommunicato, si sit toleratus, quia absolute concessum est a Concilio Constantiensi fidelibus posse communicare cum toleratis (*Lib.* 6. *n.* 88.). A vitando autem nec etiam in morte licet suscipere pœnitentiam, quia (ut diximus *n.* 11.) vitandus etiam in extrema necessitate invalide eam ministrat.

21 Quær. V. an possit dari pecunia pro administratione Sacramenti, si Minister nolit dare gratis? Videtur negare *S. Th.* (2. 2. *q.* 108. *art.* 2. *&c.*); dum tradit, quod adultus neque in articulo mortis potest aliquid ministrare pro obtinendo Baptismo, dicens tunc ei sufficere ad salutem Baptismum flaminis. Sed quæcumque sit intelligentia hujus doctrinæ Angelici Doctoris, communiter *Bon. Salm. & Ronc.* (*Bon. de Sim. D.* 1. *q.* 4. §. 2. *n.* 2. *Salm. tr.* 19. *eod. tit. n.* 12. *Ronc. eod. tit. pag.* 211. *in Praxi n.* 3.), *cum Suar. Less. Sanch. Laym. Castrop.* & aliis affirmant posse dari pecuniam in extrema, & etiam in gravi necessitate Sacramenti. Ratio, quia ex una parte traditio pecuniæ non est intrinsece mala; ipsa enim est cooperatio materialis, non formalis, cum non cooperetur pravæ voluntati Ministri, juxta dicta *caput IV. num.* 31. *&* 32. Ex alia ipse suscipiens non committit simoniam, cum non tradat pecuniam ad emendum Sacramentum, sed tantum ad redimendam vexationem Ministri Sacramentum injuste denegantis: & ideo dat temporale pro re mere temporali: tantoque magis id currit, si suscipiens est fidelis, quia tunc habet jus ad Sacramentum, dum idem *D. Th.* (*ib. ad* 5.) docet post jus quæsitum licere cuivis dare pecuniam ad tollendum injustum impedimentum. Idque admittunt *Suar. Fill. & Croix*, non solum pro obtinendo Baptismo, & Pœnitentia, sed etiam Viatico; & *Bonac.* extendit etiam ad Extremam Unctionem.

De *Effectu* Sacramentorum. Duplex est Sacra- 22
mentorum effectus, collatio gratiæ, & impressio characteris. Primus ergo effectus est gratia. Duplex autem gratia confertur in Sacramentis, gratia *Sanctificans*, nempe quæ reddit hominem amicum Dei, & gratia *Sacramentalis*, quæ est propria & peculiaris uniuscujusque Sacramenti, ad causandum effectum proprium Sacramenti illius, nempe Baptismi, ad abluendum a culpis; Confirmationis ad roborandum in fide; Eucharistiæ, ad reficiendam animam: Pœnitentiæ ad delenda peccata; Extremæ Unctionis, ad vim conferendam adversus dæmonum tentationes in extremo agone; Ordinis, ad conferenda auxilia, ut Ordinatus recte sua munia exerceat: & Matrimonii, ut conjuges illius onera & obligationes bene sustineant & adimpleant.

Sacramenta in suscipiente disposito causant gra- 23
tiam *ex opere operato*, idest ex se, non *ex opere operantis*, scilicet ex merito suscipientis. An autem causent physice, ita ut materia Sacramenti, nempe aqua, oleum &c. licite sit causa tantum naturalis, elevetur tamen a Deo ad causandam gratiam, ut docet *D. Th.*; Vel tantum moraliter, ita ut, posito Sacramento, Deus per se conferat gratiam, ut vult *Scotus?* Utraque sententia est probabilis (*lib.* 7. *n.* 7.). Sacramenta autem mortuorum, ut Baptismus, & Pœnitentia, per se habent causare primam gratiam. Alia vero Sacramenta, quæ sunt vivorum, tantum augmentum gratiæ causant: sed aliquando in attritis, qui reputant se contritos, causant etiam primam gratiam, ut docet *D. Th.* de Eucharistia, & de Extrema Unctione, & sequuntur *Gon. Conc. Ronc. Suar. Bon. Salm. &c.* (*L.* 6. *n.* 6.).

Alter effectus Sacramentorum est character. Cha- 24
racter autem est *Quoddam signaculum spirituale indelebile*, *impressum animæ suscipientis Sacramentum:* Illud imprimitur tantum in Baptismo, Confirmatione, & Ordine: & significat potestatem, sivè dignitatem ex hujusmodi Sacramentis susceptam: in Baptismo enim est signum *Ovium* Christi; quo fideles efficiuntur idonei ad alia Sacramenta recipienda: in Confirmatione est signum *Militum Christi*; quo vim accipiunt ad fidem constanter profitendam: in Ordine est signum *Ministrorum* Christi; quo potestatem acquirunt ad Sacramenta fidelibus ministranda. Imprimitur autem character etiam in Sacramento illicite suscepto: nec amittitur per peccatum. Notandum insuper, quod ex Baptismo, & Confirmatione oritur alius effectus, nempe impedimentum cognationis spiritualis, quæ dirimit Matrimonium inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem. Item inter susceptorem (sive patrinum) & susceptum, susceptique patrem & matrem.

CAPUT II.

De Sacramento Ordinis in genere.

Quid sit Ordo. 25. *Quid ordinatio.* 26. *Quot sint Ordines; & an Episcopatus sit Ordo distinctus.* 27. *An singuli Ordines sint Sacramenta.* 28. *Quænam Materia & Forma Ordinis; & de tactu physico, & simultaneo.* 29. *Quis Minister.* 30. *Effectus.* 31. *Requisita, ut quis valide ordinetur.* 32. *Ut autem licite, requiritur I. Confirmatio. II. Ut non sit infamis &c. An protestatio Episcopi &c. III. Animus clericandi. IV. Ut ab Episcopo proprio &c.* 33. *Quis sit Episcopus proprius. Regulares a quo &c.* remissive. 34. *V. Scientia.* 35. *&* 36. *VI. Titulus; & quotuplex sit Titulus.* 37. *&* 38. *De Patrimonio ficto.* 39. *VII. Ut Ordo inferior suscipiatur ante superiorem. VIII. Tempus debitum.* 40. *IX. Interstitia.* 41. *&* 42. *X. Locus. XI. Ætas.* 43. *&* 44. *XII. Exercitium Ordinis suscepti. XIII. Vocatio divina.* 45. *Qui incurrant suspensionem &c.* 46.

25 Ordo est, juxta D. Thomam, *Signaculum Ecclesiæ, quo traditur Ordinato potestas spiritualis.* Est de fide Ordinem esse Sacramentum, ut patet ex Trid. *sess.* 23. *c.* 3. Nam in Ordine jam reperiuntur tria requisita ad Sacramentum, nempe signum externum, quod est impositio manuum: Institutio Christi, prout habetur ex Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem;* & promissio gratiæ, ut habetur ex Apost. 1. *ad Tim. Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum.*

26 Differt autem Ordo ab Ordinatione. *Ordo* est ipsa potestas tradita; *Ordinatio* vero est actio, qua Episcopus potestatem tradit. Unde Presbyteratus est Sacramentum in fieri, scilicet in actu Ordinationis, non autem in facto esse, scilicet cum quis jam ordinatus est. Septem sunt Ordines, alii minores, alii majores. Minores sunt quatuor, nempe *Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolythatus.* Majores sunt tres, nempe *Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus,* Præter hos probabiliter plures DD. addunt Ordinem Episcopatus, & ita quidem valde probabiliter, & communius tenent *Bellarm. Sanch. Hab. Tourn. &c.* cum ipse rationabiliter distinguatur a Presbyteratu propter distinctam potestatem, quæ traditur Episcopo conferendi aliis potestatem consecrandi Corpus Christi, & absolvendi fideles a peccatis (*Vide lib.* 6. *n.* 738.)

27 Quær. I. an singuli Ordines sint Sacramenta? Quod Sacerdotium sit Sacramentum, est de fide. Quod etiam Diaconatus Sacramentum sit, est certum, sed non de fide. Quod alii autem Ordines sint adhuc Sacramenta, satis probabile est ex D. Th., cum unicuique ordini assignata videatur materia, & forma. Omnes autem septem Ordines (juxta hanc sententiam) unum tantum Sacramentum constituunt ex unitate finis, cum singuli sint ordinati ad unum Missæ Sacrificium conficiendum, & omnes supponuntur instituti a Christo illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* In Ordine enim Sacerdotii alii vel continentur eminenter, ut sunt Ordines inferiores, vel consequenter respectu ad Episcopatum. Verumtamen probabilius est alios Ordines (præter Presbyteratum, & Diaconatum, ut diximus) non esse Sacramenta; quia deest in illis materia, nempe impositio manuum, quam (ut mox dicemus) probabilius est esse unicam materiam Ordinis; deestque etiam forma, quæ exprimat productionem gratiæ, dum in collatione præfatorum Ordinum non fit mentio gratiæ, sed tantum potestatis quæ traditur (*l.* 6. *n.* 736. *&* 737.) *De hac quæstione fusius dictum est Cap. XVII. n.* 14.

28 Quær. II. quænam est materia & forma Ordinis? Tres sunt sententiæ. I. tenet materiam Ordinis esse solam traditionem instrumentorum; sed hæc non est satis probabilis. II. tenet materiam proximam esse duplicem integralem, scilicet traditionem instrumentorum, qua traditur potestas super corpus reale Jesu Christi ad sacrificandum, cum forma: *Accipe potestatem &c.* & impositionem manuum, qua traditur potestas super corpus mysticum ad peccata absolvenda, cum forma: *Accipe Spiritum sanctum &c.* Materia autem remota (juxta hanc sententiam) sunt manus Episcopi, & instrumenta quæ ad tangendum ab eo traduntur. III. Probabilior tenet materiam unice esse impositionem manuum; formamque esse orationem quam profert Episcopus. (*Quomodo hoc probatur, videnda quæ dicta sunt Cap. XVII. n.* 16.) Attamen quia II. sententia est etiam probabilis, nempe duplicem esse materiam Ordinis, scilicet impositionem manuum, & traditionem instrumentorum, ipsa omnino in praxi sequenda est. Unde necessario requiritur in Ordinatione tactus instrumentorum, & tactus quidem physicus, cum probabile etiam sit moralem non sufficere. Sufficit vero tangere una sola manu, vel digito (*ibid. n.* 734.). Non oportet autem (ut diximus *n.* 6.) ut contactus fiat a principio prolationis formæ usque ad finem; sed sufficit si fiat antequam forma terminetur, vel postquam illa sit incœpta. Forma autem sunt verba quæ profert Episcopus ordinans, cum manus imponit, & instrumenta tradit, ut supra dictum est, Sedulo hic rursus notandum 1. quod in Ordine sacro conferendo materia tradenda est ab eodem Episcopo, qui formam profert; secus in collatione Ordinum minorum: ita *D. Th.* (*Suppl. qu.* 38. *art.* 1. *ad* 2.) & alii. Notandum 2. quod si conferantur Ordines ab uno Episcopo, alio tamen celebrante, Ordinatio erit valida, sed illicita, ut declaravit Innoc. XIII. apud Benedict. XIV. (*De Synod.* 7. *c.* 26. *n.* 7.)

29 Quær. III. quis sit minister Ordinis? Minister Ordinarius hujus Sacramenti est tantum Episcopus. Potest vero Pontifex simplici Sacerdoti potestatem impertiri conferendi Ordines minores, prout eam habent Abbates mitrati; sed habent pro suis subditis tantum regularibus professis, vel novitiis, non autem pro sæcularibus, ut hodie certum est Decreto Sacr. Congr. Conc.; approbato ab Urbano VIII. qui jussit illud *inviolabiliter observari, reprobata omni contraria opinione* (*Lib.* 6. *n.* 763. *&* 764.): vide dicta *in Cap. XX. de Privil. n.* 113. *ad* 116. Sæculares autem ab Abbatibus ordinati,

nati, si sint eis subditi, vel habeant dimissoriales litteras a propriis Ordinariis ad ipsos; illicite quidem ordinantur, & suspensionem incurrunt, sed valide ordinantur, ut declaravit Sacr. Congr. vide dicta *eod. Cap. XX. l. c.*

30 Quær. 4. Quinam sint effectus Ordinis? sunt tres 1. Collatio gratiæ *Sanctificantis*, scilicet quæ confertur in omni Sacramento, ut diximus *n.* 22. & gratiæ *Sacramentalis*, nempe specialis auxilii ad Ordinem bene exercendum. 2. Collatio potestatis exercendi functiones Ordinis, qui suscipitur. 3. Impressio Characteris indelebilis, ob quod nullius Ordinis collatio iterari potest.

31 Quær. 5. quæ requirantur: ut quis valide, & licite ordinetur? ut valide ordinetur, requiritur. I. Ut sit viator. II. Ut sit mas; fœminæ enim non sunt capaces Sacramenti Ordinis. III. Ut sit baptizatus. IV. Ut habeat intentionem saltem habitualem (juxta dicta *n.* 9.) suscipiendi Ordinem.

32 Ut autem licite ordinetur, requiritur I. ut sit *Confirmatus*: sed hoc non sub præcepto gravi, ut vult communis sententia (*n.* 786.. Quoad obligationem vero cujusque fidelis suscipiendi Confirmationem, vide dicta *Tom. II. Cap. XIV. n.* 55. *in fin.* II. ut non sit neophytus, aut infamis, aut irregularis. Dubitatur hic, an aliquis irregularitate irretitus valide ordinetur, si Episcopus protestationem præmittat (ut consuetum est) nolle ordinare irregulares, excommunicatos &c.? Respondeo, in dubio (quicquid alii dicant) omnino dicendum, quod Ordinatio repetenda est; nisi constet Episcopum verba illa protulisse tantum ad terrorem, ac suam intentionem protestationi minime alligasse (*ibid. n.* 783.) Cæterum sapienter monet Bened. XIV. *de Sacr. Miss. sect.* 2. §. 70. ex Decreto Sacr. Congreg. Concil. super id interrogandum esse Episcopum de sua intentione habita. Idem autem Benedictus *de Syn. l.* 8. *c.* 6. *n.* 1. monet Episcopos, ut se abstineant ab hac protestatione; quamvis enim (inquit cum *Lugo*) posset aliquando Episcopus, existente gravissima causa, habere intentionem conditionatam, hæc tamen universaliter erga omnes promovendos nequit haberi sine pluribus inconvenientibus. Additque cum *Navarro*, *Gobato*, & eodem *Lugo*, quod Episcopus, Ordines conferendo, tenetur sub gravi culpa eos absolute conferre quibus manus imponit. Quid ergo (merito concludit) proderit protestatio illa, nisi ad ingerendos plures scrupulos in eos qui promoventur? III. Requiritur *Animus clericandi*, ut præscribitur in Trident. *sess.* 33. *c.* 4 scilicet ascendendi ad Ordines superiores. Hoc tamen intelligendum procedere, cum quis acceptat beneficium ad quod requiritur Sacerdotium, vel alius Ordo sacer (*n.* 685.). IV. Requiritur, ut *quisque ordinetur a proprio Episcopo*, vel ab alio, sed cum litteris dimissorialibus Episcopi proprii, si hic est impeditus ex infirmitate, aut alia justa causa. Capitulum vero sede vacante hodie (quidquid fuerit antiquitus) nequit dare alicui dimissorias, nisi ille sit arctatus ad Ordinem suscipiendum ob aliquod beneficium requirens obsequium personale (*n.* 788.).

33 Proprius autem Episcopus dicitur vel ratione originis, vel domicilii, vel beneficii, vel familiaritatis. E. I. debent Ordines suscipi ab Episcopo *Originis*, si Ordinandus in ejus diœcesi natus est, & parentes tempore nativitatis ibidem domicilium habuerint; nam si casu alicubi natus esset, & parentes alibi domicilium habuerint, tunc dicitur *Oriundus*, & ordinari debet ab Episcopo loci, ubi parentes domicilium habent. II. Ratione *Domicilii* bene ordinatur, qui in aliquo loco habitationem suam constituit, cum animo ibi perpetuo manendi, Hic autem animus probatur, vel per habitationem decennii, vel per ædificationem domus cum asportatione majoris partis bonorum, degendo ibi simul per aliquod notabile tempus, ut habetur in Bulla *Speculatores* (*Vide l.* 6. *n.* 790. *ad V.*). III. Ratione *Beneficii*, licet aliquis alibi natus fuerit & domicilium habeat, bene potest ordinari ab Episcopo, in cujus diœcesi beneficium sufficiens ad congruam sustentationem possidet, obtentis tamen litteris testimonialibus ab Episcopo domicilii; a quo tamen potest examinari, si illuc reversurus est, ex *Bulla Apostolici Min.* Sed hic advertendum, quod uti quis possit ordinari ab Episcopo beneficii, debet esse saltem tonsuratus, alias non est capax beneficii, & ideo neque habilis ad Ordines ab illo Episcopo suscipiendos. IV. Denique ratione *familiaritatis*, si quis per triennium in familia, vel servitio assiduo alicujus Episcopi permanserit, vivendo ejusdem Episcopi expensis, etiamsi non habitet in illius ædibus, potest ab illo ordinari, modo degat in loco ubi est Episcopus, vel prope; & modo Episcopo statim ei conferat verum beneficium; non enim sufficit, si assignet pensionem, aut patrimonium (*ibid. n.* 780.)

Regulares autem ordinandi sunt ab Episcopo lo- 34
ci, ubi morantur de familia, si Episcopus Ordinationem habeat temporibus statutis; alias a quocumque Episcopo ordinari possunt. Vide circa hoc dicta *Cap. XX. n.* 113.

V. Requiritur *Scientia* Ordini suscipiendo conve- 35
niens. Concil. Trident. pro initiandis ad primam Tonsuram tantum requirit, ut ipsi *edocti fuerint rudimenta fidei, & sciant legere, & scribere. sess.* 23. *c.* 3. Pro initiandis ad Ordines minores, *ut linguam latinam intelligant, l. c. cap.* 2. Pro initiandis ad Subdiaconatum, & Diaconatum, *ut sint litteris, & iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi, c.* 13. Demum pro initiandis ad Sacerdotium, *ut ipsi ad populum docendum ea quæ omnibus scire necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta diligenti examine præcedente idonei comprobentur. Idem Trid. cap.* 14. & 25. Notent Ordinandi & Ordinantes verba illa, *ad ministranda Sacramenta;* ideo enim dicunt DD. quod initiandi ad Sacerdotium scire debent, non solum quæ pertinent ad Baptismum, Eucharistiam &c. sed etiam ad Pœnitentiam; nam licet Presbyterandus non indigeat tanta scientia, qua indiget Confessarius approbatus, debet tamen saltem scire universalia principia moralia, quibus solvere possit dubia communiter occurrentia in casu necessitatis, quo teneatur moribundi Confessionem excipere, & specialiter omnino scire tenetur, quomodo se gerere debeat cum fidelibus morti proximis nempe 1. Quando possunt eos absolvere, etiam in præsentia Confessari approbati? 2. Quando absolute, & quando conditionate? 3. An non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis, & in quali periculo? 4. Quid debeat imponere infirmo, si habeat casus vel

cen-

censuras reservatas? Vide quæ infra breviter super hac obligatione dicentur *n.* 150. Cæterum bene potest Episcopus a suis majorem scientiam, quam requirit Concilium, requirere (*Lib.* 6. *n.* 791. *v. Advert.* 2.)

56 Verum in Regularibus addictis ad vitam contemplativam, vel tantum ad chorum, & altare, vel sacristiam, minor scientia requiritur, modo sciant præstare quæ pertinent ad Ordinis exercitium; & ideo saltem in Grammatica debent esse edocti, alias erunt irregulares, etiam de jure divino, ita ut nec Papa posset cum eis dispensare. Hæc tamen irregularitas, sublata causa ignorantiæ, absque dispensatione de se aufertur (*n.* 791. *Qu.* 2. & 3.

57 VI. Requiritur *Titulus sustentationis*, aliter Episcopus Ordinem, vel dimissorias tribuens, tenetur ipse ordinatum alere, usque dum ille titulum habeat, ita ex cap. *Cum secundum, de Præb. & cap. recipimus; de ætate & qualit. etc.* Id tamen intelligendum, nisi Episcopus inculpabiliter deceptus fuerit, vel nisi ordinatus jam aliunde habeat unde vivere (*l.* 6. *n.* 813.)

58 Titulus autem sustentationis triplex esse potest, paupertatis, beneficii, & patrimonii. Titulo *Paupertatis* soli Regulares professi ordinari valent. Sæculares vero ordinari debent ad titulum *beneficii*, quod sit certum de præsenti, & sufficiens ad congruam sustentationem; juxta taxam diœcesis, originis, vel beneficii, si beneficium requirat residentiam (*ibid. n.* 815. *et* 816.). Nota quod Sacr. Congreg. die 17. Julii 1723. remisit arbitrio Episcopi, si detrahenda sint, an non onera Missarum ex beneficio, vel capellania (*n.* 774.). Ad titulum vero *Patrimonii* tantum pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum possunt Episcopi ordinare sæculares, ut præscribit Trident. *sess.* 21. *c.* 2. Patrimonium autem constitui debet super re certa, & stabili, ac de sua natura frugifera, pacifice possessa, & libera ab omni onere. Sufficit etiam census perpetuus, quamvis sit redimibilis (*n.* 817.).

59 Hic autem dubitatur 1. an incurrat suspensionem, qui ordinatur cum patrimonio ficto. Alii probabiliter negant; sed probabilius alii affirmant; idque certum est in diœcesi Neapolitana (*l.* 6. *n.* 820. & 821.). Dubit. 2. juxta prædictam probabiliorem sententiam, an incurrat etiam suspensionem qui ordinatur cum patrimonio vere donato, sed data antacopa, vel fide de reddendo illo donanti post Ordinationem? distinguo: Si donans verum habuerit animum donandi, non incurrit, quia pactum illud de reddendo patrimonio tanquam nullum rejicitur, ut S. Congr. declaravit (dum Sacra Congregat. insuper pluries declaravit quamcumque alienationem patrimonii sine licentia Episcopi esse invalidam). Secus si donans haud habuerit intentionem donandi, quia tunc donatarius nullum rei dominium adeptus est (*ib. n.* 822. *ad* 824.)

40 VII. Requiritur, *ut Ordo inferior ante superiorem suscipiatur*, alias qui per saltum ordinatur, suspensionem ipso facto incurrit ab exercitio Ordinis suscepti, donec Episcopus dispenset (*l.* 6. *num.* 793.).

VIII. Ut Ordo suscipiatur *tempore debito*. Ordines majores possunt suscipi tantum in sabbatis quatuor temporum; sabbato ante Dominicam passionis, & sabbato sancto. Minores vero possunt accipi in quolibet festo de præcepto, & etiam in feria sexta ante sabbatum generalis Ordinationis, & feria quarta quatuor Temporum, juxta consuetudinem receptam. Attamen apud Ferrar. Biblioth. t. 5. verb. Ordo n. 7. affertur Decretum Sacræ Congr. Conc. 13. Apr. 1720. ubi dicitur, quoad Ordines minores posse tolerari consuetudinem si sit immemorabilis, quod ministrentur pridie in die Veneris post prandium, sed expedire in hoc ut Episcopus se conformet Pontificali Romano. Qui autem ordinatur extra tempora, suspensionem ipso facto incurrit (*Lib.* 6. *n.* 794.)

IX. Requiritur, ut Ordines suscipiantur per debita temporum *Interstitia*. Et 1. inter Ordines minores requiritur aliquod intervallum: dicitur *aliquod*, quia illud minime determinatum est a Trident. in *Sess.* 23. *c.* 111. ubi etiam additur: *Nisi aliud Episcopo expedire videretur*. Potest tamen libere Episcopus primam Tonsuram cum aliquo Ordine minore conferre. II. Ut a minoribus ascendatur ad Subdiaconatum, requiritur anni spatium: *Nisi necessitas, aut Ecclesiæ* (intelligitur cui Ordinandus est adscriptus) *utilitas judicio Episcopi aliud exposcat*: ut habetur in Trident, *l. c.* III. Ut ascendatur a Subdiaconatu ad Diaconatum requiritur etiam anni spatium, sed Episcopus in hoc ex quavis rationabili causa dispensare potest; nam in Trid. *c.* 13. dicitur *Nisi aliud Episcopo videatur*. IV. Denique, ut a Diaconatu ascendatur ad Sacerdotium, requiritur saltem anni intervallum: *Nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur*, ut in Trident. *c.* 14. Nota hic *utilitatem ac necessitatem*, intellige necessitatem moralem, nempe utilitatem notabilem, & certam propriæ Ecclesiæ. 41

Hinc autem notandum 1. quod suscipiens duos Ordines sacros eodem die, suspensionem ipso facto ab ultimo Ordine suscepto, & insuper irregularitatem incurrit (*Lib.* 6. *n.* 796.). Qui vero eodem die susciperet quatuor Ordines minores una cum Subdiaconatu, graviter quidem peccaret, sed non incurreret suspensionem (*n.* 797. *et seq.*). Notandum 2. quod si quis ordinatur non servatis interstitiis, sed diversis diebus, & legitimis temporibus, peccat etiam graviter, sed probabilius suspensionem neque incurrit (*n.* 796. *vers. D.* 2.). Notandum 3. quod Regulares ex suis Pontificiis Privilegiis bene possunt extra tempora ordinari cum licentia suorum Prælatorum, juxta dicta *in Cap. XX. de Privileg. n.* 115. *et* 116. Debent tamen ordinari in festo de præcepto, ut probabilius dicendum (*n.* 797. *Dub.* 4.). Notandum 4. quod si quis Sacerdotium susciperet, omisso Diaconatu, esset quidem valide ordinatus, sed non posset Sacerdotio fungi, nisi prius Diaconatum acciperet, ut habetur ex *cap. unico de Cleric. per salt.* Si quis autem Episcopatum susciperet non suscepto Sacerdotio, invalide ordinaretur. 42

X. Requiritur *locus* Ordinationis, nempe ut ipsa fiat in Ecclesia, & ut Episcopus resideat in propria Diœcesi: nam si Episcopus in aliena ordinaret, ipse incurreret suspensionem a Pontificalibus, & ordinatus ab exercitio Ordinis suscepti (*n.* 798. *vers. Adde*). 43

XI. Requiritur *Ætas debita*, quæ pro prima

Ton-

Tonsura debet esse septem annorum, & Neapoli saltem decem. Ordines minores regulariter conferri possunt ab anno 7. ad 14. Subdiaconatus anno 22. Diaconatus anno 23. Sacerdotium anno 25. ex Trident. *Sess.* 23. *c.* 12. Ætas computatur, non a die baptismi, sed nativitatis. Sufficit autem ut annus sit incœptus, prout communis usus habet. Pro Beneficiis simplicibus accipiendis sufficit annus 14. ex Tridentin. *Sess.* 23. *c.* 6. Sed si Beneficium sit curatum, requiritur annus 25. ex Trident. *ibid. c.* 12. Pro Canonicatu annus 22. ex Trident. *Sess.* 22. *c.* 4. Quamvis in Collegiatis sufficiat annus 14. Pro Episcopatu demum requiritur annus 30. *Vide l.* 6. *n.* 799.).

44 Notandum autem, quod si quis scienter ordinatur ante legitimam ætatem, ipso facto perpetuam incurrit suspensionem, a qua absolvi nequit nisi a Papa, vel ab Episcopo, si fuerit occulta, ex *c. liceat*, *Trident. Sess.* 24. *c.* 6. (*cit. n.* 799.) Diximus *scienter*, nam Pius II. hanc suspensionem imposuit tantum eis qui ex *temeritate* sic ordinantur: unde ignorantia crassa illos probabilius ab ea excusat ita ut completa ætate bene poterunt Ordinem exercere (*ibid. Dub.* 1. *et* 3.) An autem qui ante ætatem suscipit Sacerdotium irregularitatem incurrat? Alii affirmant, quia (ut dicunt) Neo-Presbyter concelebrando cum Episcopo, vere consecrat: & ideo jam exercet Ordinem susceptum cum suspensione. Sed alii communius, & valde probabiliter negant, quia æquum non videtur, ut quis eadem actione morali duplicem incurrat pœnam, nempe suspensionem & irregularitatem; testaturque *Suarez* ex stylo Cancellariæ hujusmodi ordinatos non censeri irregulares. Et idem dicendum de Diaconis, & Subdiaconis: nisi in eadem Missa Ordinationis Ordinem jam susceptum exerceant, quia tunc irregularitatem non effugiunt, saltem si ultro ad ministrandum se offerant in Missa Ordinationis (*cit. n.* 799. *Dub.* 3.).

45 XII. Ut initiandus ad Ordinem superiorem ascendere possit, requiritur, ut exercuerit Ordinem prius susceptum; sed juxta *Salm.* (*De Ordin. c.* 4. *n.* 74.) hoc non est de præcepto gravi.

XIII. Ultimo requiritur Vocatio Divina, ex illo Apostoli: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Hebr.* 5. 4. Signa autem divinæ vocationis sunt. 1. Scientia conveniens. 2. Intentio recta vacandi Deo, animarumque saluti. 3. Probitas vitæ, quæ maxime requiritur ad veram vocationem agnoscendam, ex illo Tridentini: *Sciant Episcopi debere ad hos Ordines assumi dignos duntaxat, et quorum probata vita senectus sit. Ses.* 23. *c.* 12. Utque docet D. Thomas (*Suppl. qu.* 35. *art.* 1. *ad* 3.) dicens: *Non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens:* hanc rationem assignans: *Ut sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur, ita et superiores sint merito sanctitatis.* Hinc si quis absque his signis, & consequenter sine vocatione divina ascendit ad altare, nequit a gravi culpa excusari; tum ob gravem præsumptionem, qua non vocatus in sacrum ministerium se intrudit, ut ait S. Anselmus: *Qui enim se ingerit, & propriam gloriam quærit, gratiæ Dei rapinam facit; & ideo non accipit benedictionem, sed maledictionem:* tum ob magnum periculum damnationis, cui se exponit, ut sapienter loquitur Episcopus Abelly: *Qui sciens, nulla divinæ vocationis habita ratione, se in Sacerdotium intruderet, haud dubie seipsum in apertum salutis discrimen injiceret.* Et tanto magis graviter peccant Episcopi, qui tales ad Ordines admittunt transgrediendo præceptum illud Apostoli: *Manus cito ne imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*, 2. *Tim.* 5. Quæ verba exponens S. Leo *Epistola* 1. (*alias* 87.) *ad Afric.* 2. dicit: *Quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici Ordinantem, qualis est ille qui non meruit ordinari?* Ideo in *c. Nullus Dist.* 24. universe Episcopis præcipitur: *Nullus ordinetur, nisi probatus fuerit.*

Refert hic autem una simul adnotare, quinam 46 ex prædictis illegitime ordinati suspensionem ipso facto incurrant. Incurrunt 1. qui ordinantur sine Dimissoriis sui Ordinarii, vel sine ejus Litteris Testimonialibus, cum ordinantur ab Episcopo Beneficii. 2. Qui eodem die duos sacros Ordines suscipiunt. 3. Qui ordinantur extra tempora. 4. Qui ordinantur ab Episcopo manente in aliena Diœcesi, sine licentia Episcopi loci. 5. Qui scienter ordinantur ante legitimam ætatem. 6. Qui Ordinantur per saltum, omisso Ordine præcedenti. Adde ultimo loco, qui ordinantur per simoniam; hic enim manet ipso facto suspensus ab Ordine simoniace suscepto, & impeditur ab ascendendo ad superiores; id tamen non currit, si simonia ab alio sit commissa, ignorante ordinato (*Vide l.* 3. *n.* 109.).

CAPUT III.

DE ORDINIBUS IN SPECIE

ARTICULUS I.

De prima Tonsura.

Quid prima Tonsura? & an sit Ordo? Si quis ordinatur sine Tonsura? 47. *Privilegia Tonsurati.* 48. *De obligatione deferendi habitum, et Tonsuram.* 49. *et* 50. *Qui priventur privilegio Fori, et Canonis.* 51. ?

Prima Tonsura non est Ordo, sed præpara- 47 tio, sive dispositio ad Ordines, cum nullum Officium habeat circa ministerium altaris; ita communiter Theologi cum D. Thoma (*Supp. q.* 40. *art.* 2.). Et probatur ex Trident. *sess.* 24. *c.* 2. ubi Tonsuræ sumptio præcipitur, sicque dicitur: *Ut qui jam Tonsura insigniti essent, per minores ad majores Ordines ascenderent.* Ergo tonsura inter Ordines minime numeratur (*Vide l.* 6. *n.* 634.). Clericus significat *in sortem vocatus*, scilicet ad cultum Deo præstandum. Tonduntur ei capilli in modum coronæ, ad significandam regiam dignitatem eorum, qui in sortem Domini vocantur. Tradit autem Catechismus Romanus, S. Petrum primam Tonsuram instituisse. Ut quis possit tonsurari requiritur 1. ut sit mas: 2. ut sit confirmatus: 3. ut sciat legere & scribere, ac saltem Grammaticam, præter rudimenta fidei: 4. ut habeat animum Deo inserviendi. Qui ordinatur sine Ton-

su-

sura, graviter quidem peccat contra præceptum Tridentini, sed valide ordinatur; verum manet suspensus usque ad beneplacitum Episcopi. Qui autem aliquem Ordinem jam susceperit sine prima Tonsura, non tenetur eam postea recipere, quia per Ordinem susceptum jam fuit factus idoneus ad alios suscipiendos.

48 Effectus, & privilegia Tonsurati hæc sunt: I. Tonsuratus transfertur ad statum Clericalem, unde acquirit privilegium fori, quo eximitur a jurisdictione fori laicalis, modo deferat habitum, & Tonsuram, ac alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat, aut versetur in Seminario, vel in aliqua schola licentia Episcopi, ut habetur in Trident. *Sess.* 23. *c.* 6. II. Acquirit etiam privilegium Canonis, ita ut percutientes ipsum injuriose incurrant excommunicationem reservatam Papæ, si percussio est gravis; Episcopo vero, si levis. III. Tonsuratus fit capax beneficii ecclesiastici, modo habeat 14. annos. IV. Fit capax etiam omnis jurisdictionis ecclesiasticæ ad conferenda beneficia, ferendas censuras, & judicandas causas spirituales.

49 Quær. hic, qualiter peccent, & quas incurrant pœnas Clerici habitum aut Tonsuram non deferentes? & quando propter id privilegio fori & Canonis priventur? Clerici in minoribus, ut communiter DD. ajunt, non peccant graviter, si habitum & Tonsuram non deferant; imo communius *Sotus*, *Nav. Arm. Castrop. Escob. Holzm. &c.* ab omni culpa eos excusant, ex Bulla Sixti V. *Pastoralis*, ann. 1588. 31. Nam ibi ii tantum Clerici declarantur teneri ad habitum deferendum, qui pensionem, aut alia bona ecclesiastica recipiunt, excedentia valorem annuorum 60. aureorum de Camera. Clerici autem Beneficiati, aut in sacris constituti peccant quidem graviter si habitum dimittunt, ut communiter docent *Sanch. Laym. Castrop. Bonac. Salm. &c.* (quidquid dicant *Cajetan. Escob.* & *Gobat.*), dum in Trid. *Sess.* 14. *c.* 6. tales habitum non deferentes de temeritate arguuntur. Valde tamen probabiliter negant eos peccare omnes AA. præfati, si habitum dimittant ad breve tempus, aut ex causa justa se occultandi, puta ad aliquod grave damnum vitandum, id quoad culpam; quod autem ad pœnas pertinet, in Concilio *loc. cit.* sic dicitur: *Si postquam ab Episcopo suo moniti fuerint, habitum non detulerint, per suspensionem ab officio, beneficio, & fructibus, nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint etiam per privationem officiorum, & beneficiorum coerceri debeant.* Ex quo patet has pœnas esse tantum ferendæ sententiæ. Neque huic obstat Bulla Sixti V. *Cum sacrosancta* edita die 4. Jan. 1588. ubi beneficiati non deferentes habitum ipso jure declarantur privati suis beneficiis: nam id dispositum fuit tantum pro Urbe Romæ, & postquam mandatis sub certo termino ipsi non obedierint (*Lib.* 6. *n.* 825.)

50 Idem quod de habitu dicunt *Sanch. Laym. Escob.* & alii de Tonsura, sive corona. Alii tamen, ut *Castrop. Henriq. Renzius*, & *Tamb.* cum *Marchino*, Clericum etiam in sacris, aut Beneficiatum Tonsuram non deferentem non audent damnare de mortali, nisi eam ex contemptu omittat. Cetcrum bene quidem ait *La-Croix* facilius excusandos eos qui Tonsuram, quam qui habitum non deferunt; unde præfatus Auctor nec Sacerdotem Tonsuram per 6. aut 8. Hebdomadas non deferentem damnat de mortali. (*n.* 826.).

Privantur autem beneficiati, sicut etiam ii, qui 51
in sacris sunt constituti habitum non deferentes, privilegio tam Fori quam Canonis, si post tertiam monitionem illum non reassumant, ex *cap. Contingit* 45. *de Sent. excomm.* (*n.* 827.). Simpliciter autem Tonsurati, aut Clerici tantum ad Ordines minores promoti, sine Beneficio, non peccant graviter, sed non gaudent privilegio Fori, si actu habitum non deferant, nec Ecclesiæ inserviant, ut habetur in Trid. *sess.* 23. *c.* 6. Gaudent vero semper ac habitum reassumunt, nisi hoc faciant in fraudem, puta si fuerint in carcere jam conjecti pro criminalibus, vel jam citati in foro laicali pro civilibus (*cit. n.* 827.). Aliter tamen dicunt DD. de privilegio Canonis (*ib.*). An autem peccet, qui Tonsuram suscipit ad accipiendum Beneficium, sine animo permanendi in statu Clericali? Vide opus nostrum morale (*l.* 4. *n.* 115.), ubi dicitur suscipiens peccare, sed probabiliter tantum venialiter.

Hic juvat adnotare id quod statutum habetur anno 1741. in Concordato inter sanctam Sedem, et Carolum III. Regem Regnorum Neapolis, & Siciliarum circa Ordinationem promovendorum ad statum Ecclesiasticum. *I. Niuno potrà esser da ora innanzi promosso alla prima Tonsura se non che a titolo di Beneficio, o Cappellania perpetua, le di cui rendite, detratti i pesi, ascendano almeno alla metà della tassa stabilita pel Patrimonio sagro nella Diocesi del Promovendo. II. Giudicando qualche Vescovo veramente utile, o necessario alla Chiesa, conferir la prima Tonsura a qualche giovine, benchè non abbia verun Beneficio, potrà farlo, ma nel solo caso che abbia il medesimo una Pensione ecclesiastica perpetua della rendita che ascenda almeno alla metà della tassa stabilita pel Patrimonio sagro nella sua Diocesi, o l'intero Patrimonio; il quale per evitar qualunque frode o inganno, non potrà costituirsi da ora innanzi, che unicamente sopra beni stabili, o sopra annue rendite fisse; e dovrà regolarsi a tenore della tassa Sinodale di ciascuna Diocesi, perchè non sia esso Patrimonio nè in minor somma di ventiquattro ducati, nè in maggior di quaranta. III. Oltre al requisito del Beneficio, Cappellania perpetua, o Pensione ecclesiastica perpetua, o dell' intiero Patrimonio, a niuno potrà conferirsi la prima Tonsura, il quale dopo aver terminati dieci anni di sua età, non sia andato a dimorar almeno per un triennio in qualche Seminario, o Convitto ecclesiastico: e dove ciò non possa farsi, non abbia almeno portato per tre anni l' abito Chiericale con licenza del proprio Ordinario, ed in tutto il triennio, o almeno per la maggior parte nelle feste di precetto di ciascun de' tre anni non abbia servito a qualche Chiesa nella maniera che gli sarà dal proprio Vescovo prescritta; computando questo servizio colla dimora, che avrebbe dovuto fare in qualche Seminario, o Convitto ecclesiastico, ec.* Ultimo loco dicitur: *Chiunque sarà promosso alla prima Tonsura, agli Ordini minori, o agli Ordini sagri contra la forma prescritta nel presente regolamento,*

ol-

oltre alle pene di sopra accennate, rimarrà perpetuamente sospeso dall' esercizio dell' Ordine già conferitogli. E chi l' avrà così ordinato, o pure gli avrà a tal effetto concedute le dimissorie, se sarà Vescovo, sarà sospeso per un anno dalla collazione degli Ordini, e dall' esercizio de' Pontificali; e non essendo Vescovo, ma Prelato inferiore coll' uso de' Pontificali, sarà sospeso per sempre dall' esercizio de' medesimi, e non avendo l' uso di essi, come pure qualunque altra persona costituita in dignità, per sempre sarà sospesa dall' esercizio dell' Officio, e de' suoi Ordini.

ARTICULUS II.

De Ordinibus minoribus.

Quot sint Ordines minores. 52. Sect. I. *De Ostiariatu. Materia tradenda est ab ipso Ordinante; & ab eo Missa celebranda.* 53. Sect. II. *De Lectoratu.* 54. Sect. III. *De Exorcistatu.* 54. Sect. IV. *De Acolythatu.* 56.

52 Ordines minores quatuor sunt, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolythatus. Dicuntur ipsi *Minores* propter minora officia, quæ ab Ordinatis exercentur circa Missam, aut in Ecclesia.

Sectio I. *De Ostiariatu.*

53 Ostiariatus *est Ordo, quo confertur potestas aperiendi, claudendi, & custodiendi Ecclesiam.* Officium Ostiarii (præter dicta) est etiam pulsandi campanas, nec non admittendi dignos in Ecclesia, & expellendi indignos, scilicet Infideles, Hæreticos, & Excommunicatos. Materia *Remota* Ostiariatus sunt claves Ecclesiæ: *Proxima* clavium traditio. Forma sunt verba Ordinantis, & dicentis: *Sic age quasi redditurus rationem, pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Ita tradunt AA. qui tenent singulos septem Ordines esse Sacramenta. Claves debent esse propriæ Ecclesiæ, nec possunt aliæ substitui, debentque tangi ab Ordinando. Hic autem denuo adverte id quod notatum est *n.* 29. nempe quod in Sacramento Ordinis Materia omnino tradenda est ab ipso Ordinante, alias Sacramentum invalide ministratur, & ab eodem debet Missa celebrari (*Lib.* 6. *n.* 744.).

Sectio II. *De Lectoratu.*

54 Lectoratus est *Ordo, quo confertur potestas legendi Scripturas sacras in Ecclesia.* Materia *Remota* est liber Prophetiarum, & Epistolarum. *Proxima* illius traditio. Forma sunt verba: *Accipe et esto verbi Dei relator &c.* Officium igitur lectoris est legendi sacras Scripturas (intellige extra Missam, nam in Missa officium est Subdiaconi), ac etiam Cathecumenos instruendi. Si loco libri Epistolarum sive *Lectionarii* traderetur Biblia, aut Breviarium, valida quidem, & etiam licita esset Ordinatio; secus si alius liber.

Sectio III. *De Exorcistatu.*

Exorcistatus *est ordo, quo datur potestas expellendi dæmones ab obsessis, ne eos impediant a Communione.* Materia *Remota* est liber exorcismorum; *Proxima* ejus traditio. Forma: *Accipe, & habe potestatem imponendi manus super energumenos &c.* Exorcismus autem est formula quædam ab Ecclesia instituta ad dæmones fugandos in nomine Jesu Christi. Ut possit autem Exorcista solemniter exorcizare requiritur etiam collatio jurisdictionis, sive licentia Episcopi. Id tamen non est ob jus commune, sed ob particulare præceptum Episcoporum prohibentium exorcizare sine eorum licentia (*n.* 745.). Dictum est *solemniter*, cum quisque fidelis potest privatim imperare dæmonibus, ne noceant, neve impediant fideles ab actionibus sacris (*Vid. l.* 3. *n.* 193. *App. de Adjur. n. IV.* 55

Sectio IV. *De Acolythatu.*

Acolythatus *est ordo, quo datur potestas ferendi Urceolos ad altare, & Candelabra, luminaque in ipso accendendi.* Materia *Remota* sunt Urceoli vacui: *Proxima* eorum traditio. Forma *Accipe Ceroferarium &c.* atque, *Accipe Urceolos, &c.* Utraque materia est essentialis, sed nobilior sunt Urceoli, quia vinum & aqua magis sunt ad Missam necessaria. Hæ autem materiæ sunt partiales, unam totalem constituentes. Character vero non in candelabri, sed in urceolorum traditione imprimitur, quia in ea principalior traditur potestas (*Lib.* 6. *n.* 745.) 56

ARTICULUS III.

De Ordinibus majoribus.

Sectio I. *De Subdiaconatu.*

Quid Subdiaconatus? Materia, Forma, & officium. Si sine manipulo &c. 57. *Requisita.* 58. §. *I. De voto castitatis; & an castitas sit ex voto? Si quis ignoret &c. Si impubes &c. Qui per metum ordinatur &c.* 59.

§. *II. De horis canonicis, Propositiones damnatæ.* 60. *Qui teneantur ad horas? I. Clerici in sacris. II. Religiosi professi. III. Beneficiati.* 61. *Cui facienda restitutio fructuum.* 62. *Si habeant alia onera.* 63. *An excommunicati &c. Et qui sine attentione interna &c.* 64. *Intra primos sex menses. Qui sine culpa omittit. An unum peccatum &c.* 65. *Qui non percipit fructus &c.* 66. *Si beneficium sit tenue.* 67. *An male expendens &c. Canonicus non canens.* 68. *Quæ parva materia &c. An projiciens Breviarium. In dubio an quid omissum.* 69. *Quæ requirantur ad horas recte dicendas? I. Juxta præscriptum. Si permutes officium.* 70. *Si aliò pergis.* 71. *Si advertis errasse. De Litaniis, & officio defunctorum.* 72. *II. Pronunciatio vocalis. Quid in Choro.* 73. *III. Pronunciatio integra. IV. Pronunciatio continuata. V. Ordo horarum. VI. Tempus.* 74. *Intentio, & attentio.* 75. *Causæ excusantes a recitatione.* 76.

§.

§. III. *De censuris in genere*. 77. *ad* 80. §. IV. *De Censuris in specie*, & I. *De excommunicatione*. 81. *ad* 83. II. *De suspensione*. 84. III. *De depositione &c.* 85. IV. *de Interdicto*. 86. V. *De Irregularitate*. 87. *Irregularitates ex delicto*. 88. *Irreg. ex defectu*. 89.

57 Subdiaconatus *est Ordo, quo traditur potestas, per quam Ordinatus potest deferre calicem ad altare, ministrare Diacono, & legere epistolam in Missa*. Materia *Remota* est duplex, nempe Calix vacuus cum patena vacua, necnon liber epistolarum. Materia *Proxima* est horum traditio. Calix autem probabiliter debet esse consecratus, ut plures DD. sentiunt; unde ipsorum sententia in praxi sequenda est (*Lib.* 6. *n.* 747.). Sic etiam omnino requiritur traditio libri epistolarum (*n.* 749. *Dub.* 1.). Forma autem sunt verba Episcopi: *Videte cujus ministerium vobis traditur &c.* Et alia: *Accipe librum Epistolarum*, & *habe potestatem legendi eas &c.* Duplici enim materiæ duplex adhibetur forma partialis. Officium Subdiaconi (ultra prædicta in altari) est deferre Crucem, & lavare corporalia. Peccaret Subdiaconus, si absque manipulo solemniter ministraret in Missa, nisi urgeret necessitas, ut dicit *P. Suar.* (*De Censur. Disp.* 42.) An autem graviter peccet Subdiaconus ministrans in mortali? Vide dicta supra *n.* 14. Clericus (vel etiam Subdiaconus) exercens officium Subdiaconi sine manipulo, vel cum manipulo, sed non intendens ex officio actum illum exercere, non incurrit irregularitatem; quia tunc (*ut ait Bonac.*) exercet tantum officium cantoris. Secus si cum manipulo intenderet exercere officium proprium Subdiaconi (*Vid. l.* 7. *n.* 318.)

58 Ut quis ad Subdiaconatum possit promoveri, requiritur 1. ut sit ordinatus in minoribus. 2. Ætas 21. annorum completorum. 3. Titulus sustentationis (de quo vide infra dicta n. 37. ad 39.). 4. Ut bene sciat quæ pertinent ad suum munus. 5. Examen, quod debet quidem rigorosius esse in Subdiaconis, ut recte advertit *Homobonus* (Pœnitentiarius in Ecclesia Bon.), & signanter circa Subdiaconi obligationes nempe servandi castitatem, recitandi officium, habendi titulum sustentationis; necnon refert Subdiaconos examinare circa Censuras, & Irregularitates, quarum singulatim hic principaliora rudimenta mox infra breviter recensebimus.

§. I. *De voto castitatis*.

59 Subdiaconus ex præcepto S. Gregorii Papæ in *c.* 2. *Dist.* 28. tenetur votum castitatis emittere. Hinc obligatio castitatis in Ordinatis in sacris verius est ex vi voti Ordinibus annexi, quam præcepti Ecclesiæ, ut satis colligitur ex cap. *Cum olim*, *de Cler. Conjug.* Attamen si quis Ordinem suscipiendo expresse nollet castitatem vovere, tunc iste saltem ex præcepto Ecclesiæ ad castitatem teneretur. Hocque dicendum etiamsi nesciret hanc obligationem, modo vellet vere ordinem suscipere: & adhuc si inculpatè nesciret, ut valde probabiliter plures Doctores docent (*Vid. l.* 6. *n.* 809. *Dub.* 1. & 2.). Qui autem ordinaretur ante usum rationis, hic non teneretur ad castitatem. Qui vero ordinatur ante pubertatem, an ad castitatem teneatur? Adest duplex sententia, utraque probabilis (*ibid. n.* 810.). Qui ordinatur per metum extrinsecum injuste incussum, & non habet animum suscipiendi Ordinem, non tenetur ad castitatem, & etiamsi animum haberet, probabilius nec teneretur, quia votum emissum ob metum probabilius est invalidum. Secus si metus fuerit juste incussus, vel si ordinatus scienter suam Ordinationem ratificaret, nempe si ultro Ordinem exerceret (*n.* 811.).

§. II. *De horis Canonicis*.

Primo loco hic refert adnotare plures Propositiones damnatas ab Alexandro VII. nimirum Prop. 5. quæ dicebat: *Restitutio fructuum non debetur ante sententiam*. Prop. 21. *Habens beneficium, si studio vacet, satisfacit recitando per alium*. Prop. 33. *Restitutio fructuum suppletur per eleemosynas ante factas*. Prop. 34. *Satisfacit dicens Officium Paschale pro offcio diei Palmarum*. Prop. 35. *Cum uno Officio potest satisfieri obligationi duorum dierum*. Item Innoc. XI. damnavit Prop. 54. *Qui nequit recitare Mututinum, non tenetur ad alias Horas*. 60

Quær. I. Quinam teneantur ad horas? Tenentur I. Omnes ordinati in sacris; etiamsi sint excommunicati, suspensi, & degradati. Ordinatus autem ad Subdiaconatum in die Ordinationis tenetur ad Horam correspondentem horæ qua ordinatur. Tenentur II. Religiosi professi utriusque sexus. Hoc habetur ex antiqua consuetudine obligante sub gravi, ut tenet communis sententia contra aliquos. Nec valet dicere, quod non constet, an consuetudo recitandi officium sit introducta a Religiosis animo se graviter obligandi; nam respondetur quod cum illa constanter, & tandiu cum magno incommodo ab omnibus Religiosis observata fuerit, præsumptio est pro parte affirmativa; pro qua autem parte stat præsumptio, pro ea stat etiam possessio, regula generalis est (*Vide l.* 4. *n.* 142.). Nullus autem Religiosus, aut Monialis in particulari tenetur sub gravi Horas dicere in choro, ut communiter dicunt *Suar. Salm. Conc. &c.* Modo chorus non tollatur, ad quem requiruntur saltem quatuor expediti. Ad Officium vero non tenentur Religiosi ejecti, sed tenentur profugi (*Ibid. Dub* 1. & 2.). Tenentur III. Beneficiati, alias fructus omnes beneficii restituere debent, ex Concil. Later. V. *sect.* 9. §. *Statuimus*, ubi dictum fuit: *Statuimus, ut quilibet habens beneficium, si post sex menses, obtento beneficio, officium divinum non dixerit, fructus non faciat suos pro rata recitationis*. Et si talis post monitionem adhuc pergit omittere, potest etiam beneficio privari. Deinde Sanctus Pius V. in *Constit.* 186. quæ incipit, *Ex proximo Lateranensi*, decrevit, quod qui relinquit Matutinum, restituat dimidiam partem fructuum correspondentium illi diei: qui ceteras Horas, aliam dimidiam; qui vero unam tantum ex parvis, sextam partem (*Vide l.* 3. *n.* 663.). Et idem dicendum, si quis per plures leves omissiones inter Officium diei ad gravem materiam pertingit (*n.* 608.). Qui autem hodie supplere vellet Officium heri omissum, minime liberatur a restitutione (*n.* 667.), 61

667.), hæcque restitutio debetur ante omnem sententiam, quia conditio recitationis est absolute necessaria ad lucrandos fructus, cum sine ipsa nequeat beneficiarius facere fructus suos, ut præfatum Concilium sancivit (*n.* 665. *& l.* 4. *num.* 145. *Qu. I. vers. Sed dices.*

62 Restitutio autem tunc facienda est vel pauperibus (sufficit cujuscumque loci) vel fabricæ Ecclesiæ, vel domui beneficii, vel in augmentum agrorum ipsius. Potest etiam fieri in refectionem alterius indigentis Ecclesiæ, si propria non eget, vel si fabrica alienæ Ecclesiæ redundaret in utilitatem pauperum. Potest etiam applicari in Missis pro defunctis: & potest Beneficiatus adhuc applicare eam sibi ipsi, si vere pauper sit, modo non faciat in fraudem; *Suarez, Castr. Navarr. Tol. Less. &c.* comm. (*Lib.* 5. *n.* 672.) Si quis autem post omissionem dederit eleemosynas, immemor, vel forte ignorans obligationem restitutionis, probabiliter potest eas computare, ut dicunt *Sanch. Suar. Lug. Salm. Croix &c.* (*n.* 700. *Qu. I. ad vers. Limitant*).

63 Probabiliter dicunt etiam *Sot. Less. Vasq. Bon. Sanch. Salm. &c.* quod si Beneficiatus alia onera habet, quibus jam satisfecerit, non tenetur omnes fructus restituere. Secus tamen dicendum (quidquid dicant alii) de simplici Beneficiato, qui nullam aliud onus haberet, nisi deferendi habitum (*Lib.* 3. *n.* 673. *Qu.* 10.)

64 An autem excommunicatus toleratus teneatur ante sententiam restituere fructus Beneficii, si onera ipsius impleverit? Aliqui affirmant, sed probabilius, & communius alii negant, prout pariter dictum est *C. XIX. n.* 19. *in fin.* quia non tenetur reus nisi post sententiam subire pœnam illam, quæ actionem requirit; ex alia autem parte excommunicati tolerati valide jam Sacramenta ministrant, horasque persolvunt; ita *Laym. Tourn. Castropal. Salm. Bonac. Coninch.* & alii plures (*Lib.* 3. *n.* 670.). Sic etiam probabiliter non tenetur ad restitutionem qui recitat sine attentione interna; cum opinio, quod sufficiat ad satisfaciendum, si habeatur intentio, & attentiò externa sit improbabilis juxta dicenda *n.* 75. (*Lib.* 3. *n.* 669. *& l.* 4. *n.* 677.).

65 Præterea notandum, S. Pium in præfata Constitutione declarasse, quod Beneficiati, si intra primos sex menses officium omittant, licet non teneantur ad restitutionem, tamen non excusantur a peccato mortali (*Vide l.* 3. *n.* 663.). Hinc omnino dicendum quod Beneficiati, etiamsi vellent pro eo tempore fructus restituere, omittendo officium, graviter peccant, cum ipsos ad officium quovis tempore Ecclesia ex motivo Religionis obstrinxerit (*l.* 4. *n.* 145. *Qu. II.*). Graviter igitur peccat qui intra sex menses, (ut dictum est) officium omittit, sed non tenetur ad restitutionem, ut docent *Lessius, Vasq. Conc. Viv.* & communior sententia (contra paucos). Ratio, quia, juxta communem sententiam restitutio fructuum non jam debetur de jure naturali; fructus enim non dantur pro mercede recitationis, sed pro sustentatione Beneficiarii, cum onere tamen officii, imposito ab Ecclesia (ut diximus) ex motivo Religionis; & ideo nulla ante Concil. Lateranense restitutio præcipiebatur. Concilium autem restitutionem præcipit tantum omittentibus post sex menses (*Lib.* 4. *n.* 665. *et* 666.). Ob eandem rationem non tenetur ad restitutionem, qui omittit officii recitationem sine culpa: quia, licet (ut dictum est *n.* 61. *in fin.*) restitutio ante omnem sententiam facienda sit, tamen cum ipsa in pœnam præcepta sit, omnino culpam requirit, ut recte dicunt *Less. Sanch. Conc. Viva* & alii communius, contra paucos (*cit. n.* 665.). Pariter ob eandem rationem Subdiaconus Beneficium habens, si officium omittit, unum tantum committit peccatum, cum ex uno motivo Religionis ad illud teneatur (*Lib.* 4. *n.* 145. *Qu. I.*)

Dubit. 1. an teneatur ad officium Beneficiarius, 66
qui fructus non percipit? Minime tenetur, si ipse non negligenter se gesserit in illis exigendis. Excipe, nisi ipse in pœnam alicujus criminis sit fructibus juste privatus; vel nisi certam spem habeat percipiendi illos sequentibus annis (*Lib.* 3. *n.* 664.). Quid si super Beneficio lis vertatur? Resp. si Beneficiarius nondum acceperit illius possessionem, non tenetur ad officium, nisi per ipsum stet quin statim possessionem adipiscatur. Si vero jam acceperit, tenetur casu quo spem certam habeat vincendi litem, secus si sit in dubio (*c. n.* 664. *v. Quid si*).

Dubit. 2. an teneatur ad officium habens Bene- 67
ficium tenue? alii affirmant, sed alii plures negant, ut *Less. Sanch. Malder. Arag. Rodriq. Molfes. Pelliz.* & alii; quia tenue beneficium ex *cap. Is cui, de Præbend. in* 6. ut verum beneficium non habetur. Dicunt autem, illud esse tenue beneficium, quod non pertingit ad tertiam partem sustentationis, (*Lib.* 3. *n.* 674.).

Dubit. 3. an Beneficiarius male expendens fru- 68
ctus beneficii teneatur ad restitutionem? Plures graves DD. probabiliter negant, ut S. *Antoninus, Less. Gabass. Sanch. Salm.* & alii cum *S. Th.* 2. 2. *qu.* 285. *art.* 7.) qui ait Præbendas haberi ut bona patrimonialia. Alii tamen probabilius, ut *Laym. Bonac. Navarr. Petrocor. Conc. etc.* affirmant, quia beneficiarii ex justitia tenentur fructus superfluos pauperibus, vel locis piis erogare, nam saltem Ecclesia non concedit ipsis dominium fructuum, nisi limitatum ad superfluos erogandos in pauperes (*Lib.* 3. *n.* 492.). Vide dicta *Cap. X. n.* 7. Hic autem sedulo advertendum, quod Summ. Pont. Benedict. XIV. in Brevi ad Cardinalem Delphinum Patriarcham Aquilejensem, emanato die 19. Januar. 1748. declaravit, Canonicos Choro non interessentes, vel ibi *non canentes*, nedum distributiones quotidianas amittere; sed etiam ad restitutionem teneri fructuum suarum Præbendarum (*Ibid. n.* 675. *Dub.* 3.).

Qu. II. Quanta sit obligatio officii? Certum est 69
peccare graviter, qui omittit notabilem officii partem. Ceterum censetur parva materia omissio minoris partis, quam parvæ horæ (*Lib.* 4. *n.* 147.). Qui autem omnes septem horas omittit, verius cum *Less. Sanch. Conc. Tourn.* & communi, unum committit peccatum, quia omnes horæ integrum officium componunt (*Lib.* 4. *n.* 148.). Qui officium projiceret in mare, tot peccata committeret, quot omissiones dierum prævideret; quia singulæ omissiones officii, ad quemlibet diem pertinentes, sunt singulæ transgressiones, & hic, eas jam præ-

videndo, peccaret quidem in causa (*ibid. n.* 149.). An in dubio, utrum aliquid ex officio sit vel ne omissum, sit repetendum? Repetendum quidem in dubio negativo, scilicet si nullum prudens motivum habeas, quod jam dixeris; secus si dubium est positivum, nempe si probabiliter credas dixisse, ita communiter *Navarr. Sanch. Lugo, Tournel. Castr. Salm. Ronc.* (*Vide l.* 4. *n.* 150.).

70 Qu. III. Quæ requirantur ad horas bene recitandas? Requiritur 1. Ut recitentur juxta *Præscriptum Breviarii Romani*. Unde improbabilem censeo opinionem eorum, qui dicunt non peccare mortaliter, qui commutat officium in aliud notabiliter brevius (*n.* 161.). An autem sit mortale mutare in æquale, vel quasi? Adest hinc inde duplex plurimorum sententia. Æquius tamen videtur dicendum cum *Sporer, Ronc. Viva, Laym. Elbel, etc.* esse mortale, si mutatio sit frequens; veniale si raro, puta ter, quater in anno; & nullum, si id aliquando fiat cum causa, nempe itineris, studii &c. Ratio qua licet officium recitandum sit juxta formam individualem Breviarii, ut præcipit S. Pius V. in Bulla *A nobis* descripta in Breviario, dicendo: *Neminem satisfacere, nisi hac sola forma;* tamen probabile est Pontificem in hac forma præscribenda magis respexisse ad formam substantialem, quæ est quantitas officii, quam ad accidentalem, nempe ad illius qualitatem: & ideo commutatio non videtur culpam venialem excedere. Id tamen frequenter facere esset mortalis culpa, quia (ut recte ait *Laym.*) esset perversio ordinis; & gravis quidem, si frequens esset (*Ibid. Qu. III.*).

71 His positis, probabile est I. Quod si alio pergis, potes recitare officium illius loci, nisi fueris Religiosus, quia teneris tunc recitare officium Breviarii tui Ordinis; ita *Laym. Holzm. Bonac. Castrop. et alii*. II. Quod Capellani, & Commensales Cardinalium, & Episcoporum possunt eis conformari in officio: *Holzm.* cum communi, & Decreto Sacr. Congreg. Rituum, & *Clement. Dignum, de Celebr. Miss.* Et idem dicunt DD. de Capellanis, Monialium, *Croix, Holzm. Gob. Stoz. etc.* & de iis qui obeunt exercitia spiritualia apud Religiosos, *Laym. et Gobat.* III. Quod possis recitare officium socii; quia ipsa associatio excusat, modo officium non sit notabiliter brevius, *Viva, Ronc. Henriq. Quintanad. et alii* (*ibid. vers.* Juxta autem).

72 Si quis advertit errasse, postquam multum processit in officio indebito, potest vel prosequi, vel recitare reliquum de proprio, sed melius erit recitare de proprio: nisi vellet alia die non impedita officium dicere de Sancto illo; quod satis probabiliter admittunt plures DD. (*Cit. n.* 161. *Q. V.*). Ex consuetudine autem introducta gravis est obligatio recitandi Litanias S. Marci, & Rogationum, ac officium defunctorum etiam in privato (*Lib.* 4. *n.* 160. *Qu. I. et II.*).

73 Requir. II. *Pronunciatio vocalis*. Hic dubitatur, an recitans debeat se audire? Alii affirmant, alii tamen non improbabiliter negant, ut doctissimus *Sylvius, Tourn. Laym. Azor. Sporer, Salm. Trull. Rod.* & alii, quia in recitatione officii non jubetur auditio, sed pronunciatio, ad quam non oportet elevare vocem, sed sufficit formare aliquem externum sonitum, qui semper adest, cum verba proferuntur (*ibid. n.* 163.). Submisse recitans in Choro bene satisfacit (*ibid. v. An autem*): sed non Canonicus, qui tenetur canere, juxta dicta *n.* 68. *in fin.* Recitanti autem in Choro sufficit si audias alteram partem in confuso, vel tantum unum ex ea. Quid si non satis percipis in materia notabili alteram partem propter culpam Chori, aut socii? alii dicunt quod teneris repetere non auditum. Alii plures negant, quia per ipsam societatem, & tuam applicationem moraliter jam communicas, ita non improbabiliter *Sa, Major, Ronc. Elbel, Salm. Pelliz. Trull.* & alii (*Lib.* 4. *n.* 163. *Qu. II.*). Surdus autem non satisfacit, quidquid alii dicant. Secus vero dicendum de surdastro, si audiat saltem in confuso (*n.* 163. *Qu. III.*).

III. *Pronuntiatio integra*, idest, sine mutilatione, qua sensus verborum notabiliter varietur. Valet tamen officium, si aliqua saltem servetur significatio verborum (*n.* 165.) IV. *Pronunciatio continuata*, scilicet sine interruptione in qualibet hora; quæ autem interruptio inducit veniale, nisi aliqua excuset causa (*num.* 166.) Matutinum autem etiam sine causa potest a Laudibus separari, & sic pariter tres Nocturni, saltem per tres horas (*n.* 167.). Facta tamen interruptione, adhuc culpabili, probabilius non teneris horam repetere, cum quilibet Psalmorum versus suam habeat significationem (*n.* 168.). V. *Horarum Ordo*, scilicet ne invertatur. Inversio tamen non erit, nisi venialis, etiamsi fiat frequenter; & etiam in choro, ut probabilius ajunt *Cajet. Gavant. Laym. Sanch. Bonac. etc.* (*n.* 170. *et* 171.). Celebrare autem Missam ante Matutinum probabilius & communius non est nisi veniale cum *Less. Castrop. Conc. Tourn. Sot. Tolet. Bellarm. Croix, Salm. et aliis pluribus* (*Vide l.* 6. *num.* 347.). VI. *Tempus præfixum*. Tempus Matutini incipit ab hora vesperarum diei antecedentis usque ad meridiem subsequentis (*L.* 4. *n.* 174.). Idque probabiliter procedit etiam de officio defunctorum, extra tamen Chorum (*ib. Qu. II.*), & de hoc adest etiam Decretum Sacr. Congr. Rituum apud Ferraris *Biblioth. tom.* 4. *verb. Litaniæ p.* 495. *Nota ad litt.* (*a*). Non idem currit autem de Litaniis (*Ib. Qu. III.*). An autem satisfaciat dicens Matutinum hora secunda post meridiem? Alii affirmant, ut *Salm.* cum *Sanch. Trull. etc.* dicendo id hodie permitti ex consuetudine introducta. Sed verius negandum cum *Holzm. Croix, et Conc.* quia tunc jam incœpta est hora vesperarum, quæ est media inter meridiem, & occasum; dies enim ecclesiasticus non nisi ab hora Vesperarum incipit. Quod autem consuetudo undique jam introduxerit recitari Matutinum hora secunda post meridiem a majori parte fidelium, juxta dicta de consuetudine (*Cap. II. n.* 79.), hoc probandum esset; sed usquedum non probatur, possidet lex opposita (*ibid. Qu. I.*); tempus autem horarum incipit a media nocte ad meridiem: vesperarum & completarum a meridie ad mediam noctem (*n.* 173. *v. Tempus*). 74

VII. *Intentio, et attentio*. Requiritur *intentio* (scilicet recitandi) saltem virtualis; sufficit pro illa, si ab initio sumpseris breviarium ad recitandum. Communissime autem, & probabilius cum *Suar. Castrop. Less. Tourn. Pont. Vasq. et Croix* 75

cum

cum aliis, non requiritur intentio satisfaciendi obligationi; imo recitans implet, etiamsi positive intendat nolle implere, quia implens non potest non implere, cum satisfactio non pendeat a sua, sed a voluntate legis, sive Ecclesiæ (*n.* 176.). Requiritur insuper *attentio*, saltem externa, scilicet ne apponatur actio incompatibilis cum attentione interna. An autem requiratur etiam interna? alii affirmant requiri internam, quæ sit vel ad Deum, vel ad sensum, vel saltem ad verba, nempe ut recte pronuncientur; quia alias, prout dicunt, non esset oratio. Alii vero plurimi negant, dicentes veram esse orationem; quæ fit cum intentione orandi, & attentione externa: ita *Lug. Palud. Conic. Angel. Sylv. Croix*, & plures alii cum *S. Anton. ex D. Th.* Verba S. Antonini hæc sunt: *Sed si evagatio est advertenter, & solum secundum actum interiorem, licet temeraria & gravis foret, non tamen mortale, nisi per contemptum, quia Ecclesia non habet judicare de actibus mere interioribus; propter quod Minister Ecclesiæ, licet dicendo orationem cogitet aliud, non videtur transgressor præcepti ex natura facti. S. Anton. 3. part. tit. 15. cap. 4. §.* Verba autem S. Thomæ sunt: *Quando aliquis ex proposito mentem ad alia distrahit orando; tunc enim sine culpa non est: præcipue si in aliis sponte se occupat quæ mentem distrahunt, sicut sunt exteriora opera, & si ad contrarium mens evagetur, etiam culpa mortalis erit. In 4. sent. dist. 15. q. 4. art. 2. solut. 4. ad 2.* Juxta igitur D. Thomam evagatio interna non est sine culpa, scilicet veniali, externa autem non sine mortali; & sic id intelligit idem S. Antoninus, dicens: *Unde S. Thomas dicit ibi, quod in oratione, si in aliis sponte se quis occupat in his quæ mentem distrahunt, sicut sunt opera exteriora, etiam culpa mortalis erit. Loco cit.* Ratio autem 1. hujus sententiæ est, quia si attentio interna esset de essentia orationis, ministrans Extremam Unctionem sine attentione interna invalide ministraret, cum forma hujus Sacramenti sit deprecatoria, *Indulgeat tibi Deus &c.* ex illo S. Jacobi: *Orent super eum, ungentes &c. Ep. 5. 14.* Sed id non potest dici, cum constet ex Florentino ad valorem Sacramenti tria tantum requiri, & sufficere, nempe materiam, formam, seu verba a Ministro prolata, & intentionem ipsius faciendi quod facit Ecclesia. Ratio 2. quia si attentio interna de essentia orationis esset, etiam is qui cum involuntaria distractione horas persolveret, nec etiam satisfateret. Propter has rationes minime contemnenda videtur hæc secunda sententia non posse dici improbabilis. Ceterum conveniunt omnes, quod ut dicatur quis non implere, oportet, ut non solum advertat distractionem, sed adhuc, ut plene advertat se distrahi ab officio: alias, licet voluntarie se distrahat, non tamen voluntarie se distrahit a recitatione. Scrupulosus autem propter distractiones nunquam tenetur repetere. Ita *Suar. Sot. Nav. Cajet. Conc.* & alii communiter. Vide lib. 4. n. 177. v. *Ceterum*.

76 Quæritur IV. Quænam causæ excusent a recitatione officii? Excusat I. *Infirmitas* gravis, sive grave incommodum. Laborans autem tertiana vel quartana tenetur recitare, & etiam anticipare, si commode potest. Non tenetur tamen anticipare matutinum in die præcedenti, nullus enim obligatur suo privilegio uti. Si quis commode potest, tenetur dicere officium cum socio. In dubio an ob recitationem graviter lædaris, non teneris; secus in dubio an excuseris, nisi habeas probabilem rationem; sed melius est tunc ut te remittas medico, aut superiori, vel saltem viro prudenti. Quando autem urget morbus, si nequis recitare totum, nec teneris ad partem, quia alias magna superesset tibi scrupulosa anxietas, an pergere possis, vel ne, in reliquis recitandis; ita valde probabiliter *Suar. Nav. Sanch. Lug. Carden. Ronc.* &c. (*Lib. 4. n.* 194.) II. *Impedimentum* justum, puta si quis occupetur in officio charitatis, quod non posset omittere sine scandalo, aut notabili detrimento proprio, aut alieno, v. g. si nequiret differre concionem sine nota, vel confessiones aliorum in magno concursu (*n.* 156.). III. *Cæcitas* (*n.* 157). IV. *Carentia* Breviarii. Teneris tamen dicere quæ mente retines, modo id, quod retines, pertingat ad quantitatem saltem parvæ horæ. Et si cares officio proprio, teneris recitare ex communi. Item si absque magno incommodo potes socium adhibere teneris. An autem Beneficiarius teneatur etiam conducere socium ad horas persolvendas; si nequit solus? Adest duplex sententia probabilis; sed affirmativa est communior & tutior; imo omnino sequenda, si ille velit fructus percipere, cum sola enim probabilitate opinionis oppositæ nequit possessionem fructum inchoare, ut recte ajunt *Less. Soto, Salm. Conc. Tourn. Bonac.* & alii communiter (*Lib. 4. n.* 158. *& vide l. 3. n.* 761. *Qu. II.*) juxta dicta *c. X. n.* 8. *&* 145. V. Excusat *Dispensatio* Pontificis, & etiam proprii Episcopi (ad breve tamen tempus), si adsit causa; puta si dubitetur de morali impotentia (*l. 4. n.* 159.).

§. III. *De Censuris in genere.*

(In hoc paragrapho ponuntur tantum definitiones, divisiones, & principia, relictis quæstionibus, aliisque notitiis, quæ habentur *cap. XIX.* ubi fuse egimus de censuris).

Quærit. I. Quid & quotuplex est censura? *Censura est pœna spiritualis & medicinalis, per quam delinquenti, & contumaci per ecclesiasticam potestatem aufertur usus quorundam spiritualium bonorum.* 77

Dividitur censura 1. in excommunicationem, suspensionem, & interdictum. 2. In eam quæ est *a jure*, nempe quæ fertur per legem generalem & permanentem, & eam quæ est *ab homine*, quæ scilicet fertur a Prælato per particularem sententiam. 3. In eam quæ dicitur *latæ sententiæ*, quæque incurritur ipso facto, & *ferendæ sententiæ*, quæ non incurritur nisi post sententiam, prout sunt censuræ verbis futuri temporis; vide in *cit. cap. XIX. n.* 2. 78

Quær. II. Quis potest ferre censuras? Possunt omnes superiores ecclesiastici habentes jurisdictionem in foro externo, vel ordinariam, prout Pontifex, Concilia, Episcopi, & ipsorum Vicarii, item Vicarii Capitulares, & Capitula Religionum, eorumque Prælati; vel delegatam, ut sunt ii quibus 79

ab

ab habente ordinariam facultas committitur; vide *cap. XIX. num.* 3. Quær. III. Quid requiratur, ut quis possit ligari censuris? Requiritur 1. Ut sit homo. 2. Ut sit baptizatus. 3. Ut sit rationis compos. 4. Ut sit persona determinata. 5. Ut sit subditus. Quoad peregrinos vero vide *ib. n.* 6. Quær. 4. Quid requiratur ad incurrendam gravem censuram, puta excommunicationem majorem vel suspensionem totalem, aut ad longum tempus? Requiritur 1. peccatum grave, & ut materia sit etiam per se gravis, aut saltem valde conducens ad finem intentum. At in dubio superioris præceptum certe ligat. 2. Actus externus. 3. Actus consummatus. 4. Contumacia, ita ut delinquens sciat crimen, non solum vetitum esse jure divino, sed etiam ecclesiastico. Vide autem illationes, quæ ex his inferuntur *cit. cap. XIX. n.* 7. Quær. V. quis possit a censuris absolvere? A censura lata per sententiam particularem ordinarie is tantum potest absolvere, qui eam tulit, vel ejus superior, aut successor, aut delegatus. Ab illa autem quæ lata est a jure, vel ab homine per sententiam generalem (modo non sit reservata), potest absolvere quivis confessarius; vide *ib. n.* 11.

80 Hic autem notandum 1. quod Episcopi ex *c. Liceat* 6. *sess.* 24. in Trid. possunt dispensare in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto; exceptis iis quæ oriuntur ex homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum contentiosum. Item possunt absolvere, a quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum. De hoc vide *Cap. XX. a n.* 29. Hanc autem facultatem potest Episcopus etiam generaliter aliis delegare; *ib. n.* 34. Notandum 2. quod prædicta facultas verius sublata est Episcopis respectu ad hæresim, & alios casus reservatos; vide *n.* 38. Si tamen quis sit impeditus adire Romam, bene potest absolvi ab Episcopo: absolute quidem, si impedimentum est perpetuum: sub juramento vero adeundi Romam, si est temporale, exceptis semper mulieribus, & pueris; vide *ib. n.* 39. *ad* 45. Insuper hic obiter notandum 3. quod excommunicatio Papalis in violantes immunitatem ecclesiasticam, a qua absolvenda Clemens VIII. etiam Regularibus facultatem abstulit, prout diximus in *Cap. XX. n.* 99. illa tantum incurritur ab iis qui violenter & injuste extrahunt ab Ecclesia confugientes ad eam; Clemens enim in suo Decreto nullam aliam excommunicationem Regularibus vetavit absolvere respectu ad violantes immunitatem, quam illam quæ declarata fuit a Gregorio XIV. qui in Bulla 7. declaravit violantes immunitatem, per extractionem confugientis ad Ecclesiam, incurrere ipso facto eamdem excommunicationem Papalem, quæ prius fulminata fuit in violantes libertatem ecclesiasticam a Paulo II. in *Extrav. Etsi Dominici de Pœnit. & Rem.* & a *Sixto IV.* in alia *Extrav. Etsi Dominici*, *eod. tit.* Qui Pontifices hujusmodi excommunicationem ita sibi reservarunt, ut in generali concessione absolvendi a casibus Pontificiis hæc non comprehenderetur. Nec obstat textus in *c. Cum pro tua de Sent. excomm.* ubi, cum aliquis in claustro cujusdam Monasterii quemdam Clericum verberasset, dicitur in textum, illum duplicem incurrisse excommunicationem, unam quia percussit Clericum, alteram, quia læsit immunitatem. Nam communiter notant DD. cum *Fagn. in cit. cap. n.* 10. excommunicationem illam ob læsionem immunitatis impositam fuisse non a jure, sed ab ipso Episcopo; ita *Abbas*, *Cardin. Ancharan.* cum *Innocent.* qui verbo, *Duplicem*, sic adnotavit: *Duplicem*, *idest ob injectionem manuum ipso jure*, *& violationem claustri ab ipso* (Episcopo) *latam*. Hinc *Fagn.* cum aliis in *cap. Inter alia*, *de Immun. Eccl. n.* 102. ut certum habet nullam adesse excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam contra percutientes vel furantes in Ecclesia.

§. IV. De Censuris in specie.

Et I. De Excommunicatione.

Excommunicatio *est censura*, *per quam privatur homo communione ecclesiastica*. Est duplex; *Minor*, quæ privat tantum usu passivo, seu receptione Sacramentorum; vide *cap. XIX. n.* 26. & 27. Et *Major*, quæ privat etiam activo, & omni communicatione, ut infra mox dicemus *n.* 83. 81

Excommunicatus potest esse vel toleratus, vel vitandus. *Toleratus* est quem fideles non tenentur vitare, ex Const. *Ad evitanda*. Concilii Constantiensis, nec etiam in divinis, ut probabilius ajunt DD. vide *ib. n.* 25. Et idem dicitur de suspensis, & interdictis toleratis. *Vitandus* est, quem fideles tenentur vitare. Et dupliciter quis potest esse vitandus, vel quia est nominatim excommunicatus, & denunciatus, vel quia est publicus percussor clerici, vel monachi: ita tamen, ut factum nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari, ut dicitur in *can. Si quis suadente*. 17. *qu.* 4. Vide cit. cap. XIX. *n.* 16. Hæc autem excommunicatio, si percussio est enormis, vel gravis, & publica tantum a Papa absolvitur; nisi percussor sit mulier, aut impuber; hi enim possunt absolvi ab Episcopo, qui potest etiam absolvere a percussione levi adhuc publica; & adhuc a gravi vel enormi, si sit occulta; vide *Cap. XX. n.* 46. *ad* 48. 82

Excommunicatus igitur excommunicatione majori (esto sit toleratus) privatur 1. Suffragiis Ecclesiæ. 2. Beneficiis, ita ut collatio Beneficii ipsi facta sit omnino nulla. 3. Susceptione & administratione Sacramentorum, ac omni usu divinorum officiorum. 4. Omni communicatione spirituali, & civili cum fidelibus. Ex alia parte peccant fideles, si communicant cum excommunicato vitando, sive in divinis, nempe si cum eo Missam audiant, officium recitent; sive in civilibus, scilicet si illum alloquantur, cum eo habitent, societatem ineant, eum salutent, scribant ei; quæ omnia comprehenduntur illo versu: *Os*, *Orare*, *Vale*, *Communio*, *Mensa negatur*. Hi autem communicantes in tribus casibus peccant graviter. 1. Si communicant in divinis. 2. Si in contemptum Ecclesiæ. 3. Si in criminoso, idest si communicant in eodem crimine (puta concubinatu) ob quem ille est excommunicatus; & in hoc tertio casu incurrunt etiam excommunicationem majorem; in aliis vero (regulariter loquendo) peccant tantum venialiter, 83

&

& ligantur sola excommunicatione minori; a qua culpa, & excommunicatione, excusat necessitas, utilitas, lex conjugii, subjectio, & ignorantia, quæ alio versu continentur: *Utile*, *Lex*, *Humile*, *Res ignorata*, *Necesse*. Vide de his Cap. XIX. *in toto* §. II. Dixi, *regulariter loquendo*, nam esto sit probabile quamcumque communicationem civilem cum vitando esse tantum venialem, probabilius tamen est esse mortalem, si sit frequens, cum propositio frequenter cum eo communicandi; vide *ib. num.* 22.

II. *De Suspensione.*

84 *Suspensio est censura, qua clericus functiones aliquas ecclesiasticas exercere prohibetur.* Multipliciter autem dividitur suspensio. 1. Alia est a jure: alia ab homine. 2. Alia fertur ad certum tempus, quo elapso exspirat; alia fertur obsolute, quæ manet donec per absolutionem auferatur. 3. Alia est ab officio, nempe ordinis, vel jurisdictionis; alia a beneficio; & alia ab utroque, tam ab officio, quam a beneficio. Vide quæstiones super hac censura Cap. XIX. *ex n.* 64.

III. *De Depositione.*

85 *Depositio est quæ privat simpliciter omni usu officiorum, & beneficiorum.* Depositio autem alia est *Realis*, quæ dicitur etiam degradatio. Alia *Verbalis*, quæ absolute dicitur depositio. Prima fit cum solemnitate, & privat privilegio tam fori, quam canonis, absque spe restitutionis. Secunda vero fit sine solemnitate, & utroque privilegio retento; vide cap. XIX. *n.* 67.

IV. *De Interdicto.*

86 *Interdictum est censura ecclesiastica prohibens usum tam divinorum officiorum, quam aliorum Sacramentorum, & etiam ecclesiasticæ sepulturæ usum, quatenus talis est.* Dicitur, *quatenus talis est*, quia excommunicatio etiam privat eodem usu, sed quatenus est communicatio cum fidelibus; suspensio autem non impedit proprie usum, sed exercitium potestatis ecclesiasticæ. Interdictum aliud est *Locale*, quod immediate afficit locum; aliud *Personale*, immediate afficiens personas. Potest esse etiam mixtum, quod afficiat immediate tam locum quam incolas. Vide alia Cap. XIX. *n.* 68. Adest etiam *Cessatio a divinis*, quæ definitur: *Prohibitio clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis, & ab ecclesiastica sepultura.* Hæc non est censura, nec imponitur per modum medicinæ, sed tantum in signum mœstitiæ, ob aliquam gravissimam injuriam Deo vel Ecclesiæ irrogatam. Ipsa imponi potest a quibus imponuntur censuræ.

V. *De Irregularitate.*

87 *Irregularitas est impedimentum canonicum, Ordinum sacrorum susceptionem, & susceptorum usum impediens.* Dictum est *impedimentum*, non censura; quia sic vult communior, & probabilior sententia: vide cap. XIX. *n.* 73. Notandum hic 1. quod irregularitas non incurritur, nisi in jure sit expressa, ex c. *Is qui*, *de Sent. exc.* Unde in dubio non incurritur, nisi dubium sit circa homicidium factum; in dubio enim, an quis ad illud concurrerit vel ne, habetur ut irregularis. *ib. n.* 79. & 80. Notandum 2. quod ad incurrendam irregularitatem ex delicto, requiritur saltem scientia legis Ecclesiasticæ prohibentis. An autem etiam scientia pœnæ? Probabiliter adhuc affirmant *Navarr. Sylv. Sanch. Castrop. Ronc. &c.* Vide *ibid. n.* 83. & 84. Irregularitas tollitur 1. per cessationem causæ, si sit ex defectu ætatis, ignorantiæ, aut paupertatis, vel infamiæ facti, quæ tollitur etiam per mutationem loci, aut per emendationem: nam alias, si est juris, scilicet per sententiam, requiritur dispensatio. 2. Per Baptismum (si sit ex delicto). 3. Per dispensationem. 4. Per professionem religiosam; vide *n. ibid.* 85. *ad* 87.

Irregularitas alias est ex *delicto*, alia ex *defectu*. 88
Irregularitates ex *delicto*, sunt sex. I. Ob Baptismum serio, & scienter iteratum, & tunc fit irregularis tam baptizans, quam baptizatus; vide Cap. XIX. *n.* 88. II. Ob violationem censuræ, nempe si quis ea innodatus scienter exercet actum Ordinis solemniter; *n.* 89. III. Ob peccatum, quo clericus scienter & serio actum Ordinis sacri, quem non habet, solemniter exercet; *n.* 89. & 90. IV. Ob aliquas furtivas susceptiones Ordinum idest 1. si quis accipit Ordinem sine approbatione Episcopi, ex *c. de eo qui furt. &c.* 2. Si absque dispensatione ejusdem suscipit eadem die plures Ordines, quorum unus est sacer, ex *c.* 2. & 3. *eod. tit.* 3. Qui post matrimonium contractum ante consummationem accipit Ordinem sacrum, uxore renitente, ex *Extrav. Antiquæ de voto*, vide *cit.* Cap. XIX. *n.* 91. Diximus autem *ob aliquas*, nam aliæ furtivæ Ordinum susceptiones enumeratæ in hac *Ap. n.* 46. inducunt tantum suspensionem (Papæ quidem reservatam, si est publica), sed non irregularitatem. Et idem probabiliter dicendum de eo qui censura irretitus sacrum accipit Ordinem, scil. quod non fiat irregularis nisi in ipsa ordinatione Ordinem ultro exerceat, juxta dicenda hic *n.* 91. V. ob enormia crimina, si sint publica & notoria facto, vel jure, habeantque a jure annexam infamiam, ut sunt adulterium, incestus, sodomia, perjurium in judicio, hæresis, simonia, rapina, lenocinium, exercitium usurarum, raptus mulierum, & similia. Hæc autem irregularitas, si est facti, tollitur per emendationem, si juris, per dispensationem, vide Cap. XIX. *n.* 92. VI. ex injusta mutilatione, & tanto magis ex homicidio voluntario, ex *cap. Si quis* 1. *de Homic. Et ex Clement. un. eod. tit.* Hæcque irregularitas extenditur etiam ad mandantes, consulentes, aut aliter concurrentes, ex *c. Si viduam. Dist.* 50. Vide alia super hoc puncto Cap. XIX. *a.* 64. & *seq.*

Irregularitates autem ex *defectu* sunt octo. I. 89
ex defectu *animæ*, ex quo irregulares sunt 1. amentes, phrenetici, & epileptici. 2. Illiterati, juxta dicta hic *n.* 55. 3. Neophyti, seu recenter conversi. II. ex defectu *corporis*, nempe si quis habet vitium, quod vel impedit congruum exercitium Ordinis, vel notabilem affert indecentiam. Ex primo capite *impedimenti* sunt irregulares cæci, surdi, muti, carentes manu, aut digitis omnibus, aut pollice, vel indice. Ex secundo autem capite *de-*

for-

formitatis sunt irregulares leprosi; carentes nasu, & aliter monstruosi, puta habentes gibbam valde enormem; vide *Cap. XIX. n.* 116. *ad* 125. III. ex defectu *natalium*, ex quo sunt irregulares omnes illegitimi; qui tamen legitimantur, vel per subsequens matrimonium, vel per professionem religiosam, vel per dispensationem Pontificis: vide ibi *n.* 126. *ad* 129. IV. ex defectu *ætatis*, de quo vide dicta hic *n.* 43. & 44. V. ex defectu *Sacramenti*, nempe ex bigamia: dicitur *Sacramenti* eo quod duas ducens uxores nequit apte significare unionem Christi cum Ecclesia, quæ fuit unica ejus sponsa. Bigamia autem triplex est, quæ impedit a susceptione Ordinum, scilicet 1. *Vera*, quando quis cum duabus successive verum contraxit matrimonium. 2. *Interpretativa*; quando quis sola fictione juris censetur duas habuisse uxores, de quo vide cit. *Cap. XIX. n.* 134. *ad* 139. 3. *Similitudinaria*, quæ contrahitur ex attentatione matrimonii (quamvis invalidi) cum corrupta, vel cum virgine, post votum solemne emissum in Religione, vel post susceptionem sacri Ordinis, vide *ibid. n.* 140. VI. ex defectu *infamiæ*, de qua vide dicta hic *n.* 88. ad V. nam irregularitates ex defectu, & ex delicto ob infamiam in idem coincidunt. VII. ex defectu *libertatis*; unde sunt irregulares, 1. omnes servi, proprie dicti. 2. Conjugati. 3. Curiales obligati curiæ propter juramentum, aut stipendium. 4. Milites, saltem quamdiu juramento tenentur; vide *Cap. XIX. n.* 142. *ad* 145. VIII. ex defectu *lenitatis*, scilicet ex licita mutilatione membri, quæ fit a Chirurgis cum incisione, vel adustione; vel ex licito homicidio in bello justo offensivo, aut in judicio per cooperationem activam, efficacem, proximam, & ad occisionem ordinatam, vide *ibid. n.* 146. *ad* 148.

Sectio II. *De Diaconatu.*

Quid Diaconatus? & quæ ipsius materia, & forma? 90. *Officia Diaconi. Censura ligatus &c. De Pœnitentia imposita ab Episcopo an implenda sub gravi.* 91.

90 Diaconatus est *Ordo, quo confertur potestas immediate assistendi Sacerdoti in Missa, porrigendo ei patenam cum hostia, & calicem cum vino: item legendi Evangelium, & prædicandi.* Sententia nobis probabilior (juxta dicta hic *num.* 29.) tenet, unicam Diaconatus materiam esse manuum Episcopi impositionem, unicamque formam esse verba Episcopi: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur &c.* Sed quia altera sententia etiam est probabilis, ideo tenenda, nempe, quod porrectio instrumentorum etiam sit materia integralis partialis; ac propterea dicendum quod materia Diaconatus est duplex, scilicet impositio manus dexteræ Episcopi, cum forma: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* & traditio libri Evangeliorum cum forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium &c.* Ambo autem sunt materiæ & formæ partiales unum Ordinem constituentes. Valeret etiam traditio Bibliæ, quia ibi jam continentur Evangelia. Sed dices: ab initio quomodo ordinabantur Diaconi, quando deerat liber Evangeliorum? Respondetur, Christum Dominum reliquisse Ecclesiæ potestatem determinandi in specie materias, & formas Sacramentorum, quorum ipse non determinavit. Et juxta hanc sententiam character imprimitur in *ipsa libri traditione*, ut dicit D. Thomas, sive in prolatione secundæ formæ (*Lib.* 6. *n.* 748.); ita juxta hanc sententiam, sed vide dicta *Cap. XVII. num.* 14. *ad* 16.

Officia Diaconi (præter dicta) sunt, 1. solemniter baptizare; sed nonnisi de licentia Parochi, & in gravi necessitate: aliàs Diaconus qui baptizat solemniter sine commissione, etiam in necessitate, irregularitatem incurrit. 2. Ministrare Eucharistiam, sed pariter id non licet nisi fiat ex commissione Parochi, & in necessitate gravi, nempe si populus sit communicaturus, & desit Sacerdos, (*l.* 6. *n.* 237. *Qu. I.*); alias si ministrat sine commissione, etiam fit irregularis (*n.* 234.). 3. Deferre pyxidem, aut ostensorium cum Eucharistia. 4. prædicare, & lavare corporalia in defectu Subdiaconi. Diaconus autem censura ligatus irregularitatem incurrit, si ministrat, juxta dicta *n.* 88. ad II. Qui vero irretitus censuris Diaconatum suscipit, non fit irregularis, nisi in missa ordinationis ultro Ordinem susceptum exerceat (*vide l.* 6. *n.* 799. *Dub.* 3. *v. Utrum*). Quæritur an obliget pœnitentia imposita Diaconis & Subdiaconis ab Episcopo recitandi Nocturnum diei currentis, & Sacerdotibus tres Missas celebrandi? Alii affirmant; sed probabiliter alii (ut *Soto, Valentia, Castr. Pelliz. Gobat. &c.*) dicunt dicendas tantum de decentia, non autem de obligatione, saltem non gravi, cum de ea non constet. (*l.* 6. *n.* 829.)

Sectio III. *De Presbyteratu.*

§. I. *Quid Presbyteratus? & quæ materia & forma.* 92. & 93. *De defectibus supplendis.* 94.

§. II. *De Sacrificio Missæ. Quid Sacrificium, & quotuplex?* 95. *Quid Missa?* 69. *Qu.* I. *Quæ requirantur ad Missam? De materia Missæ, & hic de pane.* 97. *De Vino.* 98. *De præsentia materiæ.* 99. *De forma.* 100. *Qu.* II. *Quomodo Christus sit præsens?* 101. *Qu.* III. *Effectus Missæ.* 102. *Pro quibus offerri possit?* 103. *Qu.* IV. *Quotuplex fructus?* 104. *An Missæ sit infiniti valoris?* 105. *Qu.* V. *De stipendio licito.* 106. *Dilatio Missæ.* 107. *Retentio partis eleemosynæ.* 108. *An Parochus &c.* 109. *Applicatio* 110. *Qu.* VI. *Applicatio in celebrando.* 111. *Qu.* VII. *An omnes Rubricæ sint præceptivæ.* 112. *Qu.* VIII. *Quando Missa possit dici? an ante Matutinum? & an in die Cœnæ Domini, & Sabbati sancti?* 113. *Qu.* IX. *Ubi Missa dicenda?* 114. *De pollutione Ecclesiæ.* 115. *Qu.* X. *Quæ requirantur ad celebrandum* I. *Altare.* 116. II. *Calix & patena.* 117. III. *Vestes.* 118. IV. *Corporale.* 119. V. *Palla.* 120. VI. *Missale.* 121. VII. *Crux cum Crucifixo.* 122. *Neo-Presbyteri an consecrent &c.* 123. *An tres Missæ injunctæ &c.* 124. *Missa dicenda alte, breviter &c.* 125. (de Celebrantibus nimia celeritate locuti sumus *Tom. II.* Cap. XV. *a n.* 84.). *De Missis votivis.* 126. *Quando pluries in die &c.* 127. *Si dum celebratur, polluitur Ecclesia, vel accedit excommunicatus.* 128.

§.

§. III. *De potestate Sacerdotali. Sacerdos simplex tantum Eucharistiam potest conficere, & ministrare; & Pœnitentiam in necessitate.* 129. *Scitu necessaria cuilibet Sacerdoti circa ministrandam Pœnitentiam in necessitate.* 130.
§. IV. *De munere docendi & prædicandi.* 131. 132.

§. I. *De Ordine Presbyteratus.*

92 Presbyteratus *est Ordo quo confertur potestas consecrandi Corpus & Sanguinem Jesu Christi, et absolvendi fideles a peccatis.* Ordo autem Sacerdotii institutus fuit a Christo in cœna, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et post resurrectionem, quando dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Quænam est materia Presbyteratus? Juxta nostram probabiliorem sententiam (ut diximus hic *n.* 29. & *Cap.* XVII. *n.* 16,) est unica, nempe secunda impositio manuum Episcopi cum Presbyteris. Sed probabilis est etiam sententia quod sit duplex, nempe traditio calicis cum vino, superposita patena cum hostia, cujus forma, est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium &c.* Et tertia impositio manuum cujus forma: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Et hæc sententia, cum sit probabilis, omnino in praxi tenenda est (*Vide lib.* 6. *n.* 749.): vide dicta *Cap.* XVII. *n.* 16.

93 Hinc dicimus I. quod in ordinatione Sacerdotum una cum calice & patena, tradenda est utraque species, nempe panis, & vini; aliter non daretur directa potestas ad integrum Sacrificium; & eodem tempore debet tradi, cum potestas Sacerdotalis ad sacrificandum sit indivisibilis; ita probabilior sententia, quæ omnino tenenda est (*l.* 6. *n.* 750.). Item debet tradi ab eodem ordinante, & celebrante, ut est *n.* 53. *in fine*. Dicimus II. Quod non sufficit tangere tantum calicem, & non patenam, cum probabilis sit sententia utrumque esse tangendum (*n.* 753.) Dicimus III. quod licet ex communi sententia valide ordinatus sit, qui tantum hostiam, & non patenam tetigit, quia hostia, & vinum sunt materia substantialis, & calix ac patena tantum ob decentiam adhibentur; attamen consultius est, ut talis Ordinatio repetatur, cum quatuor DD. de ea dubitent, & in Pontificali (ubi fit sermo de materia) dicitur: *Et cuppam calicis, & patenam simul tangant* (*n.* 751.). Et idem videtur dicendum de eo qui tangit tantum patenam, & calicem, & non hostiam (*n.* 7. 2.).

94 Quæritur, quando defectus suppleri debeat in Ordinatione Presbyteratus? Si defectus est circa *essentialia*, nempe circa materiam vel formam, omnino Ordinatio repetenda est: & quidem tota, si defectus, sive ejus dubium vertitur quoad traditionem primæ potestatis super Corpus Christi reale: si vero quoad secundam circa corpus mysticum, tantum secunda repeti debet. Si autem defectus est circa *accidentalia*, tunc si est de re levi, puta si ordinatus non dixerit canonem, talis ceremonia (aut similis) non oportet repeti; si autem in re gravi, puta si defuerit unctio manuum, vel si Neo-Presbyter non protulerit verba consecrationis cum Episcopo, tunc defectus quamprimum supplendus est, & ab eodem Episcopo (si fieri potest); alias graviter peccaret ordinatus id negligendo, aut in Ordine ministrando (*l.* 6. *n.* 758.). Quonam autem tempore præfati defectus suppleri debeant? Respondetur quod si sint circa accidentalia, probabiliter quovis tempore suppleri possunt: si vero circa essentialia, idem dicunt *Salm.* cum aliis: sed ex probabiliori, & communiori sententia supplendi sunt temporibus statutis Ordinationum, ut colligitur ex *cap. Presbyter, de Sacr. non iter.* nisi agatur de solo dubio validitatis Ordinationis, ut probabiliter plures DD. opinantur (*Lib.* 6. *n.* 759.).

§. II. *De Sacrificio Missæ.*

Sacrificium (loquendo in genere) sic definitur: 95
Est oblatio rei sensibilis facta Deo per immolationem in signum ejus supremi dominii. Quatruplex autem potest esse Sacrificium: *Latreuticum*, ad Deum colendum: *Eucharisticum*, ad gratias agendas: *Impetratorium*, ad beneficia impetranda: *Propitiatorium*, ad veniam obtinendam.

Missa vero definitur sic: *Est Corporis et Sanguinis Domini Jesu Christi consecratio, et oblatio.* Et est verum Sacrificium, omnium aliorum rationem complectens; eademque est hostia quæ in cruce oblata fuit, *sola ratione offerendi diversa*, ut docet Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. Essentiam Sacrificii alii dicunt consistere in *Consecratione*, alii in *Oblatione*, alii in *Sumptione*, alii demum probabilius in *Consecratione* simul & *Sumptione* ut *Bellarm. Soto, Bonac. Tourn.* (*n.* 105.) Ad essentiam autem Sacrificii probabilius requiritur consecratio utriusque speciei, nempe panis & vini, aliter non satis exprimeretur commemoratio Sacrificii cruenti crucis (*n.* 306.). 96

Quær. 1. Quæ requirantur ad Missam perficiendam? Tria sunt necessaria: *Intentio, materia, et forma.* Requiritur *Intentio* consecrandi, sive conficiendi Sacramentum, saltem virtualis, scilicet quæ perseveret ex intentione actuali prius habita, quam certe habet qui paratur & accedit ad celebrandum, juxta dicta hic *n.* 9. Plura nunc sunt notanda de materia, & forma Missæ. *Materia* est ipse Christus Dominus, realiter existens sub speciebus panis & vini. Panis consecrandus debet esse usualis & communis, ex farina triticea, & aqua naturali (saltem pro majori parte) confectus, igneque coctus per modum panis, & non cum alia materia ex æquo vel quasi permixtus (ut ait *D. Thomas*), ac non corruptus, aut corruptioni proximus, alias non est materia apta. Ut autem sit materia licita, in Ecclesia Latina panis debet esse azymus, in Græca fermentatus (*l.* 6. *n.* 198. *ad* 205.). Hic autem notandum 1. quod si Græcus transit per loca Latinorum (& sic Latinus per Græciam) ubi non sit Ecclesia, in qua ritus Græcus servetur, potest pro suo arbitrio, in azymo & in fermentato celebrare, ita communiter DD. (*n.* 203.). Notandum 2. quod consecrare hostiam fractam, vel maculatam non licet; sed non est mortale nisi fractura vel macula esset valde enormis, ut dicunt *Quarti, Pasqual. et La-Croix* addit cum *Gobato*, quod si fractura deprehendatur post oblationem, talis hostia licite consecrabitur, secluso scandalo populi (*n.* 204.). Notandum 3. quod hostia debet 97

es-

esse figuræ orbicularis, & major pro Sacerdote; si vero major desit, ut dicunt *Roncagl. Quarti, Elbel, Gobat. et Tamb.* probabiliter potest Sacerdos, etiam causa devotionis, consecrare minorem; modo (advertunt) absit populi scandalum; sed addunt, quod hoc scandalum facile præcaveri potest, monendo populum de defectu hostiæ majoris (*n.* 205.)

98 Vinum autem debet esse ex uvis expressum; cui ex gravi præcepto Ecclesiæ modica aqua est in calice admiscenda (ad significandam unionem fidelium cum Christo), quæ saltem non excedat tertiam vini partem; quamvis hanc opinionem aliqui DD. non admittant, nisi vinum sit generosum. Sufficit vero admiscere unam aquæ guttam (*n.* 208. *et* 210.). Non est materia apta vinum ex agresta, nec acetum, nec vappa (idest vinum cujus vis evanuerit), nec lora, vulgo *acquata*. Vinum autem cum alio liquore etsi modico mixtum, vel mustum de uvis tunc expressum, est quidem materia apta ad Sacramentum, sed graviter illicita, ut dicitur in Rubrica; ubi idem docetur de vino, quod *cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre*. Dicunt tamen *La Croix, Gobatus, et Sporer* (*n.* 206. *et* 207.) quod deficiente alio vino, licet uti vino tantum parum acescente: ait enim *Card. Lambertinus* (*Notif.* 77. *n.* 2.) quod præfata Rubrica deducta est ex doctrina S. Thom. 3. *part: q.* 74. *art.* 5. *ad* 2. qui docet non posse quidem Sacramentum confici de aceto, *posse tamen de vino acescenti, quod est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens*. Unde Rubrica non videtur accipienda cum tanto rigore, ut comprehendat omnes etiam primos gradus acrimoniæ, sed tantum illos qui jam proxime incipiunt constituere vinum acescens, vulgo dictum, *vino colla punta*, sive, *andato allo spunto*. Nec licet consecrare in vino congelato, nisi liquefiat dum consecratur (*l.* 6. *cit. n.* 207. *Qu. II.*). Quod autem vinum congelatum sit materia apta, nequit dubitari, dum dicitur in Rubrica. (*de Defect.* §. *in hyeme*): *Si in hyeme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis &c. donec liquefiat*. Ergo per congelationem non corrumpuntur species vini, alias desineret esse ibi sanguis Christi (*vide ib.*). Quid si celebrans in sumptione adverteret vinum esse corruptum? Alii dicunt sufficere ut sola fiat consecratio vini. Sed melius est juxta Rubricam (nisi adsit scandalum) iterum vinum, & novam hostiam consecrare, incipiendo a verbis: *Qui pridie &c.* vide dicta *Cap. XV. n.* 54. Et in dubio an fuerit materia apta, etiam est repetenda consecratio vini sub conditione, ut verius ajunt *Croix, Pasqual. & Aversa* (contra *Tambur. & Spor.*) quia possidet obligatio faciendi Sacramentum integrum (*lib.* 6. *num.* 206. *v. Quoad*).

99 Insuper ad validam consecrationem requiritur, ut materia 1. sit sensibiliter (saltem moraliter) præsens; unde invalide consecratur materia tam valde modica, ut nequeat sensu percipi, aut valde remota, vel posita post tergum, aut parietem. Dicitur vero *saltem* moraliter, quia bene consecrat cæcus, vel existens in tenebris, si aliunde certus sit moraliter de præsentia materiæ (*l.* 6. *n.* 211. *ad* 213.). Requiritur 2. ut sit certa, & determinata, (saltem aliquo modo certo, puta primæ duæ hostiæ ex parte dextera); tunc autem jam consecratur ex intentione virtuali, licet de eâ Sacerdos consecrando obliviscatur (*n.* 214. *ad* 216.). Si autem ciborium tempore consecrationis remanserit extra altare, probabilius est ipsum rursus esse sub conditione consecrandum, ut docet *Card. Lambert.* (*de Sacrif. Missæ l.* 3. *c.* 18. *n.* 6.), tunc enim dubium est an sit facta consecratio (*l.* 6. *n.* 417.). Quoad guttas autem vini separatas, sed intra calicem existentes, ait *La Croix* (*l.* 6. *p.* 1. *n.* 449.) expedire, ut Sacerdos intendat eas consecrare, ne quid sit in calice non consecratum. Sed melius mihi videtur, id intendere de guttis proximis fundo, non vero de remotis (*Vide opus nostrum l.* 6. *n.* 215. *v. Quær.*). Si offerantur hostiæ parvæ paulo post oblationem, licite consecrantur, mentaliter oblatione suppleta, *Gavant. Tanner, Possev. Aversa, &c.* Idque probabiliter fieri potest etiam post canonem incœptum, ut ajunt *Gobat. Quarti, Burgab. Possev. Diana, Tamb. et Card. Lamb.* (*de Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 18. *n.* 5.) saltem si aliter plures communione carerent; aut etiam (censeo) si communicaturus non posset exspectare, vel si persona gravis aut nobilis communionem petat; dum propter hujusmodi causas permittunt *S. Antonin. Sylvest. Bon. Sa, Barb. March. Possev. Gob. Dicast. etc.* dari posse etiam partem hostiæ magnæ, vel dividi hostias minores in plures particulas (*Vide Opus nostrum l.* 6. *n.* 217. *v. IV.*)

Forma autem Eucharistiæ sunt verba, quæ pro- 110
feruntur in consecratione panis & vini. An autem in consecratione vini sola verba, *Hic est calix sanguinis mei*, sint de essentia, vel etiam alia; Utraque est probabilis; sed certe graviter peccat reliqua omittens (*n.* 223.). An vero ad consecrationem requirantur de necessitate Sacramenti verba præcedentia: *Qui pridie quam pateretur &c.* Communis sententia negat, sed *Scotus* dubitat, ejusque sententiam *Du Pasquier, & Contin. Tournely* dicunt non carere omni probabilitate; atque ego dicere improbabilem non audeo (*Vide l.* 6. *n.* 220. *ad* 224.). Forma autem Eucharistiæ debet proferri *recitative, & significative*, idest referendo verba Christi, & applicando illa ad materiam præsentem, ut transmutetur ipsa in Corpus & Sanguinem Christi, ut ajunt *Conc. & Salm. cum D. Thom.* (*Num.* 220. *in fin.*). Si quis autem propter baldutiem diceret, *Hoc est colpus meum*, vel *copus meum;* vel *copu meun*, vel *caliz*, vel *zanguinis*, valide consecrat, ut *Suar. Lug. Croix*, & alii communiter, ex *cap. Retulerunt de Consecrat. D.* 4. ubi Baptisma collatum, *In nomine Patria, & Filia, &c.* validum declaratur; ratio est, quia voces ita sunt constitutæ, ut si aliquando cum vitio proferantur, idem significent, modo alium sensum non ingerant (*num.* 224.). Hic autem advertendum sedulo id quod ait Rubrica (*tit.* 5. *n.* 2.): *Si celebrans non recordetur se dixisse quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet turbari* (scilic. repetere). *Si vero valde probabiliter dubitat se aliquod essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione*.

Quær. II. Quomodo Christus sit præsens in Eu- 101
charistia? Respondetur, Christum in Eucharistia non

non esse præsentem per *productionem*, *nec per adductionem* de cælo, sed per conversionem substantiæ panis in substantiam Corporis Christi, cui conversioni conveniente aptatum est nomen *Transubstantiationis*. Christus autem sub panis, & vini speciebus continetur Sacramentaliter, & ineffabili modo, qui debet credi, sed intelligi non potest (*verbis exprimere vix possumus*, ait Trid. *sess.* 13. *c.* 1.) Salvator enim existit ibi sine extensione partium in ordine ad locum, & tamen est ibi totum Christi Corpus cum anima, & divinitate per concomitantiam: & unaquæque pars Christi ibi extra aliam exsistit. Atque Christus est *totus*, & *integer sub quavis speciei parte*, ut docet Trid. *sess.* 13. *c.* 3. Sed hoc intelligendum, separatione facta, ut habetur ex Trid. in eadem *sess.* 13. *can.* 3. Unde, separatione non facta, remanet quæstio indecisa, an Christus sit totus sub quavis speciei parte. In Eucharistia autem licet non sumatur persona Patris, nec Spiritus S. prout sumitur persona Verbi, quæ est hypostatice humanitati unita, tamen sunt in Eucharistia etiam personæ Patris, & Spiritus S. ob naturalem unionem, sive naturæ divinæ identitatem, quam habent cum Verbo.

02 Quær. III. Quinam sint in Missa offerentes; & quinam effectus Missæ? Offerentes sunt tres: Christus qui est principalis offerens, Ecclesia, & Sacerdos, qui offert ut minister tam Christi, quam Ecclesiæ: ita *Bellarminus* (*de Sacrif. Missæ c.* 4.). Effectus autem Missæ sunt quatuor. I. Est *Remissio peccatorum*, non quidem immediate & per se, sed mediate per auxilium quod in Missa impetratur ad pœnitentiam, qua venia deinde obtinetur; ita communiter *Bellarm. Suar.* & alii cum *D. Thom.* (*in* 4. *dist.* 12. *q.* 2. *art.* 2. *qu.* 2. *ad* 4.), qui ait Missam delere peccata, *in quantum gratiam contritionis impetrat*. Idque recte docent & communissime AA. cum eodem S. Doctore (*l. c. n.* 1. *ad* 1.) contra *Canum*, & *Valentiam*, procedere tam de mortalium, quam venialium culparum remissione (*l.* 6. *n.* 311.) II. Est *Remissio pœnarum*, hæ per Missam immediate remittuntur homini justo, pro quo Missa offertur, communiter *Gon. Suar. Conc. Salm.* aliique cum *D. Th.* (3. *part. qu.* 97. *art.* 5.) dicente quod hoc Sacramentum in quantum est Sacrificium, habet vim satisfactivam. III. Est *Incrementum Gratiæ*, non jam ex opere operato & immediate, ut sentiunt aliqui, sed mediate per auxilia quæ obtinentur ex Missa ad bonos perficiendos actus, quibus gratia augetur, ut docent *Castrop. Vasq. Suar. Lugo &c.* communiter. IV. Est *Impetratio bonorum* tam spiritualium quam temporalium, quatenus animæ prosunt (*l.* 6. *n.* 311. *v. II. Effectus*)

03 Quær. IV. Pro quibus personis possit offerri Missa? Potest pro quibuscumque fidelibus, infantibus, obsessis, & aliis, etsi existant in peccato. An autem pro excommunicatis? Si ipsi sunt vitandi, nequit Sacerdos pro illis offerre Missam nomine Ecclesiæ, sive ut minister Christi, ex *c.* 2. *de Sent. excomm.* Si vero sunt tolerati, probabilius est cum *Sanch. Navarr. Lugo, &c.* contra alios (*lib.* 6. *n.* 309.), posse Sacerdotem pro his offerre Missam etiam nomine Ecclesiæ: licet enim etiam tolerati sint exclusi a communicatione suffragiorum, tamen aliis datum est a Concilio Constantiensi (ut habetur in *Extrav.* Martini V. *Ad evitanda*) libere posse cum ipsis communicare adhuc in divinis, prout dictum est *Cap. XIX. de Censur. n.* 15. Sic pariter probabilius licet offerre Missam pro infidelibus, ut docent *Bellarm. Laym. Suar. Salm. &c.* contra *Sotum*, quia Christus pro omnibus se obtulit, idque certe licitum fuit in Lege veteri; Judæi enim pro gentibus sacrificare jam consueverunt (*l.* 1. *Machab. c.* 12.). Pro defunctis autem in Purgatorio existentibus certum est, & de fide, ut docet Tridentin. *sess.* 22. *c.* 2. & in *Can.* 3. quod licite & utiliter Missa offertur. Idque ex infallibili promissione Christi, ut communius & verius (contra *Canum &c.*) docent *Azor. Suar. Navarr. Salm. &c.* quia, cum certum sit quod Missa utiliter pro defunctis offeratur, hoc non potest esse nisi ex promissione Christi (*n.* 310.).

Quær. V. Quotuplex est fructus Missæ? Respon- 104
detur: fructus Missæ alius est *ex opere operato*, nempe ex merito Christi; alius *ex opere operantis*, scilicet ex merito Sacerdotis. Item alius est *Meritorius*, alius *Satisfactorius*, alius *Impetratorius*. Item alius *Generalis*, qui obtingit omnibus fidelibus, vivis, & defunctis; alius *Specialis*, sive *Medius*, obtingens assistentibus Missæ, & ei cui applicatur; alius *Specialissimus* obtingens soli celebranti; qui pro illo nequit ullum stipendium accipere, ex Prop. 8. damnata ab Alexandro VII.

An Missa sit infiniti valoris, tam intensive, quam 105
extensive? Plures DD. negant; plures vero alii probabilius affirmant, ut *Gonet*, *Habert*, *Juenin*, *Petrocor. Pignatelli*, *Tourn. Conc. Holz. Wigandt*, *La Croix*, *Canus*, *Salm. &c.* ac pro his est etiam *D. Thomas*; quia Missa est idem, quam crucis Sacrificium, quod fuit infiniti valoris. Licet autem valor sit infinitus, effectus tamen Missæ finitus est, ex finita capacitate hominum pro quibus offertur, quorum unusquisque percipit fructum juxta suam capacitatem. Sed quia prima sententia est etiam probabilis, nequit Sacerdos accipere duplex stipendium a duobus, applicando eis Missam ambobus, ut falso dicebat posse Propos. 10. damnata ab eodem Alexand. VII. Nec potest eam danti eleemosynam applicare in generali cum aliis, nisi hoc faciat sub conditione si liceat (*l.* 6. *n.* 312.).

Quær. VI. Quid de stipendio Missæ? Stipendium 106
accipere licet Sacerdotibus, etiam opulentis, ut communiter docent *Suar.*, *Lug. Conc. Tourn.* cum *Herson*, & *Thomassin.* & aliis plurimis (contra *Gennet.* & alios paucos); quia quisque operarius dignus est mercede sua ex Apostolo 1. *Cor.* 9. (*n.* 317. *Qu. I.*).

Sacerdos, peccat graviter, si differat Missam pro- 107
missam sub stipendio ultra duos menses, ut dicunt *Garcia*, *Philip. Ripa*, & alii cum *Lugo*: item *Instruct. Confess. Novell.* (*part.* 2. *c.* 406. ac *Tourn.* qui ait esse communem sententiam, *bene posse aliquem acceptare stipendia Missarum ad duos menses* (*l.* 6. *n.* 317. *Qu. II.*). Item *Conc.*, qui nihil aliud dicit, nisi quod dilatio duorum mensium est gravis, ex Decreto Sacr. Congr. Si vero missa sit pro defunctis, dilatio unius mensis erit gravis, ut dicunt *Castrop. Escob. & Salm.* (*ibid.*). Imo si Missa dicenda sit pro instanti necessitate, puta imminentia mortis, vel alterius damni, tunc etiam dilatio hebdomadæ potest esse mortalis. Vide Cabri-

brinum (*Cabrin. c. 54. n. 216.*). Recte hic autem advertit *Cont. Tourn.*, quod si quis multas daret Missas alicui communitati ad celebrandum, non præsumitur contentus esse quod Missæ celebrentur cum tanta dilatione, prout si dedisset uni Sacerdoti. Id vero non intelligendum, quod omnes illius communitatis Sacerdotes occupare se debeant ad eas subsecutive dicendas; semper enim supponi debet communitas alias etiam habere obligationes; sed quod Missæ distribuendæ sunt majori Sacerdotum parti, aut saltem alicui eorum convenienti numero, si communitas est valde numerosa, & juxta distributionem factam poterit deinde communitas satisfacere inter tempus illud, quod unicuique illius permittitur, ad suam ratam satisfaciendam. Insuper hic obiter notandum, quod Innoc. XII. in Bulla *Nuper*, ann. 1697. jussit omnibus Ecclesiarum Rectoribus, ut in loco patenti exponant tabellam onerum Missarum temporalium, & perpetuarum, ad hoc ne onerentur novis oneribus, quibus satisfacere non valeant ut debent (*Vide ap. c. Instruct. p. 2. n. 409.*).

108 Nulli licet dare aliis Missas ad celebrandum, retenta parte stipendii, sub pœna ipso facto incurrenda suspensionis Papæ reservatæ, si est Clericus, & excommunicationis, si laicus, ut habetur in Bulla *Quanta cura*, Bened. XIV. Et pars retenta tunc debet restitui, & probabilius Sacerdoti celebranti potius, quam pauperibus. Excipe nisi pingue illud stipendium detur alicui ratione personæ, vel beneficii, aut capellaniæ (etiam amovibilis), vel Legati perpetui, quia tunc potest persona hujusmodi partem excedentem retinere. Administratores autem Ecclesiarum ex Decr. Sacr. Congr. confirmato ab Innoc. XII. nil possunt retinere, nec etiam pro expensis in celebratione Missarum, nisi Ecclesia alios non habeat reditus (*Vide l. 6. n. 321. & 322.*); Vide hæc & alia fusius dicta de stipendio Missæ *Cap. XVI. ex n. 65.*

109 Parochi ex Bulla, *Cum semper*, ejusdem Benedicti XIV. data 29. Aug. 1741. tenentur applicare Missam pro populo omnibus diebus festivis, etiamsi congruam non habeant sustentationem. Si vero pingues habent reditus, non tenentur sæpius Missas applicare; ut in eadem Bulla declaratur (*lib. 6. n. 305. Qu. II.*); vide dicta *Cap. VII. n. 29.* Hic autem obiter notandum, quod in eadem Bulla Pontifex decrevit, ut Missa Conventualis, quæ singulis diebus canitur a clero, pro benefactoribus applicetur, respiciendo benefactores in genere cujuscumque Ecclesiæ, quavis consuetudine non obstante (*n. 326.*).

110 Applicatio debet fieri ante celebrationem, vel ante consecrationem. Verius autem (quicquid alii dicant) sufficit applicatio Missæ habitualis, ut communiter docent *Suar. Lugo, Bonac. Tourn. Holzm. Conc.* & alii plures (*Lib. 6. n. 335. Qu. I.*) Si Missa nulli applicetur, fructus manet in thesauro Ecclesiæ. Applicatio autem sub conditione non impleta, valida est; si vero fiat pro primo qui offeret eleemosynam, non solum est illicita ex prohibitione Clem. VIII. sed etiam probabilius sæpe erit invalida (*n. 337. v. Dicunt*).

111 Quær. VI. An Sacerdos teneatur aliquando celebrare in anno? Negant, præciso scandalo, *S. Bonav. Cajet. Lugo*, & probabile putant *Suar. Laym.* & *Pal.* Alii tamen communius cum D. Th. (quibus eo magis adhæreo) affirmant, cum verba Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, probabilius verum contineant præceptum, ut satis declarat Tridentinum *sess. 22. c. 1.* dicendo: *Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerant præcipit per hæc verba: Hoc facite &c.* Tanto magis quod S. Pius V. jussit primam opinionem *Cajetani* expungi a suis Commentariis. *Merbesius* autem & *Habert* dicunt teneri Sacerdotes celebrare saltem omnibus diebus festis, hisque adhæret *Concina* ex Tridentino *cit. sess. 22. Cap. XIV.* ubi sic monentur Episcopi: *Curent Episcopi, ut ii* (idest Sacerdotes) *celebrent saltem diebus Dominicis, & festis solemnioribus.* Sed ex verbis istis non satis probatur hoc esse Concilii rigorosum præceptum. Quamobrem probabilius & communissime dicunt *Navarrus*, & *Laym.* cum *Soto, Sylvio, Palud. Riccard. Valent.* & *Elbel* cum *Scoto, Gobat.* ac *Anaclet. l. 5. n. 303. dub. 2.* Sacerdotes teneri sub gravi ad celebrandum saltem ter vel quater in anno in festis solemnioribus. Idque sentit *S. Th. 3. p. q. 82. art. 10.* dicens: *Unde Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare, sed saltem videtur, quod celebrare teneatur præcipuis festis, & maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt*, nimirum in die Paschatis, Pentecostes, & Natalis Domini ex *Can. 16. de Consecr. dist. 2.* Imo *Suar. Lugo, Bonac. Holzm.* & *Salm.* censent sufficere ad vitandum mortale celebrare ter, vel quater in anno quibuslibet diebus. Idque videtur conforme Decreto Sacr. Congreg. Concilii edito mense Novembr. anni 1696. ubi declaratum fuit illum Sacerdotem peccare mortaliter, qui non celebrat ter, vel quater in anno. Ceterum pro certo habeo, quod Sacerdos omittens sine causa quotidie celebrare (excepta una die in hebdomada propter reverentiam Sacramenti) vix a veniali culpa excusari poterit, cum privet fructu Sacrificii Ecclesiam, cujus est Minister, populumque christianum, cujus est in altari intercessor. Apostolus enim sic Sacerdotes instruit: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Hebr. 5. 1.*

Quær. VII. an Rubricæ Missalis sint omnes præ- 112
ceptivæ, vel an aliquæ sint directivæ, sive de consilio? Diversæ in hoc sunt sententiæ. Nos sequimur sententiam *Quarti, Merati, & Tourn.* qui dicunt Rubricas de agendis intra Missam omnes esse præceptivas, & obligare juxta gravitatem materiæ, nam in Bulla S. Pii sic dicitur. *Districte præcipientes, ut Missam juxta ritum, modum, & normam in Missali præscriptam decantent, ac legant.* Nota To, *districte præcipientes* (*n. 399.*). Rubricas autem de agendis extra Missam, probabiliter dicunt plures DD. aliquas esse tantum directivas, prout manuum ablutio post Missam, & orationes ante vel post Missam (*Vide n. 409. & 410.*). Insuper hic notandum Rubricas præscriptas in Cæremoniali Episcoporum ubique obligare, cum in tribus Bullis ibi appositis dicatur: *Cæremoniale prædictum in omnibus Ecclesiis servandum, præcipue in Cathedralibus, & Collegiatis.*

Quær. VIII. Quando Missa dici possit? Sic dici- 113
tur

tur in Rubrica: *Missa privata saltem post Matutinum & Laudes, quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.* Communiter autem dicunt DD. licere Missam terminare in aurora, & illam incipere parum ante meridiem. Imo Bened. XIII. & Clemens XII. declararunt posse in hoc tolerari latitudinem tertiæ partis horæ, tum ante auroram, tum post meridiem (*l.* 6. *n.* 341. *vers. Omnes*). Præterea communius, & probabilius dicunt *Sylvius, Castr. Bon. Ronc. Viva, Salm. &c.* quod celebrans non peccat mortaliter, nisi incipiat Missam integra hora ante auroram, vel hora post meridiem; alias tantum veniale committit, a quo excusat quævis causa rationabilis; imo causa gravior, prout esset dandi Viaticum, aut solemnitatis, itineris, vel funeris, omnino excusat, etiamsi dilatio sit per integram horam (*ib. n.* 343. *ad* 346.). Ministrare autem communionem licitum est usque ad Vesperas exclusive: & etiam in Vesperis, si adsit aliqua specialis causa, modo non sit intempesta nocte, idest multo noctis tempore decurso (*n.* 263.). Celebrare autem ante Matutinum & Laudes, alii dicunt esse mortale, alii nullum peccatum, alii autem verius & communius, ut *Suar. Sotus, Sylvester, Tourn., Bellarm. &c.* (quibus assentit etiam Bened. XIV. *de Sacr. Missæ l.* 3. *c.* 14.) ajunt non esse mortale, quia talis gravis obligatio neque exprimitur in Rubrica, neque communiter est recepta ut gravis; sed non excusari sentiunt a veniali, cum id in Rubrica jam inter defectus numeretur (*l.* 6. *n.* 347.). Missam autem Conventualem dicere ante Matutinum & Laudes non excusatur a mortali, ut communiter docent DD. contra *Sanch.* (*n.* 348.) Celebrare in die Cœnæ Domini, & Sabbati sancti (quicquid alii dicunt) nullo modo licet, nec etiam privatim, ut patet ex Decr. Clementis XI. quod refertur (*l.* 6. *n.* 350.) quodque confirmatum fuit ab Innoc. XIII. *ap. Merat. in Indice Decretor. n.* 501.

114 Quær. IX. Ubi liceat Missam celebrare? Respondetur, in Oratoriis ab Episcopo benedictis, & designatis ad usus sacros, sive in Seminariis, Conservatoriis, & Hospitalibus, & etiam in domibus privatis (modo Oratorium habeat januam in via publica); item in Oratoriis Religiosorum (*circa Regulares vide dicta Cap. XX. n.* 123. *&* 124.), nec non in erectis in palatiis Episcoporum, omnes possunt celebrare, & quovis tempore, etiam in festis solemnibus, quia hujusmodi oratoria sunt veræ Ecclesiæ. In Oratoriis autem privatis; in quibus tantum ex privilegio Pontificio celebrari potest, non licet sacrum facere diebus in Indulto exceptis, scil. Paschatis, Pent. Nat. Epiph. Annunc. Ascens. Assumpt. B. V. SS. Pet. & Paul. & omnium SS. Nec potest in eis celebrari, nisi intersit aliqua ex personis, quibus directe concessum est indultum, ut declaravit Bened. XIV. in Bulla, *Cum duo Nobiles* (*Vide l.* 3. *n.* 319. *v. Probabilem*). Nec possunt ibi plures celebrari Missæ, si ibi dicitur (ut consuetum est) *una Missa quotidie celebretur;* declaravit enim Bened. XIV. in Bulla, *Magno*, sub die 2. Jun. 1751. illud, *una*, idem esse ac unica (*n.* 351. *circa fin.*). An autem in his privatis Oratoriis possit ministrari communio? Alii affirmant, alii communius negant; & Bened. XIV. in *Epist. Encycl.* ad Episcopos Poloniæ sub eadem die 2. Jun. prohibuit dari communionem in privatis Oratoriis sine licentia Episcopi (*cit. n.* 359. *v. Quæres*). Celebrare autem in mari numquam licet, nisi ex licentia expressa Pontificis (*nu.* 359. *circa fin.*).

Celebrans in Ecclesia polluta per notoriam effu- 115
sionem sanguinis in notabili quantitate (nam in *c.* 10. *de Cons.* dicitur *sanguinis effusione*), vel seminis, aut per sepelitionem infidelis, hæretici, vel excommunicati, antequam reconcilietur ab Episcopo (vel a Sacerdote ab Episcopo delegato, si Ecclesia fuerit tantum benedicta), graviter peccat; sed nullam incurrit pœnam, ut probabilius dicunt *Suarez Laym. Lugo*, & alii cum Bened. XIV. de *Sacr. Missæ* (*Lib.* 6. *n.* 361. *ad* 366.). Sic etiam est mortale celebrare in Ecclesia execrata, nempe si eodem tempore demoliti sint parietes pro majori parte, vel crusta ablata (*n.* 367. *&* 368.). An autem liceat Sacerdotibus celebrare in Ecclesiis Regularium contra prohibitionem Episcopi? Vide dicta *Cap. XX. n.* 77.

Quær. X. Quæ requirantur sub gravi præcepto ad 116
rite Missam celebrandam? Requiritur I. *Altare*, sive *Ara* lapidea ab Episcopo consecrata, cum sepulcro Reliquiarum & sigillo, ubi omnino reponendæ sunt hostia, & particulæ consecratæ (*l.* 6. *n.* 372. *&* 373.). Execratur autem altare, ita ut mortale erit in eo celebrare, si mensa consecrata removetur ab inferiori structura, vel si ara notabiliter frangitur, aut ab ea auferuntur Reliquiæ, aut sigillum, prout habetur in Decreto Sacr. Congregat. Rituum (*n.* 369.). In altari requiruntur etiam tres mappæ, nec sufficiunt duo, ut aliqui dicunt: sufficiunt tamen una separata, & altera duplicata (*n.* 374. *&* 375.).

Requiritur II. *Calix*, & *patena* consecrata. E- 117
xecratur autem calix, si notabiliter frangitur in cuppa, vel si in fundo perforetur; non vero si pereat ejus inauratio, ut probabilius, & communiter docent *Lugo Suarez Sylvest. Tourn. Laym. &c.* Hinc probabilius est, calicem de novo inauratum non indigere nova consecratione. Celebrare autem in calice numquam deaurato, probabilius est esse illicitum, sed non nisi venialiter, ut dicunt *Lugo* & *Tournely*. Cum calix separatur a pede, amittit utique consecrationem, si cuppa est pedi fixa: secus si pes est tornatilis, & de se separabilis (*l.* 6. *num.* 370.). Communiter autem docent *Laym. Gav. Tourn. Bon. Roncag. &c.* Pyxidem non esse consecrandam (*l.* 6. *n.* 384.). Dubitatur vero, an saltem sit benedicenda? Negant communius *Suar. Sylv. Azor. Sot. &c.* Idque non videtur improbabile; sed probabilius affirmant *Salm. Tourn.* & alii cum *Card. Lambertino* (qui tamen omissionem non reputat plus quam veniale), quia hoc est conformius Rubricæ Missalis, in quo dicitur, quod Sacerdos hostiam pro communione *locat ante calicem, aut in aliquo vase mundo benedicto*. Et idem dicendum de lunula ostensorii, ubi in expositionibus hostia collocatur (*n.* 385.). Requir. III. *Vestes sacræ*, benedictæ a Episcopo, vel ab alio habente facultatem a Pontifice. Graviter peccat qui celebrat sine alba, aut stola, aut manipulo, aut cum ipsis non benedictis (nisi gravis excuset necessitas); secus tamen plures DD. non improbabiliter dicunt de celebrante sine cingulo, aut amicto

mictu (*num.* 377;). Quoad declaravit cingulum S. Congr. 22. Jan. 1701. Sacerdotem congruentius uti cingulo lineo, quam sericeo. Vestes autem execrantur, quando usum deperdunt, nempe si ab alba manica abscinditur: cingulum, si ita rumpitur ut neutra pars cingere possit: stola, si non possit humeros operire; vel si pars ejus ita scinditur, ut deperdatur forma; nec sufficit eam resarcire, destructa enim forma, desinunt partes esse sacræ (*n.* 368. *ad* 371.). Color autem vestium probabilius est quod sit de præcepto, non tamen gravi (*n.* 378. *dub.* 3.).

119 Requiritur IV. *Corporale benedictum* ex lino, vel canabe (*l.* 6. *n.* 386.) Execratur autem corporale, si ita frangitur, ut non possit amplius decenter continere calicem & patenam cum hostia (*n.* 371.). Cavendum est, ne corporale sit valde immundum, in quo dicunt *Suar. Laym.* & *Tamb.* posse etiam graviter peccari; quamvis addat *Tamb.* ex eodem *Suar.* illud *valde immundum* difficulter evenire. Ceterum uti corporali, & aliis paramentis immundis, licet non valde, non excusantur a veniali, nisi alia haberi nequeant, ut *Croix* cum *Suar.* & *Gobat.* Imo ait *Tourn.*, quod in necessitate, nempe si Sacerdos aut alii deberent omittere Missam de præcepto, licitum est uti corporali etiam notabiliter immundo (*Lib.* 6. *n.* 371.).

120 V. *Palla* etiam debet esse benedicta, & ex lino, vel canabe saltem ex parte inferiori, ut ait *Suar.*; sed ex Decreto Sacr. Congreg. dictum fuit: *Non adhibenda est palla a parte superiori drappo sericeo cooperta.* Non autem improbabiliter dicunt *Sotus* & alii, quod celebrare sine palla non est mortale, cum ipsa sacras species non tangat immediate (*nu.* 389.). Requiritur 5. *Purificatorum*, quod probabilius non oportet ut sit benedictum (*n.* 388.).

121 Requiritur VI. *Missale Romanum* continens saltem integrum Canonem. Dicunt autem communissime, & probabiliter *Suar. Vasqu. Laym. Pal. Lugo, Salm. Croix &c.* non peccare celebrantem sine Missali, si memoriter bene sciat dicenda, & ob præteritam experientiam non sit ei periculum errandi. Uti vero Missali Regularium (scilicet celebrando juxta eorum ritum) est mortale etiam in ipsorum Ecclesiis (*n.* 390.). Requir. VII. *Minister* sub gravi obligatione, saltem usque ad oblationem, nisi urgeret necessitas dandi viaticum, vel etiam ne omittatur sacrum in die festo. Minister debet esse masculus, nam fœminæ sub gravi culpa prohibentur immediate ministrare in altari. Dicunt tamen communiter *Laymann, Suar. Tourn. Mol. Homobon. &c.* non peccare graviter qui celebrat respondente muliere. Imo dicunt *Palud. Wigandt, Tourn. Lugo, Laym. &c.* bene permitti, quod fœminæ quandoque respondeant a longe, maxime si sint Moniales, modo (ut diximus) non immediate in altari ministrent (*l.* 6. *n.* 391. & 392.).

122 Requir. VIII. *Crux cum crucifixo*, etiamsi in altari expósitum sit SS. Sacramentum, ut habetur ex cæremoniali Episcoporum, & Decr. S. Congr. Utrum autem sit mortale celebrare sine cruce? Negant communiter *Laym. Suar., Bonacina, Tourn. Conc. Hab. Merati &c.* Sed animadvertendum, quod Bened. XIV. in Decreto directo ad omnes Episcopos sub die 16. Julii ann. 1746. incipiente *Accepimus* (vide apud *Bullar. tom.* 2. *Decr.* 17.) sic ibi in fine vers. *Itaque* præcepit: *Illud vobis præcipimus, ut nullo modo patiamini rem divinam fieri ad hujusmodi altaria, nisi Crucifixus inter candelabra ita promineat, ut Sacerdos, ac populus eundem Crucifixum facile & commode intueri possint, quod evenire nequit, si exigua solum crux minori tabulæ defixa fidelibus exhibeatur.* Prius enim in eodem Decreto vers. *Equidem*; dixerat: *Illud permittere nullatenus possumus, quod Missæ Sacrificium in his altaribus celebretur, quæ careant imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante Præsbyterum celebrantem, vel ita tenuis & exigua sit, ut ipsius Sacerdotis, & populi assistentis oculos pæne effugiat.* Hinc etiam notandum ex cæremoniali Episcoporum, quod si in altari adest statua Crucifixi, non oportet ut alia Crux apponatur. Idque confirmatur in præfato Decreto Benedicti, dum ibi dicitur ex sententia *Pasqualigi, Quarti*, & *Giribaldi*, cui se conformavit Sacr. Congr. Rituum in quodam Decreto apud *Meratum* (*n.* 400.) sufficere Crucifixum in majori tabula altaris depictum, aut cælatum. Docet etiam *Pignat.* (*T.* 6. *Consult.* 89.) non esse opus, ut Crux, aut aliæ sacræ Imagines sint benedictæ (*lib.* 6. *n.* 393.). Requiritur XI. *Duplex Candela* accensa ex cera, non ex sebo, vel oleo, nisi celebrandum sit ex necessitate, non autem si ex devotione (*n.* 394.). Requiritur X. & ultimo *Bursa, Velum, Pulvillus* (sive *Legile*), & *Manutergium*; at sine istis celebrare, quando nullum eorum habetur, merito ait *La-Croix* nullum esse peccatum (*n.* 395.). Celebrare capite cooperto per totam Missam est mortale; secus usque tantum ad Canonem (*n.* 397.).

123 Notandum 1. quod Neo-Presbyteri consecrando cum Episcopo, vere celebrant, licet unum Sacrificium faciant; in quo autem primarius celebrans est Episcopus, & Sacerdotes sunt etiam causæ totales Consecrationis, sed morales, quæ unum effectum pariunt: ad differentiam causarum totalium physicarum, quæ diversos causant effectus. Quisque autem ordinatus in Sacerdotium debet tunc proferre verba consecrationis, cum intentione consecrandi, attamen sub conditione si conformentur sua eodem tempore cum verbis Episcopi, alias graviter peccaret (*n.* 232.).

124 Notandum 2. Quod Episcopus Neo-Presbyteris tres injungit Missas celebrandas, unam de Spiritu Sancto, aliam de B. Virgine, tertiam pro Defunctis. An autem sit obligatio gravis has dicendi Missas? Affirmant, *Suarez Laym. Azor. &c.* Sed negant *Soto, Pal. Val. Pelliz. &c.* Ceterum duo videntur certa, 1. quod hoc Episcopi præceptum transgredientes saltem venialiter peccent; 2. hujusmodi præceptum non obligare ad applicandas Missas pro Episcopo, cum id non exprimatur; tanto magis quia ipse subdit: *Et etiam pro me orate.* Nota autem quod illæ tres Missæ dicendæ sunt primis diebus, in quibus Missæ votivæ dici possunt (*l.* 6. *n.* 389.).

125 Notandum 3. quod, ut communiter traditur, Missa celebranda est alte, breviter, clare, devote, & exacte. *Alte*, ita ut non dicantur submisse, quæ alte sunt dicenda: sed ita proferantur, ut saltem a *Circumstantibus audiantur*, prout dicit Rubri-

brica; alioquin celebrans non excusatur a culpa, sed tantum veniali. Idem dicendum de eo qui alte recitat, quæ submisse dici debent. Imo *Gavantus*, & *Quarti* putant esse mortale (sed non satis id ratione probant) dicere alta voce ea quæ submisse sunt dicenda, & consentit *La-Croix* quoad verba consecrationis, dicens peccare mortaliter qui illa proferret ita elate, ut audirentur ad decem passus, ubi magna esset populi pars; sed merito P. *Concina* hoc non audet approbare (*n.* 415. & 416.). *Breviter*, idest, ut ordinarie loquendo non excedatur media hora, monente Rubrica, ut Missa non dicatur *nimis morose*, *ne audientes tædio afficiantur*. Subdit autem Rubrica, Nec *nimis festinanter*; hinc sapienter ait *Card. Lambertinus* (*Notif.* 34. *n.* 30.) cum aliis communiter Missam non debere esse longiorem dimidia hora, nec breviorem triente, idest tertia parte horæ. Qualiter autem peccent qui celerius celebrant, vide dicta *Tom. II. cap. XV. a n.* 84. ubi diximus Missam (etiamsi sit Defunctorum) persolventem infra quadrantem non excusari a culpa gravi. *Clare*, idest sine verborum mutilatione; quæ si sit notabilis, & sensus per eam varietur, erit mortalis (*l.* 6. *n.* 405.). *Devote*, idest sine distractione, quæ si voluntaria sit in Canone, & præsertim in consecratione & sumptione erit mortalis, ut vult *Tamburinus*, licet aliqui contradicant. Si autem habeatur extra Canonem, dicitur idem quod dictum est de Horis Canonicis (vide *n.* 75.). *Exacte*, idest ne omittatur aliquid de iis quæ dicenda sunt. Hic autem notandum, quod si omittantur partes ordinariæ, nempe quæ in Missa semper dicenda, vel agenda sunt, erit mortale, si materia sit notabilis, prout esset omittere in Canone quamlibet Orationem, vel *Pater noster*, vel fractionem hostiæ cum illius mixtione in calice, vel purificationem patenæ & calicis post sumptionem, vel octo aut decem verba Canonis. Sic pariter erit mortale extra Canonem omittere totum Introitum, vel duas ex Collectis principalibus, vel Epistolam, Evangelium, Offertorium, vel infusionem aquæ in vinum consecrandum. Veniale tamen erit omittere tantum Psalmum *Judica*, *vel Kyrie eleison*, unam ex Collectis, unam vel alteram crucem super oblata, tunsionem pectoris, vel ablutionem digitorum, & idem probabiliter dicunt de *Lugo*, & alii de Evangel. S. Joan. (*l.* 6. *n.* 406.). Sic quoque veniale tantum est omittere partes extraordinarias, uti sunt, *Gloria*, *Credo*, *Sequentia*, *Tractus*, propriam præfationem, aut *Communicantes*, *& Hanc igitur* propria; ita communiter omnes, nisi tot partes omittantur, quæ simul sumptæ notabilem constituerent materiam, ut bene advertunt *Conc.*, & *Wigandt*, quicquid dicant *Quarti*, *& Pasqual.* (*n.* 409.).

126 Notandum 4. prohiberi Missas Votivas, vel *de Requiem* in Dominicis, & Festis duplicibus, atque in Octavis privilegiatis; nisi graves urgeant causæ, nempe si urgeat publica necessitas, si fiat expositio SS. Sacramenti per 40. horas, item in die obitus præsente cadavere &c. hæc autem intelligenda tantum de missa solemni (*n.* 421.); An autem in prædictis Festis vetentur Missæ votivæ sub gravi culpa? Negant communiter *Lugo*, *Suar. Bon. Escob. Salm. Ronc.* & alii plures. Recte vero limitant *Escob.* & *Ronc.* si tunc occurrat festum solemne, saltem propter grave populi scandalum. Imo in festis duplicibus Missæ *de Requiem* distincte prohibentur in Decreto Sacr. Congr. approbato ab Alex. VII. in pluribus autem casibus cantari possunt Missæ defunctorum in duplicibus etiam majoribus, scilic. 1. In die obitus præsente cadavere; & hoc etiam in Dominica, vel in aliis solemnioribus, modo non sint 1. Classis. 2. Cum primum habita fuerit notitia obitus alicujus. 3. in Anniversario relicto a testatore. Idem in die tertio, septimo & trigesimo: si vero hi dies accidant in Festo de præcepto, transferantur in diem sequentem, vel anticipentur sub eodem ritu. 4. In Festo duplici min. si petatur Anniversarium pro aliquo defuncto, potest cantari. Ita ex pluribus Decr. Sacr. Congr. Cit. (*Vide n.* 420.). Exceptis autem festis duplicibus, aliisque ut supra, de Missis votivis sic loquitur Rubrica: *Missæ votivæ in Missis privatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum.* Sed deinde statim advertit: *Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa, prout esset specialis devotio Sacerdotis; vel petitio de votiva dantis eleemosynam.* Quapropter dicens votivam præter has causas, vix excusabitur a veniali (*n.* 419.). Ceterum tenetur Sacerdos Missas votivas celebrare, juxta petitionem dantium eleemosynam, diebus quibus licite dici possunt. Hicque notandum cum *D. Th.* (*Supplem. qu.* 71. *art.* 9. *ad* 5.), quod Missa *de Requiem* magis prodest Defunctis propter Orationes, quæ in ea dicuntur.

Notandum 5. non licere pluries in die sacrifica- 127
re, nisi in hisce casibus, 1. ad ministrandum Viaticum; 2. si die festo adveniant personæ, quas non deceat Sacrum omittere, uti Rex, aut Princeps, aut Episcopus; 3. si Pastor habeat duas Parochias dissitas, & aliter populus alter careret Missa in festo de præcepto. Advertit tamen Bened. XIV. in Brevi, *Declarasti*, edito ann. 1746. (in *Bullar. tom.* 2.) de hac re semper impetrandam esse facultatem ab Episcopo, etiamsi necessitas intercedere videatur. Præterea advertit, quod de casibus enunciatis solus casus, cum Parochiæ sunt dissitæ, in consuetudine est. Item advertendum olim licuisse Parocho in die Dominica post Missam pro populo dicere alteram pro defuncto, præsente cadavere; sed idem Bened. XIV. in Indulto, *Quod expensi &c.* dato 26. August. 1748. in §. *Novam*, circa fin. (in *Bullar. tom.* 2.), declaravit id hodie non amplius permitti, cum liceat Parocho dicere Missam pro defuncto, & transferre Missam pro populo ad diem infra hebdomadam.

Notandum 6. quod si dum celebratur, Ecclesia 128
polluitur, vel accedit excommunicatus vitandus, qui monitus nolit discedere, tunc Sacerdos ante consecrationem Missam dimittere debet: postea vero pergat usque ad sumptionem, & statim discedat: vide dicta *Cap. XIX. n.* 21. ad II. Demum hic notandum, quod facta consecratione nunquam licet Missam interrumpere, nisi tantum ad baptizandum, vel absolvendum hominem jam jam moriturum; ita DD. communiter (*lib.* 6. *n.* 354.).

§.

§. III. *De Potestate Sacerdotis.*

129 Simplex Sacerdos ex potestate Ordinis suscepti tantum Eucharistiæ Sacramentum conficere potest, & etiam ministrare, excepta Communione Paschali; nam ad alia requiritur potestas jurisdictionis. Hinc nequit sine licentia Parochi baptizare, neque Extremam Unctionem, aut Viaticum ministrare, nec Matrimonio assistere; & sine licentia Episcopi expressa aut saltem præsumpta de præsenti, nequit extra casum necessitatis Confessiones excipere, nec etiam venialium aut mortalium prius confessorum ex Decr. Innoc. XI. (vide dicta *C. XVI. n.* 76.), quia, ut dicitur in Trid. ratio judicii, quod exercetur in administratione Pœnitentiæ exposcit, ut jurisdictio non exerceatur nisi in subditos, qui per licentiam Episcopi Sacerdoti subjiciuntur.

130 Diximus autem *n.* 35. quod initiandi ad Præsbyteratum debent habere scientiam eorum, saltem quæ communiter scienda sunt ad excipiendam Confessionem moribundi. Quapropter refert hic adnotare pauca principaliora, & scitu magis necessaria. Notandum I. quod Sacerdos simplex nequit infirmum absolvere in præsentia Confessarii approbati, exceptis sequentibus casibus: 1. Si approbatus nequeat vel nolit Confessionem excipere. 2. Si approbatus sit excommunicatus vel suspensus. 3. Si esset approbatus tantum in alia Diœcesi. 4. Si infirmus ita horreret apud illum confiteri, ut esset in periculo occultandi peccata. 5. Si approbatus superveniat post incœptam Confessionem apud simplicem Sacerdotem. 6. Si approbatus sit complex infirmi in peccato turpi (juxta dicta *Cap. XVI. n.* 44. *in fin.* & 95.). Notandum II. quod si moribundus absolutionem postulat, vel signa dat pœnitentiæ Sacerdoti præsenti, absolute est absolvendus; si vero est sensibus destitutus, & adsit alter qui testatur ipsum postulasse Confessarium, vel signum ostendisse doloris, tunc alii dicunt etiam absolute absolvi posse; sed tutius cum aliis dicimus absolvendum sub conditione. Et sic absolvendum censemus cum pluribus, etiamsi moribundus nullum dederit signum; imo etiamsi fuerit destitutus in actu peccati (vide *dict. c. Cap. XV. n.* 56. *ad* 39.). Notandum III. quod Sacerdos simplex, deficiente approbato, potest absolvere fideles a quibusvis peccatis & censuris, non solum in articulo, sed etiam in probabili periculo mortis. Censetur autem in periculo mortis esse, non tantum qui laborat morbo proxime periculoso mortis, sed etiam qui longam navigationem aggreditur, vel mulier quæ est in difficili partu; item qui est in periculo incidendi in amentiam; insuper qui est captivus apud infideles, carens spe libertatis, & habendi Confessarium approbatum. Notandum IV. quod infirmus, qui absolvitur a censuris reservatis, monendus est, quod si convalescat, tenetur, se præsentare Superiori, alias in easdem censuras reincidet; secus vero si absolvitur tantum a peccatis reservatis sine censura. Ultimo notandum, quod quisque Sacerdos, ut sit idoneus in necessitate ad excipiendas Confessiones infirmorum, debet non ignorare saltem principia universalia Scientiæ Moralis.

§. IV. *De munere docendi, & prædicandi.*

Cum autem Sacerdotis etiam sit docere populos, & prædicare Evangelium, operæ pretium est hic demum adnotare, quæ docenda sint, & quomodo Evangelium explicandum. Quoad primum, docendum quatuor esse necessaria ad salutem, nempe fidem, spem, charitatem, atque bona opera. Et 1. quoad fidem, quia Deus veritas infallibilis revelavit Ecclesiæ, tenemur explicite scire & credere Deum existere, & remuneratorem esse, ac Mysterium SS. Trinitatis, atque Incarnationis Filii Dei. Hæc de necessitate medii. De necessitate autem præcepti quisque tenetur etiam scire & credere Orationem Dominicalem, salutationem Angelicam, præcepta Decalogi & Ecclesiæ; item Sacramenta, præsertim ea quibus omnes indigent, nempe Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, & alia, saltem dum ea suscipiuntur. 2. Quoad spem, quia Deus omnipotens, misericors, & fidelis promisit propter merita Jesu Christi, tenemur sperare a Deo æternam beatitudinem, & media ad eam consequendam, veniam nimirum peccatorum, & perseverantiam finalem. 3. Quoad charitatem, quia Deus est bonitas infinita, tenemur, eum super omnia diligere; huic autem præcepto alterum adjicitur charitatis, scilic. diligendi proximum, sicut nos ipsos. 4. Ad salutem demum obtinendam sunt etiam necessaria bona opera, servando mandata Dei, & Ecclesiæ, quæ in Decalogi & Ecclesiæ præceptis continentur.

Quod autem spectat ad secundum munus explicandi Evangelium, sive Scripturam, sciendum, 132
duos ipsam sensus habere, *Litteralem*, & *Mysticum*: Ille est *Litteralis*, qui per ipsa verba significatur. *Mysticus*, qui non significatur per verba, sed per rem ipsis verbis significatam, v. gr. cum dicitur: *Si oculus tuus scandalizat te, abscinde eum &c.* hic non quidem præcipitur oculi abscissio, sed scandali, sive occasionis. Sensus autem *Mysticus* in tres alios subdividitur. 1. In *Allegoricum*, scil. spectantem ad res credendas. 2. In *Anagogicum*, spectantem ad bona speranda. 3. In *Tropologicum*, spectantem ad mores. Regulariter verba Scripturæ in litterali sensu accipi debent, nisi adsit absurdum, prout cum dicitur. *Petra autem erat Christus*, & similia. Sæpe autem Scripturæ textus utrumque sensum habent, litteralem simul & mysticum. Mystico sæpe convenit, ut Sacerdotes in concionibus utantur, præsertim si est tropologicus, sive moralis. Licet etiam uti aliquando sensu vocato *Accommodatitio*, modo id pie & prudenter agatur.

EPITOME

DOCTRINÆ MORALIS ET CANONICÆ

EX CONSTITUTIONIBUS ALIISQUE OPERIBUS

FELICIS RECORDATIONIS

BENEDICTI XIV. PONTIF. MAX.

EXCERPTÆ

AB ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

JOANNE DOMINICO MANSI ARCHIEPISCOPO LUCENSI

CONGREGATIONIS MATRIS DEI

IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

AB EODEM AUCTORE PLURIBUS ADDITAMENTIS ILLUSTRATA
ET CORRECTA.

TYPOGRAPHUS
LECTORI

Plurima sunt ad Moralem Theologiam, atque ad jus Canonicum pertinentia, quæ Benedictus XIV. immortalis memoriæ Pontifex in operibus suis vere aureis sparsim disseminaverat, quæque Scientiæ Moralis studiosos ignorare omnino dedecet. Sed cum non omnes varia illius opera integra vel emere, vel legere possint, opportune in mente venit P. Joanni Dominico Mansi jam Congregationis Matris Dei, nunc Archiepiscopo Lucensi viro doctissimo, & non solum in Italia nostra, verum etiam in toto orbe litterario eruditissimis libris suis celeberrimo, Epitomen quamdam conficere totius Doctrinæ Moralis & Canonicæ ex illius Pontificis operibus excerptæ. Cum igitur

no-

nobis exploratum sit, quantum hic eruditissimi viri labor Theologis omnibus probatus sit, rem iis pergratam nos facturos esse existimavimus, si illam nunc demum ab eodem clarissimo Auctore pluribus in locis emendatam, novisque additamentis illustratam typis nostris excuderemus. Eam igitur excipe, Lector benevole, & studium publicæ utilitatis nostrum ne asperneris. Vale.

EPI-

EPITOME

DOCTRINÆ MORALIS ET CANONICÆ

EX OPERIBUS

BENEDICTI XIV.

ABBATES

Abbates Regulares, nullam animarum Curam gerentes, ad Synodum Diœcesanam accedere nequaquam tenentur, ut ex Decr. S. C. *De Syn. Diœc. l.* 3. *c.* 2. §. 3. iterumque *l.* 7. *c.* 65. §. 2.

Abbates, Priores, Præpositi, & alio quocumque nomine nuncupati; Cardinales etiam, spiritualem jurisdictionem quasi Episcopalem in monasteria seu Ecclesias cum territorio separato habentes, debent jurare in manibus alicujus Episcopi seu nuncii Apostolici aut Legati, eorum arbitrio eligendi, se visitaturos sacra limina Apostolorum personaliter ac per seipsos, atque Romano Pontifici relationem afferre Ecclesiarum suarum. Ex his vero qui Itali fuerint vel insularum Italiæ, tertio quoque anno; reliqui vero quinto quoque anno a die captæ possessionis. Id vero si ex legitimo impedimento non possint per se; tenentur per nuntios præstare. Ita in Bulla *Quod Sancta n.* VII. Bull. t. 1. Si vero ante publicationem hujus Bullæ signatæ ann. 1740. die nono Kal. Decemb. possessionem pacificam illarum Ecclesiarum jam habuissent, intra annum si fuerint in Italia & insulis, intra biennium vero si extra, a die latæ constitutionis tenentur eam relationem mittere; dein singulis trienniis ad limina se conferre. Hæc omnia si prætermiserint ipso facto ab ingressu Ecclesiæ interdictum & ab administratione tam spiritualium quam temporalium suspensionem incurrunt, tum etiam perceptione fructuum privantur: qui fructus cedant Episcopo viciniori in sacros usus ejus arbitrio erogandi. *ibid.* §. 9.

ACTUS FIDEI

Actus fidei non debet comprehendere tantum in genere quidquid fides dicat, sed debent etiam credi explicite ea Mysteria, quæ sciri debent. *Instit. Eccles.* 72.

ADVOCATUS

Rescripta, & Brevia pro exercendo Advocati munere Monachis, etiam Canonicis Regularibus, numquam conceduntur, quod conforme est Canoni. *Ex parte tua.* De postulando.. *De Syn. Diœ. l.* 13. *c.* 10. §. 12. *nov. edit.*

Sæcularibus vero Clericis, etiam Beneficiatis, tum & sacris Ordinibus initiatis conceditur, ut Advocaturam exerceant in Tribunalibus ecclesiasticis in laicalibus, & coram Judice sæculari cum agitatur causa propria ipsorum, vel Ecclesiæ suæ, vel miserabilium personarum. Quamquam in Brevibus libere conceditur Sacerdoti sæculari pauperi, ut libere causas civiles, & criminales agat, dummodo in criminalibus tantummodo reis patrocinetur; quin & tandiu munus illud exercere permittitur, donec certos ecclesiasticos reditus ad congruam sustentationem sufficientes, vel Beneficium residentiale obtineat, *De Synod. Diœc. l.* 13. *c.* 19. §. 12. *nov. edit.*

ALIENATIO

Alienationes rerum immobilium, & mobilium pretiosarum, vetita est quoque Regularibus, etiam speciali commemoratione dignis, *ex Decr. Urb. VIII. sud die* 7. *Sept.* 1624. Hæc tamen intelligenda sunt de bonis Ecclesiæ incorporatis. Quæ vero non sunt incorporata & debent alienari, ut sunt res relictæ PP. Reformatis S. Francisci, non possunt eorum Sindici procedere ad earum venditionem, nisi præfixo edicto, ut magis offerenti vendantur. *Ita ex Decr. Sacr. Congr. Conc. Inst. Eccles.* 69. §. 8.

Alienationes etiam rerum inferioris valoris, quæ comprehenduntur in *cap. Terrulas*, debent etiam a Regularibus fieri de licentia Episcopi. *Inst. Eccl.* 69. §. 9.

Alienantes, & recipientes bona alienata contra Extrav. *Ambitiose*, incurrunt excommunicationem Pontifici reservatam. *ibid.* §. 10. Regulares vero ultra hanc incurrunt ipso facto pœnam privationis Officiorum, *ex Decreto Urbani VIII. ibid.*

Quamquam ex Can. *Bona* 12. *Quæst.* 2. jus sit Episcopo molienti novum Monasterium in sua Ecclesia, donandi illi quinquagesimam partem redituum Ecclesiæ suæ; cum tamen Episcopi in sua consecratione jurent se non alienaturos possessiones ad mensam suam pertinentes; hinc optime intulit S. C. interdictam esse Episcopo hanc, & aliam quancumque alienationem. *De Synod. Diœces. l.* 7. *c.* 72. *part.* 12.

ALTARE

Sacerdotibus Latini ritus in Russia Polonica degentibus, tam præsentibus, quam futuris conceditur, ut deficientibus tabulis lapideis consecratis, Missam celebrent super Antimensiis Ruthenorum unitorum. Ritu tamen Latino Sacrum agere illis injunctum est. Sunt antimensia lintei quidam Episcopali benedictione consecrati, in quorum angulis Sanctorum Reliquiæ reconditæ sunt, *Constit. Imposito nobis. Bull. Tom. III. Constit. XLVI.*

ALTARE PRIVILEGIATUM

In Brevibus pro altare privilegiato solet definiri numerus Missarum, quotidie in Ecclesia celebrandarum; si forte accidat, ut aliquibus diebus numerus iste Missarum desit, dummodo sæpius in hebdomada tot Missæ celebrentur, quod privilegium illud exigit, id non sufficere, declaravit S. C. die XI. Sept. 1694. Decretumque illud approbavit Innoc. XII. ex quo resultat necessarium esse singulis diebus numerum Missarum definitum. *Instit. Eccles.* 56. §. 16.

Indulgentiæ altaris cum definito numero Missarum, si forte contingat tempore Adventus, & Quadragesimæ, ut in Ecclesiis Regularium impleri non possit numerus, remanent suspensæ. Reliquis anni diebus, si forte id raro contingat, non remanent suspensæ, sicut nec remanent, si ob infirmitatem Sacerdotum tam sæcularium, quam regularium raro tamen id contingat. Ita sacrosancta congregato die 30. Julii 1076. *ibid.* 5. 17.

APPELLATIO

Appellationes omnes, & Inhibitiones, per quas retardetur executio, aut impediatur processus ad ulteriora in iis, quorum executio a Tridentino, vel Constitutionibus Apostolicis commissa est locorum Ordinariis, addita clausula, *appellatione vel inhibitione quacumque postposita*, ne a Tribunalibus recipiantur, statuit Pontifex in Bulla

AD

AD MILITANTIS *Bull. tom. 1. n. 48.* Quæ appellationes inhibitionesque si concedantur, præterquam quod hoc ejus statutum violatur, nullæ sunt. *ibid. §. 38.*

Excipiuntur tamen casus, qui forte occurrerint singulares ab hac regula eximendi; tunc vero ne dentur Monitoria, Citationesque vetat, nisi prius in supplici libello ad hoc porrigendo facti circumstantia peculiaris clare exponatur cum aliquo documento semiplene saltem eandem circumstantiam verificante. *ibid. §. 39.*

ASPERSORIUM

Episcopo ingrediente aliquam Ecclesiam Collegiatam porrigi debet aspersorium non ab Archidiacono, seu aliis de Capitulo, sed a digniori illius Ecclesiæ. Si vero cum suo Capitulo Cathedralis capitulariter cum indumentis canonicalibus ad aliquam Ecclesiam suæ Diœcesis procedat, porrigi illi debet a dignori de Capitulo Cathedralis. *Instit. Eccles. 105. §. 128. ex Decr. Sacræ Congr. Rit.*

BAPTISMUS

Natis infantibus Baptismum conferri quam primum debet, peccantque graviter qui diu illum differunt: tempus autem indefinitum est, latoque edicto mandatum fuit Romæ anno 1723. ut intra triduum infans lavetur. *Inst. Eccles. 98. §. 3.*

Non licet absque necessitate Baptismum conferre in privatis domibus. *Instit. Eccles. 98. §. 9.*

Nihil officit validitati Baptismi error privatus baptizantis, dummodo in materia, & forma nihil innovetur. *De Syn. Diœc. l. 7. c. 6. §. 9.*

Infans, cujus corpusculum nondum e matris utero prodivit, sed materno utero jam reserato mox proditurus est, & moriturus timetur, debet inducta aqua instrumento aliquo baptizari, sed sub conditione baptizandus est. *De Syn. Diœc. l. 7. c. 5. §. 6.*

Si vero infans aliqua sui corporis parte, non vero capite prodierit, baptizandus est sub conditione in ea parte, quæcunque illa fuerit, quemadmodum Rituale Romanum præscribit, (quicquid in contrarium Theologorum plures sentiant, quando pars illa est ex principalioribus, ut pectus, scapulæ, brachia &c.) iterumque sub conditione in capite baptizandus est, si totus exierit. Si vero caput unice detectum fuerit, baptismate absolute tingendum est. *ibid. §. 7.*

Baptismus cum conditione adjecta non confertur absque lethalis culpæ crimine, nisi prudens dubitandi ratio suppetat, an antea validus Baptismus collatus sit. *ib. c. 6. §. 3.*

Si de administrato Baptismate unus tantummodo testis affirmet, ut obstetrix, cum illa tunc testificetur de facto proprio, ex hoc tantummodo non est hoc Sacramentum reiterandum; si quidem illa interrogata, materiam, & formam hujus Sacramenti probe scire demonstrat. Idemque præstandum est in locis, ubi obstetrices antequam ad munus istud admittantur, de ratione administrandi rite Baptismum edoceri solent. *ibid. §. 4.*

Testis unicus, etiamsi mulier sit, sufficit ad probandum Baptismum. Can. *Parvulos*, & Can. *Cum itaque de Consecr. Dist. 4. Inst. Eccles. 98. §. 13.*

At si testimonium sit ab homine incerto, in re adeo gravi ignoto testimonio deferre non possumus: quare tunc rebaptizandus est infans sub conditione, etiamsi schedulam de suscepto Baptismate e collo suspensam ferat, uti pro expositis in Hospitali de S. Spiritu in Saxia de Urbe, respondit Sacr. Congr. Conc. die 5. Jan. 1724. *De Synod. Diœces. lib. 7. c. 6. §. 5.*

Si vero agatur de baptizatis ab Hæreticis, qui ad fidem Romanam venire petunt, tunc oportet investigare, nunquid in Secta illa Hæreticorum innovatum sit aliquid circam Materiam, & Formam Baptismi. Quod si ex ista investigatione nihil certi resultet, tunc ac in dubio Baptismate agendum est. Hoc dubium rationabile censendum est in Baptismate hæreticorum Hollandiæ, apud quos mos invalnerat, ut alter aquam funderet, alter formam pronuntiaret. Quare & nunc pariter, ut in re dubia, cum illis agendum est, uti & cum Hæreticis Angliæ, quemadmodum ex Silvio, aliisque statuitur. *ibid. §. 3.*

Irregularitas ex iteratione Baptismi contrahitur etiamsi Baptismus absque prudenti dubio sub conditione innovetur, ut ex Catechismo Romano multo probabilius deducitur. *Instit. Eccles. 84. §. 18.* Hanc vero pœnam etiam baptizantem afficere, non baptizatum tantummodo, ferme inter omnes convenit. Sicut & ea affecti non tantum ad altiores Ordines ascendere vetantur, sed & ab exercitio jam susceptorum Ordinum absterrentur, quæ tanquam magis cohærens auctoritati Catechismi Romani opinio præfertur alteri neganti. *ibid. §. 18.*

Admittendum esse ad Baptismum infantulum Hebræum, postulante avia paterna Christiana, licet reclamet mater Hebræa defuncto marito, & tutores testamentarii, censet Pontifex in Epistola ad R. P. Hieronymum Guglielmi Congregationis S. Officii Assessorem, ex eo quod avia comprehendi possit sub appellatione parentum, & favore Religionis facile prævalet matri, & ceteris tutoribus testamentariis, sicut mater Christiana postulans Baptismum pro filio prævalet patri infideli reclamanti; & si quid dubii superesse possit, in dubio favendum est Religioni. Hanc Epistolam habes in Bullario Benedicti XIV. *Tom. II. n. 54.*

Baptizari infideles invitis parentibus vel tutoribus licite non possunt, nisi infantes fuerint in mortis extremo, vel expositi tanquam a parentibus derelicti. Si vero expositum quis baptizandum assumpserit, posset illi lavacrum salutare impertiri, etiam Synagoga, vel parentibus reclamantibus. Si vero pater infidelis offerat infantem suum, dein facti sui pœniteat, & nolit baptizari, tunc puer ante usum rationis est baptizandus; qui vero sui compotes sunt, in domo catechumenorum explorandi sunt, si velint.

Tandem si qui pueri baptizati sunt etiam parentibus invitis, tunc ille qui baptizavit peccavit graviter, sed baptizatus restitui parentibus non debet, at penes Christianos educari. Porro in eo casu Baptismus vel unico teste idoneo probatur, etiamsi fœmina sit, vel etiamsi sit ille, qui Baptismum contulit, in quo casu puer nec sub conditione rebaptizandus est.

Hæc de pueris ante usum rationis; qui vero rationis capaces sunt, uti sunt communiter post septimum ætatis annum, si sese sponte obtulerint Baptismo, possunt baptizari; quod verum est, etiamsi non certo constet, sed dubitetur de capacitate rationis post septennium. Si vero hoc dubium præcedat septennium, tunc debet puer retineri apud Christianos, suspenso interim Raptismo, quoadusque certus usus rationis superveniat.

Si adulti illi careant intentione recipiendi Baptismi, adeo ut illam nec ipso actu, nec antea habuerint, tunc Baptismus est invalidus. Validus autem est, si antea fuerit habita, & nunquam interim retractata. Quod si neutra fuerit voluntas in suscipiente, tunc in eam sententiam inclinandum est, quæ invalide baptizatum pronuntiat.

Si post Baptismum affirmet neophytus se caruisse intentione sufficienti, nec afferat dicti sui idoneas probationes, retinendus est, & denuo tingendus sub conditione. Vicissim si illas afferat, negetque iterum baptizari velle, remittendus est. Hæc omnia late disputat Pontifex in Epistola ad Vicesgerentem POSTREMO MENSE. *Bull. tom. 2. n. 28.*

Si mulier gravida decedat, potest Episcopus injungere, ut per sectionem cæsaream extrahatur ex utero infans, qui forte vivus reputatur, ad hoc, ut sacrum Baptisma conferatur. Non enim id est impossibile, ut extrahatur vivus, *De Syn. Diœces. lib. II. cap. 7. §. 13. nov. edit.*

Baptismum ministrare tempore pestis eo morbo obstrictis per se non tenetur Episcopus, cum ille sit tanquam causa universalis, quæ non per se, sed per particulares, id est per Parochos operatur; si tamen aliud adsit qui præstare id possit. *De Synod. Diœc. lib. 13. cap. 16. §. 9. nov. edit.*

In baptismate conferendo possunt Præsbyteri Græci lo-

co

co Latinæ formæ adhibere eam quam habent in suo Euchologio: *Baptizatur servus Dei N. in nomine, &c.* sicut & adhibere trinam aquæ immersionem seu aspersionem cum omnibus unctionibus erga baptizatum, ubi tamen non est contraria consuetudo. Presbyteri tamen Græcorum vetantur consignare chrismate in fronte suos baptizatos. Licet vicissim uti in Baptismate aqua calida, sicut & licet Parochis Græcis suos subditos baptizare aqua per ipsos Græco more benedicta. Vetantur insuper ne baptizatis pueris communionem sub utraque specie vel sub una administrent, sicut, neque eisdem pueris conferant in Missa Eucharistiam.

Filiis patris Latini & matris Græcæ latino ritu Baptisma conferatur. Si vero pater sit Græcus & mater Latina, liberum erit patri ritum eligere.

Baptizati ritu Græco subsunt jurisdictioni Parochi Græcorum, nec possunt Latini absque dispensatione Sedis Apostolicæ transire ad ritum Græcum. Vicissim Græcus ex concessione Episcopi Latini potest ad Latinum transire. Qui vero Clerici sunt in quocumque Ordine etiam minori constituti a ritu Græco ad Latinum sine licentia transire nequeunt.

Fas est Græcis Sacerdotibus peracta jam consecratione, & ante communionem suam aquam calidam in sacrum calicem infundere.

Non licet Græcis Sacerdotibus asservare Sacramentum Eucharistiæ toto anno.

Non licet Græcis in Italia & insulis degentibus Eucharistiæ particulam suspensam ad collum, seu in privatis domibus retinere.

Quæ servanda sint a Græcis in Sacramentis conficiendis & recipiendis diligenter prosequitur Benedictus XIV. in eadem Bulla etsi *Pastoralis*, ex quibus nonnulla hic etiam a nobis excerpta sunt & sparsim in suos titulos distributa.

In Bulla *Quam Provinciale*, Bullar. T. IV. n. XXXVIII. mandat Pontifex servari Canonem Concilii III. Provincialis Albanensis, quo sancitur, ne Christi fidelibus sub Mahumetica ditione degentibus imponantur baptizandis nomina Turcica seu Mahumetana, neve eadem nomina etiam extra Baptismum sibi imponant, quacumque tandem ratione id agant.

BARBITONSORES

In Diœcesi, ubi adest consuetudo exercendi artem barbitonsoriam etiam die festo, permitti potest; sed tantummodo definitis diebus, non vero omnibus. *Instit. Eccles. 43. per totam.* Opus est tamen servile, nec nisi ex consuetudine tolerandum. *ibid.* §. 2.

BENEDICTIO

Benedictio sacrarum vestium utrum ab Episcopo simplici sacerdoti committi possit, quæstio est anceps inter Scriptores. Insignes tamen Episcopi facultatem hanc plerumque a Congregatione petunt. *Inst. Eccl.* 21. §. 9. & 10.

Utrum benedicendum sit Cingulum, Pluviale & sacra Pyxis, quæstio est inter Doctores. Probabilior tamen censetur opinio, quæ benedictionem exigit, cum pro Pyxide sit peculiaris benedictio in Rituali. *ibid.* §. 12.

Si ex veteri sacro vestimento novus alius diversæ formæ conficiatur, ut si ex stola manipulus &c. benedictio iteranda est. *ibid.*

Episcopi titulares jus nullum habent consecrandi sacro Chrismate vasa sacra, quia cum in his adhibendus sit usus Pontificalium, non datur illis hisce uti in aliena Diœcesi. *ibid.* §. 15.

Abbates regulares benedicere campanas, & calices pro usu alienarum Ecclesiarum (possunt enim pro suis) negavit Alex. VII. *in suo Decreto diei 27. Sept.* 1659. Consulta S. Congregatione, num potuerint indumenta sacra benedicere pro alienis Ecclesiis, eo quia obtinuerint Indultum Apostolicum; responsum fuit, exhiberi illud Indultum authenticum ex Archivio Apostolico desumptum, ac interim abstinerent. *ibid.* §. 10.

Benedictiones, & unctiones campanarum cum Capitularibus Caroli Magni indicentur, antiquissimæ sunt. *Inst. Eccl.* 74. §. 80. eisque nomen alicujus Sancti imponi consuevisse ex Alcuino discimus. *Inst. Eccl.* 47. §. 26.

Benedictiones campanarum ad nimbos depellendos approbantur, neque id tribui posse impressioni aeris a campana impulsæ asseritur. *ibid.* §. 37.

Solus Episcopus jus habet campanas benedicendi, cum sacra unctio adhibenda sit, nec potest facultatem alteri subdelegare. *ibid.* §. 38.

Ex præcepto Pontificalis Romani campanæ Ecclesiarum benedici debent. *ibid.*

Potest Episcopus suspendere sonum campanarum, quæ ab Episcopo benedictæ non fuerint ut ex Decretis Sacræ Congregationis. *ibid.*

Benedictionem equorum, & aliorum animalium die festa S. Antonii Abbatis formula habetur. *Inst. Eccl.* 47. §. 12.

Benedictiones in vermes, & insecta habentur. *ib.* §. 20.

Benedictiones, cum Reliquiis, non esse improbandas, quidquid dicant nonnulli, ex praxi etiam Romæ recepta probatur. *ibid.* §. 26.

In Benedictione Pontificia super populum, quæ quibusdam Regularibus aliquoties in anno ex privilegio datur, unicum tantum Crucis signum formandum est more sacerdotali, non tria more Episcopali. *Encycl. Exemplis, Bullar. Tom. II. n.* 43.

Facultatem benedicendi morituros cum plenaria Indulgentia, quam Antistites Ecclesiarum cum Epistolis in forma brevis ad triennium obtinuerunt, ad totum illud tempus quo in ea Diœcesi perseverabunt, prorogat Benedictus XIV. *in Encycl.* ad omnes Antistites PIA MATER &c. *Bullar. Tom. II. n.* 34. ac imposterum ita esse expediendas facultates illas denuntiat, easque pariter communes esse vult Prælatis inferioribus territorium separatum habentibus cum qualitate *nullius*, & activa in populum, & Clerum jurisdictione. His omnibus dat facultatem subdelegandi, ut ipsis quomodocumque impeditis, etiam diurno tempore possint hanc benedictionem per delegatos elargiri. Hanc delegationem fieri maxime vult per Diœcesim, ut omnibus præsto esse possint, quæ delegatio morte delegantis non exspiret; sed perseveret usque ad superventum novi præsulis, cujus in arbitrio est eos confirmare, vel removere. Quare novus quidem Præsul poscere debet a Pontifice eandem facultatem, non vero delegati illi, quia perseverat in illis prioris Episcopi delegatio; ita Pontifex. *ibid.*

Si tamen Præsul ex una Ecclesia, transferatur in aliam nova indiget facultate, quia prior illi data fuit præcedentis Diœcesis intuitu.

Ritus hujus benedictionis impertiendæ habetur descriptus in eadem Encyclica.

Tres Benedictiones impertiunt Abbates Regulares ex decretis Alexandri VII. in Missis, Vesperis, & Matutinis solemnibus. In Missis privatis nihil supra reliquos Sacerdotes illi concessum est. Ex iisdem Decretis. *Inst. Eccles.* 34. §. 19.

BENEFICIUM

Beneficium si quis fundaverit de suis bonis cum pacto, ut ipse tamquam beneficiatus illis fruatur, tum post obitum suum jus patronatus transeat ad hæredes, quanquam simoniacum id audiat apud multos; attamen ab ea labe immune censeri potest, neque enim satis esse discriminis apparet inter eum qui fundat beneficium cum pacto, ut conferatur filio suo &c. & illum qui vult sibi conferri; utrinque enim pactum adest, ita ex Pitonio. *Instit. Eccles.* 95. §. 7.

Si quis vero offerat bona in augmentum Beneficii jam erecti, nec tamen Patronatus ejus acquirat, tunc pacisci non potest, ut sibi Beneficium illud conferatur, ut ex Cap. *Tua nos; de Symonia, ibid.* §. 12.

Pa-

Patronus non potest se præsentare ad Beneficium, ut ex Cap. *Per vestras, de jure Patronatus*, sed potest rogare Episcopum ut si inveniatur dignus sibi illud conferat; sive debet jus Patronatus suum alteri donare donatione sincera, ex qua ipse perpetuo exspolietur jure Patroni, quando donationem approbaverit Episcopus, vel saltem Episcopus conferat eidem absque prævia præsentatione Beneficium, & beneficiatus illud acceptet, tum post collationem ipse præstet consensum suum. *Instit. Eccles.* 95. §. 5.

Beneficia resignantes sub pensione, si clam pactum iniverint cum resignatario de cedenda illi pensione, seu commodo exigendi fructus ejusdem pensionis, soluta anticipata pecunia, pactum istud irritum, & inane declaratur. Item resignatarii & resignantes decidunt ab omni jure Beneficii ipso facto absque ulla Judicis declaratione, & pecunia soluta restitui debet sub peccato gravi, quæ ab Ordinario applicauda est locis piis. Eisdem pœnis subjacent hæc eadem pacta inita intra sex menses a die receptæ per resignatarium Beneficii possessionis. *Bull. Tom. I.* In sublimi.

In Bull. *Ecclesiastica ministeria* Bullar. Tom. II. n. X. mandat Pontifex in resignationibus beneficiorum, ut resignatis in manu Pontificis beneficiis, & ab illo admissis, atque vicissim admissis super eo provisionibus, dispositionibus &c. literæ gratia signatæ intra sex menses ita perficiantur, ut intra eosdem menses a novo proviso possessio beneficii capiatur, si vero beneficia illa sunt ultra montes, prorogat terminum istum usque ad novem menses a data concessionis gratia numerandos. Ubi vero justis de causis prorogatio aliqua postuletur, permittit, ut docto prius officio Subdatarii de Apostolicis literis expeditis, fiat prorogatio prima & secunda vice, ulteriores omnes tollit. Et si legitimum impedimentum perseverare concludenter apud Datarium probatum sit, facultas sit Datario tot ulteriores prorogationes concedere ad exequendas literas Apostolicas quot necessariæ sunt ad impedimenti remotionem. Sublato vero sic impedimento, si nihilominus perseveretur in differenda executione literarum, Apostolica tunc gratia nulla & irrita censetur.

Si beneficium obtinens Religionem ingrediatur, beneficium tamen non vacat nisi per professionem, tempore vero illo intermedio inter ingressum & professionem quoad beneficia curata debet Episcopus idipsum agere, quod præstaret, cum parochus impedimento aliquo detineretur. Quoad beneficia vero choralia relictis tyroni religioso ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut jura præscribunt. Si forte beneficiatus Religionem ingressurus, beneficium suum dimitteret, quæ renunciatio admitti ab Episcopo posset ex constit. 58. S. Pii V. sive eam renunciationem faceret ad tramites capitis XVI. Sess. 25. Concil. Trid. de Regul. nihilominus in suspenso remanere debent ea beneficia, nec posset illa alteri conferre Episcopus, nisi post factam a renunciante solemnem professionem. Ita in literis ad Card. Quirinum. Bullar. Tom. II. num. XXV.

Vetitum est etiam Beneficiariis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & nullitatis actus, vendere, ac distrahere reditus suorum Beneficiorum ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam vel per plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi Beneficiati per spatium ejusdem temporis, vel totius vitæ probabiliter consequi potuissent. Bulla UNIVERSALIS ECCLESIÆ *Bullar. Tom. I. n.* 29.

Titulos Beneficiorum cum occulta inhabilitate, vel alio occulto vitio, vel etiam in Concursu male obtentorum convalidare fas est majori Pœnitentiario. Bulla PASTOR BONUS. *Bullar. Tom. I. num.* 75. §. 20. sed in convalidatione titulorum, & condonatione fructuum abstinendum est illi cum Episcopis, qui de Ecclesiis Cathedralibus provisi, munus consecrationis intra præfinitum tempus non susceperit. *ibid.* §. 21.

Neque etiam condonat fructus Beneficialium, & Episcopalium Ecclesiarum quovis modo male perceptos in casibus non occultis. In occultis vero cum Italis, Hispanis, Lusitanis, & insulis adjacentibus compositionem facere potest; cum aliis reliquis non potest. Hæc tamen omnia debent esse sine præjudicio illorum, quibus distributiones accrescere debent. *ibid.* §. 24.

Si quis jam obtineat beneficium, & injuste vexetur ab alio, potest pecunia injustam vexationem redimere, ut ex canonistis omnibus firmatur. *Inst. Eccl.* 93. §. 4.

Si vero quis habeat jus ad Beneficium, & ab alio illi lis moveatur, non potest dare litiganti pecuniam, ut acquiescat, neque etiam titulo solvendi expensas in lite hucusque factas, nam tunc pararet sibi viam ad Beneficium per pecuniam. *ibid.* §. 7.

Beneficium obtinens jure certo, & manifesto, ut nullus sit quæstioni locus permittitur redimere injustam vexationem, ut ex cap. *Dilectus* 27. *de Simonia;* idque fieri potest nulla interposita Episcopi auctoritate; fas est tamen Episcopo præcipere in Synodo ne id fiat absque suo assensu ob periculum simoniæ. *De Syn. Diœc. lib. 7. cap* 69. §. 8.

Si Patronorum Beneficii scissa suffragia fuerint in partes, ille est præficiendus, qui a pluribus eligitur, uti definitum est in Cap. *Quoniam, de jure Patronatus.* Si tamen ille, quem præsentat pars major, non reperiatur idoneus, poterit alter præsentari a paucioribus; ut ex Lambertino traditur *De Syn. Diœc. l. 7. c. 70.* §. 6. Valere tamen judicata est constitutio Synodalis Episcopi Pampilonensis, quæ vetuit admitti præsentatum a minori parte, ob rationes in *Tractatu de Syn. Diœc. l. 7. c. 70.* §. 6. ponderatas.

Beneficium simplex si quis obtineat, nec sufficiat ad honestam sui substentationem, potest ab Episcopo habilitari ad suscipiendum aliud. Si vero nec istud secundum sufficiat, ut tertium obtineat, debet a Sede Apostolica dispensationem obtinere, sive hoc tertium sit liberæ collationis, sive de jure Patronatus etiam laici; nam Conc. Trid. permisit, ut habens *beneficium insufficiens* possit unum aliud simplex obtinere, & nihil dicit de tertio. Atque ita in praxi tenere Sacr. Congregationem constat. *Instit. Eccles.* 91. §. 7.

Hæc tamen non valent in Capellaniis de jure Patronatus laicorum, neque in Legatis piis, ut ex alio Decreto Sacræ Congregationis. *ibid.* §. 8.

Ex alio Decreto Sacræ Congregationis, de quo *ibidem*, eruitur, non esse inquietandos illos, qui bona fide tria, vel quatuor beneficia insufficientia ex Episcopi auctoritate obtinuissent. *ibid.*

Cum beneficium resignatum fuerit in manus Episcopi, vel Collatoris, non possunt isti providere de eisdem beneficiis consanguineos, affines, vel familiares suos, ut ex Bulla 68. S. Pii V. *ibid.* §. 9.

Quin neque affines, consanguinei, & familiares resignantis admitti debent, etiam cum beneficium conferendum est in Concursu; primo quia Bulla S. Pii, quæ legit *admittentium consanguineis* mendose excusa est, cum legendum fuerit *dimittentium consanguineis*, ut monet Fagn. in cap. *Non sine. De Arbitris.* Secundo quia Sacr. Congreg. disposuit, ut in eo casu neque familiares Episcopi, neque consanguinei resignantis admitterentur. *ibid.* §. 11. *De Synod. Diœc. l.* 13. *cap.* 24. §. 2. *nov. edit.*

Bene tamen omnes isti admitti ad beneficium possunt, quando illud cecidit in manus Episcopi per obitum prioris beneficiati; neque enim tantum mali timeri potest, cum beneficium conferendum est ex obitu beneficiati, quantum subesse potest, cum dandum est ex resignatione prioris beneficiati. Ita de *Synod. Diœc. ibid.* §. 6. *ex Decr. S. Congr.*

Consuetudo Ecclesiarum reservandi hæredibus beneficiati jam defuncti fructus primi anni obtenti beneficii valet; nihil enim derogat juri illius, qui in beneficium recens invectus est, cum & ipse post mortem jure isto potiatur. Quare in favorem hujus consuetudinis sæpius a Sacra Congregatione decisum est. *De Syn. Diœces. lib. 7. cap. 70.* §. 3.

Be-

Beneficiorum Parochialium, & Vicariarum tam sæcularium, quam regularium capaces esse Canonicos regulares Præmonstratenses, etiam non intercedente Apostolica dispensatione, definivit Pontifex in Bulla ONEROSO &c. *Bull. Tom. III. num. XXXIII.*

De filiis illegitimis Clericorum circa beneficia parentum in eadem Ecclesia, qui possint, & non possint, &c. Vide *Irregularitas*.

Filius legitimus consequi prohibentur beneficium a patre præhabitum, esset enim species hæreditariæ successionis. Nihil tamen vetat quominus pater possit obtinere beneficium a filio præhabitum. Quod verum est etiam de patre respectu beneficii a filio illegitimo obtenti, ut ex responsione Sacr. Congr. *De Syn. Diœc. lib. 13. cap. 24. §. 15. nov. edit.*

Illegitimi autem filii quoad hoc illi etiam censentur, qui postmodum legitimati sunt, non vero illi, qui post subsequens Matrimonium legitimati habentur, ut partim ex Decretis Sacr. Congregationis, partim ex Fagnano. *ibid. §. 16.*

Num vero filio obtinere beneficium fas sit, quod pater quidem habuit, sed ab eo transivit in tertium, & ab isto in eundem filium; respondetur, filio legitimo id quidem non prohiberi, ex cap. *ad extirpandas de fil. Presb.* illegitimis vero non licet, ut ex Bulla Clementis VII. & responsis S. Congr. *ibid. §. 18.*

Nepos vero legitimus ex patre illegitimo natus obtinere avi beneficium non vetatur, ipso licet avo vivente, ut ex responsis S. Congregationis, & Rotali decisione. *ib. §. 19.*

Si patronus beneficii rectorem interficiat, ipse, & omnes ad patronatus jus illud amittunt, ex cap. *In quibusdam, de pœnis. ibid. §. 21.*

Beneficii permutatio, quæ fit coram Ordinariis, interdum potest esse prohibita a Constitutione S. Pii V. incipiente *Officium*, in qua admittuntur quidem permutationes istæ, sed quæ sint canonicis sanctionibus consonæ; ex quo fit, ut cum vetitæ sint provisiones beneficii resignati factæ in favorem affinium, & familiarium Episcopi, sicut etiam resignantis, ita etiam censentur vetitæ permutationes beneficiorum, cum aliquis permutet beneficium suum pingue, & est jam effœtæ ætis cum altero, quod est tenue, & obtinetur sive a suis, sive ab Episcopi consanguineis; vix enim credi potest ab ista permutatione fraudem abesse, adeoque non est juxta canonicas sanctiones. *De Syn. Diœc. l. 13. c. 24. §. 10. nov. edit.*

Beneficia obtinentes a S. R. E. Cardinalibus ordinariis collatoribus in mensibus a S. Sedi reservatis valorem 24. Ducatorum Cameræ excedentia tenentur intra præfixum in Reg. Cancellariæ tempus novam eorundem provisionem a Sede Apost. obtinere, ordinariis taxis solutis, non obstante in contrarium quocumque exemptionis privilegio. *Motus prop.* Benedicti XIV. *Bull. Tom. I. n. XII.*

BULLA CRUCIATÆ

Facultas concessa in Bulla Cruciatæ de absolutione a censuris obtinenda, valet tantummodo pro foro interno, ut ex constitutione Urbani VIII. eruitur; quare constitutiones Hispanicæ aliter statuentes rejiciendæ sunt. *De Syn. Diœc. l. VII. c. 65. §. 7.*

CADAVER

In sectione cadaverum anatomiæ addiscendæ causa, si quis adhibeat cadavera non condemnatorum, nulla obtenta ab Episcopo facultate, peccat quidem graviter, sed non incurrit excommunicationem Bon. VIII. de qua in cap. I. *de sepulcris*, cum illa feratur tantum in eos, qui exhumantes cadavera, ea lacerant, & alio sepelienda transferunt. Ita ex sensu DD. *Instit. Eccles. 74. §. 10.*

Si instituta Processione, & præcedente Cruce associandum sit cadaver ad sepulturam, & transitus fiat per agrum, vel possessionem privatam, non ideo via illa publica efficitur; leges enim civiles, ex quibus id posset convinci, nihil aliud volunt, nisi quod monumentum positum in loco privato efficiat locum illum sacrum; quia & leges illæ a juræ Canonico abolitæ sunt, ut ex DD. demonstratur. *Instit. Eccles. 89. §. 9.*

Si cadaver tumulandum sit in Ecclesia Regularium, non potest Parochus exigere, ut apportetur prius ad parochialem, & ibi exponatur, dein in sepulturam in Ecclesia Regularium inferatur, ut ex Lucana funerum censuit Sacr. Congr. Concilii. *Instit. Eccles. 150. §. 25.*

Ex Decretis Sacr. Congr. Concilii firmatum est non esse levandum cadaver e domo absque præsentia, ac facultate Parochi loci, ubi domus sita est. *ibid.*

Cum distinguitur Ecclesia tumulans a Parochiali, processio funebris debet incedere sub cruce Ecclesiæ tumulantis, nec potest præcisa consuetudine Parochus propriam crucem levare, nisi in casu, quo interveniat Capitulum Cathedralis, tunc Cathedralis crux sola præcedit. Ita ex Decretis Sacr. Congregationis. *ibid. §. 26.*

Societates funus comitantes si procedant cum sacco tenent locum ante feretrum, & ante Clerum tam sæcularem, quam regularem; si sine sacco, eant post feretrum, uti ex statutis Cleri Romani. *ibid. §. 30. 31.*

Laici regulares non debent comparere cum Capellanis conductis in processione funebri, ut multis firmatur. *ib. §. 32.* At si invitatus sit conventus regularis, qui certe constat ex laicis, conversis, & Sacerdotibus, excludendi non sunt. *ibid.*

Regulares cogi non possunt ut associent pompam funebrem cum cadaver in eorum Ecclesia sepeliendum est, sed possunt ad januas Ecclesiæ suæ expectare. Ita ex Decis. Sacræ Congreg. *ibid. §. 38.*

Si quis habitator Urbis decedat ruri non electa sepultura, cadaver ejus sepulturæ mandandum est non in Ecclesia rurali, sed in sua Paræcia, vel in Ecclesia, ubi sita est sepultura majorum ipsius, ut decisum cap. *Is qui*, de Sepulturis in 6; dummodo id possit fieri sine gravi incommodo. Grave autem incommodum declarat Pontifex intercedere si obitus accidat in loco ultra tria milliaria distante a Paræcia. Id vero ex paritate rationis statuendum est de illo, qui ruri habitans in civitate decedat. *ibid.*

Cum e rure transferendum est cadaver in civitatem, deferendum est in catalecto præcedente cruce a Clero delata, & associantibus geminis Sacerdotibus, altero Ecclesiæ tumulantis, altero se tenenti ex parte Parochi illius loci, ubi mors accidit. *ibid. §. 46.*

In extractione, vel intratione cadaveris in portas urbis gabella minime solvenda est, ut ex DD. *ib. §. 46.*

Pro transitu processionis funebris ex una Paræcia in aliam nulla petenda est licentia a Parocho illius loci, per quem transitus fieri debet, ut ex Bulla Leonis X. 22. & Decretis S. Congregationis firmantur. *ib. §. 49.*

Pro sepultura, & exequiis cadaveris exigi nihil potest, ut ex sacris Canonibus firmatum est. *Instit. Eccl. 105. §. 58.* Vero si consuetudo obtinuit, ut aliquid detur, quamquam circa hoc nulla sit actio judiciaria, attamen recurri potest ad officium Ordinarii, ut est in textu cap. *Ad audientiam 24. de Simonia ibid. §. 58.*

CÆCUS

Cæcus non obtinet dispensationem neque ad primam Tonsuram, ad effectum obtinendi beneficium ecclesiasticum, ut ex Decreto S. Congregationis in una Pampilonensi die 28. Martii 1733. *Instit. Eccl. 34. §. 5.*

Si tamen ordinato jam Sacerdoti accidat, ut oculorum lumen amittat, non tamen ita, ut nihil videat, datur illi a S. Congreg. facultas celebrandi diebus quidem festis, & duplicibus, Missam B. Virginis votivam, ferialibus defunctorum, dummodo non omnia memoriter recitet; mandando insuper Episcopis, ut celebrationem omnino vetent statim ac cæcum penitus evasisse compererint. *ib.*

CAMBIUM

Cambium locale, & per literas, quando revera literæ mittuntur, vel transmittitur in alio loco pecunia eo modo, quo apud Theologos describitur, admittitur a Pontifice in Tractatu *de Synd. Diœc. l. 7. c. 48. §. 7.*

Cambium vero obliquum, quo mutuatarius se obligat ad negotiandum in cambiis tantummodo pecuniæ, quantum mutuo accepit a Cambista in favorem ipsius Cambistæ, vel ipsius Cambistæ det facultatem, ut nomine suo accipiat sive a seipso, sive ab alio tantummodo pecuniæ, quantum sibi mutuo data est; accipiat, inquam, eam per cambii contractum; atque interim mutuatarius se obligat ad solvendum quantum necesse est pro ratione hujus secundi cambii: hoc, inquam cambium, quamvis non reprobatum a nonnullis, & revera fortasse in foro fori sustineri posset, adhuc tamen in conscientia reprobandum est. *ibid. §. 9. 10.* Interdum vero mutuatarius in se suscipit onus negotiandi per cambium tantumdem pecuniæ quantum a Cambista mutui nomine recepit; tunc vero quidquid lucratur, vel lucrari potest in istó cambio nomine mutuantis facto, totum illi solvit; quæ solutio etiam facienda est, etsi istud negotium cambii revera factum non sit, quia Cambistæ intererat, ut fieret. Id etiam perinde ac prius a Pontifice reprobatur. *ibid.*

Hæc omnia cambia, quamvis per se saltem quoad nonnulla licita laicis, interdicta esse Clericis canones magno consensu demonstrant, & evincunt, *ibid. cap. 49. §. 11.*

CANONICI REGULARES

Canonici Regulares, quamquam sunt capaces Beneficii Curati ex textu *cap. Quod Dei timorem, de statu Monachorum*, non sunt tamen beneficii simplicis, ut ex pluribus Decr. S. C. Conc. approbatis a Greg. XIII. firmatur. *Inst. Eccl. 98. §. 2.* Sicut nec beneficiorum residentialium non Parochialium, ut ex sensu multorum Canonistarum. *ibid. §. 3.*

Nec possunt Parochias laicas recipere cum sola licentia Abbatis Generalis, sed requiritur facultas Summi Pontificis. *ibid. §. 5.*

Canonici regulares ex sola facultate superioris sive Abbatis generalis non possunt curam animarum in Ecclesiis sæcularium assumere & exercere; sicuti neque ad Canonicatus, Præbendas, dignitates, neque ad alia officia aut beneficia residentialia in Ecclesiis sæcularibus obtinenda assumi; & propter hoc ex religiosis claustris exire. Sunt etiam incapaces beneficii ecclesiastici sæcularis sive simplicis sive residentialis, sicut etiam pensionum ecclesiasticarum. Ita in Bulla *Quod inscrutabili* CXXXV. Bullar. Tom. I. Quare exigunt ad hæc obtinenda facultatem Sedis Apost. Si vero de Sedis Apost. facultate beneficium aliquod simplex obtinuerint, non ideo tamen facultatem habent e claustro Religionis suæ exire. Id vero, quod hic statutum est; intelligitur pariter de Canonicis SS. Salv.

Si quis vero ex illis extra concursum a patrono beneficii Ecclesiastici, quod habeat curam animarum annexam, nominatus fuerit, hæc nominatio fieri debet cum expressa præservatione beneplaciti Apostolici. Ultra quod a nominato debet acceptari nominatio cum clausula de obtinendo beneplacito superioris generalis sui ordinis. Quid vero respectu illorum servandum sit, in voce *Concursus* adnotavi. *ibid.*

In eadem Bulla declarat Benedictus Canonicos illos sic provisos de beneficio residentiali absolutos esse ab obligatione deferendi vestem sui Ordinis. Monet tamen non ideo exemptos esse ab onere servandi vota in iis, quæ conjungi possunt cum novo suo statu. Cum vero cura Pastoralis & Canonicatus sit incompossibilis cum actuali obedientia præstanda Superiori regulari, ideo declarat §. 27. non posse cogi ab iisdem superioribus ut ad Religionis claustra redeant; posse tamem Episcopum, cui submittuntur; legitima ex causa privare illos per sententiam illo beneficio, seu declarare perpetuo suspensos ex inhabilitate. Tunc autem declarat teneri eos ad claustra redire, sicut & §. 28. ad redeundum obligat eosdem beneficiarios si beneficium renuntient. Ceterum §. 28. etiamsi habeant coadjuctorem, vel impetraverint jubilationem, cum tunc teneantur residere in loco Parochiæ aut Canonicatus, ideo ad claustra redire in eo casu nequaquam tenentur.

CANONICI

Canonici Cathedralis non emittentes professionem fidei ex præscripto S. Conc. Trid. *non faciunt fructus suos*, fructus tamen Præbendæ, non vero Distributionum, uti sæpe respondit S. C. *Inst. Eccl. 60. §. 11.* Nec ad eam pœnam incurrendam requiritur sententia declaratoria, ut ex Synodo Farfensi firmatur. *Inst. Eccl. 57. §. 15.*

Professio fidei a Canonicis emittenda ex Constitutione Pii IV. non obligat Canonicos aliarum Collegiatarum, sed Cathedralium tantummodo. *Inst. Eccl. 60. §. 1.* ex pluribus Decretis S. C.

Hæc fidei professio personaliter præstanda est, non vero per procuratorem, ut ex Decreto S. C. *ibid. §. 3.* quod adeo verum est, ut si quis Romæ existens obtinuerit facultatem professionem hanc emittendi coram Cardinali Vicario, teneatur illam repetere coram Ordinario simul ac in locum residentiæ pervenerit, ut in eadem facultate exprimi solet. *ibid. §. 3.*

Canonici, & beneficiati tenentur ex jure ecclesiastico recitare Officium divinum cum eo discrimine, ut beneficiati ubique locorum possint huic muneri satisfacere, Canonici vero Cathedralium, vel Collegiatarum præstare id in Choro tenentur. *Inst. Eccles. 107. §. 7.*

Canonici tenentur recitare divinam psalmodiam in Choro, adjungentes se se eidem Choro, nec sufficit si tantum adsistant, alioquin non faciunt fructus suos, nisi tamen adfuerit privilegium Apostolicum non præsumptum, nec abrogatum. Ita in Encyclica ad Episcopos Italiæ *Cum semper. Bull. Tom. I. n. 103.*

Nec solum tenentur adsistere, sed etiam alta voce recitare, & associare cantum Horarum Canonicarum, nulla in contrarium obstante consuetudine, ut ex dispositione S. C. Trid. *Sess. 24. c. 12. de Reform.* evincitur, *Instit. Eccles. 107. n. 16.* Idcirco tenentur Canonici, & alii dedicti Choro Cantum Gregorianum addiscere, ut in folio exhibito S. Congreg. in causa Murana Mansionariæ die 13. Novembr. 1735. a Secretario ejusdem Congregationis demonstratur. *Instit. Eccles. 107. §. 16.*

In Tridentino quidem injunctum est, ut omnes *Divina per se, & non per subditos compellantur obire officia, sed ut censuit* S. C., non est sublata Capitularibus facultas *sese invicem substituendi, dummodo substituens & substitutus eidem servitio adscripti non sint.* Cavendum est tamen ne nimis frequentes sint istæ substitutiones. Non possunt uti hac facultate illi Canonici, qui extra Civitatem, vel suburbia consistunt. Nec ea uti potest nisi Canonicus, vel Mansionarius, non vero Coadjutores eorum, ut ex pluribus Decretis S. Congr. *ibid. §. 17. 18.*

Si Chorus Ecclesiæ efficiatur incommodus, puta hyemali tempore, potest adaptari eidem muneri præstando aliqua Capella ejusdem Ecclesiæ, ut ex Decr. S. C. *ib. §. 19.*

In Ordine ad recitationem Horarum præfertur illa sententia, quæ docet, eos, qui Horis admiscent jocos, risus, & cachinnos, & cætera, & confabulationes in Choro, reos esse peccati gravis, & ad restitutionem teneri. *ib. §. 25.*

In Decretali *Dolentes* de Celebr. Miss. pœna in eos, qui hæc similia agunt, suspensio indicitur; hæc tamen suspensio est ferendæ, non latæ sententiæ, ut explicavit Honorius III. *in c. 3. de Vita, & Honest. Clericor.* inserto in quinta compilatione Decretalium edita a Cironio. *ib. §. 29.*

Mos non mulctandi Canonicos, nisi cum supervenerint in Choro post absolutum primum Nocturnum cum Lectionibus, vel post sex priores Psalmos in Matutinis de Feria, etiamsi consuetudo adsit, reprobatur a S. Congr. Con. in Interramnensi visitationis die 24. Maji 1674. *ib. §. 23.*

Quan-

Quamquam in Choro teneantur recitare semel in hebdomada Officium defunctorum; extra Chorum tamen non tenentur, quod etiam de Officio B. M. Virginis, Psalmis Pœnitentialibus, & Gradualibus definivit S. Pius V. in sua Const. LXIV. *Inst. Eccles.* 107. §. 6.

Missa Conventualis, quamquam non veniat nomine Horarum Canonicarum, venit tamen nomine divini Officii, quare si Cathedralis, & Collegiatarum Canonici tenentur ad quotidianum Officium divinum, tenentur etiam ad quotidianam celebrationem ejusdem Missæ. *ibid.* §. 11.

Immemorialis consuetudo non excusat Canonicos Cathedralium, & Collegiatarum insignium a residentia; bene tamen in Collegiatis non insignibus, & ruralibus, in quibus adeo tenues sunt reditus, ut Canonici aliunde non habentes unde vivant, non habeant. *Instit. Eccles.* 107. §. 2. ex Decreto S. C.

Absentia a Choro per tres menses non intelligitur permissa a Trident. si Ecclesiæ Constitutiones servitium totius anni absque ulla intermissione requirant, ut explicatum est in Decreto S. C. *Inst. Eccl.* 197. §. 31. Qua in re nulla contraria consuetudo etiam immemorabilis admittitur, ut censuit S. C. in suo Decreto. *ibid.*

Ad vacationem trium mensium concessam a Tridentino non requiritur licentia Episcopi, si tamen intra Diœcesim consistant; requiritur autem vicissim, si se ab illa absentent; petita tamen non debet ab Episcopo negari; ita ex Decr. S. Congr. *ibid.* §. 36.

Canonici vigore trimestris a Con. Trid. sibi concessi non possunt simul abesse a Choro ultra tertiam partem uno & eodem tempore, nec vacationem hanc obtinere possunt tempore Quadragesimæ, & Adventus, & in Festis solemnibus. Ita ex Decreto S. Congreg. *ibid.* §. 34.

Pro absentibus habentur, qui absunt ab Ecclesiæ servitio tot vicibus, ut præscripta quantitas trium mensium annuo spatio superetur. Ita ex Decr. S. C. *ib.* §. 31. Hinc S. Congregatio in aliis decretis, *ibid.* §. 33. relatis decidit plusquam trimestrem valere, ut censeantur absentes. Nec approbavit eadem S. Congregatio illos, qui calculum conficiebant ab hora in horam, & non a die in diem. *ibid.*

Absentes a servitio tempore vacationis non lucrantur distributiones quotidianas, nisi concessæ sint illis a Constitutionibus confirmatis a SS. Pontificibus ante Conc Trid. Ita ex Decreto S. Congregationis. *ibid.*

Canonici qui abfuerint ultra trimestre non sunt citandi, ut veniant ad servitium Ecclesiæ, qua in re differunt a Curatis non residentibus, qui ex Concilii præscripto citandi, vel admonendi sunt ut contra illos procedatur. Vocandi sunt igitur Canonici, ut deducant causam cur non debeant privari medietate, sive omnibus fructibus juxta præscriptum S. Concilii. Ita ex Decreto S. C. *ibid.* §. 37.

Porro ut tunc procedatur ad privationem Canonicatus, præcedere debet trium annorum absentia, tunc expediendæ sunt tres citationes contra absentem, qui dein expectandus est per sex menses, iisque elapsis, si non compareat, ad sententiam privationis procedatur. Ita ex D. S. C. *ib.* Attamen intra hoc triennium expectationis procedi potest ad suspensionis delinquentis juxta dispositionem Cap. *Ex tuæ, de Cleric. non resid.* Quod etiam fieri potest inchoata jam via procedendi a Concilio præscripta; attamen tunc pergendum non est ad sententiam privationis. Ita ex D. S. C. *ibid.* §. 38.

Quoad distributiones Conc. Trid. *Sess.* 31. *c.* 3. *de Ref.* mandat, ut separetur e Massa Capitulari tertia pars fructuum, quæ dividatur inter præsentes divinis officiis adsistentes. Addit vero idem Concilium, quod si dignitates, & personatus Ecclesiarum Parochialium, & Collegiatarum muneribus suis defuerint, amittant distributiones, quæ applicentur *Fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco, arbitrio Ordinarii*. Quod postremum intelligitur de dignitatibus reditus suos habentibus a Mensa Capitulari discretis; nam illæ, quæ participant ex eadem mensa, distributiones amittunt, sed quæ accrescunt præsentibus. *Inst. Ecc.* 107. §. 14.

Vetat insuper sacrum Concilium *Sess.* 24. *c.* 12. *de Ref.* ne Chorales secum invicem paciscantur, ne mulctentur absentes. Vetat etiam ne gratis condonentur distributiones iis, qui non interfuerint, cui Decreto insistens S. C. Conc. semper negavit valere istas condonationes. *ibid.* §. 42.

Hoc tamen non obstante fas est Episcopo transgressores istos ulterius punire, ut sæpius respondit S. C. *ibid.* §. 44.

Cæterum cum Sacrum Concilium exceptos judicet ab ea distributionum amissione illos, quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusat; hinc S. C. censuit in eo rerum eventu absentes non tantum suas distributiones non amittere, sed lucrari augmentum, quod fit ex distributionibus absentium sine causa. Quin & si quis discedens a civitate sanus proponens reditum ad civitatem post legitimam vacationem, si interim ægritudine afficiatur, nec redire possit, adhuc distributiones lucratur, ac si præsens esset in civitate, ut ex Decreto S. C. *ibid.* §. 46.

Verum non omnis ægritudo excusat, nec omnes semper, nam si quis cum sanitate valebat, interesse negligebat, tunc etsi ægritudine gravetur, distributiones non obtinet, ut censuit S. C. *ibid.* §. 47.

Accidere tamen posset, ut quis non vetaretur quidem exire domo, sed ægritudine, qua afficitur, adesse Choro non permitteretur. Hinc cæcus distributionibus potitur, etiamsi eam officii partem, quam memoria tenet, in Choro non recitet, ut censuit S. C. *ibid.* §. 48.

Deberi cæco distributiones ex ea die, qua lumine captus est, & non solum ex ea, quæ se admitti ut præsentem postulavit, censuit S. C. *ibid.*

Quin nec teneri illum substituere alium pro onere Missarum in Collegiata, eadem S. C. alio decreto censuit. *ib.*

Quando pestis grassatur (quod judicium Episcopo remittitur) Canonici qui se absentant ab Urbe, vel Oppido, distributiones lucrantur, ut ex Decr. S. C. *ibid.* §. 50.

Nec privantur etiam, qui assueti alias interesse Choro, vexationibus injustis coacti se e loco seducunt, ut ex Decreto S. C. *ibid.* §. 51.

Cujusmodi sunt etiam detenti injuste in carceribus, quæ injustitia tunc judicanda est ex sententia in ejus favorem lata, quæ in judicatum transierit; nam si interposita sit appellatio, exitus ejus appellationis expectandus, est; quæ omnia ex Decretis S. C. *ibid.* §. 52.

Sententia in favorem rei illa dicitur hic, qua reus ut innocens absolvitur per sententiam definitivam, sicut etiam qua *ex hacthenus deductis* declaratur innocens; ac tandem ea, qua absolvitur cum clausula *non molestetur*. Non vero ea qua absolvitur cum *ex quo satis*. Hæc omnia ex Decretis S. C. *ibid.* §. 53.

Ex evidenti Ecclesiæ utilitate absentem ad distributiones admittit Bonifac. VIII. in Cap. Unic. *De Cleric. non resid. in Sexto*. Quare absens a choro causa negotiorum Ecclesiæ suæ, vel Capituli, distributiones percipit, ut sæpe censuit S. Congr. *ibid.* §. 8.

Itaque Canonicus Theologus qua die legit, potest non amissis distributionibus a Choro abesse, etsi vacare illi posset, ut censuit Sacr. Congreg. *ibid.* §. 55.

Hinc etiam Canonicus Pœnitentiarius, vel alius Canonicus ab Episcopo deputatus in eum locum, dum actu audit Confessionem tuto abest a Choro, & distributiones obtinet, ut pluries censuit S. C. *ib.* §. 55. Si vero absit dum actu non audit confessiones, distributiones minime percipit, ut ex aliis Decr. S. C. *ibid.*

Lucratur etiam fructus Præbendæ, non vero distributionum, etsi absens ille, qui habet Canonicatui suo adnexam, sed extra civitatem, curam animarum; tenetur enim in Parœcia residere pro eo tempore, quo in Parochiali Ecclesia residet, & Sacramenta administrat. Ita ex Con. Trid. *sess.* 22. *cap.* 3. *de Reform.* addita Bulla 65. Sancti Pii V.

Qui vero habet curam animarum in ea Ecclesia, in qua est Canonicus, si toto eo tempore occupatur actu in exercitio eorum, quæ spectant ad curam animarum distributiones quotidianas obtinet. *ibid.* §. 56.

Fas est Episcopis servitiis suis adjungere saltem geminos Canonicos Cathedralis, seu etiam Collegiatarum; at-

ta-

tamen non potest seligere Canonicum, seu dignitatem, neque etiam Coadjutorem. Hos vero lucrari fructus præbendæ, non vero distributiones constat. Ita ex pluribus Decr. S. C. *ibid.* §. 57. 58.

Canonici, quos Episcopus mittit Romam invisuros sacra limina suo nomine, vel illum ea occasione comitantes, distributiones quotidianas non amittunt, ut pluries censuit S. Congreg. *ibid.* §. 59.

At si illum comitentur in visitatione Diœcesis, si omnes fructus sui beneficii in distributionibus quotidianis consistant, tunc lucrantur duas tertias partes earum, tertia amissa, quæ inservientibus accrescit. Ita ex Decr. S. S. *ibid.* §. 59.

Ex lege Conc. Trid. *sess. 24. cap. 12.* possunt cogi Canonici *Episcopo celebranti, vel alia Pontificalia exercenti assistere, & inservire.* Porro ex Decr. S. C. discimus Episcopo in Cathedrali celebranti in Pontificalibus inservire teneri omnes, iis exceptis, qui legitimis vacationibus absunt. Tenentur vero etiam præstare illi munus Subdiaconi; quod verum est etiamsi Episcopus celebret, seu Ordines ministret extra Cathedralem, intra Diœcesim, & suburbia; tenentur enim etiam tunc præstare munus Diaconi, Subdiaconi, Presbyteri adsistentis, & duorum illorum Canonicorum, qui Episcopo Ordines ministranti cum Archidiacono adsunt. Ita ex pluribus Decr. S. C. *ib.* §. 60.

Porro hæc assistentia locum habet etiam cum Episcopus in sua Cathedrali præsens est Missæ, & divinis Officiis diebus Dominicis & Festis etiam non solemnibus, & in diebus ferialibus Quadragesimæ. Quod verum est etiam, quando Episcopus in aliis Ecclesiis civitatis pontificaliter celebrat, vel paratus assistit cum Pluviali, & mitra, aut cum cappa divinis officiis, & Missæ solemni, alia Pontificalia exercet, si tamen numerus sufficiens Canonicorum, & ministrorum in Ecclesia Cathedrali remaneat. Ita ex Decr. S. Cong. *ibid.*

Valent etiam hæc dum Episcopus in Ecclesia Cathedrali adest concioni diebus Quadragesimæ, & aliis intra annum. Non vero si cum cappa assistit concioni, quæ habetur in aliis Ecclesiis civitatis, etiam exemptis. *ibid.* §. 60.

In his omnibus rerum circumstantiis Canonici, qui Episcopo inserviunt, si actu debeant Choro interesse, non semper tamen obtinent distributiones. Illas enim non lucrantur, nisi cum assistunt pontificaliter celebranti, non vero Episcopo Diœcesim visitanti, vel Missam privatam celebranti. *ibid.* §. 62.

Animadvertendum est Canonicos non præsentes, de quibus supra diximus, non privari distributionibus, non tamen participare de emolumentis Anniversariorum, quæ ex voluntate Fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentes, ut ex Decr. S. C. *ibid.* §. 62.

Demum distributiones quotidianas obtinent Canonici, & Beneficiati, qui interdum intra annum intra domum religiosam clausi exercitia spiritualia præstant cum licentia Episcopi, non tamen si in Adventu, Quadragesima, & Festis solemnibus id agunt, & ita agunt, ut servitio Chori nullum detrimentum inferatur. Ita ex Encycl. Clementis XI. *ibid.* §. 63.

Distributionibus etiam quotidianis non privantur Canonici, & Mansionarii emeriti, sive si Coadjutorem habeant. *ib.* Debent tamen indultum hoc obtinuisse a S. C. vi cujus nec loci residentia adstringuntur. Quamquam possunt ab Episcopo compelli ad assistendum Choro, si cultus divinus detrimentum patiatur. Ita ex Decretis S. Congreg. *ibid.* §. 46.

Porro si Coadjutor sive intra civitatem ægrotet, sive extra, non tenetur Coadjutus assistere Choro, & nihilo secius lucratur distributiones, quæ ipsi omnino debentur, etiam cum iis emolumentis, quæ præsentibus accrescunt. *ibid.* §. 65.

Distributionibus privatur Vicarius Generalis Episcopi, Canonicus Examinator, quique in Tribunali S. Officii munus suum præbet, ministri Camerales, scilicet subcollectores spoliorum, & Decimarum, denique peregrinationes etiam sacras obeuntes, nisi illas egerint intra trimestre a Tridentino concessum. Denique nec Magistri Juris Canonici & Sacræ Theologiæ in publicis Universitatibus docentes; qui tamen si recurrerint ad Sacr. Congreg. obtinent fructus Præbendæ; & si illi sint tenues, duas tertias partes distributionum, quod etiam postremum conceditur iis, qui causa studiorum in publicis Universitatibus absunt. *ibid.* §. 72.

Absentes vero causa studii ex Decr. Innoc. XII. si indultum sibi concessum non exhibuerint Ordinario loci, & in Actis Cancellariæ non registretur intra tempus in indulto præfixum, perinde est ac si non adfuissent, *ibid.*

Coadjutoribus non conceditur indultum absentandi sese causa studii. *ibid.*

Studium vero præstari debet in publica Universitate, ac prodest pro eo pariter tempore, quo Lector privatam lectionem habet, & non in Aula publicæ Universitatis, ut ex Decr. S. C. *ibid.*

Si eo tempore, quo Officia persolvuntur in Choro, Capitulum congregandum sit, nisi urgens causa fuerit, Canonici non possunt absentare sese absque subtractione distributionum pro eo tempore, quo absunt, ut ex Decr. S. C. *ibid.* §. 73.

Nec etiam deserere possunt Chorum, ut Missas celebrent, vel confessiones audiant, nisi Superior id jusserit; monetur tamen Superior, ut ab his jussionibus abstineat, in Decr. S. C. Anni 1753. *ibid.* §. 74.

Dignitatem novam in Cathedrali Ecclesia erigere nemo potest, nisi unus tantummodo Summus Pontifex, ut pluries decisum in S. Congreg. Concilii notatur. *Tract. De Syn. Diœc. lib. 7. c. 73. §. 8.*

Pro Canonicatu Theologali concursus indicendus est, ex Bulla Baned. XIII. *Pastoralis Officii*; ejus tamen collatio pertinet ad Pontificem ex *can. Ad regimen* de Præb. Concursus iste indicendus est ab Episcopo, a quo examinatores destinandi sunt quatuor in Theologia Licentiati, sive seculares, sive regulares, nec requiruntur Synodales. Concurrentes debent esse Doctores in Sacra Theologia, vel saltem intra annum tenentur Doctoralem lauream in aliqua Universitate approbata studii generalis assequi. Quæ omnia ex eadem Bulla resultant.

Acta vero concursus transmittenda sunt ad Romanum Pontificem, a quo dignior eligetur, ut in eadem Bulla, & *Inst. Eccles.* 57. §. 4.

Nec sufficit laurea Canonica ex responso S. C. *Instit. Eccles.* 57. §. 4.

Nec sufficit etiam si hæc laurea sit recepta ab aliquo privilegium obtinente, sed omnino requiritur obtinuisse in Universitate approbata, quod commune est omnibus beneficiis lauream doctoralem exigentibus, ut ex Bulla 70. S. P. V. *ibid.* §. 5.

Theologus Canonicus satisfacit suo muneri, sive legat Sacram Scripturam, sive Theologiam Scholasticam, ut sæpius resolvit S. C. *ib.* §. 6. Non tamen si legat Theologiam Moralem, ut *ib.* §. 7.

Ex Præbenda Theologali segreganda est tertia pars, ex cujus reditibus data proportione solvenda est sua portio Sacristiæ Metropolitanæ, respondens diebus, quibus Canonicus deesset suo muneri. *ibid.*

CAPITULUM

Capitulum Ecclesiæ Cathedralis præcedere debet Capitulo Collegiatæ, adeo ut nec sustineantur Constitutiones privatarum Ecclesiarum aliter decernentes, ut definivit Rota Decis. XI. post Murgam ad Constit. Apost. *De Syn. Diœc. lib. VII. cap. 65. §. 2.*

Capitulum Cathedralis Ecclesiæ ad Synodum ab Episcopo indictam invitandum est; teneturque Episcopus de Constitutionibus in eadem Synodo condendis, ejusdem Capituli consilium exquirere, non tamen sequi illud adstringitur. Si id negligat, & Constitutiones suas inconsulto Capitulo promulgaverit, illæ profecto, quod ad normam juris non sint exactæ, firmitate carent. *De Syn. Diœc. l. 8. c. 1. per totum.*

Ca-

Capitulum Cathedralis quamvis exemptionem obtineat, adhuc tamen subditur legibus Synodalibus in iis, quæ versantur circa morum, & disciplinæ reformationem, ita declarante S. C. *De Syn. Diœc. l. 4. c. 8. §. 7.*

Exemptio Capituli Cathedralis in eo præcipue sita est, ut Episcopus extra visitationem procedere nequeat contra aliquem Canonicum sine duobus de Capitulo, adjunctis ad normam Trid. *sess. 25. cap. 6. de Reform.* Quamvis Episcopus sine adjunctis de Capitulo potest illud visitare ex Trid. *sess. 6. cap. 4. de Reform. De Syn. Diœ. l. 8. c. 4. §. 5. & l. 13. c. 9. nov. edit.*

Capitulum sede vacante non potest in usus proprios convertere mulctas pecuniarias, & compositiones delinquentium, ut sæpius a S. C. decisum est. *De Syn. Diœc. lib. 10. §. 4. nov. edit.*

CAPUCCINI

Capuccinis vetitum erat ex Constitutione quadam sui Capituli Generalis, ne peccata sua exponerent alteri, quam sui Ordinis Confessario, etiamsi longe abessent a Monasteriis sui Ordinis; verum Benedict. XIV. die 30 Martii 1742. facultatem fecit singulis eorum Sacerdotibus, & laicis longe a suis Monasteriis versantibus, ut possent cuicunque Sacerdoti sæculari a suo Ordinario approbato, vel regulari a suo pariter Superiore approbato peccata sua in confessione aperire, & ab eo absolutionem obtinere; etiam a casibus, & censuris in suo Ordine reservatis, addita tamen obligatione, ut ubi primum potuerint coram Superiore se sistant, & novam ab illis casibus & censuris absolutionem obtineant. Ita ex Constitut. Bened. XIV. *die 30. Martii. 1742.*

CASUS RESERVATI

Societates quædam ex vi suorum Privilegiorum non possunt ullo modo in quibusdam anni solemnitatibus eligere sibi Confessarium, a quo a casibus Episcopo reservatis, sine Episcopi licentia, absolvantur, ut præter Decisiones S. Congr. ferunt literæ Bened. XIV. incipientes *Pia Christifidelium*, relatæ *De Synod. Diœc. l. 5. §. 9. nov. edit.*

Denique accedentes in fraudem ad aliam Diœcesim, ut absolvantur a reservatis suæ Diœcesis, absolvi non possunt ex Bulla Clem. X. *Superna magni. ibid.*

Canonicus Pœnitentiarius vi sui muneris nullam habet facultatem absolvendi peccata Episcopo reservata, ut a S. C. Concilii decisum refertur. *ibid. §. 8.*

CAUSARUM COGNITIO

Causæ omnes tam civiles, quam criminales exemptarum personarum in prima instantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognoscendæ sunt, causis privilegiatis exceptis: neque committi possunt etiam Auditori Cameræ Apostolicæ nisi per viam legitimæ appellationis. Si autem pendentibus causis in prima instantia impetrentur citationes in Signatura justitiæ, hæ quidem valent ad comparendum, vel adeundam Signaturam, non vero ad retardandam executionem processuum ad ulteriora. *Bull. T. I. Constit. 48. Ad Militantis. §. 42. & seq.*

Causæ beneficiales habent appellationem suspensivam ab eo interpositam, qui in prima instantia succubuit; nec nisi post sententiam definitivam apud Sedem Apostolicam sive in Petitorio, sive in Possessorio est locus sequestrationi fructuum. *Clem. Unic. de Sequestr. Possess. & fruct.* neque aliter statui potest in Synodis particularium Ecclesiarum. Ita in *Tract. de Syn. Diœc. l. 12. c. 1. n. 3.*

Causæ omnes etiam civiles, & de re etiam profana, in quibus Ecclesiastici tanquam rei conveniuntur semper cognoscendæ sunt in Foro Ecclesiastico, & in prima instantia in foro proprii Episcopi, nec etiam de Episcopi consensu transferri possent in prima instantia ad Curiam Romanam, nisi ita conventum sit inter patres, ut decisum refertur a S. C. Conc. in *Instit. Eccles. 40 §. 3.*

Si vero Clericus laicus convenerit pro repetendis rebus Ecclesiæ suæ, quamquam de rigore juris cognitio hujus causæ pertineat ad Judicem sæcularem, tamen si consuetudo contraria invaluerit, pertinere potest ad Forum Ecclesiasticum. Utrum privative vero, adeo ut conventio ista fieri non possit ad Tribunal laicum, vel cumulative, ut possit ad utrumque, ex consuetudine decidendum erit. Quamquam in casu etiam, in quo valet privativa, de licentia Episcopi potest causa ista agitari coram Judice laico. *ibid. §. V.* ut ex Decr. S. Congr. Episcoporum Regularium confirmatis Brevi Pauli V. die 9. Martii 1617. *ibid. §. V.*

CENSURA

Censuræ majores, ut excommunicatio, suspensio, & interdictum, cum sint pœnæ graves, ferri non possunt, nisi ex graviori culpa, adeo ut suspensio a divinis ad longum tempus, sicut & interdictum etiam personale, nisi sit partiale, ne valide quidem in levem culpam possint inferri ex sensu plurium DD. *De Syn. Diœc. l. 7. c. 44. §. 3.* Quod valet etiam de censuris quoque comminatoriis, & ferendæ sententiæ. *§. ibid. 5.*

Parcissimi esse debent Episcopi in censuris latæ sententiæ ferendis; cum enim extrema ea sit pœna, pro extremo remedio gravioribus criminibus puniendis, coercendisque reservanda est, ex constanti S. Congreg. sensu. *ib. c. 45. per totum.*

Veruntamen prudenter ab Episcopis interdum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vetantur quædam ex natura sua leviora, sed ob grave scandalum, quod inde consequeretur, si res vetita fuisset neglecta, res ipsa postulat, ut ita provideatur. Ita Pontifex defendit Constitutionem suam, qua vetuit, ne dispensati in Quadragesima a comestione carnium, pisces degustent. *De Syn. Diœc. l. 7. toto c. 46.*

Censuræ ab homine latæ a nemine absolvi possunt nisi ab eo, a quo latæ sunt, vel ab ejus Superiore, si agnoscantur injustæ. *Inst. Eccl. 55. §. 11.* Adeo ut neque summus Pœnitentiarius Romæ censuras illas in aliquem nominatim latas tollere consueverit, ne jurisdictio Ordinandorum turbetur. *ibid.*

CENSUS

Census realis licitus est, & immunis ab usura, nam venditur, & emitur jus percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, quæ fructuum portio est pensio singulis annis solvenda. De *Syn. Diœc. l. 7. c. 48. §. 54.*

Census vero personalis dubium est num de sua natura sit usurarius nec ne. Constat tamen vetitum esse ex Constitutione S. Pii V. in qua constituuntur census conditiones. *ib. §. 5. Vid. ib. n. 68.*

Num conditiones illæ, quoad ea quæ non sunt de jure naturali, ac divino, ex contraria consuetudine legitime præscripta cesserint obligare apud quasdam Nationes, dubium est. Ac pro Hispania idem Pius V. concessit non obligare, ut ex Gottierez. *ib. §. 5.* Et revera accidere posse, ut ea contraria consuetudo alicubi invaluerit, scribitur. *ib.* Monet tamen Pontifex etiam in iis Diœcesibus, in quibus Piana Constitutio non viget, ut a censibus personalibus, præsertim utrinque redimibilibus abstineantur. *ibid. §. 6.*

CHOREÆ

Choreæ quamvis ex sui natura sunt licitæ, vix tamen in actu, quomodo nunc fiunt, permitti possunt, cum plerumque sint peccandi occasio. *Inst. Eccles. 76. §. V.*

Choreas vero a Clericis non sine peccato gravi agi posse Theologi plerique asserunt, ut firmatur *Inst. Eccles. 76. §. VII.* Quin & prohiberi possunt ab Episcopis Clerici omnes, ne choreas ducant, ne in illis ludant instrumentis, quin nec permittant eas fieri in suis ædibus ecclesiasticis, canonicalibus, parochialibus, seu etiam beneficialibus,

bus deputatis pro domicilio Beneficiati, etiamsi illæ fierent nomine consanguineorum ibidem cohabitantium, quæ verba sunt Decr. S. C. relati. *Inst. Eccles.* 76. §. 8.

CHRISMA

Ex can. *si quis de alio*, *de Consecr. dist.* 4. colligitur vetitum esse Parochis aliud chrisma quam ab Episcopo suo consecratum adhibere. *Inst. Eccl.* 81. §. 2. omni quacumque exemptione exclusa, ut ex Passerino. *ibid.*

Cum novum benedicitur, vetus comburendum est, nec licet absque necessitate veteri chrismate uti ad Extremam Unctionem, cum novum haberi potest, ut ex can. 122. dist 4. *de Consecrat.* colligunt Doctores. *ibid.* §. 4.

Licitum est oleo consecrato admiscere aliquid olei non consecrati, quod attamen sit in minori quantitate, quam consecratum; sed nec fas, nec ratio permittit, ut vetus oleum, cum potest novum haberi, ea admixtione perpetuetur. *ibid.* §. 4.

Cum Fontes die Sabbati sancti a Parochis benedicuntur, præstaret novo Chrismate ab Episcopo Feria V. in Cœna Domini ejus anni benedicto ritum peragere. *ib.* §. 5.

Ex jure communi Can. *Omni tempore*. Dist. 4. De Consecr. non licet deferre sacra olea nisi Subdiaconis, vel Diaconis, vel Sacerdotibus. *ib.* §. 6.

Episcopi Latini infantes Græcos a Presbyteris Græcis in Italia & insulis adjacentibus confirmatos absolute confirment; nulla enim a Pontificibus data illis facultas est, ut confirment, adeoque id egerunt invalide. Bulla *Etsi Past.* §. 3. *Bull. Tom. I. n.* 57.

Qui confirmati sunt a simplici Græco Sacerdote invalide in Italia & insulis adjacentibus non sunt cogendi, ut idem Sacramentum ab Episcopis iterum suscipiant, si inde scandala timeantur: *monendi tamen sunt ab Ordinariis eorum, eos gravis peccati reatu teneri, si cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt*. *ib.*

Græci ab Episcopo Græco Catholico, si haberi possit, confirmandi sunt, Chrismate tamen a Latinis Episcopis accepto. *ibid.*

Presbyteri Græco-Catholici non sunt cogendi olea sancta accipere ab Episcopis Latinis Diœcesanis, cum ipsi ex veteri ritu illa conficiant seu benedicant, excepto tamen chrismate, quod nonnisi ab Episcopo etiam juxta eorum ritum benedici debet; non tamen olea ista accipere audeant ab Episcopis Græcis externis diversæ ab Ecclesia Romana communionis. Quin nec accipiant ab alio Episcopo Latino, seu Græco-Catholico, præterquam ab Ordinario suo si sit Latinus. *ibid.*

CLAUSURA

Clausura virorum quoad eorum Monasteria asseritur in Bulla REGULARIS DISCIPLINÆ. *Bull. Tom. I. n.* 39. ex qua eruuntur sequentia.

Tanquam abusus declaratur ingressus promiscue virorum cum feminis intra septa, vel claustra Monasterii sub prætextu comitandi solemnes supplicationes, quæ fiunt intra eadem septa cum SS. Eucharistiæ Sacramento, sive cum Sanctorum reliquiis, &c.

Confirmantur Constitutiones, & sanctiones omnes Romanorum Pontificum super Claustra Monasteriorum. Denique revocantur quæcumque facultates dispensandi quoad eamdem Clausuram a quocumque, & quibuscumque concessæ.

Suum tamen jus asseritur iis concessionibus, quæ ad favorem sunt quarumcunque nobilium feminarum, eo quod eorum majores fundatores, seu insignes benefactores ejusdem Monasterii extiterint, & de hac concessione confirmationem ab Apostolica Sede obtinuerunt. Sicut etiam asseritur iis feminis, quæ sunt consanguineæ, & affines eorum, qui dominium obtinent in temporalibus loci, ubi situm est Monasterium, dummodo tamen Apostolica concessio expedita sit in forma Brevis, vel sub plumbo, de qua re authentica documenta exhibita sint loci illius Ordinariis; dummodo tamen iis facultatibus utantur non ad evagandum per Monasteria, sed sola pietatis gratia, ac de eorum adventu, & ingressu certiores antea fiant Superiores &c.

Quoad Monialium clausuram provisum est in Bulla SALUTARE IN CATHOLICA *Bullar. Tom. §. n.* 40. quia in Constitutione hæc continentur.

Confirmantur Constitutiones omnes antecedentium Pontificum sub pœnis in illis contentis.

Revocantur facultates omnes dispensandi quoad hunc ingressum, cuicunque & pro quocunque concessæ & transgressores subjiciuntur iisdem pœnis, quibus subjacent violatores clausuræ Monialium.

Suum tamen jus conceditur, quoad dispensationes Ordinariis locorum, & aliis respective superioribus, qui jus obtinent dispensandi in casibus necessariis, & servatis de jure servandis.

Moniales post professionem neque etiam ad breve tempus exire possunt e Monasterio, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda. Causæ autem sunt ex Extrav. Pii V. incip. *Decori &c.* incendium, lepra, & epidemia. *Inst. Eccles.* 85. §. *XIV.*

In consecratione tamen ex præscripto Pontificalis Romani exire debent e Clausura, & ingredi in Ecclesiam senioribus Matronis eas comitantibus, & statim ad clausuram redire. *ibid.* §. 30.

Denique occasione consecrationis earumdem Monialium non licet Episcopo ingredi in clausuram, nec multo magis licet id agere magistro cæremoniarum, & consanguineis consecrandarum Virginum. Ita ex eodem Decreto. *ibid.* §. 21.

Violantes clausuram Monialium ad malum finem, non tamen prætextu facultatum obtentarum, non evitant excommunicationem reservatam Pontifici: quam etiam incurrunt admittentes hujusmodi violatores, neque excusantur ex contraria consuetudine etiam post Concilium introducta. Ita ex alio Decr. Sacr. Congreg. *ibid.* §. *XXI.*

Educandas puellas & famulas in clausuram Monialium introduci quacumque ex causa vetat Pontifex sine authentica Apostolicæ Sedis licentia toties quoties impetranda, & prævio examine ordinariorum loci, ubi sita sunt Monasteria, super moribus, fama, habilitate, necessitate, ipsarum educandarum seu famularum. Ita in literis ad *Episcopum Portugallensem. Bullar. Tom. II. n. XXVI.*

CLERICI

Clericis omnibus vetari ab Episcopo potest gestatio ficti capillitii, beneficiatis vero etiam in sacris non constitutis, sicut etiam cæteris sacris initiatis, fas est Episcopo id prohibere etiam sub excommunicatione, uti ex pluribus Decretis S. Congr. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 60. §. V. *& Inst. Eccl.* 96. §. *V.*

Sacerdotibus vero sacrum operantibus nunquam uti licet eo capillitio, nisi de licentia Sacræ Congregationis; nec enim sufficit Episcopali permissio, uti ex literis Innocentii XII. ad Nuncios Apostolicos, & Episcopos datis. *ibid.* §. 5.

Sententia asserens omnem quacunque venationem a sacris Canonibus interdictam esse Clericis magis juri conformis est. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 61. 68. Quare nimii rigoris damnandæ non sunt Constitutiones illæ Synodales Episcoporum, quæ indicta pœna Clericos ab omni venatione removent. *ib.* §. 8.

Sententia quorundam asserens non fore reos lethalis criminis Clericos comœdiis quantumvis turpibus adsistentes; si hoc fiat citra scandalum, & probabile periculum lapsus, erronea, & scandalosa est. *De Syn. Diœc. l.* 7. *cap.* 61. §. 12.

Clerici non conjugati, beneficiati sine tonsura, & clericali veste incedentes non quidem gaudent beneficio fori, & canonis, ut ex Trident. *sess.* 25. *c.* 6. *de Ref.* sed longe probabilius gaudent aliis privilegiis clericalibus, puta exemptione reali ab oneribus laicalibus, de quibus Cap.

Odoar-

Odoardus, de solut. cum Tridentinum non adimat illis nisi tantum privilegium Fori, & canonis, *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 66. §. 2. Quin etiam per legem Tridentini non privatur Episcopus jurisdictione puniendi illos tanquam sibi subditos; neque enim lex Tridentina aliud operatur, nisi ut Clericus delinquens forum sæculare declinare nequeat. Ita decisum refertur a S. Congreg. apud Sperellum *Dec.* 17. *n.* 33. 34. *ib.* §. 4. Insuper ex alio Decreto dato Archiepiscopo Neapolitano, jus est Episcopo eosdem clericos delinquentes, quando neque a jure neque ab homine per declarationem non sunt denudati privilegiis clericalibus, e manibus judicis laici repetere. *ib.* Est autem hoc decisum quoad Clericos conjugatos a S. C. Immunitatis in Causa Alatrina jurisdictionis die 27. Martii 1633. *ib.* §. 5.

Clericos post dimissionem clericalis vetis committentes delictum, iterumque illam resumentes, si absque dolo ac fraude id egerint, gaudere privilegio certum est. Vicissim constat illis con suffragari, si egerint cum fraude. Cognoscere tamen de fraude non est judicis sæcularis, sed ecclesiastici. Utrum vero de fraude ista prius constare debeat ad hoc, ut Judex laicus possit procedere realiter contra bona Clerici, quæstio est inter Doctores, in qua affirmativa sententia facilius admittitur. Porro in fraudem resumere habitum censeretur ille, qui post relictam vestem crimenque commissum, actus in carcerem a judice sæculari, fuga se, vel aliqua ratione subtraxit, tuncque clericalem vestem resumpsit. *De Synod. Diœc. lib.* 7. *cap.* 67. §. 1. 2.

Non potest Episcopus generali Constitutione cavere, ne Clerici tonsurati post vestis dimissionem iterum illam resumant sine licentia Episcopi, ut decisum a S. Congreg. refertur. §. 3.

Ad hoc autem, ut evitentur ea in re dissensiones inter utramque potestatem ecclesiasticam & laicam suadendum, ut Episcopus per edictum generale mandet Clericis, ut incedant in habitu, & tonsura, ac deserviant alicui Ecclesiæ per certum tempus; quo elapso transgressores admoneat tribus distinctis vicibus, ut pareant. Contravenientes dein per sententiam declaret eos propria culpa excidisse a juribus clericalibus, neque deinceps ad ea restituendos fore. Hujus sententiæ vi transgressores illi neque resumpta veste privilegio fori gaudent. *ib.* §. 4.

Ecclesia, cui inserviendum a clerico est, ut fori privilegio fruatur, designanda est ab Episcopo; si tamen alteri a designata inserviat, adhuc gaudet, ut a S. Congr. decisum refertur. *ibid. c.* 69. *n.* 3.

Non incedentes in habitu, & tonsura, præcedente admonitione, etiam per edictum suspenduntur ab Ordinibus, officio, & fructibus beneficii ex Trid. *sess.* 14. *c.* 6. *de Ref.* Quin & ex Bulla *cum sacrosanctam* Sixti V. privantur ipso facto omnibus dignitatibus, canonicatibus, & beneficiis simplicibus, ac pensionibus. Ab his vero pœnis excipit in alia Bulla habentes pensionem non excedentem summam ducatorum sexaginta de Camera. Quæ tamen postrema dispositio cum agat de pensionibus, non revocat dispositionem prioris Bullæ, quæ ligat etiam beneficia minoris valoris, ut ex sacra Congr. firmatur. *Inst. Eccl.* 71. *n.* 12.

Clerici ab exercitio sui Ordinis suspensi, si ab eo se abstinuerint, esto absque prævia absolutione ad altiorem Ordinem transierint, quamquam id agant sacrilege, irregularitatem non incurrunt, quæ est magis communis sententia. *De Syn. Diœc. l.* 12. *c.* 3. *n.* 6. *nov. edit.*

Clericis, ne ad sacros, & ulteriores Ordines ascendant, prohibere potest Episcopus de occulto eorum crimine ex informata tantum conscientia conscius, sicut eo modo suspendere Clericos a Divinis, ut a S. C. decisum traditur. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 71. §. 3. Quod adeo verum est, ut nullo jure obstringi possit ad causam ejus suspensionis manifestandam. Fas est tamen reo quærelas tantummodo suas, non appellationem Sedi Apostolicæ exponere, ut ex responso S. C. traditur. *ibid.* §. 4. Ex quo fit, ut etsi reus appellationem interposuerit, si interim Ordinem suum solemniter exercuerit, continuo irregularitatem incurrat. *ibid.* §. 5.

Clerici antequam ordinentur in sacris studium saltem Theologiæ Moralis præmittere tenentur; ita enim intelligenda est sanctio Trident. *sess.* 23. *cap.* 14. injungens ut ordinandi *ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta idonei comprobentur;* atque hoc injunctum esse a Ben. XIII. confirmando Bullam *Apostolici ministerii* &c. datam pro reformatione Clero Hispaniæ, & tanquam normam pro aliis Episcopalibus. *Inst. Eccl.* 2. §. 4. & 5.

Clerici ordinandi in sacris cogendi sunt ad præmittenda exercitia spiritualia decem dierum, ut olim Episcopis Italiæ, & insularum adjacentium mandavit in encyclica Innoc. XI. & innovavit alia encyclica Clemens XI. *Inst. Eccles.* 104. §. 5.

Non debet Episcopus præcipere, ut Clerici minoribus Ordinibus initiati, vel etiam majoribus Subdiaconatus &c. ad Sacros Ordines ascendant, etiamsi id facile constituat ad evitanda scandala minorum Clericorum, qui otio, & vitiis se dedunt; id enim ecclesiasticæ disciplinæ repugnat. *De Syn. Diœc. Lib. XII. c.* 4. §. 2. *nov. edit.* Id tamen verum est, si quidem Clerici nullum beneficium ecclesiasticum obtineant, vel obtineant quidem beneficium, sed non ex illis, quibus adnexum est onus suscipiendi sacros Ordines. *ib.* §. 3. Qui enim obligationem beneficio suo adnexam neglexerunt, beneficio privantur. Ex Trid. *Cap.* 12. *Sess.* 24. *de Ref.* nisi tamen justo impedimento excusari possint. *ibid.* §. 6. saltem dummodo hoc impedimentum ab illis prævisum non fuerit, antequam beneficium acceperint.

Excipitur tamen nisi aliter exposcat necessitas Ecclesiæ. *ibid.* §. 7.

Sacerdotum penuria non satis est causæ, ut Clerici illiterati ad sacros Ordines promoveantur, ut a S. C. Concilii decisum refert Fagnanus in Cap. *Quæris n.* 18. *De Ætat. & Qualit. præficiend.*

Clerico interdictum est ex Constitutione S. Pii V. *Quæ ordini* ne quid in testamento relinquat filiis suis illegitimis, eorumque filiis, ac descendentibus, consanguineis, & affinibus, sive ex reditibus ex bonis ecclesiasticis, sive ex patrimonialibus comparatis, etiamsi filii illi ante testatorem obierint. Attamen sanctio ista non excludit quominus alimenta filiis illegitimis debeantur etiam ex reditibus ecclesiasticis. Cum vero vetatur legatum in favorem consanguineorum ejusdem filii, hoc tantum valet in casu, quo relicta ejus consanguineis per quendam circuitum cedant in commodum ejusdem filii illegitimi. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 24. §. 21. *nov. edit.*

CONCILIUM TRIDENTINUM

Consuetudo contraria Decretis sacri Conc. Trid. non est attendenda, quia in Bulla Pii IV. quæ legitur in fine ejusdem Concilii, legitur Decretum irritans ea omnia, quæ obstent eidem sacro Concilio, ex quo fit, ut irritatio ista cadat supra omnia obstantia singulis Capitulis ejusdem. *Inst. Eccles.* 60. §. 7.

Cum in sanctionibus Concilii additur: *salva semper auctoritate Sedis Apostolicæ*, quæ semper addita voluit idem Concilium *Sess.* 25. *Cap. final.* cum de reformatione morum, & ecclesiastica disciplina agitur, tunc in dispensationibus a Romano Pontifice concessis semper intelligitur derogatum sanctioni ejus Concilii, etiamsi hæc derogatio non exprimatur, juxta ac definivit S. Pius V. in suo motu proprio apud Garciam *de Benef. part.* 4 *c.* 5. *n.* 32. & 33. & censuit Sacr. Congr. Conc. *De Syn. Diœc. c.* 24. §. 23. *nov. edit.*

CONCIO

Parochi singuli tenentur Concionem habere in suis Ecclesiis, nec excusantur ex consuetudine etiam immemorabili, sive quod in aliis Ecclesiis conciones habeantur, sive ex infrequenti auditorum numero. Ita Innoc. XIII. in sua Constitutione pro reformanda disciplina Regnorum Hispa-

spaniæ, quam Bened. XIII. confirmavit ut esset norma cæteris Ordinariis. *Inst. Eccl.* 10. §. 3. Sufficit tamen pro concione allocutio pia, singulis festis, ut respondit S. C. die 8. Aug. 1732.

Concionatores regulares tenentur petere ab Episcopo benedictionem, etsi velint in Ecclesia sui Ordinis conciones habere, ex Bulla Clementis X. *suprema Inst. Eccl.* 27. §. 8. In alienis vero Ecclesiis licentia, & benedictio Episcopi etiam Regularibus requiritur ex Tridentino *Sess.* 5. *cap.* 2. *ibid.*

Interdici potest Regularibus prædicatio etiam in suis Ecclesiis facta eo tempore, quo Episcopus per seipsum concionem habet etiam in alia Ecclesia. *De Syn. Diœc. lib.* 7. *cap.* 43. §. 7.

Si vero Episcopus coram se prædicare faciat, seu prædicationem etiam in sua Ecclesia audiat pro consueto more Adventus, & Quadragesimæ, prohibere non potest Regulares ne eodem tempore in suis Ecclesiis prædicent. Nequeunt vero prohibente Episcopo prædicare eo tempore, quo Episcopus ex publica causa convocatis Clero, Magistratu, & populo coram se prædicare facit, quod ex Clementina *Dudum de sepulturis* eruitur. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 43. §. 7.

Concionem proprii parochi, quam in parochiali Ecclesia diebus festis habet, auscultare parochiani non tenentur, præcipiente licet Tridentino, cujus sanctionem contraria modo consuetudo abrogavit. *De Syn. Diœc. l.* 7. *cap.* 64. §. 13.

Concionatores si per scurrilitatem *Verbum Dei, veluti in scenam adducunt, non levem culpam* admittunt, *sed grande piaculum;* ita ex verbis encyclicæ S. C. Conc. sub Innoc. XI. datæ 6. Jul. 1680. *Inst. Eccl.* 27. §. 15.

CONCURSUS

In concursu ad Parochialem, si collatio pertinet ad Episcopum, judicium de digniori ex approbatis ab examinatoribus pertinet ad illum; si vero beneficium sit Patronatus ecclesiastici, tunc prælatio ad Patronum spectat. Si patronatus sit laicus, ab examinatoribus deputatis approbandum, sed sine concursu, patronus debet eligere. Si tamen in Patronatu laicali plures sint patroni, & a singulis suus præsentetur; ita ut singuli non habeant jus præ alio, tunc concursus instituendus est, & ad Episcopum pertinet præelectio inter approbatos, ut ex Decreto S. C. apud Barbosam. *De Syn. Diœc. l.* 4. *c.* 8. *&* 9.

Sede vacante in concursibus electio est Vicarii Capitularis, nam ad illum tota jurisdictio Capituli devolvitur. §. 10.

In concursu examinatores tenentur judices esse non tantum doctrinæ, sed & cæterarum dotum, quæ necessariæ sunt ad parochiale officium. Ita Pontifex in Bulla CUM ILLUD *Bull. tom.* 1. *n.* 68. In concursu habendo hæc servanda. *ibid.*

Habita notitia vacationis Ecclesiæ, Episcopus vicarium deputet cum emolumento ejus arbitrio assignando.

Episcopus publicet Edictum concursus, præfinito tempore ejus habendi, intra quod tempus concurrentes deferant personæ ab Episcopo deputandæ suarum qualitatum, meritorum, & munerum documenta sincera, sive judicialia; quæ eo tempore elapso nequaquam recipiantur.

Die ad concursum indicta, summa eorum documentorum a Cancellario Episcopali confecta tradatur illi, qui concursui præest, & singillatim omnibus Examinatoribus. Tum habeatur concursus assignatis singulis concurrentibus iisdem quæstionibus, eodemque Evangelii textu, super quo sermonis aliquid concurrentes perscribant. Hæc omnia dicentur omnibus eodem pariter tempore, & in eodem conclavi clausis: assigneturque omnibus congruum tempus ad respondendum. Responsa sua quisque manu scribat sermone latino, suaque itidem manu subscribat. Sermo ad populum habendus vernacula lingua scribatur. Responsa demum ipsa scribat tum Cancellarius concursus, tum Superior, qui præest, ac demum Examinatores singuli.

Tenentur etiam ab Examinatoribus explorari concurrentes qua peritia polleant in lingua Latina, tradendo illis explicandum aliquid sive de sanctis Patribus, sive de Concilio Tridentino, aut Catechismo Romano, quod oretenus fieri potest.

Responsa ita subscripta etiam ab Examinatoribus, qui pauciores tribus esse non possunt, una cum notula compendiaria requisitorum tradantur Cancellario custodienda, penes acta secreta nemini ostendenda.

Si quis appellandum duxerit a mala relatione Examinatorum, vel irrationabili judicio Episcopi, coram Judice appellationis acta integra concursus introducantur, qui illis non visis, nec aliter quam ex illis sententiam suam ferat tam respectu doctrinæ, quam morum.

Si in casu dictæ appellationis Episcopus censeat significandum Judici appellationis secretam causam, ob quam motus fuerit ad alium eligendum, poterit sub secreti lege illam Judici etiam per literas significare.

Quod si Episcopo suspecta sit fides Judicis de secreto illo prodendo, literis suis eadem deferat S. Congr. Concilii Præfecto.

Judex appellationis, quando appellatio fit a malo judicio Episcopi, seu mala relatione Examinatorum, cognoscere debet non solum de doctrina, sed etiam de cæteris dotibus electi ab Episcopo.

Si Judicis appellationis sententia conformis sit electioni Episcopali, tunc ab appellatione ulteriori cessandum est. Secus vero si acciderit, licet præelecto Episcopali, secundo, & tertio appellare. Demum cui duæ conformes adsistunt sententiæ, ille victor habeatur.

Si vero beneficium curatum, Dignitas, & Canonicatus a Sede Apostolica conferendum sit, tunc concursus non expectata ulla pontificis venia, ab Episcopo indicatur. At si beneficium curatum sit, & reservatum sit tantummodo ratione mensium, Episcopus eligat magis idoneum, & illum Datariæ significet, cui acta concursus, nisi requirantur, non tenentur transferre. Vicissim transferat illa, & suspendat a ferendo judicio, si reservatio ex alio quovis capite sit. Licet tamen Episcopo denunciare illum, quem credit magis idoneum fore Beneficio, sicut & si alicui occulta aliqua causa obsit, ne Beneficium obtineat. *ibid.*

CONFESSARIUS

Confessarii temere interrogantes pœnitentes suos de socio criminis, alioquin denegantes absolutionem, suspensionis ab officio censuram sententiæ ferendæ incurrunt, peccant graviter, & sunt denunciandi, si agnosci possit hanc sibi praxim tanquam licitam statuisse. Sicut etiam denunciandi sunt, quid id licere docent. Ita Bened. XIV. in Constitution. *Ad eradicandum &c.* Ibi etiam additur pœnitentes illos, quos ad prodendum nomina complicem Confessarius adegerit, non teneri ad denunciandum eosdem Confessarios, id agentes ex quadam imprudentia, ac simplicitate, quique eidem praxi addicti ex circumstantiis agnosci non possint.

Confessarii pœnitentes suos ad turpia sollicitantes denuntiandi sunt ab eodem pœnitente, quæ denuntiatio fieri debet, etiamsi Confessarius simplex Sacerdos, & jurisdictione careat.

Etiamsi pariter sollicitationi ipse pœnitens non consenserit.

Etiamsi post ipsam sollicitationem tempus longum jam effluxerit.

Etiamsi sollicitatio fiat a Confessario non pro se, sed pro alio.

Confessarii caveant, ne pœnitentes, quos noverint ab alio sollicitatos, absolvant, nisi prius, sive denuntiationem fecerint, vel saltem promiserint se denunciaturos quamprimum poterunt. Ita in Bulla SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ. *Bull. T. I. n.* 20.

Confessarius caret omni auctoritate, & jurisdictione absolvendi socium criminis turpis in ordine ad illud crimen cum illo commissum; & si nihilominus ausus fuerit absolutionem hanc impertiri, ipso facto incurrit excommuni-

ca-

cationem Summo Pontifici reservatam; quæ absolutio socii criminis neve in ipso Jubilæo, vel privilegio Bullæ Cruciatæ impendi valet. *ibid.*

In mortis vero articulo si adsit quicumque alius Sacerdos, qui præsenti necessitati provideat, & Confessarius socius criminis nihilominus pœnitenti alias disposito impenderit absolutionem, absolutio quidem ipsa valet, at Confessarius lethaliter peccat, & excommunicationem reservatam incurrit. Quare non potest id agere Confessarius nisi cum necessitas urgeat mortis, nec adsit alius Sacerdos saltem simplex, qui impertiri eandem absolutionem possit; vel saltem nisi ipse non posset ab hoc munere vacare sine gravi aliqua infamia, vel scandalo. Tenetur proinde omnia media adhibere citra scandalum, vel infamiam suam ad hoc, ut ipse se subtrahat, & alium si fieri possit substituat. Ita Pontifex in declaratione prioris Bullæ *Sacramentum Pœnitentiæ* nova sua Bulla *Apostolici muneris*. Bull. *Tom. I. n.* 120.

Injungitur Ordinariis, ut in approbatione Confessariorum constitutionem Gregorii XV. & præsentem Benedicti XIV. ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, & observari curent. Ita in Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ*. Bull. *Tom. I. n.* 20.

Confessarii absolutio data ignorantibus necessaria necessitate medii est invalida. Encycl. *Etsi minime*. Bull. *T. I. n.* 42.

Si vero ignoret pœnitens necessaria necessitate præcepti, & rite doleat de hac ignorantia, ac emendationem promittat, posse absolvi judicat. *ibid.* §. 12.

Confessarius si audierit Pœnitentem, & non absolverit, requiraturque de attestatione confessionis in scriptis debet illam concedere, non tamen unquam affirmare debet se illum absolvisse, nec tunc pariter cum illum absolverit, non alias si de aliquo hoc attestatus fuisset, & de aliquo non, revelationis Confessionis periculum subiret. *Inst. Ec.* 45. §. 10.

Patres Capuccini si adsint in loco ubi nullus conventus seu hospitium sui ordinis existat, nullusque Frater sui ordinis confessarius ibidem existit, possunt confessiones suas habere apud Presbyterum sæcularem confessarium approbatum ab Ordinario loci, seu apud Regularem approbatum a suo Superiore regulari ad confessiones habendas, non obstante statuto suæ Religionis in contrarium. Bulla *Quod communi*. Bull. *Tom. I. n.* 49. §. 2.

Confessarii regulares non tenentur adesse resolutioni Casuum conscientiæ, quæ habetur coram Episcopo pro tota Diœcesi; tenentur tamen in suis monasteriis habere & interesse lectioni eorundem casuum. Quæ lectio habenda est in singulis monasteriis ex Apostolico præscripto; cui si non interfuerint, potest Episcopus illos cogere, ut intersint Congregationi casuum conscientiæ quæ habetur coram illo ex præscripto SS. Canonum. Ita ex Encyclica S. C. data die 29. Maji ann. 1752. & est in Append. Tom. IV. Bull. Bened. XIV. pag. 35. ubi pariter adest Decretum alterum Congregationis editum anno 1682. in quo id statuitur in favorem Regularium etiam in iis Monasteriis, in quibus non degunt XII. viri religiosi.

CONFESSIO

Nemo unquam quodcumque privilegium obtinens, audire potest confessiones sæcularium absque approbatione Ordinarii, idque valet etiam pro Confessionibus venialium, & mortalium, quæ alias clavibus subjecta sunt. Id etiam comprehendit eos, qui privilegium bullæ Cruciatæ obtinuerunt, ut ex Bulla Bened. XIII. *Inst. Eccl.* 86. §. 8.

Per Confessionem factam cuilibet Sacerdoti sæculari, vel regulari ab Episcopo approbato satisfieri canoni *Omnis utriusque sexus* ex Constitutionibus Clementis VIII. anno 1562. & Innocentii X. ann. 1645. incipiens, *Exponi nobis*; constat. *De Syn. Diæc. lib. 7. cap.* 44. §. 4.

Etiam non commissa gravi culpa præceptum annuæ confessionis obligat, ut qui se peccatorem saltem semel quotannis recognoscat, ut ex S. Th. in 4. *Sent. dist.* 17. *Q.* 3. *A. C. Quæstiunc.* 3. *Institut. Eccles.* 18. §. 4.

Parochus quamvis plerumque credere debeat Parochiano suo asserenti confessionem peregisse, si tamen prudenter credere non possit asserenti, abstinere debet ab administranda eidem communione etiam Paschali, ut ex Roncaglia. *Inst. Eccl.* 45. §. 15.

Si pœnitens tempore Paschæ absolutionem obtinuit, sed ex consilio Confessarii admonetur, ut aliquo tempore abstineat a communione, potest parere absque peccato. Non tamen potest Confessarius ad arbitrium prorogare eam communionem, ut ex cap. *Omnis utriusque sexus*, *de Pœnit. & Remis. ib.* §. 16.

Possunt Episcopi limitatam facultatem audiendi Confessiones dare Regularibus, etiamsi post examen idoneos illos repererint. *Inst. Eccl.* 76. §. 9.

Quoad Confessionem factam laico in necessitate dum non adest copia Sacerdotis, de qua sermo fuit olim apud veteres Theologos, & etiam apud S. Thomam, recte docet Pontifex, neminem, ex veteribus illis agnovisse laicum esse verum ministrum hujus Sacramenti; sed eam confessionem testimonium esse animi demissi, & humilitatis, ex quo magis flectitur Deus ad elargiendam uberiorem gratiam, qua quis ad contritionem & justificationem excitetur. Nihilo tamen secius hanc numquam fieri præstat; cum multis incommodis sit obnoxia. *De Synod. Diœces. cap.* 15. *per totum*; ubi recte ex Decreto Clementis VIII. illicita esse, & invalida Confessio facta Sacerdoti absenti per internuntium notatur.

In locis ubi rarissimi sunt Sacerdotes, qui audiant confessiones sufficit ad eos approbandos scientia minus quam mediocris, ut ex Card. de Lugo. *Inst. Eccles.* 86. §. 12.

CONFIRMATIO

Confirmationem Sacramentum esse novæ legis constat tum ex definitione Trid. Sess. 7. Can. 1. cum ex Actuum 8. illis verbis: *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. *Instit. Eccl.* 6. §. 3.

Sacramentum hoc conficitur impositione manuum Episcopi, & prece. Quandonam illud instituerit Christus, qui unicus est auctor Sacramentorum, incertum, num tunc cum imposuit manus capiti puerorum, *Matth.* 19. num instituerit tantum, non ministraverit: num in ultima cœna cum dixit Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum*; num tandem ipsa Pentecostes die; ignoratur. *ibid.* §. 5.

Quamquam gratia prodigiorum, quam olim infundebat, modo cessavit, id non amplius exigente Ecclesia, gratiæ tamen sanctificantis donum modo pariter datur, S. Augustino teste, *de Bapt. l.* 3. *c.* 16. Quæ tamen gratia Sacramentum recipientibus amoto peccati obice confertur, ut sit potius gratiæ præcedentis augmentum. Producit etiam robur & firmitatem quandam spiritualium virium, quibus Diabolo resistamus. *ibid.* §. 7.

Tandem characterem imprimit indelebilem, quo datur potestas quædam spiritalis in ordine ad aliqua gerenda, quæ a perfectioribus agenda sunt. Ex quo fit, ut reiterari non possit. *ibid.* §. 7.

Necessitatem quam vocant absolutam hujus Sacramenti recipiendi nemo utique esse affirmaverit; sed vel in re, vel in voto plane necessarium est necessitate præcepti, & quidem divini tempore persecutionis. Neque parochi, neque parentes, nec qui sunt loco parentum, sunt eximendi a lethali culpa si non instent, ut subjecti sibi Parochiani, & quos habent subjectos Confirmationem ab Episcopo parato recipiant. *ibid.* §. 9. & 10.

Quoad ætatem chrismandorum, ex regula ordinaria conferendum est hoc Sacramentum pueris post septennium, sed in aliquo extraordinario casu justa urgente causa non vetatur, quin possit etiam ante eam ætatem ministrari. Justam causam adesse constat, si facilis ad pueros illos in posterum non sit futurus Episcopi accessus, &c. Ita in Bulla pro Cophtis *Anno vertente*, & de *Synod. Diœces. lib. 7. cap.* 10.

Confirmationis minister ordinarius est Episcopus, extraordinarius vero de Pontificis mandato Sacerdos quilibet esse potest, quod hodie certum est, licet olim Doctores quidam dubitaverint. *De Syn. Diœc. l. 7. c. 7. per totum*.

Utitur tamen simplex Sacerdos Chrismate ab Episcopo benedicto, quamquam probabilis est eorum opinio, qui tenent Chrisma illud ex commissione Summi Pontificis benedici a simplici Presbytero posse, nec desunt, rara quidem, exempla, *ib. c.* 8. *per totum*. Cæterum tenendum est irritam fore Confirmationem a simplici Presbytero Latino ex sola Episcopi delegatione collatam; nam Romanus Pontifex ex consuetudine in tota Ecclesia Latina jamdiu recepta tacite sibi hanc facultatem servasse censendus est. Hæc etiam reservatio, utpote jurisdictionem restringens, valet utique ad hoc, ut Episcopus jurisdictione ad delegandum careat. *ibid.* §. 8. *per totum*.

Confirmationis Sacramentum cum oleo, & Chrismate etiam veteri, si novum haberi non possit, sed tamen a catholico Antistite benedictis, conferri a P. Guardiano S. Sepulchri Ordinis Minorum de Observantia, si defuerit Episcopus latini ritus, in sua Diœcesi residens, conceditur a Pontifice suo Brevi incipiente *Cum ad infrascriptam*. Id tamen personale esse privilegium datum Guardiano petenti constat. Extat Bulla in Bull. *Tom. I. n.* 10.

Idem etiam concessum est a S. Congr. & confirmatum a Bened. XIV. in sua Constitutione *Anno vertente* Bull. *Tom.* 3. *n.* 30. Præfecto Missionum Ægypti, donec aliquis catholicus Episcopus in Ægypto habeatur.

Confirmatio a Græcis Sacerdotibus collata in locis Græcorum, in quibus mos iste non est expresse improbatus a Sede Apostolica, valere censenda est ex consensu taceito Romani Pontificis. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 9. & Constit. pro Gophtis catholicis, *Bull. tom.* 3. *n.* 30. quæ constitutio incipit *Anno vertente*. In qua tamen monetur Chrisma illud benedicendum esse ab Episcopo.

Animi dispositiones ad digne recipiendum hoc Sacramentum sunt status gratiæ, quæ in adultis lethali crimine infectis comparatur plerumque per Sacramentum Pœnitentiæ. *Inst. Eccl.* 6. *n.* 11.

Corporis dispositiones, non tamen necessario præmittendæ, sunt plerumque confirmandi, & confirmantis jejunium, quod consulit Pontificale Romanum. *ib.* §. 12.

Patrinus unicus assistere debet confirmando, mas maribus, fœmina fœminis, qui etiam Patrini debent esse confirmati. *ib.* §. 13.

Mares seorsum a fœminis accedere par esset, ut honestius res peragatur, ut ex Concilio Mediolanensi. *ibid.* §. 13. Porro Patrinus manum suam dexteram dextero humero chrismandi imponat. *ibid.* §. 16.

Tempore pestis, eo morbo affectis non tenetur Episcopus hoc Sacramentum ministrare, cum Sacramentum hoc non sit absolutæ necessitatis. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 10. §. 6. *nov. edit.*

In Confirmatione tempore pestis non potest fieri inunctio frontis mediante pennicillo, nec sane valeret sic collata, cum ex consensu fere omnium Theologorum ad valorem requiratur aliqua manus impositio quæ certe non fieret cum alio medio, quam pollice, vel manu, confirmandi frons oleo liniretur. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 19. §. 77. *nov. edit.*

CONFRATERNITATES LAICORUM

Duæ Confraternitates ejusdem instituti in uno, eodemque loco esse non possunt ex Bulla 105. Clementis VIII. Cum tamen amplior est Civitas, vel populus frequens, binæ tolerantur. *Inst. Eccl.* 105. §. 86.

Si Confraternitas sit erecta in Ecclesiis Regularium exemptorum, subest tamen jurisdictioni, & visitationi Episcopi, cui jus est etiam visitare eorum capellas ibidem positas, in iis tamen, *quæ Confraternitatum gubernationem respiciunt*. Et si Confratribus incumbit onus manutenendi Altare, & illius cultum, sicut & ornamenta Altaris, onera Missarum, & divinorum officiorum ibidem celebrationem &c. Ita ex resolutione S. Congr. *ib.* §. 88.

Confraternitates laicorum nequeunt aggregationem petere ab Archiconfraternitatibus Romanis, nisi prævia approbatione Ordinarii loci, seu Episcopi cum interventu duorum de Capitulo. Ita ex Constit. 115. Clem. VIII. additis Decretis S. C. *ib.* §. 89. Aggregatarum vero administratores rationem Episcopo reddere tenentur, ut ex eodem Sacr. Congr. Concilii decreto. *ibid.*

Hæc omnia valent etiam pro Confraternitatibus aggregatis Capitulo S. Joannis Lateranensis, sicut etiam pro illis quæ fundatæ jam sese eidem Basilicæ annui tributi solutione submittunt; ut sæpe decisum est. *ib.* §. 90.

In solo vero Lateranensi fundatæ Ecclesiæ, vel Oratoria ex Bulla XIX. Sixti V. non subsunt jurisdictioni ordinariæ Episcopi; sed ut firmat Rota, utitur jure delegato concesso illi a Trid. *Sess.* 6. *c.* 4. *sess.* 24. *c.* 3. *de Ref.* vi cujus potest per se, & per alium eas visitare, ut etiam probat Decretum Sacræ Congr. *ib.* §. 90.

Confraternitates laicorum in Ecclesiis parochialibus erectæ dependent a Parocho in functionibus ecclesiasticis non parochialibus, ut ex decreto S. C. Rituum die 12. Januar. 1704. *ibid.* §. 93. Quare eædem Confraternitates erectæ in capellis, vel Oratoriis adnexis parochialibus Ecclesiis, & ab eis dependentibus eandem a Parocho dependentiam habent, ex eodem Decreto. *ibid.*

Erectæ tamen in Ecclesiis publicis, seu privatis, ab Ecclesiis parochialibus sejunctis, ab ea dependentia eximuntur, ut ex eodem Decreto. *ibid.*

Quare Benedictiones, & distributiones candelarum, cum non sint de juribus mere parochialibus, sicut etiam benedictiones mulierum post partum, Fontis baptismalis (quæ tamen ambo fieri debent a Parocho) ignis, seminis, ovorum, & similium, functiones omnes hebdomadæ sanctæ, celebratio Missæ solemnis in feria V. in Cœna Domini, (quæ tamen spectat ad Parochos) pulsatio campanarum in sabbato sancto, (quæ tamen spectat ad ecclesiam digniorem) celebratio Missæ solemnis in Festivitatibus solemnioribus ejusdem Ecclesiæ, vel Oratorii, expositio quadraginta horarum, & benedictio, quæ fit super populo, expositio sacrarum Reliquiarum, vel imaginum, fieri possunt in Oratoriis Confraternitatum, etiam Parocho respective contradicente, ut in eodem decreto. *ibid.*

Insuper in iisdem privatis Confraternitatum Oratoriis cantari possunt absque licentia Parochi horæ canonicæ, ex eodem. *ibid.*

In Oratoriis eorum privatis licita est celebratio Missæ privatæ assentiente Ordinario tantum.

Earum capellani non possunt populo denunciare festivitates, & vigilias contradicente Parocho, ex eodem. *ib.*

Nequeunt Parochi invitis Confratribus in eorum Oratoriis a parochiali separatis docere doctrinam christianam, ex eodem. *ibid.*

In eorum Ecclesiis publicis haberi possunt etiam negante Parocho conciones per totam Quadragesimam, & Adventum publice, ex eodem. *ibid.*

Vicissim non potest in dictis Ecclesiis, nisi aliter disponente Episcopo, celebrari, seu cantari Missa ante parochialem, ex eodem. *ibid.*

Ad Parochum tamen spectat ufficium funebre facere super cadaveribus sepeliendis in supradictis Ecclesiis, quando tamen defunctus tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia illa.

In Processionibus Confraternitatum extra ambitum suæ Ecclesiæ (quæ tamen fieri non possunt absque licentia seu Episcopi, seu Parochorum illorum, per quorum territorium transeundum est) capellani illarum extra Ecclesiam propriam stolam deferre non possunt, ex eodem. *ib.*

Accedenti Episcopo ad Ecclesias earum publicas, quæ non sunt Regularium, neque proprium Rectorem beneficiatum habent, aspersorium a Parocho exibendum non est. Ex eodem. *ibid.*

Ex solo jure parochiali cessante aliquo titulo non potest Parochus capellanos illarum cogere ad assistendum functionibus Ecclesiæ parochialis. Ex eodem. *ibid.*

Absque Indulto Apostolico non licet in dictis Ecclesiis, quæ non sint Parochiales, neque Regularium, retineri SS. Eucharistiæ Sacramentum; neque si ea facultas adsit, absque Ordinarii licentia potest ibidem dictum Sacramentum publice exponi. Ex eodem. *ibid.*

Pa-

Parochus nequit se ingerere in administratione oblationum, vel eleemosynarum in dictis Ecclesiis collectarum, neque retinere clavem capsulæ pro illis recipiendis expositæ. Ex eod. *ibid.*

Dummodo non impediant functiones, & divina officia, possunt Confraternitates etiam erectæ in Ecclesia Parochiali pro libito se congregare absque licentia, & præsentia Parochi, sicut & possunt propria bona administrare, & de illis disponere independenter ab illo. Ex eodem. *ibid.*

Non potest Parochus tanquam delegatus Ordinarii, assistens earum Congregationibus, suffragium decisivum ferre. Ex eodem. *ibid.*

Plura tamen ex his, quæ exigere a Confratribus Parochus nequit, possunt tamen fieri de mandato Episcopi, ut in peculiaribus rerum eventibus sæpe decisum est a S. Congregatione. *ibid.* §. 98.

Confratres non possunt quæstuare etiam per propriam Ecclesiam, nisi de licentia Ordinarii, ut ex Decreto S. Congregationis. Missas vero ex quæstuis illis collectas, celebrandas esse in eadem Ecclesia, non vero in Parochiali censuit S. Congregatio Concilii. *ibid.* §. 132.

Inter Confraternitates laicorum illa præcedit, quæ est in possessione præcedenti: & cum nihil ea de re constet, præcedere illa debet, quæ prius saccis induta est, ut ex Constit. 84. Greg. XIII. constat. *Inst. Eccl.* 105. §. 84.

Sed in Processionibus, in quibus defertur SS. Eucharistia, Confraternitas SS. Sacramenti, si sacco induatur, præcedit cæteras, ut decisum in Rota Romana. *ibid.* §. 85.

CONSECRATIO

Si parietes Ecclesiæ sint destructi, & a fundamentis iterum reædificentur, Ecclesia jam consecrata iterum consecranda est: ut ex Titul. *de Consecr. Eccl. vel Alt.* firmant Canonistæ. *Inst. Eccl.* 67. §. 2. Officium verò recitari debet de priori consecratione, non de secunda. *ibid.* §. 6.

Altaris consecratio plane distincta est a consecratione Ecclesiæ, ut ex Pontificali Romano adnotatur. *ibid.* §. 8.

CONSTITUTIO UNIGENITUS

Publicis refractariis adversus Constitutionem *Unigenitus* denegandum est SS. Viaticum. Publici autem censentur qui per judicis sententiam declarati sunt, quod debitam eidem constitutioni venerationem, obsequium & obedientiam contumaciter denegaverint. Ut pariter illi qui hujusmodi contumaciæ reos se in judicio confessi sunt: sicut etiam qui sacrum Viaticum suscepturi inobedientiam suam & contumaciam adversus eam constitutionem profitentur. Denique qui aliquid evidenter commisisse noscuntur manifeste oppositum eidem veneration, idque vulgo ita cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum non adhuc cessaverit. Hæc autem notoria certitudo non adest in casibus, in quibus crimen nititur conjecturis, præsumptionibus, incertisque vocibus. Igitur hi qui habent adversam hanc famam postremo loco expressam num sacro Viatico reficiendi sint, hæc habeantur præ oculis: primo quærat Parochus seu minister Sacramenti num moriturus Paschali tempore acceperit communionem a Parocho ubi degebat; huic certe non est denegandum Viaticum si publice petat, nisi forte inter tempus Paschale quo communionem recepit, & tempus quo Viaticum poscit, aliquid commisisse noscatur quo publici peccatoris notam contraxerit.

Si vero validæ adversus ægrotum præsumptiones & indicia urgent, tunc S. Communionis minister debet ægrotum, remotis arbitris, alloqui, & ostendere illi indicia, quæ suspectum ipsum reddunt, rogans eum ut resipiscat, aut demonstrans se quidem paratum esse illi sacrum Viaticum ministrare, & velle pro sua pietate ipsius infamiam præcavere, & idcirco eum a sacra mensa non repellit, quamvis ipsum peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in suo tribunali publicum atque notorium peccatorem agnoscere. Ita Benedictus XIV. in sua Bulla *Ex omnibus Christiani orbis, &c.* Bullar. Tom. IV. n. LXI.

CONSUETUDO

Consuetudo rationabilis, & legitime præscripta abrogat omnem legem humanam etiam canonicam ex textu *in Cap. final. de Consuet.* nefas est tamen Episcopo juxta consuetudinem Diœcesis suæ contra Canones legem condere; quod enim valeat consuetudo, est ex quadam tolerantia superioris legislatoris. Nimiæ autem esset arrogantiæ, si Episcopus legem conderet contra legem Superioris. *De Synod. Diœces. lib.* 7. *cap.* 71. §. 7.

CONTRACTUS

Contractus trium contractuum, qui a multis defenditur, ab aliis improbatur, a Pontifice præcise non improbatur, sed facultatem permittit Episcopis, ut in suis Synodis dehortentur subditos suos ab eo exercendo. *De Syn. Diœc. l.* 7. *toto capite* 50.

Contractus *collatici* is est, quo bos terram arans traditur bubulco, qui solvit domino bovis certam portionem frumenti lege hac adjecta, ut si bos naturaliter moriatur damnum sit domino, & bubulco commune. Si vero pereat culpa bubulci, is totum damnum subeat. Hic contractus approbatus est a Theologis, nonnullis adjectis conditionibus quæ probatæ fuerunt a S. C. Concilii die 6. Dec. 1730. *Syn. Diœc. lib.* 7. *cap.* 51. §. 2.

Contractus venditionis cum pacto francandi est, cum Titius vendit Sempronio prædium suum cum pacto redimendi rem venditam, prædium tamen retinet tamquam conductor, & pro conductione mercedem solvit, donec idem Titius sibi illud pretium redimat. In hoc contractu pœnitens emptor a Confessario interrogandus est, num reipsa animum sincerum habuerit emendi; similiter, & venditor interrogandus est num ab emente pecuniam mutuam petierit, eumque renuentem induxerit ad usuram obtegendam pallio pacti francandi. In utroque enim illo casu subintelligitur usura, adeoque illicitum judicandum est; secus vero non. *De Syn. Diœc. cap.* 51. *lib.* 7. §. 5.

C R U X

Crux eminens inter candelabra statuenda est in Altaria ubi Missa celebratur, nec sufficit crux nuda, sed requiritur cum Crucifixi figura. Nec decet, ut parva crux apponatur, ut non ita facile occurrat oculis celebrantis, quare in ENCYCLICA sua ad Ordinarios ditionis ecclesiasticæ mandat Pontifex, ut amoveantur cruces istæ parvulæ. V. *Bull. T. I. n.* 17. ACCEPIMUS PRÆSTANTIUM.

Num vero apponenda sit crux de more etiam cum exposita est adorationi sacra Eucharistia, Congregatio sacrorum Rituum consulta semel mandavit apponi: iterum vero causa reproposita die 2. Sept. anno 1721. decrevit, ut quælibet Ecclesia consuetudinem suam retineret. *ibid.*

Num etiam necessaria sit crux si in tabula Altaris primam imaginem exhibet Crucifixus, Sacra Congregatio censuit hanc sufficere. *ibid.*

Denique num committat peccatum grave celebrans in Altari, in quo crux abest, communis sententia tenet id quidem nonnisi venialem culpam inducere. *De Sacr. Miss. lib.* 3. *cap.* 13. §. 1.

C U L T U S

Cultus privatus impendi potest iis, qui nondum inter Beatos vel Sanctos adscripti sunt, non vero publicus, ut ex celebri Decreto sub Urbano VIII. certum est, quod confirmat Benedict. XIV. in sua Bulla *Quamvis justa Bull. T. III. n.* 7. §. 11. Ex vi ejusdem Decreti non potest titulus Sancti vel Beati illis adscribi, sicut nec potest Missa solemnis de SS. Trinitate vel de Sanctis omnibus in die eorum anniversaria celebrari, sicut nec eorum panegyricæ conciones in eadem die in Ecclesia haberi; sicut ex vi ejusdem Benedictinæ constitutionis emortualem diem festum eo-

eorundem *ritibus palam celebrare, atque in eorum laude hymnos prosequi*, & non tamen peculiari collecta in litania invocari. *ibid.*

DISPENSATIO

Dispensationes Sacræ Pœnitentiariæ cum diriguntur ad Confessarium ex approbatis ab Ordinario, executioni mandari debent a Confessario approbato ab Ordinario illius loci, in quo dispensatio illa præstari debet, nec valet si actu Confessarius non sit, sicut nec si approbatus fuerit tantum pro maribus, & dispensatio petatur a fœmina. *Instit. Eccles.* 87. §. 31.

Cum dirigitur Confessario Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, requiritur laurea Theologiæ, vel Juris Canonici in publica Universitate; nec aperiri literæ illæ possunt a simplici Regulari Confessario, nisi tamen Religio illa privilegium aliquod ea de re obtinuerit. *ib.* §. 11.

Si semel apertum fuerit breve Pœnitentiarii ab eo qui non habet titulum requisitum, non ideo tamen vitiatur rescriptum, sed sufficit si alteri habenti requisita consignetur. *ibid.* §. 33.

Si semel electus fuerit executor, potest nihilominus ex probabili sententia variari, quamquam non desint Doctores, qui oppositum opinentur. *ibid.*

Executor certiorem se reddere debet de veritate causarum, ex quibus obtenta dispensatio est; non tamen requisitis aliunde testimoniis, sed ipsum dispensandum interrogans, nisi alioquin ipse eandem veritatem rescisset; nec tenetur illum sub juramento interrogare, ut est communis Doctorum sententia. *ibid.* §. 34.

Si tamen falsa narrare dispensandum sciverit, non potest ad dispensandum procedere, nisi id sciret ex præcedentibus dispensandi confessionibus, ut ex Sanchez. *ibid.*

In ejusmodi dispensationis literis, mandatur executori, ut dispenset audita prius Sacramentali confessione, & in ipsa confessione; nec liberum est illi extra confessionem rem exequi, ut omnes docent. *ibid.* §. 35.

Cum pœnitentia in literis definitur, ea injungenda est; si vero committatur arbitrio Confessoris, non est illi liberum & ad arbitrium injungere, sed ad prudentiæ leges dirigenda est, neque nimis rigida, neque lenior quam par sit. *ibid.* §. 37. 38.

Quoad clausulam *dummodo sit occultum*, censetur occultum si tantum septem, vel octo in civitate id resciant; in oppidis vero si quinque, vel sex, quam Sententiam scriptores, qui mentem sacræ Pœnitentiariæ probe norunt, tuentur. *ibid.* §. 45.

Si vero occultum impedimentum fuerit in loco ubi executioni mandanda dispensatio est; publicum vero in alio, ubi commissum est delictum, tutius tunc est executionem suspendere, & de hac novitate sacram Pœnitentiariam certiorem facere. *ibid.* §. 46.

Delictum olim publicum, nunc occultum, si a die commissi criminis decennium elapsum sit, ad hunc effectum censeri occultum judicant periti earum Theologi. *ib.* §. 48.

Si quis rem vetitam præstiterit, sed publice creditur obtinuisse ad id facultatem, hujus peccatum ad hunc effectum creditur occultum. Si vero commisisse delictum resciatur, sed ignoretur inde consurgere impedimentum profecto occultum quoad hunc effectum non censetur. *ib.* §. 48.

Clausula *dummodo occultum sit* exigit, ut nullo modo probari possit. *ibid.* §. 44.

Si delictum deductum sit ad Forum contentiosum a S. Pœnitentiaria censetur publicum. Si tamen data in eo fuerit sententia absolutoria criminis, per quam reus repertus sit innocens, & non culpabilis, vel ex hactenus deductis non repertus culpabilis, etiamsi id obtentum sit mediis illicitis, falsis testibus &c. adhuc censetur impedimentum occultum ad hunc effectum. *ibid.* §. 49.

Expressio causarum, earumque verificatio ad validitatem dispensationis pertinet. Bulla *Ad Apostolicæ servitutis. Bullar. Tom. I. n.* 45. §. 1.

DOCTRINA CHRISTIANA

In Ecclesiis ruralibus longe dissitis a Parochiali decernunt Episcopi, ut Sacerdotes ibi sacris operantes populum doctrinam Christianam doceant. Encyclica *Etsi minime Bull. T. I. n.* 42. Caveat tamen Parochus ne nimium tribuat alienæ operæ, sed cum pueri ad Sacramentum Eucharistiæ, & Confirmationis admittendi sunt, cum sponsi conjugio jungendi, per se illos tenent quid didicerint. *ibid.* §. 14.

Non est tolerandus mos in nonnullis Diœcesibus obtinens, ut pueri unius Paræciæ in alia Paræcia doceantur doctrinam Christianam; quemadmodum rescripsit S. C. Conc. ad Card. Lambertinum die 9. Aug. 1732. *Inst. Eccl.* 9. §. 10. sed singuli Parochi erudire suos debent, vel saltem curare, ut in Paræcia erudiantur, non tamen reprehendendi sunt illi, qui in Ecclesiis suis, licet non sint Parochis subjectæ, fideles eo confluentes docent, dummodo exhibeant Parochis nomina eorum, qui eo frequentant. *ibid.* §. 13.

Ludi Magistri, tam conducti a Communitate, quam non conducti, tam Clerici, quam laici hortandi sunt prius, ut doceant suos christianam doctrinam, tum etiam cogendi, ex D. S. C. C. ad Archiep. Spalatr. die 17. Jul. 1668. *ib.* §. 14. Doctrinam Christianam non omnes scire æqualiter necesse est; plura enim scitu sunt necessaria Ecclesiasticis; quam laicis; plura adultis, quam pueris, & puellis; plura valentibus ingenio, quam hebetibus. *Inst. Eccl.* 72. §. 10.

Si quis non credat explicite ea, quæ scitu necessaria sunt necessitate medii, multo probabilius est, illum nec valide absolutionem potitum fuisse. Illicita est quidem certe in eo casu absolutio, nec potest Confessarius tuto uti opposita huic sententia, & absolutionem illis, qui hæc explicitæ ignoráverint, impertiri, ut ex propositione damnata ab Innocentio XI. constat. *ibid.* §. 19.

Si quis vero ignoret ea, quæ necessaria sunt necessitate præcepti, dummodo nunc doleat, & proponat emendationem, absolvi utique potest, ut ex Theologis. *ibid.*

Parochi doceant pueros diebus saltem dominicis aliisque festis de præcepto doctrinam Christianam omni contraria consuetudine penitus sublata, Encycl. *Ubi primum Bull. Tom. I. pag.* 6. *edit. Roman.*

In Bulla *Etsi minime*, *Bullar. Tom. I. num.* 42. §. 12. monet Pontifex ut Confessarius fixum animo teneat *invalidam esse absolutionem Sacramentalem; quam quis ignoranti res necessarias necessitate medii impertitur.*

DOS

Cum puellis, quæ virgines non sunt, petuntque subsidia dotalia relicta virginibus, dispensat in occultis, & in foro conscientiæ tantum major Pœnitentiarius, tam pro obtentis, quam pro obtinendis, quatenus tantum illæ in posterum honeste vivant. Bulla *Pastor Bonus &c.* Bull. *Tom. I. num.* 95. §. 27.

DUELLUM

Bened. XIV. anno 1752. *die IV. Idus Novembris has propositiones ad duellum attinentes damnavit.*

I. Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suosque sustentat privaretur, vel promotionis alia sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet: culpa, & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

II. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia duellum acceptantes, vel ad illum provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

III. Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latas Dux, vel Officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, & officii.

IV. Licitum est in statu hominis naturali acceptare, & of-

offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

V. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui Civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia Magistratus justitia aperte denegatur.

Vetat Pontifex in eadem Bulla, ne easdem propositiones quis defendat, publice vel privatim, divisim, aut conjunctim, etiam disputandi gratia; alioquin incidat ipso facto in excommunicationem reservatam Romano Pontifici. Mandat, in virtute S. obedientiæ, ne quis eas & ne unam quidem in praxim deducat.

Confirmat præcedentium Romanorum Pontificum constitutiones de duello, atque edicit, ut si quis in duello, sive publice, sive privatim indicto hominem occiderit, sive ille obierit in loco conflictus, sive extra, ex vulnere in duello accepto, perinde habeatur ac homicidia voluntarius, adeoque immunitate asyli non gaudeat, extrahi e loco sacro possit, data ab Episcopo facultate, quam illi Pontifex impertitur. Addit, quod si adhuc vivat graviter vulneratus in duello, & percussor recurrerit ad asylum, ac merito timeatur futurum, ut si mors acciderit vulnerati ille se proripiat, tunc si judicio peritorum grave vitæ periculum ex vulnere imminere censeatur, extrahatur ex asylo reus, præmisso Decreto Episcopi, & cum assistentia Clerici ab eodem Episcopo deputati, & teneatur carceribus clausus, exacta tamen a Judice promissione, ut si forte vulneratus vitam proroget ultra tempus de homicidio præscriptum, restituat illum Ecclesiæ; alioquin incurrat pœnas a Bened. XIII. in persimilibus casibus de homicidis loco sacro extractis, & non restitutis constitutas. Demum pivationem sepulturæ, quam incurrunt duellantes in sanctione Tridentini, declarat incurri etiam ante sententiam Judicis, si forte decedat etiam extra locum conflictus ex vulnere in duello publico, vel privato accepto, etiamsi ante mortem certa signa pœnitentiæ dederit, & absolutionem a censuris obtinuerit, nec dispensari ea in re ab Episcopis posse decernit.

ECCLESIA

In Ecclesiis ruralibus parochiali proximioribus caveat Episcopus, ne permittat, ut Missa celebretur ante parochialem, Encyclica ET SI MINIME *Bull. T. I. n.* 42. §. 14.

Ecclesia parochialis si forte corruerit, vel reparatione indigeat, tenetur illam resarcire Fabrica si adsit; sin minus tenetur Parochus non quidem reditibus suis patrimonialibus, sed ex reditibus beneficii, si ad suam sustentationem supersint; quanquam non supersint ad sustentationem propinquorum ejusdem Parochi. Tertio loco qui habent beneficium ecclesiasticum in illa Ecclesia. Quarto loco si Parœcia est de jure Patronatus, tenetur Patronus suis sumptibus id agere; ita tamen, ut, si infra præfixum ab Episcopo tempus noluerit sumptus illos subministrare, amittat Juspatronatus illud. Denique ultimo loco tenetur populus, & qui in ea Parœcia habitant, etiamsi conducant domos alienas, & dominus illarum alibi habitet; possunt tamen in eo casu ex pensionibus retentis se indemnes reddere. Ita ex Canonistis *Instit. Eccles.* 100. *per totam*.

Ecclesia polluitur per homicidium voluntarium, *cap. Proposuisti de Cons. Eccl.* Si in ea magna vis humani sanguinis effundatur. *Can. Ecclesiis de Cons. dist.* 1. Si sponte effundatur semen humanum, *sive effusio sit secundum naturam, sive contra, sive per copulam aliis licitam, sive per illicitam; ex eodem textu, & cap. Si Ecclesia, de Consecr. Eccles.* Si excommunicatus vitandus in ea sepeliatur, *cap. Consuluisti de Consecr. Eccl.* Item si ibi sepeliatur Ethnicus, *can. Ecclesiam De Consecr. dist.* 1. De Sacrificio Missæ *lib.* 3. *cap.* 7. §. 4.

EPISCOPUS

Episcopi consecratio ab uno ne, vel a tribus fieri necessario debeat, ut valeat, quanquam sit quæstio inter Theologos, eum tamen Pontifices consueverint in locis, ubi desunt Episcopi, ut ab uno tantum Episcopo consecratio ista fiat, facultatem concedere; hinc videtur probabilior sententia asserens unicum Episcopum sufficere. Solent tamen Pontifices præcipere, ut Episcopo consecranti adjungantur duo Abbates, vel duo Sacerdotes in dignitate Ecclesiastica constituti. Ita pluribus allatis exemplis *De Synod. Diœc. lib.* 13. *cap.* 13. §. 5. *nov. edit.* Ibi pariter decernitur valere consecrationem Episcopi ab uno Antistite, uno tantum adjecto Presbytero, confectam, quin etsi nullus alius præter consecrantem assistat. *De Synod. Diœc. l.* 7. *c.* 3. §. 9.

Pactiones initæ a Capitulo electore, & juratæ ab Episcopis electis in Germania, ut sibi non liceat contra ipsos electores procedere, aut obsistere officialibus Capituli, si quid egerint, & decreverint: pactiones, inquam, illæ si electionem præcedant nullæ omnino, & irritæ declarantur ab Innocentio XII. Constitutione incipiente *Ecclesiæ Catholicæ*. Quæ vero subsequentur, illarum executionem suspendit, donec Sedes Apostolica judicium de illis ferat. *ibid.* §. 17. Hæ vero pactiones vetitæ, & irritæ censentur, etiamsi fuerint honestæ, ut ex DD. *ibid.* §. 19. Insuper adsunt ea de re Literæ Apostolicæ Benedicti XIII. in forma Brevis legendæ. *ibid.* §. 23.

Episcopi suffraganei si decorentur pallio, in Bullis tamen ejus concessionis cavetur, ne quid præjudicii ex hoc inferatur eorum Metropolitis, quin & vetantur illud ferre in præsentia Archiepiscopi. *De Synod. Diœc. l.* 13. *c.* 5. §. 2. *nov. edit.*

Pallii honore non decorantur Latini Patriarchæ titulares, quemadmodum nec Archiepiscopi in partibus, cum enim pallio nemo uti possit extra Provinciam suam, illi profecto alibi commorantur. *ibid.* §. 27.

Episcopatuum resignationes, quas sibi permitti postulant Episcopi, non admittuntur a Congregatione Consistoriali, nisi ex canonicis causis recensitis in *cap. Cum pridem, de renunciat*, quæ tamen omnes ad id referuntur, ut clare constet ipsos plebis suæ saluti prodesse amplius non posse, *ibid. cap.* 16. §. 4. *nov. edit.*

Episcopi Regulares si se abdicaverint Episcopatu, tenentur claustra suæ Religionis repetere, nisi aliter commissum sit a S. Pontifice. Ita Benedictus XIII. in sua Bulla CUSTODES. *ibid.* §. 4.

Causæ resignationis non tam rigorose examinandæ sunt in ordine ad Cardinales Episcopatum resignantes, dum volunt se conferre Romam, ut adsistant Romano Pontifici. Ita ex Fagnano. *ibid.* §. 5.

Episcopus translatus ex uno in alium Episcopatum frui potest reditibus Ecclesiæ, a qua discedit, usque ad illum temporis articulum, quo a Summo Pontifice in Consistorio a vinculo prioris Ecclesiæ absolvitur: ex tunc enim prior Ecclesia vacare censetur, ut ex definitione Congr. Conc. per Urban. VIII. approbata. *ibid.* §. 7. Neque idem Episcopus post absolutionem a vinculo, jure potest conferre beneficia, quæ post idem tempus vacaverint, uti decisum in Tribunalibus Romanis. *ibid.* §. 9.

Interim tamen post pronunciationem, scilicet Pontificis in Consistorio quoadusque hæc pronunciatio innotuerit Episcopo, remanet in eodem Episcopo jurisdictio non quidem ad conferenda beneficia, sed ad Diœcesim gubernandam necessaria, uti provisum est in eodem Decreto, seu in Brevi illud confirmante Urbani Papæ VIII. *ibid.* §. 10.

Si Episcopus in manus Paganorum, aut Schismaticorum incidat, & fiat captivus, Ecclesiæ administratio transit in Capitulum, quoadusque aliter disponat Sedes Apostolica, *c. Si Episcopus de supplen. neglig. Prælat. in* 6. quæ tamen vera sunt si carcer Episcopi sit adeo arctus, ut Episcopum suum nequidem per litteras adire Diœcesani valeant. *ibid.* §. 11.

Episcopis ex constitutione Pontificis incipiente *Firmandis* Bull. *Tom. I. n.* 109. fas est in Ecclesia Parochiali a Regularibus administrata in Pastorali visitatione inspicere Altare illud, in quo Tabernaculum SS. Eucharistiæ tenetur; item Fontem Baptisterii, confessionale Parochi, pulpitum a quo Parochus jus habet annuntiandi verbum Dei, sacrarium,

rium, in quo servatur sacra supellex ad sacramenta ministranda, sepulchrum, Cæmeterium Parochiæ, turrim etiam campanariam, si adsint campanæ ad Parochiam spectantes; ac demum sacra vasa, in quibus particulæ consecratæ servantur, vel sacra olea Baptismi, & Extremæ Unctionis; demum pilam aquæ benedictæ.

Episcopi, quibus usque modo concessa est facultas impertiendi benedictionem cum Indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis, uti ea possunt, non tantum ad certum tempus, quemadmodum limitatur in Brevibus ab illis impetratis, sed quandiu in Diœcesi, cujus intuitu illam obtinuerint, permanserint. Habent etiam facultatem subdelegandi alios pios Sacerdotes quotquot judicaverint opportunos, ut ipsi Episcopis impeditis eandem indulgentiam conferant. Subdelegati vero ea facultate ad se transmissa uti possunt pro tota Diœcesi, vel territorio, cui destinati sunt, quoadusque in hoc munere perseverant, etiamsi Episcopus delegans obierit. Demum facultates istæ deinceps concedentur perpetuæ omnibus, & singulis Episcopis, qui literas ea de re petierint, quam etiam facultatem obtinebunt Prælati inferiores, territorium separatum habentes cum vera qualitate *Nullius*, & activa jurisdictione in Clerum, & populum. Ita sancit Pontifex sua Constitutione, *Pia Mater*, edita anno 1747. nonis Aprilis: in qua etiam Ritum hujus benedictionis præbet. Bull. *Tom. II. n.* 34.

Episcopus in sua Synodo non potest quidem definire quæstiones de fide, sed prohibere potest errores jam ab Ecclesia proscriptos, ut ex Gonzalez in *cap. Vestra*, deducitur. *De Syn. Diœc. l.* 6. *c.* 4. §. 7.

Episcopis in Synodo fas est non quidem rem aliquam inter DD. controversam definire: sed praxim prohibere, uti ex. gr. non licet illis pronuntiare, utrum jejunii essentia in abstinentia a carnibus tota consistat; sed etiam ante Bullam Bened. XIV. jus illis fuit injungere, ut qui dispensationem ad carnes diebus jejunii vescendas obtinuerant, unicam comestionem servarent. *De Syn. Diœc. lib. 7. c.* 3. §. 1.

Episcopo ex epicheja fas est aliquando in iis præsertim, quæ dilationem non patiuntur, nec facile Summus Pontifex consuli potest, circa jus commune relaxare, ut decisum a S. Congreg. Concilii refertur. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 71. §. 1. Id tamen nonnisi in speciali rerum articulo, neque ea de re statutum universale concedere potest, ut ex communi DD. *ibid.* §. 2.

Ad Diœcesanum Episcopum pertinet Ecclesias consecrare, eique fas est id muneris demandare alteri Episcopo, minime vero Presbytero etiam cum oleis ab ipso Episcopo benedictis. Ita ex DD. *De Syn. Diœc. l.* 13. *cap.* 15. §. 2. *nov. edit.*

Consecratas insuper Ecclesias, atque pollutas nemo præter Episcopum Diœcesanum reconciliare potest, nec fas est id muneris demandare Presbytero quamquam cum aqua ab Episcopo benedicta. Si tamen Ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta, facultas dari potest, ut per simplicem Sacerdotem, adhibita tantum aqua lustrali, Ecclesia polluta reconcilietur. *ibid.*

Episcopo curandum est, ut Legata pia impleantur, quod præstare ipse potest, etiamsi prohibitus fuisset a testatore, ut ex *cap. Tua nobis, de Testam.*

Quod si testator executorem reliquerit sui Legati, & ei in casu quod segniter agat, alterum substituit, tunc Episcopus, si subdelegatus etiam segniter egerit, curam ejus exequendi in se suscipere debet; quod valet etiam in omnibus piis dispositionibus, tam in ultima voluntate factis, quam inter vivos, ut ex Trid. *sess.* 22. *de Reform. c.* 8. valet etiam non solum pro Episcopis, sed etiam pro Prælatis inferioribus, habentibus territorium separatum, & jurisdictionem quasi Episcopalem *De Syn. Diœc. l.* 13. *c. ult.* §. 1. *&* 2. *nov. edit.* valet etiam pro Vicario Capitulari sede vacante, ut de Legato de Missis statuit S. C. *ibid.* §. 2.

Fabrica S. Petri in Vaticano in locis suæ auctoritati subjectis (non enim sunt omnia) non se immiscet jurisdictioni Episcoporum in ordine ad Legata Pia, & Missarum onera, nisi post annum ab obitu testatoris, quo anno elapso piarum voluntatum executioni se immiscet, etiamsi judicium cœptum, ab Episcopo terminatum non fuerit, ut ex DD. constat. *De Syn. Diœc. lib.* IV. *cap. ult.* §. 3. *nov. edit.*

Non licet Episcopo a Diœcesi per tres menses abesse pro libito aut quacumque ex causa: sed causa sit vere æqua, simulque provideatur, ne gregi ex hoc detrimentum obveniat. Encycl. *Ubi primum.* Bull. *Tom. pag.* 6. *Edit. Rom.*

EUCHARISTIA

De frequentia SS. Communionis, quibus concedenda sit quotidiana, quibus aliquanto rarius, nihil innovandum supra Decret. Innoc. XI. die 12. Febr. 1679. omnia scilicet referenda esse docti, & prudentis Confessarii judicio. Inferri tamen ex eodem Decreto licet frequentem accessum denegandum esse iis, qui in gravia peccata sæpe labuntur, nec de emendatione sunt solliciti, sicut nec tam sæpe iis, quorum cum voluntas sit a gravibus aversa, venialibus tamen tenacius inhærent. *De Syn. Diœc. lib.* 7. *cap.* 12. §. 9.

Eucharistiam una tantum die Paschatis Resurrectionis distribuere sæcularibus vetitum est Regularibus in suis Ecclesiis; cæteris vero Paschalibus diebus id possunt citra ullam prohibitionem. Ita in *Tract. de Syn. Diœc. l.* 3. *cap.* 42. §. 3.

Paschale tempus, intra cujus spatium satisfieri potest præcepto, ab Eugenio IV. sua constitutione *Fide digna*, definitum est, a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, nec licet Episcopo, etiam in Synodo, tempus istud latius prorogare. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 59. §. 9.

Paschali præcepto de Eucharistia sumenda in Parochiali Ecclesia non satisfit recipiendo illam in Ecclesia Metropolitana, ut ex Decretis S. Congr. firmat de Lugo. *Resp. Moral. l.* 1. *Dub.* 15. Ita *Inst. Eccl.* 18. §. 12.

Qui Præcepto Paschali de Eucharistia sumenda non satisfecit tempore apto, etiam post illud tenetur, & cogi potest pœnis ad Eucharistiam sumendam. *Inst. Eccl.* 45. §. 15.

Famuli, & famulæ sæculares inservientes Monasteriis regularium utriusque sexus, etiamsi habitent in atriis Monasteriorum muro circumvallatis, tenentur communionem Paschalem in Ecclesia Parochiali, intra cujus fines situm est Monasterium, recipere; ut ex Decreto S. C. sæpius decisum est; neque enim habitationes illæ sunt intra septa, ac domos Monasteriorum, quod requiritur a Trid. ut famuli eximantur a Parœcia. *Inst. Eccl.* 55. §. 7. *&* 8.

Sacerdotes Missam celebrantes non tenentur præcepto Paschali satisfacere in sua Parœcia; si tamen raro intra annum celebrant, nec volunt, seu possunt celebrare Missam in Paschate, tenentur tunc communicari in Parœcia. *ib.*

Peccatori occulto publice Eucharistiam petenti non est deneganda, cum jus naturale ad famam id expostulet. *De Syn. Diœc. lib.* 7. *c.* 12. §. 4. *nov. edit.*

Occulte vero petenti & noto Sacerdoti aliunde quam ex Confessione tuto negatur. Si vero pariter aliunde & simul etiam ex confessione sciat, exprimere debet Sacerdos, se habere ejus peccati scientiam ex certo loco, non tamen nominato eo, a quo scit, si sub arcani naturalis sigillo id acceperit: Si vero noverit rem tantum ex Confessione, perinde se gerat, ac si nesciverit, cum id exigat arctissimum Confessionis sigillum. *Instit. Eccl.* 89. §. 2.

Publicus peccator publice petens repellendus est. Publicus vero dicitur non ille tantummodo, qui talis declaratus est a Judice, sed etiam qui per evidentiam facti, quæ nulla possit tergiversatione celari, talis habetur. *ib.* §. 8. *&* *de Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 20. §. 4.

Eucharistiæ sumptionem præcedere debet jejunium naturale a media nocte præcedenti cœptum. Nec refert si post cibum sumptum ante mediam noctem nullus somnus captus sit, nec cibus concoctus ante Sacram Communionem,

nem. Porro jejunium istud frangitur etiam parvitate materiæ; quare nec ablutio sumpta post celebratam Missam admittenda ab eo est, cui eo die alias Missas celebrare permittitur, uti die Nativitatis Domini, quo in casu, nec licet celebrare & ad dandum ægroto Viaticum; nam præceptum Viatici obligat quando conferri potest juxta ritum Ecclesiæ. Reliquiæ tamen cibi in ore remanentes, si deglutiantur, non frangunt jejunium naturale, ut ex Rubrica Missalis constat. Vicissim si quis antequam somno se dederit parum sacchari in os induxerit, quod paulatim liquescens in stomacum delabatur, id utique jejunium istud frangit. Tandem si quis ore gustaret vinum, vel condimentum ad saporem explorandum, & statim expueret, hæc non esset fractio jejunii. *De Missæ Sacrif. lib.* 3. *toto cap.* 12.

In dubio num quis fregerit jejunium, disputant Theologi, apud quos varii casus distinguuntur; præstaret tamen abstinere a percipienda communione. *ibid.* §. 7.

Sacerdos extra Missam Eucharistiam suscepturus stolam e collo suspensam habere debet, uti præcipit Rituale Romanum. Potest vero seipsum suis manibus communicare si absit scandalum, & suppetat causa, quæ perceptionem Sacramenti exigat, nec alius Sacerdos præsto sit. Causa vero est solemnis aliqua festivitas. *De Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 17. §. 10.

In Missis Defunctorum Eucharistiam fidelibus administrare non est vetitum, cum Decr. S. C. Rit. id prohibens modo non amplius exhibeatur illud poscentibus, & docti Rituum Scriptores admittant, administrari tuto posse, in quacunque demum Missa, nullo facto discrimine inter formas in eadem Missa consecratas, & reliquias, quæ in Tabernaculo asservantur. *ibid. c.* 18. §. 12.

Nocte Natalis Domini ex Decretis S. R. C. vetitum est ministrari in Missa sacram communionem fidelibus adstantibus; quia nec Sacerdos eadem nocte alias duas Missas celebrare permittitur. *ibid.* §. 13.

Feria VI. in Parasceve, & Sabbato sancto nullus, nisi ad Viaticum, est communicandus, ut ex consuetudine omnium Ecclesiarum certum est. *ib.* §. 14.

Sacerdos in peccato mortali ministrans Eucharistiam graviter offendit in reverentiam tanti Sacramenti. Ex quo fit, ut qui recipit ab illo Sacramentum scienter, peccato ejus communicet, quæ est animadversio S. Thomæ. *ib. c.* 19. §. 2. Ex quo infertur peccare illum graviter, qui Sacramentum suscipit a Sacerdote schismatico, vel excommunicato, ex eo quod ejus peccato communicat. *ib.* §. 3.

An unico peccato peccet Sacerdos, qui lethali peccato infectus pluribus Sacramentum Eucharistiæ administrat, dissident inter se DD. alii enim unicum agnoscunt, quando per continuatam actionem pluribus ministrat, alii totidem peccata multiplicant, quot sunt fideles. *ibid.* §. 2.

Non licet uni ex fidelibus plures particulas, vel majoris moduli hostiam præbere, quod vetuit S. C. Conc. Decr. approbato ab Innoc. XI. die 12. Febr. 1679. *ibid.*

Peccatori parato recipere in peccato Sacramentum non licet offerre hostiam non consecratam pro consecrata ob periculum idololatriæ, tum respectu suscipientis, tum adstantium. *ib. c.* 20. §. 4.

Purgatio quæ olim fiebat per Eucharistiam, qua Sacerdos fideli communicaturo denunciabat, Corpus Christi futurum illi ad probationem, licet forte non contineat tentationem Dei, ut non male ratiocinatur Vasquez; hodie tamen cum abrogata fuerit per text. ex cap. *Extuarum*, in usum revocari non potest. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 20. §. 5.

Consuetudo Eucharistiam negandi reis ad mortem damnatis, ubi invaluit, neque probatur, neque refellitur, sed ubi invaluit contraria, utique retinenda est; aliquid tamen temporis interponendum est inter communionem, & mortem, quo species Eucharisticæ consumantur. *De Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 20. §. 6.

Si alicujus Sacerdotis negligentia aliquid Eucharistiæ in terram deciderit, rubricæ Missalis servandæ sunt; quamquam fatendum est canonicas pœnas obsolevisse. Si vero fragmentum aliquod in feminæ pectus deciderit, præstat ut fœmina suis ipsa manibus levatum in os injiciat. *ib.* §. 7.

Parochus Eucharistiam deferens, vel cadaver associans, si impeditus sit transire per viam publicam, jus habet transeundi per agrum alienum, nec impediri potest a domino, id enim jure communi concessum est cuilibet de populo. *Inst. Eccles.* 69. §. 2.

Si quis Sacerdos ægrotus Viaticum suscipere vellet manibus suis, atque in os suum inferre non renuente Sacerdote, damnari non mereretur. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 19. §. 27. *nov. edit.*

Si quis Episcopus vetet, ne in Missa in hoc, vel illo altari celebranda Eucharistia adstantibus ministretur, parendum illi est, nec turbæ ciendæ. Encyclica *die* 12. *Nov. anno* 1742. *& de Sacrif. Missæ lib.* 12. *cap.* 22. §. 17.

Si quis surripiat hostiam, vel particulas e tabernaculo, vel e sacra pyxide, vel ex Ostensorio, & extractam asportet, id sufficere censetur pro asserendo furto hostiæ consecratæ, quare reo competet demonstrare non esse consecratas. Ita in Bulla AB AUGUSTISSIMO, *Bull. Tom. l. n.* 43.

Eo ipso autem quod quis id sacrilegii egerit præsumitur uti voluisse ad malum finem, quæ pariter præsumptio valet contra eum, qui in actu communionis, vel post illum a suo, vel alieno ore extractam particulam asportaverit. *ibid.*

Rei hujus sacrilegii etiam pro prima vice tradendi sunt brachio sæculari, præcedente in Ecclesiasticis degradatione reali. *ibid.*

Si quis mane sumpserit Eucharistiam, vesperi vero decidat in lethalem morbum, integrum erit Parocho, si vel illum denue communicet eadem die, sive abstineat, nec potest ab Episcopo ad utrumlibet adigi. *De Synod. Diœc. cap.* 11.

Quoad Eucharistiam pueris administrandam recte admonet Pontifex non eamdem desiderari ætatem in pueris in mortis articulo versantibus, quæ in iis qui recte valent. In morituris judicio Parochi permittendum est, qui diligenti examine investiget, num tanta polleant perspicacia, ut Christum sub speciebus sacramentalibus firmiter credant, & adorent. *De Syn. Diœc. cap.* 12. §. 3.

Recte valentes potiri debent majori judicii firmitate, ut debita religione, & reverentia ad Sacramentum accedant; quæ plerumque firmitas advenire solet annum decimum inter & decimum quartum ætatis. *ibid.* §. 2.

Extreme ægrotantibus, eodem periculo mortis diutius perseverante, potest, & debet semel, iterum, tertio Viaticum conferri petente maxime ægroto; sed quoties, & quantum temporis intercedere necesse sit inter unam, & alteram communionem nihil definiendum Pontifex censet. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 13. §. 4.

Eucharistiam in Oratoriis privatis administrare, quamvis multi vetitum non esse credant; tamen consonans praxis, quæ Romæ obtinet, vetat in Diœcesi Bononiensi. *Inst. Eccles.* 34. §. 12.

Sacerdotes omnes cujuscumque sint Collegiatæ tenentur Feria V. in Cœna Domini Sacramentum SS. Eucharistiæ recipere e manibus celebrantis, ut dicunt Decreta plura S. C. apud Bissum V. *Communio n.* 483. *Inst. Eccles.* 38. §. 10.

EUNUCHUS.

Nemo abscissionem potest in se permittere, nisi de consilio medici ad servandam vitam; & quanquam Theologi quidam admittant, ut possit quis in evirationem suam consentire ad vocis suavitatem servandam; ut dulcius in Ecclesia canat, atque inde victum sibi honestum procurare possit, adhuc tamen Theologorum id negantium opinio communis obtinuit. Disputant vero Canonistæ num ex vi Capitis *Significavit*, sub titulo *de corpore vitiato*. Sacerdos, qui id in se commiserit, possit munus Diaconi, aut Subdiaconi in Missa exercere: certum est, ex vi ejusdem Capitis, Sacerdotem illum posse benedicere, Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, ac Extremæ Unctionis ad-

administrare de licentia Episcopi: constat tamen eunuchum hujusmodi incurrere notam irregularitatis, nec Episcopo inesse facultatem, ut det licentiam se evirandi. *De Syn. Diœc. lib.* 11. *cap.* 7. §. 4. & 5. *nov. edit.*

EXAMINATORES.

Examinatores, si in Synodo fuerint designati tantum nomine Officii, ut sunt ex. gr. Prior S. Dominici, non ex hoc intelligitur quod successor in eodem munere habendus sit ut Examinator Synodalis, nam est electa industria personæ. *De Syn. Diœc. lib.* 4. *cap.* 7. §. 5.

Electi in Synodo Examinatores, si interim ante novam Synodum decedant, tunc si saltem sex remaneant, qui numerus de necessitate est ex definitione Tridentini, non possunt alii in eorum locum substitui ab Episcopo. Si minores sint numero, tunc suffici possunt alii usque ad sex ab Episcopo quidem approbante Capitulo. *ibid.* §. 7. Qui tamen Examinatores suffecti cessant elapso anno, si interim Synodus non celebretur; ut ex Decreto Clem. VIII. In hoc casu quo Synodus post annum a priori Synodo non celebretur, tunc si non supersint saltem sex in priori Synodo designati, omnium etiam superstitum munus cessat. Quare tunc necesse est, ut si post annum concursus ad vacantes Parochiales instituendus sit, petatur a S. C. facultas, ut novi Examinatores extra Synodum deputentur; quæ facultas si obtineatur, uti semper obtinetur, tunc Episcopus debet quos designavit proponere Capitulo a majore ejusdem parte approbandos. Capitulum vero tenetur illos approbare si habeant qualitates a Trid. requisitas. *ib. n.* 10.

Examinatores congruentius suffragia ferunt palam communicando secum invicem, tum indicendo Notario hunc, vel illum esse approbatum. In quam sententiam, quæ est Fagnani, inclinat Pontifex in *Synod. Diœc. lib.* 4. *cap.* 8. §. 4.

In judicio Examinatorum nulla fert suffragia Episcopus, vel Vicarius loco Episcopi præsidens, nisi in casu paritatis votorum, aut si sint singularia; tunc enim potest Episcopus quibus censuerit partibus accedere; sed hoc præstare debet tunc coram iisdem Examinatoribus. Ita ex Garcia. *ibid.* §. 5.

EXCOMMUNICATIO.

A quibuscumque censuris excommunicationis, suspensionis, & interdicti etiam contentis in Bulla Cœnæ Domini absolvere potest major Pœnitentiarius, Regulares quidem in utroque foro, reliquos vero in foro conscientiæ tantum; quamquam & illos potest absolvere in utroque foro in censuris publicis latis a jure, Apostolicæ Sedi reservatis, & etiam nominatim declaratis, vel latis nominatim ab homine, si exspiraverit jurisdictio Judicis delegati, a quo latæ fuerunt, vel quando absolutio remissa fuerit ad Romanum Pontificem, vel quando proprios Judices adire rei non possunt. Obligandi sunt tamen rei, isti, ut satisfaciant parti, alioquin recidunt in eandem censuram. Si vero hæc satisfactio a parte recusetur, tunc major Pœnitentiarius illi præscribat hanc satisfactionem, qua parte recusata, nihil ultra agendum est. Bulla *Pastor Bonus, Bull. Tom. I. n.* 93. §. 7.

Si Episcopus excommunicationem aliquam tulerit per legem generalem incurrendam a transgressoribus, declaratque illos statim fore evitandos, licet publice, ac nominatim denunciati non sint, quia facti notorietate dignoscitur illos in excommunicationem incidisse; excommunicatio ista nequaquam sustinetur, cum repugnet Constitutioni Martini V. *Ad evitanda*, quidquid in oppositum sentiat Fagnanus in *cap. Quod a Prædecessore*, *n.* 55. *de Schismat. De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 68. §. 4.

Excommunicatio in Bulla Cœnæ, qua vetatur fidelibus deferre arma &c. ad Turcas, non afficit fideles Turcarum imperio subjectos, qui imperantibus illis arma suppeditant, aliove transvehunt, dummodo id peragant animo iniquo nocendi fidelibus. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 20. §. 6. *nov. edit.*

Ad postulata Episcoporum Albanensium rescriptum fuit a Congregatione de propaganda Fide, mandante Pontifice, ne inquietarent fideles, si navibus suis ad Turcas nullo bello inter Christianos, & Turcas furente, transvehant sclopos majores, aut minores, sarissas, gladios, plumbeas glandes, nitratum pulverem, chalybem, ferrum, aurichalcum, æs, funes, & alia ad naves bellicas instruendas idonea, adhibito tamen modo quoad numerum, & quantitatem, ut fieri ab illis solebat. Firmam tamen voluit prohibitionem transvehendi vel pacis tempore, vel belli mortaria, incendiarias pilas, tormenta bellica majora, plumbeos, aut ferreos majoris moduli globos, ipsosque sclopos ingenti numero. Quæ tamen facultas illis facta est, quia non aliter possunt victum sibi comparare, atrocesque persecutiones evitare. *ibid.* §. 7.

EXEMPTIO.

Exemptio Ecclesiastici a jurisdictione sui Episcopi non conceditur a Congregatione; nisi evidenter probetur sævities contra se exercita, aut justus timor ne exerceatur, & nec tunc nisi prius audito Ordinario, ipsoque fraterne admonito, ut mitius agat. *De Syn. Diœc. l.* 13. *cap.* 10. §. 30. *nov. edit.*

Tunc autem plerumque nihil fit aliud nisi ut prohibeatur Ordinarius, ne procedat ad censuras, carcerationem &c. nisi prius obtenta a Congregatione, vel a Metropolitano facultate. Imo si reus in fragranti crimine deprehendatur; tunc non intelligitur subtracta facultas Ordinario procedendi adversus delinquentem, ut ex Decr. S. Congreg. *ibid.*

EXEQUUTIO PROVISIONUM CURIÆ ROMANÆ.

In Bulla *Pastoralis regiminis Bull. Tom. I. n.* 47. feriuntur excommunicatione Pontifici Romano reservata laici impedientes exequutionem mandatorum, citationum, aliarumque provisionum Romanæ Curiæ: & illi pariter qui impedientibus hujusmodi auxilium, consilium, vel favorem præstant. Regulares vero & Ecclesiastici suspensionem ipso facto incurrant tam ab exercitio Ordinum quam officiorum, quæ ambæ censuræ sunt reservatæ Romano Pontifici. Notarii vero sive tabelliones recusantes facere hujusmodi provisionum & exequutionum instrumenta publica ad instantiam partis, privantur officio notariatus & infames declarantur.

EXEQUIÆ.

Si testator jusserit sepulturæ mandari corpus suum sine precibus, & Psalmis & Missis, associatione Clericorum, candelis ardentibus, ejus voluntas non est attendenda, ut decidit S. Rota coram Molines in Romana Funeralium *die* 15. *Junii* 1699. *Instit. Eccl.* 36. §. 22.

Clemens XI. mandavit in edicto legendo in ejus Bull. pag. 317. ut in associatione funeris cujuscunque serventur leges Ritualis Romani in tit. *De Exequiis*, §. *Constituto tempore*. Fieri tamen potest, ut in aliquo singulari rerum articulo cadaver deferendum sit aliter quam præscribat Rituale; quod tamen fieri non debet absque Episcopi scientia, ut ex. gr. si deferendum sit cadaver in curru tecto, quod sæpe alias prohibuit S. C. apud Petra *in Constit. Apostol. Tom. II. n.* 10.

Parochi associantes funus ad Ecclesiam Regularium arceri non possunt ab ingressu Ecclesiæ illius cum cruce & stola, ut ex Bulla *Pretiosus* Bened. XIII. *ibid.* §. 26.

Cadavera Sacerdotum, Diaconorum, & subdiaconorum exponi non possunt in Ecclesia, alia induta veste, quam sacra sui Ordinis, ut ex decreto Clementis XI. *ibid.*

EXORCISMUS.

Non licet Regularibus, contradicente Episcopo, exorcizare in propriis Ecclesiis. Encyclica ad Episcopos Poloniæ *Magno cum animi. Bull. Tom. III. n.* 48.

In Epistola ad *Episcopum Augustanum Bullar. Tom. I. n.* 141. laudatur Encyclica Clementis XI. data 21. Junii 1710. in qua injunctum est, ut nemo exorcizans a norma Ritualis Romani ulla ex parte discedere præsumat.

EXPOSITIO SS. SACRAMENTI.

Expositio SS. Sacramenti permitti non debet nisi ex publica causa ab Ordinario approbata, etiamsi Ecclesia sit Regularium, quod ex Trid. *Sess.* 21. *c.* 8. evincit, & statuit S. C. Concilii. Quanquam ex causa privata licet Regularibus in propriis Ecclesiis exponere Sacramentum, dummodo non extrahatur a Tabernaculo, & hostia sit velata, ut ex pluribus S. C. Decr. firmatur. *Inst. Eccles.* 30. §. 11. & 12.

Reprobatur apud frequentes scriptores usus exponendi palam SS. Eucharistiam in festis Sanctorum. *ib.* §. 15.

Si exponatur SS. Sacramentum intra Tabernaculum apertum, & in pyxide tecta, sex saltem candelæ ardere debent ex sensu S. Congr. *ib.* §. 21.

Verum si extra Tabernaculum id fiat in Ostensorio velato, tunc saltem duodecim candelæ ardentes apponendæ. *ib.* §. 23.

EXTREMA UNCTIO

Extremam Unctionem verum esse novæ legis Sacramentum a Christo Domino institutum, per Apostolum Jacobum fidelibus commendatum, & promulgatum Tridentini PP. definiverunt. Materia ejus remota est oleum ex olivarum bacchis expressum, nulli alteri materiæ saltem ex perpetuo usu Ecclesiæ immixtum; quæ tamen materia si in parva quantitate fuerit, adeo ut non destruat olei speciem, validitati Sacramenti nequaquam officit. Debet verum oleum istud Episcopali benedictione ante sacrari; ut ex antiquissima PP. traditione colligitur. Ita tamen ab Episcopo esse illud oleum benedictum oportet, ut nihilo secius possit ex commissione, sive expresse, sive tacita Romani Pontificis a simplici Sacerdote consecrari, ut ex more Vetustissimo Ecclesiæ Orientalis eruitur. Ita docet Pontifex in *Tractatu de Syn. Diœc. lib.* 7. *c.* 16.

Unctionis Extremæ forma in Rituali Romano expressa, est deprecativa, nunquam tamen definitum est ab Ecclesia, an hæc ita necessaria sit, non æque ad Sacramenti validitatem sufficiat, si indicativo modo concipiatur; satis enim constat formam illam expressis verbis nequaquam institutam fuisse. Constat tamen aliter quam in Rituali exhibeatur, proferri absque gravi flagitio privata auctoritate non posse.

Partes ungendæ aliæ quidem necessariæ sunt, ut Sacramentum fiat; aliæ necessitate, uti vocant, præcepti; aliæ vero ratione aliqua suadente tuto omittuntur. Ex his postremis sunt pedum, & renum unctio, hæc enim in feminis omittitur; illa vero cum gravi incommodo præteriri potest. Cæteræ quinque sensuum unctiones saltem ex præcepto adhibendæ sunt: num vero singulæ ita sint necessariæ, ut absque illis Sacramentum non consistat, alii aliter disputant. Si necessitas urgeat, ægri, qui mox decessurus timetur, unicus sensus ungendus est, ea pronunciata forma, quam Rituale in his rerum eventibus assignat, caput tamen præferendum. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 18.

Sacramenti hujus ministros esse Sacerdotes nemo, qui fidem Christi profitetur, negaverit, ita definiente Trid. *Sess.* 14. *c.* 4. Quamquam vero conferri a pluribus simul Sacerdotibus valeat, modo tamen singuli suum diversum sensum cum forma eidem debita inungant: usus tamen jam inde pluribus sæculis in Latinam Ecclesiam invectus extra articulum necessitatis fert, ut unus tantummodo sacro oleo liniat, totumque perficiat Sacramentum, cui mori citra lethalem culpam se non conformare nemo potest. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 9. §. 5. Laudabile tamen fuerit si dum res sacra peragitur plures adsistant Sacerdotes, vel saltem probi viri, *ut oratio totius Ecclesiæ* ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet, quæ verba sunt S. Th. *c.* 43. *l.* 4. *contra gentes ib.* §. 5.

Ministrare istud Sacramentum valide omnes Sacerdotes possunt; uni tamen Parocho de jure competit; cum sit ejus minister ordinarius. Alii si id audeant absque Parochi facultate, contra statutum in Catechismo Romano peccant. Quinimo Religiosi ægrotum ungentes, minime a Parocho petita venia, præter gravis culpæ reatum in excommunicationem incidunt Apostolicæ Sedi reservatam *in Clementina I. de Privilegiis;* excluso tamen necessitatis articulo, in quo actum charitatis, non auctoritatis abusum exercent. Hæc dicta sint de Latinis Sacerdotibus, cum de Græcis alia sit ratio; nam apud istos mos est, nec a Romanis Pontificibus improbatus, ut in hoc Sacramento conferendo septem Sacerdotes, vel saltem tres præsto sint. *ibid.* §. 8.

Unguntur vero fideles tali morbo laborantes, unde peritorum judicio mors proxime secutura prudenter timeatur; quare denegandum est iis, quibus certum adest vitæ periculum, puta mare transgressuris, prælium inituris, ultimo supplicio afficiendis; cum hoc illis desit, quod morbo periculoso laborant. Hoc vero morbi gravis periculum ita necessarium est, ut sanis collatum Sacramentum, vel nullum sit, vel illicitum. Neque urget Græcorum consuetudo ungendi bene valentes; nam si id agant rati se conferre verum Sacramentum, increpandi acriter sunt, & prohibendi; sicut tunc etiam cum, ut apud illos interdum fit, loco satisfactionis per Confessarios imponendæ, pœnitentes inungunt. *ibid. cap.* 20. *per totum.*

Providendum est tamen a Parocho, ne in hoc Sacramento administrando supremum vitæ articulum expectet, sed maturius id agat, cum æger nondum sensibus destitutus, precibus Sacerdotis suas etiam adjungere valet. Providendum illi est etiam, ne hoc Sacramentum, quanquam non est de præcepto, petentibus deneget; id enim si vel ille negaret, vel non offerret, gravem culpam committeret. Quin nec desunt plures, qui opinentur ægrotum negantem recipere sacram unctionem, reum haberi lethalis culpæ, cum ex contemptu Sacramenti id renuere merito censeri possit. *ib. cap.* 2.

Pueris ante usum rationis ex perpetua Ecclesiæ doctrina non datur, quamquam, ut id licite fiat, ætas illa firmior expectanda non est, qua Sacramenti Pœnitentiæ capaces censentur. Pueris accensendi sunt etiam perpetuo amentes, & furiosi, quibus constans fuit per totam vitam amentia. Constans inquam, nam si adulti usum rationis aliquando obtinuerunt, tum inciderunt in amentiam, cum aliquid criminis committere potuerint, utique inungendi sunt. *ib. cap.* 21.

Sed quid si subita vi morbi correpti in amentiam incidant, ut petere sacramentum minime valuerint? Eos profecto hoc Sacramento juvari oportet, si præsertim sensibus destituti aliorum sacramentorum remedio juvare se non possint. *ib. cap.* 21. *per totum.*

Ordo in hoc Sacramento conferendo quanquam non idem fuerit semper in tota Eccles.a, cum alii statim post Sacramentalem absolutionem ante viaticum ægrotos inunxerint, alii post viaticum; cum tamen Ecclesiæ Romanæ disciplina in Catechismo Concilii Tridentini expressa postremam hanc agendi rationem servaverit, æquitatis ratio postulat, ut ab ea non recedatur. *ib. cap.* 23.

Eodem morbo, & periculo perseverante repetere Sacramentum istud non licet; si vero morbi vis ita remiserit, ut recessisse periculum mortis videatur, iterumque recrudescat, & novum mortis periculum urgeat, tunc iterum unctio peragenda est. *ibid.* In dubio tamen num morbi status sit mutatus, seu num idem perseveret, expedit, ut ad Sacramenti iterationem Parochus propendeat. *ibid. Peccat graviter* ille, qui tandiu differt Extremam Un-

Unctionem conferre, *Cum jam ægrotus omni salutis spe, vita, & sensibus carere incipiat*. Verba hæc sunt Catechismi Romani de Extrema Unct. *ib.* §. 18.

An teneatur Parochus Sacramentum hoc administrare peste laborantibus, dictum est V. *Parochus*. An valeat si instrumento, nempe pennicillo inungatur corpus ægroti peste infecti, nihil deciditur, asseritur tamen hunc ritum in Ecclesia hucusque fuisse inusitatum. *De Synod. Diœc. lib.* 13. *cap.* 19. §. 16. *nov. edit.*

Non refert utrum hoc Sacramentum conferatur ab uno sive a Pluribus Præsbyteris juxta morem Græcorum, dummodo illi credant hoc fieri posse etiam ab uno valide & licite. Necesse tamen est ut Sacerdos Græcus, qui ungit, idem & formam *pronunciet*. Bull. *Etsi Pastoralis*, *Bull. Tom. I. n.* 57.

FESTI DIES

Opera servilia diebus festis prohibentur, ne ruralibus quidem exceptis, conceduntur tamen, si urgeat vera, & non affectata necessitas. Affectata vero illa diceretur, in qua opera, quæ diebus præcedentibus fieri possent, ad diem festum tranferrentur. Petenda est tamen a superiore facultas, si quid insurgat necessitatis. Hanc vero facultatem dare solet Episcopus Parochis ruralibus in ordine ad opera agrestia, qualia se haberent oneratio plaustrorum, collectio frugum, & fructuum, herbam secare, colligere fœnum, quando periculum imminet vere tempestatis, vel quando die sequenti tranferenda sunt in Civitatem, nec posset id commode differri. *Inst. Eccles.* 55. §. 33. &c.

Molitores non possunt molitioni incumbere, etiam molendinum aqua, seu jumentis, seu vento volvatur; non possunt inquam seclusa consuetudine, vel necessitate: quæ necessitas, si adsit, in Diœcesi Bononiensi facultas non a Parocho, sed a Curia Archiepiscopali conceditur. *ib.* §. 37.

Piscatio inter opera servilia, die festo vetita referenda est; si tamen necessitas urgeat piscandi, eo quod statis anni diebus fiat transitus piscium, quo elapso temporis articulo piscatio eorum nulla fieret, tunc pauperibus piscatoribus datum est, ut opere illi incumbere possint, dummodo id non præstent die Nativitatis Domini, Epifaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, & Corporis Christi, juxta ac olim concessum fuit Trevirensibus ab Alexandro III. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 18. §. 10. *nov. ed.*

FIDES.

Actus Fidei, Spei, & Charitatis debent per accidens elici, cum aliqua tentatione urgemur, nec illam superare valemus, nisi efficacia illorum actuum. *Inst. Eccles.* 72. §. 20.

Non sufficit ad implenda tria ista præcepta, seu charitas virtualis, quæ in obsequendo divinis præceptis exercetur, nec etiam fides virtualis, ut ex pluribus damnatis propositionibus firmatur. *Instit. Eccles.* 72. §. 20.

Si quis diuturno satis tempore negligit elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis, illum versari in periculo æternæ salutis firmatur. *ibid.* §. 21.

Non licet Christianis degentibus sub Turcarum Imperio, vel Turcis, qui ibidem agentes convertuntur ad fidem, Turcica sibi nomina, vel retinere, vel imponere; hoc enim pertinet ad externam fidei professionem, Constit. *Inter omnigenas*, ad incolas Regni Serviæ, & finitimarum regionum: & congregatio universalis Inquisitionis in rescripto ad postulata Episcoporum Albanensium idem edixit. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 20. §. 9. *nov. edit.*

Christiani ad Turcas apostatantes, deinde redeuntes ad fidem, tenentur coram fidelibus publice adjurare apostasiam: at coram infidelibus non est necessarium, sed sufficit, ut coram ipsis abstineant ab actibus infidelitatis, deponant vestem protestativam falsæ Religionis; & curent, ut successu temporis infideles agnoscant vel ab ipsis, vel ab aliis eorum abjurationem etiam cum periculo vitæ. Ita ex Decr. S. Inquisitionis. *ibid.* §. 17. At in Decreto servato in Archivio S. Inquisitionis non legitur hoc additamentum, *curent, ut successu temporis &c.* quare ad id non esse obligandos fideles additur. *ibid.* §. 18.

GRÆCI.

Græci in Italia degentes ordinem suscipere non possunt, nisi ab Episcopo Græco Romæ constituto, sive ab altero Græco Episcopo in Calabria in Oppido S. Benedicti Ullani Bisimianensis Diœcesis, ut ex Constit. Clem. VIII. 34. quam & Benedictus XIV. Confirmavit Bulla 57. *Tom.* 1. *De Syn. Diœc. c.* 12. *nov. edit.*

Quanquam vero habeant aliquando Vicarios suos Apostolicos ex Græcis adsignatos, adhuc tamen & Vicarius, & cæteri Græci omnimode jurisdictioni Latinorum Episcoporum subsunt. *ibid.* §. 18.

Græci non tenentur in Symbolo pronunciare *a Patre Filioque*, quanquam id debeant credere. Ubi tamen viget consuetudo, sicut etiam a Græcis in quibuscumque Italiæ & insularum adjacentium regionibus commorantibus, si ab ordinariis locorum ob aliquam legitimam causam fuerint requisiti, illam adere omnino tenentur. Hæc omnia in Bull. *Etsi Pastoralis*. *Bull. Tom. I. n.* 57.

Licet autem in fermentato Eucharistiam conficere permittuntur; credere tamen debent etiam in azymo eam veraciter confici. *ibid.* §. 1.

Item qui in Dei charitate decesserint nondum pœne per Pœnitentiam purgati, purgatorii pœnis expiandos esse in altera vita, quibus suffragia fidelium viventium prosint.

Item animas purgatas statim in cælum recipi ad intuitivam Dei visionem. Qui vero cum peccato mortali decesserint, in inferni carcere protrudi pœnis imparibus puniendi pro imparitate delicti.

Item superioribus hisce adjiciendus est primatus Romani Pontificis in universam Ecclesiam. *ibid.*

HÆRETICI.

Hæretici occulti absolvi possunt in foro conscientiæ a majori Pœnitentiario, vel de ejus mandato. Occulti vero sunt, qui etsi hæresim suam intrinsecis actibus manifestarunt, nemo tamen illos vidit. Ita in Bulla *Pastor bonus* Bull. *Tom.* 1. *n.* 95. §. 9.

Potest etiam major Pœnitentiarius in foro conscientiæ absolvere publicos hæreticos, seu apostatas a fide, quando necesse non est complices denunciare, illis nempe mortuis, sive degentibus in locis palam infectis; non vero si illi vivant, ubi inquisitionum officium viget. *ib.*

Principes, vel qui Vicario nomine statui præsunt, Dominia, & Respublicæ, illarumque administratores, vel qui administrationem habere solent, Episcopi, & superiores Prælati, in casibus publicis contentis in Bulla Cœnæ Domini, ab illo absolvi nequaquam possunt. *ibid.* §. 11.

Sicut nec ab eo absolvi possunt ab incursa censura omnes quicunque etiam S. R. E. Cardinales, qui vivente Romano Pontifice de alio eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia iniverint, ambitusque, aut pactiones fecerint. *ibid.* §. 12.

Nec potest absolvere eos, qui per astrologiam judiciariam per se, vel per alios de statu Reipublicæ Christianæ, sive de vita, & morte Romani Pontificis tunc existentis inquisierint. §. 13.

Denique neque potest in casibus publicis violatæ immunitatis, seu libertatis Ecclesiasticæ, etiam non deductis in judicium. §. 14.

Tenetur Episcopus etiam in locis ubi Officium S. Inquisitionis viget, sedulo curare, ut creditam sibi Diœcesim ab Hæreticis purget, & si quem repererit, pœnis canonicis punire debet; cavere tamen debet, ne fidei Inquisitores a suo munere obeundo impediat. Deductum vero hæreticum ad suum Tribunal non minus Episcopus, quam Inquisitor reconciliare possunt Ecclesiæ, & pro utroque foro absolvere. Quin & possunt hæreticum postquam erro-

rores suos ejuraverit, ad simplicem Confessarium pro absolutione remittere, quæ tunc data a Confessario in foro Sacramentali absolutio pro foro pariter externo valet. Ita *in Trac. De Synod. Diœc. l. 7. c. 32. §. 3.*

Ab hæresi mere interna, & mentali, nullo exteriori signo manifestata simplex Confessarius absolvere potest; cum hæresis sit summo Pontifici reservata per censuram adnexam, quæ certe in eo casu nulla est. Potest etiam simplex Confessarius eum absolvere, qui verbo aliquo, vel facto fidei articulum negaverit, interiori tamen assensu fidem retinuerit, neque enim in ea rerum circumstantia censura illigaretur. Quamquam in foro externo tanquam hæreticus puniretur, & nequidquam obtenderet se in corde fidem retinuisse. *ibid. §. 4.*

Si vero agatur de hæresi externa occulta nondum deducta ad forum Episcopi, olim quidem facultas facta fuit Episcopis a Conc. Trid. *Sess. 24. c. 6.* ut per se, non vero per Vicarios suos illam absolverent in foro conscientiæ. Sed cum in Bulla singulis annis publicata reservetur Romano Pontifici absolutio inter cætera etiam ab hæresis crimine; & in ea Bulla derogetur omnibus contrariis Decretis cujusvis Concilii, hinc quæstio agitatur apud Theologos, num hodie pariter Episcopo maneat facultas absolvendi hæreticos in foro conscientiæ. Neganda tamen est illis hæc facultas; nam illis verbis *non obstantibus cujusvis Concilii Decretis*, omnis Concilii Tridentini facultas Episcopis adimitur. Quam in rem multa Congregationis S. Officii, & Congregationis Conc. afferuntur decreta, & adjiciuntur S. Pii V. Greg. XIII. Clem. VIII. vivæ vocis oracula, ne quid dixerim de propositione inter damnatas ab Alexandro VII. *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est anno 1628. 18. Julii in Consistorio S. C. Em. Cardin. visa & tolerata est.* Ingenue quidem fatendum hanc propositionem ideo confixam fuisse ex falsa assertione de approbatione S. C. quæ nulla fuit. Vix tamen creditur Pontificem adeo se præbuisse sollicitum de amovenda hac S. C. approbatione ab ea propositione, nisi & eamdem ipsam propositionem improbabilem judicasset. *De Syn. Diœces. l. 7. c. 32.* Sed nec credi potest facultatem hæresis hujusce absolvendæ Gallicanis Episcopis datam esse, quamquam eam sibi multi arrogant, ut multis argumentis *cap. 33.* evincitur. Quod vero negatur Episcopis, negandum etiam est Inquisitoribus Hispaniæ, & Lusitaniæ, quibus si aliqua olim fuit in hanc rem auctoritas, modo ex Bulla Cœnæ sublata est. *ibid. §. 4.*

HOMICIDIUM.

Cum homicidis, & bannitis etiam in casu homicidii voluntarii major Pœnitentiarius potest dispensare, ut Religionem approbatam etiam tamquam Clerici ingredi possint, additis tamen quibusdam clausulis, de quibus Pontifex in sua Bulla *Pastor bonus Bullar. Tom. I. n. 95. §. 17.*

JEJUNIUM.

Dispensatio impetrata in Quadragesima vescendi carnibus non continuo deobligat ab unica comestione, quare sic dispensati declarantur ad eam teneri, nec miscere posse *epulas licitas, atque interdictas.* Constit. *Non ambigimus. Bull. Tom. I. n. 19.*

Hac vero admixtione vetita est comestio carnium cum piscibus. Ita declaravit Pontifex in Epistola ad Archiepiscopum Compostellæ. *ibid. n. 89.*

In vespertina refectiuncula debent dispensati illi abstinere a carnibus, nec possunt quidquam aliud gustare, quam quod cæteri non dispensati. *ibid.*

Debent sicut cæteri horam jejunantibus præscriptam in comessatione servare. *ibid.*

Id quod præscribitur de non miscendis carnibus cum piscibus æque servandum est in Dominicis Quadragesimæ.

Utrumque hoc præceptum unicæ comestionis, & cavendæ admixtionis carnium cum piscibus urget etiam in jejuniis extra Quadragesimam. *ibid.*

Qui tamen ex dispensatione utuntur ovis, & lacticiniis, a piscibus abstinere non tenentur. *ibid.*

In petendis a Pontifice dispensationibus generalibus a jejunii disciplina pro Oppidis, & Diœcesibus, monentur Episcopi, ne faciles se præbeant, sed prius consulendi medicinæ peritiores, exquirendo ab illis, num morbus sit communis, ita ut nulla ætas libera & incolumis esse queat, adeoque ad præservationem a morbo multum conducere judicent; si dispensatio a carnibus concedatur, tunc vero illas petant. Alia, quæ servanda ab illis sunt latius explicat Encyclica *Libentissime &c. Bull. Tom. I. n. 136.*

Potum cocholatis, die jejunii tolerat Pontifex. *Insti. Eccl. 15. §. 10.* Vix tamen admittit majorem longe cyathum, nec omnino tolerat sæpis eadem die iterare. *ib.*

Filios, seu famulos non servare jejunium Quadragesimæ quoad abstinentiam a carnibus eo quod paterfamilias dispensatur, nec potest sufficere sumptibus duplicis mensæ, id non sine maxima abusione admitteretur. *Inst. Eccles. 15. §. 25.*

Benedict. XIV. in sua Const. *Pias Christi fidelium Bull. T. IV. n. 2.* concedit iterum singulis Confratribus Confraternitatis S. Mariæ de Succursu, in civitate Januæ erectæ, commorantibus in Januensi ditione, & dominio, & complentibus statuta, seu pia opera in ea præscripta, privilegium ovis & lacticiniis vescendi certis diebus Quadragesimæ, nempe diebus Dominicis, secundis, tertiis, & quintis feriis. Hoc insuper privilegium antea concessum, prorogat eadem Bulla ad omnes feriales dies Quadragesimæ et tia Dominicas, comprehensa pariter Dominica in Palmis & Hebdomada majori, quam in priori privilegio exceperat. Sed ab hac exemptione excipit Archiepiscopos, Episcopos, inferiores Prælatos, nec non Regulares omnes, & quoad sæculares Ecclesiasticos eos qui ad ordinem Presbyteratus fuerint promoti, nisi tamen illi sexagesimum ætatis annum compleverint. Vult tamen ut illi omnes exempti legibus jejunii de unica comestione in die subjiciantur. Datur illis pariter privilegium, ut bis in vita tantummodo possint absolvi a simplici confessario a reservatis Sedis Apost. sicut etiam id possint in mortis articulo. Declarat vero in §. 3. in eadem facultate absolutionis obtinendæ non comprehendi reservata ab Ordinariis locorum.

IMAGINES SACRÆ

Non est permittenda imago Spiritus Sancti sub figura hominis, cum id nunquam obtinuerit in Ecclesia Catholica. In Epist. ad Episcopum Augustanum, sicut nec imago trium hominum æqualium ad repræsentandam SS. Trinitatem. *ibid. §. 35. Bull. Tom. I. n. 161.*

IMMUNITAS LOCALIS

Ab immunitate locali præter exemptos in Bulla Greg. XIV. alios etiam adjungendos censuit Bened. XIII. in Bulla *ex quo divina*, scilicet sequentes.

I. Impedientes, ne quis recurrat ad locum immunem vel ex eo violenter extrahunt.

II. Interficientes proximum animo præmeditato, ac deliberato.

III. Adulterantes literas Apostolicas.

IV. Reos furti, seu quid falsi committentes in Monte Pietatis, vel in loco publico, ubi pecuniæ deponuntur, vulgo *Banco*; Ex quo crimine area pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit.

V. Vitiantes, seu abradentes aureas, argenteasque monetas cujuscumque Principis etiam exteri cursum in eo loco habentes, ubi delictum committitur; vel sic vitiatas monetas scienter ita expendentem, ut fraudis conscius, & particeps censeri possit.

VI. Illos, qui curiam simulantes insinuant sese in domo ad furandum, dummodo simul etiam committant homici-

dium,

dium, aut mutilationem membrorum in eos, qui etiam per accidens in ea domo sunt, effectu tamen secuto.

VII. Homicidium etiam in rixa, si ex processu reus sit deprehensus, seu in exilium eo nomine agitur. Quod valet tantummodo in Ecclesiastica ditione. *Inst. Eccl.* 41. §. 21.

In eadem Bulla immunitate privatur ille, qui stans in Ecclesia, vel in cœmeterio interficit stantes extra illa loca, & viceversa.

Ab ea vero immunitate excluduntur non solum respectu ejusdem Ecclesiæ violatæ, sed & aliarum omnium. *ibid.* §. 22.

Declaravit etiam eos censeri grassatores viarum, si unum tantummodo homicidium, seu mutilationem commiserint etiam *in via vicinali*. *ibid.* §. 23.

Extendit hoc pariter ad mandantes, qui certum præmium promiserit mandatario, etsi non dederint, homicidium tamen, seu mutilatio commissa sit.

Clemens XII. hanc Bullam confirmavit Constitutione sua, *in supremo*, & extendit etiam ad ecclesiasticos homicidas, sicut etiam ad majores annis viginti, quos omnes comprehensos declarat, si etiam mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori præbuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit. Adjecit, indicia ad tradendum reum Judici sæculari sufficere, si talia saltem sint, quæ *ad torturam valeant*. Hæc tamen valere statuit tantummodo pro ditione Ecclesiastica.

Denique Benedictus XIV. in sua Bulla *Officii nostri*, *Bull. Tom.* 3. *n.* 29. confirmavit ea omnia, declaravitque comprehendi etiam Ecclesiasticos, & mulieres reas homicidii, sicut etiam occidentes baculo, aut saxo. Exemit vero quando commissum esset homicidium casu, aut necessaria defensione; restringit enim quando id agitur ex odio, & nocendi animo.

Declaravit etiam, quod si forte accidat; ut vulneretur quis ad mortem, & percussor statim confugit ad Ecclesiam nondum morte secuta, tunc si chirurgi grave vitæ periculum adesse retulerint, tunc reus servatis servandis possit extrahi ab Ecclesia, & mancipari carceribus, ita tamen, ut si vulneratus vivat ultra tempus a legibus constitutum, Ecclesiæ iterum restituatur.

Confirmat Constitutionem Benedicti XIII. in eo quod privative ad Episcopo pertineat facultas demandandi extractionem delinquentium ejusmodi e loco immuni (quæ facultas dari potest cum adsunt indicia ad carceration-em) adeo ut si locus sit nullius Diœcesis, tunc recurrendum voluit pro ea facultate ad Episcopum viciniorem, & semper cum fit extractio, semper adsit Ecclesiasticus ab eo deputatus.

Facta extractione construitur processus de mandato Episcopi; si indicia ad torturam sufficientia reperiantur, tunc consignandus est reus judici sæculari, (obligando tamen illum sub excommunicatione latæ sententiæ, ut si reus purgaverit indicia, restituatur Ecclesiæ).

Si homicidium perpetratum est in locis a residentia Episcopi remotis, jubet; ut de mandato Episcopi Vicarii Foranei indicia ad extractionem necessaria juridice colligant, statimque ad Episcopum transmittant.

Transgressores sacræ immunitatis, etiam quoad pœnas declarat eos, qui sine recursu ad Episcopum, extrahunt; sive etiam obsidere præsumunt loca immunia, ne alimenta ad reum deferantur, sive aliter cogunt reum, ut se dedat Curiæ sæculari.

Qui sic egerint, privat eos, jure asyli.

Si quæ viget consuetudo inter finitimos Principes, ut homicidæ committentes delictum in alterutrius ditione, capiantur, & transmittantur ad Principem loci, ubi delictum commissum est, ab Episcopo loci homicidii exquiri jubet indicia, & transmitti ad Episcopum asyli, ad quem pertinet mandatum dare de extractione.

Hæc tamen Bulla lata est tantum pro ditione Ecclesiastica, & pro illis Principibus, qui eam postulaverint.

Hæretici, aut de Hæresi suspecti, Judæi post Baptismum in apostasiam lapsi, possunt ab Inquisitoribus extrahi ab Ecclesia, sed vel ante, vel post capturam commoneri debet Episcopus. Encycl. ad Inquisit. *Elapso proxime Bullar. Tom. III. num.* 40.

Qui e loco relegationis, sive e carceribus, sive triremibus in asylum se proripit, nisi reus sit criminum, quæ immunitate privantur, jure asyli potitur. *ibid.* §. 5.

Pœnæ contra turbantes immunitatem afficiunt etiam eos, qui impediunt, ne Judex Ecclesiasticus cognoscat in causis, in quibus habet auctoritatem tantum cumulativam. *Inst. Eccles.* 40. §. 10.

Si quis reus dolose extrahatur ab Ecclesia, & extra illam capiatur non per vim, aut per salvum conductum; ista dolosa extractio reos non suffragatur, ut ex Decr. S. C. die 22. Dec. 1716. *Inst. Eccl.* 41. §. 9. *n.* 31.

INDULGENTIA

Indulgentias plenarias solum Romanus Pontifex conferre potest, cui Thesauri Ecclesiæ clavium commissa est custodia. *De Syn. Diœc. l.* 2. *c.* 9. §. 6.

Omnibus Episcopis facultas a jure conceditur indulgentiam dierum quadraginta largiendi, & centum in Ecclesiæ dedicatione, ex cap. *Cum eo de Pœnit.*

Cardinalibus vero centum dierum. Hanc vero indulgentiam etiam Regulares lucrantur; cum eorum exemptio non debeat illis in damnum converti. *Inst. Eccl.* 63. §. 16.

Vicarius Capitularis ne indulgentias quascumque conferat abstinere debet. Ita ex Decretis S. C. *De Syn. Diœces. l.* 2. *c.* 9. §. 6.

Pro lucranda Indulgentia non sufficit opera injuncta præstare, ad quæ alias quis tenetur alio titulo, puta justitiæ &c. ENCYCL. *De Quæ. in Jub. excit.* §. 4. *Bull. T. III. n.* 21.

Indulgentiæ a Pontifice concessæ iis, qui eum confessione, & communione Ecclesiam aliquam visitant, non exigunt, ut Ecclesia visitetur post confessionem & communionem; sed sufficit, ut si visitetur ante statum gratiæ, dispositio tamen habeatur eadem die confitendi, & communicandi ut ex pluribus Theologis firmatur. *Instit. Eccles.* 48. §. 10.

Si quis pluries intra eandem diem Ecclesiam aliquam visitaverit, in qua est indulgentia, non ideo pluries indulgentiam acquirit juxta Decr. S. C. sub. Innoc XI. *die* 7. *Mart.* 1678. *in Declaratione Quæst. pro Jub. Acquisit.* INTER PRÆCIPUOS. *Bull. Tom. II. n.* 21.

Indulgentiæ concessæ Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis Sæcularis de Pœnitentia S. Francisci, sive collegialiter viventibus, sive in domibus privatis, reformavit Pontifex, & singulas numeravit, cæteris omnibus revocatis in Bulla de nova concessione ejusmodi indulgentiarum. *Bull. T. III. n.* 41. AD ROM. PONTIF. Sunt autem ejusmodi. Indulgentia plenaria confessis, & sacra Eucharistia refectis ea die, qua in Ordinem ingrediuntur.

Item plenaria confessis, & communione refectis die Festa S. Francisci, die 4. Octobris, S. Claræ, Sancti titularis Ecclesiæ, Oratorii, vel Capellæ ejusdem Tertii Ordinis, die dedicationis S. Mariæ Angelorum de Portiuncula, dummodo Ecclesiam ipsam &c. devote visitaverint, & de more oraverint.

Indulgentia plenaria in articulo mortis constitutis confessis, & communione refectis, & ore, vel si non potuerunt ore, saltem corde nomen Jesu invocantibus.

Visitantibus Ecclesiam Tertii Ordinis, seu Oratorium; sive Capellam diebus stationum in Missali Romano descriptis, ibique orantibus de more, indulgentiæ illæ concedantur, quas prædictis diebus visitantes Ecclesias Urbis & extra eam, consequuntur.

Confessis, & sacra communione refectis in festo Stigmatum S. Francisci, S. Ludovici Galliarum Regis, S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ, itemque S. Elisabeth Hungariæ Reginæ, S. Margaritæ de Cortona, atque in duodecim aliis annis feriatis, vel Dominicis diebus ad libitum eligendis, & a superioribus Ordinis approbandis, & visitantibus ac orantibus, ut supra, qualibet earum dierum septem annorum, & totidem quadragenarum indulgentiæ.

Iti-

Itidem centum dies indulgentiarum lucrantur toties quoties interfuerint Missis, aut divinis Officiis in Ecclesia, ut supra celebrandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis Tertii ejusdem Ordinis ubivis faciendis; cum pauperes hospitio susceperint, pacem composuerint, vel procuraverint, corpora defunctorum quorumcumque ad sepulturam associaverint, aut Processiones de licentia Ordinarii faciendas, SS. Eucharistiæ Sacramentum tam in Processionibus, quam cum ad infirmos defertur, vel saltem si sint impediti ad signum campanæ orationem Dominicam, & Angelicam recitaverint. Item si quinquies Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, sive pro Ecclesiæ necessitatibus, sive pro defunctis fratribus, & sororibus recitaverint. Item si peccantem ad pœnitentiam redegerint, doctrinam Christianam rudes docuerint. Tandem quoties opus aliud pietatis, vel charitatis exercuerint.

Indulgentiæ pro fratribus Tertii Ordinis S. Francisci de Paula conceduntur a Pontifice instar fere indulgentiarum pro illis, qui Tertium Ordinem S. Francisci de Assisio profitentur, excepto quod indulgentiam plenariam consequuntur in festo S. Francisci de Paula, S. Francisci Salesii, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, & in festo omnium Sanctorum, si visitaverint Ecclesiam aliquam Ordinis, si ibi sit, & in defectu unam aliquam Civitatis, vel loci ubi degunt. Cæteræ indulgeniiæ eædem omnino sunt ac superiores pro Tertiaris S. Francisci Assisiensis. Quoad Cordigeros Sancti Francisci de Paula cingulum tantummodo benedictum ab aliquo fratre ejus Ordinis, vel ab alio deputato a superioribus ejusdem Ordinis deferentes, die, qua cingulum assumunt confessi, & sacra communione refecti plenariam indulgentiam consequuntur, sicut & plenariam in Festo S. Francisci de Paula, visitantes ut supra; ac denique plenariam in articulo mortis, eo modo quo Tertiarii S. Francisci Assisiensis. Quotidianam etiam indulgentiam centum dierum consequuntur si in honorem Domini Jesu Christi, & SS. Apostolorum preces effuderint. Denique Cordigerii illi, sicut & Tertiarii pro quolibet bono opere sexaginta dierum indulgentiam consequuntur, in quo differunt a Tertiaris S. Francisci Assisiensis; qui centum dies lucrantur. Easdem omnes indulgentias applicare pro defunctis possunt. Bulla pro indulgentiis Tertiariorum Sancti Francisci de Paula *inexhausti Bull. Tom. III. n.* 56.

Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis ab Episcopo per benedictionem impertiendæ. V. *Episcopus*.

Docentes rudes homines publice, vel privatim orationis mentalis regulas, & modum, itemque qui publice docentes auscultaverint, dummodo vere pœnitentes, ac sacra communione refecti toties quoties lucrantur septem annos, & totidem quadragenas de vera indulgentia. Item si assidue eo convenerint; semel in mense, vere pœnitentes, & sacra communione refecti, orantesque pro more indulgentiis consueto, indulgentiam plenariam, defunctis etiam applicandam, lucrantur, quam pariter ita obtinent ii, qui toto mense, unico saltem horæ quadrante singulis diebus orationi mentali dant operam, dummodo vere pœnitentes, & confessi, Eucharistiam sumpserint, & orent pro concordia &c. Concedente hæc omnia Pontifice in Bulla QUEMADMODUM. *Bull. Tom. II. n.* 23. *pag.* 161.

De validitate indulgentiæ Portiunculæ, ejusque extensione ad omnes alias Ecclesias Ordinis S. Francisci ambigi non potest; nullo licet extante authentico documento, scientibus, & non contradicentibus Romanis Pontificibus. *De Synod. Diœc. l.* 13. *c.* 18. §. 5. *nov. edit.*

Item nec de indulgentiis Ecclesiæ Lateranensis, quas approbavit, & ex integro concessit Benedictus XIV. in Bulla ASSIDUÆ SOLLICITUDINIS. *ibid.*

Indulgentias *in forma Jubilæi* concessa abrogavit Clemens VIII. aliique quidam Pontifices; quare si forte agatur de aliqua ejusdem tenoris indulgentia videndum erit, num post ea Decreta concessum fuerit, ut ex Tractatu de indulgentis P. Theodori, *part.* 2. *c.* 4. §. 2. *ibid.* §. 9.

Clemens XII. in suo Brevi dato *die* 14. *Aug.* 1736. Indulgentiam plenariam, die ad libitum quotannis eligendo, concessit iis, qui anno integro ad pulsum campanæ sub horam noctis recitaverit Ps. *De Profundis*, vel semel Orationem Dominicalem, & Salutationem Angelicam, cum versiculo *Requiem* in suffragium defunctorum; dummodo ea die confessi, & communione refecti preces pias effuderint pro consueto more. Singulis vero diebus toties quoties easdem orationes ad signum campanulæ recitantes centum indulgentiarum dies consequuntur. *Instit. Eccles.* 61. §. 5.

INFIDELITAS

Signa protestativa infidelitatis hæc indicat Pontifex in suis Decretis pro incolis Regni Serviæ, incipientibus INTER OMNIGENAS *Bull. Tom. I. n.* 89. Nomina Turcica assumere, infidelium templa, scilicet Moschœas frequentare, Jejuniorum dies per carnium esum profanare ad effectum, ut Mahumethani credantur. Damnat etiam peccati illos qui ex hac vita migraturi cadavera sua Turcarum sepulturæ demandarent, cum istorum assistentia & Mahumeticis adhibitis ritibus.

INTERDICTI

Interdicti ab ingressu Ecclesiæ assistere non possunt Missæ; & divinis Officiis; neque coram illis potest Missa celebrari in Ecclesia. Spectat vero ad ministros Ecclesiæ illos ejicere; si tamen vis adhibenda sit cum scandalo, vel etiam frustra, tunc ex Suarez docetur Missam jam incœptam non esse omittendam. *Inst. Eccl.* 55. *n.* 11.

Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, utrum eam ingredi possint ad orandum tantummodo, quæstio est anceps inter DD. *ibid.*

Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ob transgressionem præcepti de communione Paschali, si contumaces se præbuerint, ab Episcopo excommunicatione plecti possunt, ut ex DD. firmatur. *Instit. Eccles.* 55. §. 11.

IRREGULARITAS

Major Pœnitentiarius in casibus occultis, & pro foro conscientiæ tantum dispensat in irregularitate ex quocumque delicto, vel defectu proveniente, tam cum laicis, quam cum Ecclesiasticis, vel sæcularibus, vel regularibus ad hoc ut possint initiari Ordinibus, vel in susceptis ministrare, ad superiores gradus ascendere, ac dignitates, etiam Cathedralis, & quæumque beneficia Ecclesiastica quandocumque ante dispensationes alioquin canonice obtentas retinere; nec non ut hujusmodi beneficia & dignitates (exceptis quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu, Ecclesiis Cathedralibus & Metropolitanis) etiam post delictum assequi valeant. Bulla *Pastor Bonus*, *Bullar. Tom. I. n.* 95. §. 15.

Ubi additur in irregularitatibus quoad regulares ita dispensari posse, ut ad quæcumque officia & beneficia regularia ascendere valeant, excepto tamen Ordinis *Generalatu* in irregularitate ex defectu natalium. *ibid.* §. 31. Ea vero dispensatio conceditur tantum in foro conscientiæ, in casibus occultis, in publicis vero in utroque foro, auditis tamen superioribus. *ibid.* §. 32.

Clericus militiæ nomen dans ipso facto privatur beneficio, & pensione, ut ex Decis. Rotæ Romanæ. *Inst. Eccles.* 101. §. 18. Quoad hanc irregularitatem hæc accipe. Clericus in sacris constitutus militans, & arma ferens in servitium alicujus laici Principis, si expeditionibus bellicis interfuerit, in quibus homicidia, furta, rapinæ, incendia secuta fuerint, multo probabilius est incidisse in irregularitatem, licet moraliter certus sit, se neminem mutilasse, vel occidisse, ut ex Decr. S. C. in Ipren. *Irregularitatis* erui posse videtur. *ibid.* §. 10.

Idem forte affirmari potest de Clerico in minoribus beneficiato; cum ea quæ vetantur ordinatis in sacris etiam beneficiatos Clericos comprehendant. *ibid.* §. 23.

Clerici in minoribus, si militaverint in bello injusto, etsi

etsi ipsi neminem occiderint, vel mutilaverint, si tamen ala, in qua militant, homicidia commiserit, seu mutilaverit, inducit in eos Clericos irregularitatem: in eo enim casu Clericus fuit unum corpus cum sociis, & ulterius dat operam rei illicitæ. *ibid.* §. 8.

Porro si ille militavarit sub suo Principe, nec certo sciverit bellum esse injustum, non tenetur per se indagare, num justum sit necne, sed potest credere bellum esse justum. *ibid.* §. 17. Idem probabiliter dici potest de Clerico militante sub alieno Principe, quia impossibile esset illi indagare, num sit bellum istud justum, injustumve. *ibid.* §. 17.

Si vero bellum esset justum, Clericus militans, si certus sit moraliter se neminem occidisse, vel mutilasse, etiamsi hoc factum fuerit a sociis, non incidit in irregularitatem, ut ex *cap. Petitio de homicidio volantario*. *ibid.* §. 10.

Demum si bellum sit justum, & defensivum, si Clericus jussus est arma capere, nec sufficiant ad defensionem laici, non incidit in irregularitatem etiamsi occiderit. *ibid.* §. 9.

Illegitimi sunt irregulares ex defectu, adeoque Ordinum, & beneficii incapaces; attamen pro minoribus Ordinibus, & beneficiis non habentibus annexam animarum curam, potest Episcopus cum illis dispensare; nonnisi vero Romanus Pontifex in aliis omnibus, ut ex *cap. Is qui, de filiis Presbyter. in* 6. *De Syn. Diœc. lib.* 13. *c.* 24. §. 11. *nov. edit.*

Filii illegitimi Clericorum consequi non possunt beneficia, & pensiones in Ecclesiis, in quibus parentes eorum obtinuerunt aliquod beneficium, licet dissimile, neque in eisdem Ecclesiis ministrare; neque tandem pensionem ullam habere super fructibus beneficiorum, quæ ab eorum parentibus possessa sunt, ex Tridentino *Sess.* 25. *cap.* 15. *de Ref.* Sicut & nullæ sunt reciprocæ resignationes a parentibus Clericis in favorem filiorum suorum factæ, ita ut ipsis filiis minime suffragentur. *De Synod. Diœces. lib.* 13. *cap.* 24. §. 13. *nov. edit.* Quin nec filius illegitimus Parochi jam defuncti munus Confessarii obire potest in ea Ecclesia, quam pater Parochus obtinuit, ut ex verbis Congregationis vetantis ne filii illi in ea Ecclesia *quoquo modo ministrent*, & ex responso S. Congreg. habetur. *ibid.* §. 14.

Vicissim autem, si pater in aliqua Ecclesia munus gessit Capellani ad nutum amovibilis, potest ejus filius illegitimus idem munus ibidem obire; non enim est hoc beneficium seu pensio, ut ex responsione S. C. *ibid.*

Si vero pater dignitatem in Ecclesia aliqua obtinuit, filius titulo Missæ semper in eadem celebratæ non potest fieri particeps emolumentorum quæ Sacerdotes post certum servitii tempus obtinere ibi consueverant, ut ex responso S. Congreg. *ibid.*

Si Patronus beneficii Rectorem interfecerit, ejus filii, & descendentes usque ad quartum gradum fiunt irregulares, ex *cap. In quibusdam de pœnis;* intellige tamen de filiis natis post homicidium, non vero ante; quæ est interpretatio ab ipsa etiam S. Congregatione admissa. *ib.* §. 21. & ipse, ac reliqui ad patronatum vocati ab eo jure cadant. *ibid.*

Si pater in hæresim inciderit, etiam filius erit irregularis, ex *cap. Quicunque*, & *cap. Statuit de Hæretic. in* 6. At relicta a patre hæresi non quidem ejus, sed filii irregularitas solvitur, ut ex responsis S. C. *ibid.*

In dispensationibus, quæ dantur pro irregularitate filiorum illegitime natorum, apponi solet clausula: *dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit;* ex quo fit, ut Episcopus debeat inquirere in illum, & quærere nunquid per decennium moribus integrum se præbuerit; & si toto decennio nihil indignum admisisse comperit, potest cum illo executioni mandare dispensationem, etiamsi ante decennium incontinentiæ nomine suspectus fuisset, ut ex Decretis S. C. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 24. §. 22. *nov. edit.*

JUBILÆUM

In Jubilæo anni 1750. Benedictus XIV. suspendit toto eo anno indulgentias omnes etiam non plenarias; exceptis indulgentiis alias concessis in articulo mortis, tam illis quas ex concessione Apostolica impertiuntur Episcopi, quam aliis quibuscunque communiter, aut personaliter concessis pro eodem articulo: item aliis, quas lucrantur fideles recitantes salutationem Angelicam ad sonum campanæ. Item excepta indulgentia septem annorum, & totidem quadragenarum toties quoties, quas ex concessione Bened. XIII. durante præterito anno Jubilæi sacramentaliter confessi, & sacra communione refecti, vel saltem vere contriti visitaverint Ecclesias, in quibus expositum est Sacramentum Eucharisticum, & oraverint de more. Item illis, quas concessit Innocentius XII. comitantibus, seu mittentibus facem cum Sacramentum Eucharistiæ ad infirmos defertur. Illis quoque quas concedunt Legati de latere, & Nuncii Apostolici, ac Episcopi in usu Pontificalium, aut in benedictione impertienda. Item perseverare concedit indulgentias altarium privilegiatorum pro defunctis, pro quibus etiam valere statuit alias quascunque indulgentias pro vivis concessas, adeo ut pro defunctis acquiri possint, etiamsi in brevibus earum extensio ad defunctos expressa non fuerit.

Suspendit etiam toto eo anno facultates omnes absolvendi a casibus Apostolicæ Sedi reservatis, relaxandi censuras, commutandi, & dispensandi vota, & tollendi irregularitates alias concessas Ecclesiis, Monasteriis &c. piisque locis, magistris, superioribus, tam sæcularibus, quam mendicantibus, adeo ut etiam toto eo anno nec valeant largiri indulgentias, quas solebant coronis, granis, imaginibus, & numismatibus ex metallo &c. Vide Bullam CUM NOS *Bull. Tom. III. n.* 18. Excepit tamen facultas Episcoporum, & cæterorum supremorum Antistitum quoad Diœcesanos in iis quæ obtinent ex vi Tridentini, & Pontificum concessione in ordine, ad dispensandum, & absolvendum, quod etiam extendit ad Prælatos regulares erga Regulares subditos.

Quoad opera præscripta in hoc Jubilæo mentem suam ita exponit Pontifex in sua Encyclica IN HAC CONSTITUTIONE, *Bull. Tom. III. n.* 21. Pro sacra communione accipere se dicit non sacramentalem tantummodo, sed sacramentalem simul, & spiritualem.

Confessionem sacramentalem inter opera injuncta reponit, adeo ut necessaria prorsus sit, etiamsi peccato gravi quis careat.

Diem, intra quem Basilicarum visitatio compleri debet, liberum est incipere, sive a vesperis diei præcedentis usque ad vespertina crepuscula sequentis diei, sive a media nocte usque ad mediam noctem.

Qui iter Romanum susceperunt, vel qui pervenerunt Romam, & subita impedimenti, vel mortis incursione opera injuncta præstare non valuerunt: confessione expiati, & sacra communione refecti Jubilæum lucrantur.

Facultates absolvendi a reservatis, & dispensandi, omnes se suspendisse declarat, sive quæ quorundam indulgentiarum occasione conceduntur, sive quæ alia de causa collatæ sunt.

Regularium Confessiones excipere possunt Romæ Pœnitentiarii Basilicarum, licet alias obstent eorundem Regularium Constitutiones, vel Privilegia a S. Sede approbata.

Minores Pœnitentiarii Romæ commutare possunt dispensando non solum vota nuda, sed & quæ confirmata sunt juramento.

Item absolvere possunt Sacerdotes reos censurarum, & dispensare in irregularitate contracta ob violationem censurarum tantummodo; quod & præstare possunt cum aliis etiam Clericis non Sacerdotibus.

Si quis est dispensatus a visitatione Basilicarum, non continuo est dispensatus ab aliis operibus injunctis, neque etiam a precibus, *quæ a Basilicarum visitatione separari possunt*. Nec sufficiunt ea opera injuncta, quæ quis ex alio titulo præstare alias tenetur, puta, titulo justitiæ.

Con-

Confessarius neque in Jubilæo potest absolvere illum, qui secum fuit reus criminis in re venerea.

Concessis sibi facultatibus, uti nequeunt Pœnitentiarii extra Basilicas, seu Ecclesias sibi assignatas; nec nisi in Actu Confessionis, neque cum iis, quibus sincera voluntas Jubilæi acquirendi deest. Quos tamen absolvunt, illis pœnitentiam sacramentalem imponere debent diversam ab operibus pro lucrando Jubilæo.

In censuris absolvendis præmitti, vel saltem promitti cum juramento debet satisfactio parti læsæ. Læsa vero pars non est judex, sed ille, qui damnum passus est.

In Constitutionibus Jubilæi alia opera præscribuntur Romanis, vel Urbis incolis; alia peregrinis. Priori nomine designantur illi, qui intra quintum ab Urbe lapidem habitant: sicut & incolæ Urbis dicuntur, qui Romam advenerunt animo ibi majorem anni partem transigendi; sicut & intra eorum numerum comprehendi vult Pontifex, qui alia quam Jubilæi consequendi causa Romam advenerint. Cæteri omnes peregrini, aut exteri ad hunc effectum vocantur.

Censet Pontifex valere communem opinionem Theologorum; quæ non obligat præmitti confessionem ad opera præscripta; sufficere enim ad lucrandam indulgentiam credit, si postremum opus fiat in gratia.

Si quis confiteatur, deinde ante completa opera recidat in lethale peccatum, non sufficere illi vult si conteratur, & sic contritus opera perficiat. Vult igitur, ut quamvis non teneatur præstitas visitationes repetere, debeat iterare confessionem, idemque ab eo præstandum esse dicit, qui in priori confessione invincibiliter oblitus sit subjicere clavibus peccatum aliquod mortale.

Puberes, qui de jure incapaces censentur communionis, dispensari permittit, commutatione facta in aliud opus.

Ad indulgentiam lucrandam non requiritur, ut per Portam sanctam quis ingrediatur, & egrediatur.

Si quis visitationes aliquas Basilicarum præmisit, dein per indultum, quod emitti solet intra spatium Anni sancti, quo visitationes ad minorem numerum rediguntur, potest computare visitationes præcedentes, & indulto uti; sicut etiam eadem indulgentia utendum cum illis, qui ante indultum, numerum totum implessent visitationum, ab indulto dein emanato præscriptarum.

Mentem esse suam dicit, ut vocalis fiat oratio in Basilicis, nec sufficere si mente tantum oretur.

Si quis intra annum pluries opera injuncta repetierit, acquirere denuo potest indulgentiam; sed alios fervores & gratias, quibus prima vice factus est particeps, iterum consequi minime potest; puta iterum absolvi a reservatis, aut novorum votorum commutationem obtinere.

Quamquam concessa sit Pœnitentiariis minoribus, & Confessariis, a Cardinali Vicario Romæ deputatis, facultas absolvendi a peccatis reservatis in Bulla Cœnæ, non ideo tamen in ea facultate generali data est facultas absolvendi ab hæresi externa.

Declaravit insuper in sua Constitutione, quæ incipit CONVOCATIS *n.* 54. illum, qui ex intentione recipiendi Jubilæum, absolutionem a censuris, & votorum commutationem obtinuit, si postea mutata intentione, Jubilæum non recepit, non ideo incurrere iterum in censuram, & votis prioribus obstringi; sed inclicat in sententiam, ut reus habeatur peccati mortalis qui ita voluntatem suam mutat, censet enim hic quendam tacitum contractum celebrari, ut Confessarius ex sua parte illum participem reddat gratiarum Jubilæi, & ex parte altera pœnitens se obliget ad reliqua opera præstanda.

Præter Pœnitentiarios Basilicarum, & alios a Cardinali Vicario deputatos pro anno sancto, sunt etiam Romæ alii Confessarii ordinarii; ex quibus alii Regulares sunt; & ex Regularibus alii a suis Superioribus destinantur ad suos conregulares auscultandos in Confessione; alii vero Regulares a Cardinali Vicario pro excipiendis sæcularium Confessionibus approbantur. In postremo a Cardinali Vicario approbatis respectu suorum conregularium concessæ sunt facultates, quæ dantur Confessariis sæcularium, adjecta insuper illis facultate dispensandi ab irregularitate ob violationem censurarum incursa, dummodo sit occulta; quæ tamen facultas non suppetit illis Regularibus; qui tantum a Superiore suo deputati sunt.

Qui vero a Cardinali Vicario consuetam facultatem habent audiendi Confessionem, nec sunt specialiter deputati pro anno sancto; illis eadem facultas quoad sæculares remanet, quam prius obtinebant, neque enim suspensio facultatum, quæ fit in anno Jubilæi, Confessarios Urbis Romæ comprehendit: quod habet locum etiam in Regularibus.

Hæc omnia Pontifex late explicat, & exponit in sua Encyclica ad Pœnitentiarios, & Confessarios Urbis INTER PRÆTERITAS *Bullar. Tom. III. n.* 21. Ad hanc Encyclicam recurrendum edicit Pontifex in altera Encyclica CELEBRATIONE MAGNI pro extensione Jubilæi ad universum Orbem, *Bullar. Tom. III. n.* 21.

In altera Bulla, quæ continetur in *Bull. Tom. III. n.* 24. conceditur infirmis utriusque sexus, Monialibus, Oblatis, Tertiariis in communitate viventibus, novitiis, & educandis, in eisdem communitatibus degentibus; item anachoretis, & eremitis, viventibus cum clausura, & solitudine sub regimine saltem Ordinariorum; item captivis, & carceratis quocumque in carcere; denique infirmis tam sæcularibus, quam regularibus, senibus ultra septuagesimum annum, ut possint bis lucrari indulgentiam, dummodo Episcopi, & Superiores commutent illis opera injuncta. Insuper concedit Monialibus, etiam novitiis, ut possint pro prima vice duntaxat ad effectus Jubilæi consequendi eligere sibi Confessarios, seu regulares, seu Presbyteros sæculares ex approbatis ab Ordinariis ad audiendas Moniales. Anachoretis vero, Oblatis, Tertiariis, mulieribus etiam in Conservatoriis degentibus, captivis in carcere detentis, infirmitate, ac senectute impeditis omnibus etiam Regularibus facultas datur ad hunc effectum, ut possint sibi eligere in Confessarium, sive Presbyteros sæculares, sive regulares cujuscumque Ordinis ad Confessiones sæcularium audiendas approbatos; a quibus absolvi possunt a reservatis etiam Apostolicæ Sedi, & in Bulla Cœnæ. Vult tamen, ut in carcere detenti, quorum criminales causæ nondum conclusæ sunt, moneantur de obligatione, qua tenentur, Judicibus sæcularibus juridice interrogantibus veritatem aperire.

Vult etiam ut Confessarii illi a Monialibus, Oblatis, aliisque puellis supradictis electi, possint dispensare in votis a Monialibus emissis post professionem, quorum observantia cum professione religiosa componi potest. Quoad vero novitias educandas, sicut & quoad tertiarias, & in conservatoriis degentes concedit, ut possint Confessarii dispensare vota, etiam jurata, exceptis Apostolicæ Sedi reservatis.

Alia etiam Bulla, quæ incipit PASTORIS ÆTERNI *Bull. Tom. III. n.* 24. concedit apostatis, & fugitivis cujuscumque Ordinis, qui citra montes intra quatuor, & ultra montes intra octo menses a publicatione (publicata est die 19. Januarii 1750.) ejusdem Bullæ redierint ad suam Religionem, remissionem omnium pœnarum propter apostasiam incursarum, & infligendarum, & insuper impunitatem, dummodo coram superiore suo culpam deprecentur, & ab eo absolutionem obtineant.

Jubilæi extensio per universum Orbem ita facta est. Intra sex menses a publicatione Bullæ suæ incipientis BENEDICTUS DEUS *Bullar. Tom. III. n.* 17. a publicatione, inquam, in qualibet Ecclesia faciunda concedit Pontifex Jubilæum instar Romani; quod obtineri etiam ab iis possit, qui anno præcedenti jam Romæ illud lucrati fuerant.

Deputandam vero edicit ab Ordinariis locorum Ecclesiam Cathedralem, seu majorem ejusdem civitatis cum aliis tribus ejusdem civitatis, seu loci, sive suburbiorum, quas teneantur fideles semel saltem in die per quindecim dies continuos, vel interpolatos visitare, die incœpta a primis vesperis diei præcedentis usque ad vespertinum crepusculum diei sequentis, ubi orent modo consueto.

Navigantes, & iter agentes etsi redierint elapso Jubilæi ter-

termino ad sua domicilia, seu alio diverterint ad certam stationem, si visitaverint assignatis vicibus Ecclesiam Cathedralem, vel majorem, & confessionem, ac sacram communionem exceperint, eamdem indulgentiam consequantur.

Concedit etiam impeditis, ut pro visitationibus alia opera præstanda designentur a superioribus suis per se, vel per prudentes Confessarios. Communionem etiam Sacramentalem permittit commutari cum pueris nondum admissis ad communionem.

Cum Communitatibus vero tam regularium, quam secularium, Capitulis, Congregationibus, Sodalitatibus, Universitatibus, Collegiis processionaliter visitantibus Ecclesiam, visitationum hujusmodi numerum restringi permittit.

Quoad Moniales, & novitias concedit, ut eligere sibi possint ad hunc effectum Confessarium quemcumque ex approbatis ad Moniales ab Ordinario actuali loci.

Quoad cæteros omnes etiam Regulares concedit, ut possint sibi eligere quemcumque Confessarium tam regularem quam sæcularem ab actuali Ordinario loci approbatum, quo absolvi possint in foro conscientiæ ab omnibus censuris a jure, vel ab homine latis, etiam Apostolicæ Sedi reservatis, etiam in Bulla Cœnæ, & commutari eorum vota etiam jurata, & Apostolicæ Sedi reservata, excepto voto castitatis, & Religionis, & iis, quibus jus tertio acquisitum est, & dispensare quoad irregularitatem, eam solummodo quæ contracta est ob censurarum violationem. Reservat vero de more absolutionem complicis in re venerea. Ac tandem declarat eum, qui prædictis facultatibus compos voti factus fuerit, si dein mutet voluntatem lucrandi Jubilæum, non ideo incidere in priores censuras, seu votis astringi, quamquam *a peccati reatu vix immunem censeri posse* judicat. Tandem eos qui morte præventi visitationum numerum complere nequiverint, confessos, & sacra Communione refectos indulgentia eadem donat.

Absolutio ab hæresi etiamsi expresse non reservetur in Bullis Jubilæi, adhuc tamen non censetur permissa, etiamsi Bulla absolutionem a criminibus in Bulla Cœnæ expressis in genere permittat ut decrevit sacra Congregatio S. Officii die 23. Martii 1656. sub Alexandro VII. *Institut. Eccles.* 48. §. 15.

In Jubilæo Confessarii ab Ordinario alterius loci approbati nullam habent facultatem absolvendi. Sicut nec habent illi, qui ab Ordinario loci semel quidem illam obtinuerunt; sed modo cessavit. Ita ex pluribus Decr. Sacr. Congr. *Instit. Eccles.* 84. §. 27. Ubi tamen ex sensu ejusdem Congregationis additur, fideles sic bona fide ab ejusmodi Confessariis absolutos non esse inquietandos. *ib.* §. 27.

J U D Æ I

Si Judæus conjugatus ad fidem venerit, uxore in infidelitate perseverante, non potest illi libellum repudii mittere, etiam extra Judæorum domicilium, & coram Notario, testibusque Christianis. Sanctioni huic contravenientes si forte repudium confecerint intra Judæorum domicilium, & ritibus superstitiosis adhibitis, subjacent eisdem pœnis ac Judaizantes; mitioribus tamen puniendus est qui id confecerit extra Judæorum domicilium. Puniuntur pœna pecuniaria Notarii Christiani. Ita in Constitutione APOSTOLICI MINISTERII Bull. *Tom.* 2. *n.* 38. Ubi edicitur etiam, ne uxor Hebræa ad fidem conversa libellum repudii mittat viro in Judaismo perseveranti.

Christianis vetitum est sub excommunicatione, cum Hebræis cohabitare, ex Cap. 5. *de Judæis*. De Syn. Diœc. *Lib.* 6. *Cap.* 4. §. 2. sicut nec accepta mercede servitium illis assiduum impendere. *ibid.*

Hebræi ad fidem conversi suis bonis privandi non sunt, nec a successione, & parentum hæreditate excludendi, ut ex Bulla Clementis XI. PROPAGANDÆ. *ibid.*

Descendentes a Judæis, nisi aliter cautum fuerit in beneficiorum fundatione, vel nisi aliter Summus Pontifex statuerit, arceri non possunt etiam ex Constitutionibus privatarum Ecclesiarum, a consecutione beneficiorum, ut ex Cap. *Eam te, de rescriptis*. Idem pariter dicendum de illis, qui ex infidelibus descendunt. De *Synod. Diœc. Lib.* 7. *Cap.* 75. §. 4. & 5. Idem etiam dicendum de Ordinibus sacris. *ibid.* §. 5.

JUDICES SYNODALES

Synodales Judices, quibus a Romana Curia committuntur judicandæ causæ in partibus a Curia remotis, designari debent personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, quæ sive Personatum, sive Canonicatum in aliqua Cathedrali ecclesia obtineant. Hi vero designandi sunt ab Episcopis in Synodis; & si aliqui ante novarum Synodorum celebrationem obierint, substitui alii possunt etiam extra Synodum ab Episcopo cum consensu Capituli usque ad novam Synodum perseveraturi. Designatorum vero sive in Synodis, sive extra nomina Secretario supplicum Libellorum Pontificis deferantur. Designentur vero saltem quatuor in quacumque Diœcesi, vel plures si amplitudo ejusdem postulet. Constit. QUAMVIS PATERNÆ. Bull. *Tom. I. Const.* 28.

JURISDICTIO

Inferior Prælatus ad hoc ut territorium separatum, & jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem in Clerum, & populum obtineat, cum ipsius Episcopi exclusione, non juvatur per quadragenariam præscriptionem cum titulo colorato, sed requiritur clarum, & subsistens Apostolicum privilegium, aut consuetudo immemorabilis rite probata per quam privilegium illud de jure valeat præsumi; quæ fuit olim decisio S. Congreg. Conc. *die* 7. *Januarii* 1721. dein approbata a Clemente XI. *die* 13. *Januarii*, & confirmata a Bened. XIV. in suo Bull. *Tom. II. Constit.* 33. Tunc autem dicetur consuetudo rite inducta, dum in aliquo loco ab immemorabili tempore inferior Prælatus omnem omnino jurisdictionalium actuum speciem ita solus exhibuerit, ut Episcopus, in cujus Diœcesi locus situs est, toto eo tempore nullam in his partem habuerit, nec in iis se unquam miscuerit. *De Syn. Diœc. Lib.* 3. *Cap.* 8. §. 18. & 33. *nov. edit.*

Episcopi, licet habeant Capitula quantumcumque exempta, possunt per seipsos sine adjunctis de Capitulo visitare Ecclesiam, Canonicos, & Beneficiatos, ut decisum a S. Congregatione Concilii in quadam causa Zamorensi, quamvis non potest committere hoc munus alteri. De *Synod. Diœc. l.* 13. *c.* 9. §. 6. *nov. edit.*

Si tamen extra visitationem velit contra Canonicum procedere, tenetur duos ex Capitulo Canonicos adjunctos habere, a Capitulo anno quolibet ineunte designandos, qui tamen duo Canonici constituunt unum tantummodo suffragium; & si ambo conveniant in sententiam Episcopo contrariam, tunc ad tertii electionem procedendum est, juxta formulam a Trid. *Sess.* 25. *c.* 6. *de Ref.* præscriptam. Ita ex pluribus Decretis S. Congregationis Concilii, & ex collatione duorum locorum Tridentini, altero in *Sess.* 5. *c.* 4. altero *in Sess.* 25. *c.* 4. De Synod. Diœc. *Lib.* 13. *c.* 9. *nov. edit.*

L E G I T I M A T I O

Per sequens Matrimonium non legitimari prolem, quando copula habita est inter impeditos, & proles nata est eodem impedimento perseverante, communis est sententia. Si vero constet prolem natam esse sublato impedimento, dubitetur vero num concepta sit eodem impedimento perseverante, tunc in favorem prolis judicium ferendum est. Epistola ad Archiepiscopum Hispaniolæ Bull. *Tom. I. n.* 113. REDDITE NOBIS.

LEX ECCLESIASTICA.

Legi Episcopali, vel Synodali non tenentur illi, qui in Diœcesi quidem degunt, sed extra Diœcesim abeunt mox rediturí, si interim extra fines Diœceseos aliquid agant contra illam legem, quia lex per se, & immediate territorium respicit. Verum si quis e Diœcesi se absentet animo declinandi synodale statutum, fraudem illi patrocinium præstare non est æquum; quare tunc peccat contra eandem legem. Ita Clemens X. in Constit. *Superna* edixit, pœnitentes recedentes a territorio in fraudem non esse absolvendos a reservatis sui territorii. *De Syn. Diœc. Lib.* 6. *Cap.* 8. §. 10.

Lex ab Episcopo lata extra Synodum, audito tamen consilio Capituli longe probabilius perseverat etiam post obitum ejusdem Episcopi; neque enim habet quod diversum a lege in Synodo lata, quam etiam defuncto Episcopo perseverare satis constat. *De Syn. Diœc. l.* 8. *c.* 5. §. 1.

Lex Synodalis si non acceptetur a populo, quamvis peccent non acceptantes, tamen si id sciat superior post paucos actus ab eo neglectos, & non punitos, ligare desinit ex quadam ejus conniventia. *De Syn. Diœc. Lib.* 8. *Cap.* 5. §. 3. Si vero id nesciat Episcopus, tunc decennium sufficere censetur. Hoc enim sufficit, ut consuetudo longi temporis dicatur. *ibid. Lib.* 8. *Cap.* 5. §. 3.

Si vero jam acceptata sit, præscriptio contra illam inducitur per decennium: neque enim agitur de præscriptione, qua aliquod jus proprietatis ab Ecclesia auferatur, quæ præscriptio annos quadraginta exigit. Requiritur tamen, ut a majori communitatis parte libere sit inducta, continuis actibus frequentata, animo legem tollendi, & adsit consensus legislatoris juridicus saltem, & legalis, qualem scilicet leges requirunt. *De Synod. Diœc. lib.* 8. *cap.* 5. §. 5.

Lex Synodi Diœcesanæ obligans totam Provinciam, si obtinuerit confirmationem a Sede Apostolica in forma communi, ut plerumque fit, quæque his verbis concipi solet: *Si juste, canonice, ac provide facta sunt, & dummodo sacris Canonibus, Concilii Tridentini Decretis, & Constitutionibus Apostolicis non adversentur*: tunc utique abrogari ab Episcopo potest, cum maneat lex ejusdem tantummodo. Si vero confirmatio fiat in forma specifica cum causæ cognitione, singulis statutis expensis, & in confirmatione addatur *ex motu proprio, atque ex certa scientia*, tunc utique fit lex Pontificis, in qua Episcopus dispensare non potest. *De Syn. Diœc. l.* 8. *c.* 5. §. 11.

MATRES.

An mater teneatur lactare proprium filium sub gravi culpa, Theologi quidam adfirmarunt, cum onus istud impositum ipsi a natura animadvertant, nec ulla sint bruta, quæ natis suis id non præstent, alii tamen melius culpam ea in re levem agnoscunt. Occurrere tamen plures legitimas causas eximendi ab hoc onere matres ultro fatendum. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 58. §. 11.

MATRIMONIUM.

Parochus per se assistere Matrimonio tenetur, nisi legitima, gravissimaque de causa impeditus. In Encyclica ad Episcopos Poloniæ NIMIAM LICENTIAM. Bullar. *Tom.* 1. *n.* 90.

Abstinendum Pontifex ab ea censet quæstione inter Theologos agitata, num Parochus sit hujus Sacramenti Minister, seu potius ipsi contrahentes simul materia, forma, & ministri hujus Sacramenti habeantur. Utriusque sententiæ fundamenta late exposita videnda sunt in *Syn. Diœc. Lib.* 7. *c.* 28. Quanquam non obscure inclinare visus est in sententiam, quæ contractus, & Sacramenti totum quidquid est contrahentibus vindicat. Merito tamen reprehendendi sunt illi, qui a contracturis Matrimonium non exigunt scientiam doctrinæ Christianæ, saltem eorum, quæ ad salutem necessaria sunt. Mandavit enim Clemens XI. & ipse etiam Benedictus XIV. in quadam Encyclica, quæ est in ejus Bullario *Tom.* 1. *n.* 42. ut Parochus ab inituris Matrimonium exquirat interrogando, quæ ad salutem necessaria sunt, & si deprehenderit ignorasse, Matrimonio jungendi non sunt. Monet insuper cum Giribaldo, illos, qui præcipua fidei mysteria sciunt, ea vero, quæ sunt necessitate præcepti rudi solum modo, tenent, illos quidem posse aliquandiu retineri a Matrimonio celebrando, atque interim Parochus illos diligenter doceat, & si deprehenderit rudiores esse ingenio, & exilis memoriæ, ut doctiores effici non valeant, tenetur tandem conjungere. *ibid. Cap.* 29.

Matrimonium coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus celebrari debet, quæ verba sunt Tridentini *de Ref. Matrim. Sess.* 24. *Cap.* 1. Reprehendendam vero censet Pontifex Episcoporum quorundam oscitantiam, qui in Synodis suis edixerunt celebrandum esse *coram legitimo ministro*, ex quo ansa data est Theologis nonnullis opinandi, sententiamque suam ex eorum mente, ut hi quidem arbitrantur, firmandi, Parochum esse legitimum Sacramenti Matrimonii ministrum.

Si Episcopus generatim interdicat Parocho, ne Matrimoniis adsistat, adhuc tamen Matrimonium valere definivit Sac. Congr. Conc. & firmat Pontifex *in Tr. de Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 68. §. 11.

Si vero interdictum istud venerit a Pontifice cum Decreto irritante, tunc utique non valet conjugium, cum Pontifex jure suo possit impedimenta constituere. Nisi tamen adsit huic interdicto Decretum irritans, Matrimonium valet; cum impedimentum illud impediens, non irritans censendum sit. *ibid.* §. 3.

Parochus coram quo celebrari potest Matrimonium est Parochus domicilii, non originis, ut ex consensu auctorum, & sensu S. Congregr. constat. *Instit. Eccl.* 33. §. 6. Quare si quis habeat duo domicilia in duplici Parœcia, in alterutra Matrimonio jungi potest: attamen ad habendum duplex domicilium requiritur, ut in utraque æqualem moraliter habitationem habeat. *Instit. Eccl.* 33. §. 6. Parochus ruralis, quo quis pergit ad rusticandum, non est aptus Matrimonio illius, qui ibi moratur causa recreationis, & ad rusticana negotia; ita enim perpetuo censuit S. Congreg. *ibid.* §. 7.

Nullum est Matrimonium ejus, qui e loco propriæ habitationis, non tamen deserto ibi domicilio pergit ad alium locum animo se conjungendi in Matrimonium, non adepto novo domicilio, seu quasi domicilio; ita ex sensu perpetuo S. Congreg. *ibid.* §. 8.

Vagorum Parochus quoad Matrimonium, est Parochus loci, ubi tunc versantur, ut ex sensu plurium Theologorum. *ibid.* §. 10.

Diligenter tamen distinguendi sunt vagi a peregrinis. Vagi sunt enim illi, qui relicto proprio domicilio, aliud quæsituri vagantur; peregrini vero qui non relicto domicilio, peregrinantur alicubi. *ib.* §. 10.

Scholares, Judices, Medici, &c. qui alicubi conducti habitant, in loco ejusdem habitationis contrahunt quasi domicilium, si ibi permaneant aliquo idoneo tempore. Ita ex DD. & Decr. S. Congregationis. *ibid.* §. 11.

Quoad Matrimonia eorum, qui in carcere adstricti detinentur, si detineantur in carcere ex sententia Judicis, sive deputati in perpetuum, sive ad certum tempus, respectu illorum, Parochus loci ubi carcer situs est, est Parochus Matrimonii. Si vero detineantur in carcere donec causa eorum expediatur, tunc Parochus eorum est ille, ubi habent domicilium. Ita ex sensu S. Congregationis, & DD. *ibid.* §. 12.

Parochus eorum, qui expositi sunt, & in hospitali aluntur, quoad Matrimonium non est capellanus ejusdem Hospitalis, sed Parochus, ubi situm est hospitale. Ut ex Decretis S. Congregationis. *ib.* §. 14.

Educandæ in Monasterio degentes habent pro Parocho Matrimonii illum, in cujus loco est domicilium paternum,

maternum, vel fraternum, ut ex multis Theologis. *ibid.* §. 16. Si eo careant est Parochus loci, ubi est Monasterium.

Famuli habentes domum, & familiam in alia Parœcia diversa ab ea, quam habet domus heri, Parochum Matrimonii habent illum, in quo est domus, e familia. Ita ex statutis Cleri Romani. *ib.* §. 20. disponitur. Si vero domicilium familiæ habent extra Urbem, & in Urbe famulatum, tunc coram Parocho urbano contrahunt. *Inst. Eccl.* 88. §. 5.

Si Episcopus mandet alicui Parocho, ut assistat matrimonio, reputans hunc esse verum Parochum alterutrius ex contrahentibus, & si postea reperiatur vere non esse Parochum illorum, adhuc tamen mandatum Episcopi valet, ut consensus iste sustineatur, ut semel, & iterum decisum a S. Congr. refertur. *Inst. Eccles.* 88. §. 4.

Matrimonium etiam bona fide contractum coram Parocho, & unico teste non valet, ut ex responso S. Congregationis Concilii constat. *De Syn. Diœc. l.* 12. *c.* 5. *nov. edit.* Vicissim valet contractum coram duobus testibus sine Parocho in loco, ubi non est nisi hæreticus, vel si est, illum adeundi libera potestas deest. *ibid.*

Parocho præsente, ita tamen ut neque videat contrahentes, neque auribus verba eorum percipiat, Matrimonium est nullum, uti definitum est a Sac. Congregatione Concilii post diligens examen in causa Romana *die* 7. *Martii* 1700. At si Parochus *affectaverit non intelligere* verba contrahentium, Matrimonium valere respondit alio decreto anni 1593. in causa Ulyssiponensi S. Congregatio. *De Syn. Diœc. l.* 23. *c.* 23. *nov. edit.*

Tunc vero *non audire affectat* Parochus, si invitus adhibetur ad contractus celebrationem, & data opera neque videre vult, neque percipere, cum tamen facile posset, & testes audierunt, & viderunt, quæ sane ratio fuit Decreti S. Congregationis *in Cartagin. Matrim.* anno 1753. lati pro similis Matrimonii validitate. *ibid.* §. 11.

Parochus, cui interdictum est ab Episcopo, ne interveniat Matrimonio contrahendo, adhuc tamen non reddit Matrimonium invalidum. Ita ex Decis. S. Congreg. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 23. §. 1. *nov. edit.* Idem dicas, si Ordinarius tantum vetet Vicario Parochi, ne assistat, ille contra mandatum assistat. Item pariter judicandum est, si vel Parochus, vel ejus Vicarius prohibiti ab Episcopo, nolentes & inviti assistere cogantur. *ibid.* ex eodem Decreto.

Matrimonio jungendi non sunt sponsi a Parocho, si comperiat illos ignorare necessaria ad salutem. Encyclica ETSI MINIME Bull. *Tom.* I. *n.* 42.

In impedimento disparitatis cultus animadvertendum est, conjugem, qui ad fidem transiit; altero in infidelitate relicto, teneri quidem admonere infidelem, num velit cohabitare absque contumelia Creatoris, & sine ista admonitione fidelis non potest ad secunda vota transire. Verum Pontifex cum neophytis baptizatis pii loci catechumenorum Venetiis dispensat, ut possint contrahere, etiam consensu alterius conjugis infidelis non requisito, dummodo constet summarie, & extrajudicialiter illum moneri minime posse, quamvis postea compertum sit infideles illos tempore secundi Matrimonii fidelis baptizati ad fidem fuisse conversos. Constitut. IN SUPREMA. Bull. *Tom.* I. *n.* 117.

Si infidelis conjux veniat ad fidem; & alter consentiat habitare cum illo absque injuria Creatoris, quamvis in infidelitate perseverare velit (quod judicandum pertinet ad Episcopum) tunc decrevit S. Congregatio, non posse conversum ad fidem aliam sibi conjugem adsciscere. At eo ipso quod alter velit in infidelitate perseverare, censent Theologi plures satis esse periculi in neophyto. Verum hujus dubii solutionem recte monet Cabassutius ex moribus regionum, & casuum circumstantiis pendere. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 21. §. 1. *nov. edit.*

Accidit ut infidelis plures uxores in infidelitate accipiat, tum veniat ad fidem, & fidem pariter una ex his uxoribus recipere sit parata, non tamen illa, quæ prior ducta est, quæ propter distantiam locorum, vel ignorando ubinam sit requiri judicialiter non possit. Demum post renovatum cum illa, quæ venit ad fidem, Matrimonium (quod fieri non potest absque renovatione consensus coram Parocho, & testibus, eo quod prior consensus in infidelitate datus fuerat nullus, propter Matrimonium prius cum altera celebratum), comparet uxor prior, & probat, se non fuisse præmonitam, vel fuisse impeditam, ut suam voluntatem manifestaret; nunc vero paratam se dicit ad fidem amplectendam, vel jam fuisse amplexam antequam conjugium neophyti cum neophyta celebraretur. In hoc rerum eventu S. Pius V. concessit Missionariis, ut cum Judæis baptizatis dispensare possent, ad effectum remanendi tanquam cum uxore legitima, cum ea uxore, quæ fuerit pariter baptizata. Eamdem dispensandi facultatem concessit Gregorius XIII. Episcopis, Parochis, & e Societate Jesu Presbyteris, ad sacramentales confessiones in iis Regionibus approbatis, quoad eos, qui ab Anglia Æthiopia, ac Brasilia, in captivitatem adducti, & in remotas regiones delati fuerant, ut non expectato, nec requisito consensu conjugis in infidelitate ducti, Matrimonium inire possint cum quocumque fideli, etiamsi conjuges infideles declarare possent se juste fuisse impeditos, ad manifestandam suam voluntatem, vel etiamsi probarent se fuisse conversos ad fidem tempore secundi Matrimonii. Has Constitutiones certe emanare potuisse ab iis Pontificibus fuse demonstratur; sed eas extendi non posse ad alias Religiones, quantumvis similes rationes suppetant, clare constat. Quare si forte casus accidat, petenda est facultas dispensandi a SS. Pontificibus. *De Syn. Diœc. nov. edit. l.* 13. *c.* 21. *n.* 3. *& seqq.*

Si infidelis unam conjugem infidelem duxerit, ita Matrimonium valet, ut si ea vivente alteram superinducat, secundum Matrimonium nullum est, cum Matrimonium institutum sit, ut unicam habeat. *ib.* §. 8.

Si Matrimonium ineatur inter duos, qui pravum habent errorem substantiæ Matrimonii repugnantem, ut inter Græcos, qui censent conjugii vinculum dissolvi per alterutrius conjugis adulterium, prava hæc opinio non officit validitati Matrimonii. Ita resolvit S. C. Concilii die 15. Januarii 1724. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 22. §. 4. *nov. edit.*

Verum si hæc opinio deducatur in pactum tanquam conditio in actu ineundi Matrimoni, tunc Matrimonium nullum est, uti semper accidit cum Matrimonio est apposita conditio substantiæ Matrimonii repugnans, ex Decretali Gregorii IX. *cap. De Appositis, ibi.* §. 5. Hinc, quem subdo, casus resolutus est a S. C. die 20. Maji anni 1754.

In formula, quam Calvinistæ in conjugiis ineundis adhibent, minister sponsum inserrogat, *accipis ne illam in uxorem?* Respondet ille: *accipio*. Eadem verba interroganti ministro repetit sponsa. Tum minister iterum ad sponsum: Personam quam manutenes amas, & accipis eam in perpetuam uxorem, nec in ulla illius ærumna deseres, *quoadusque in sua honestate, & puritate permanserit.* Tantumdem dicit sponsa. Porro illud quoadusque in sua honestate, & puritate permanserit in sensu Calvinistarum denotat virum accipere sponsam in uxorem quoadusque adulterium non contraxerit, eoque commisso, vinculum conjugii solvi. Celebrans igitur hæc conjugia cum conditione opposita perpetuitati Matrimonii, quæ sane perpetuitas essentiæ conjugii adnexa est, ut ex Conc. Florentino in Decreto de unione Armenorum, & instructione Clementis VIII. pro Italo-Græcis, confirmata a Benedicto XIV. sua Constitutione *Etsi Pastoralis*, quæ est 57. *Bull. Tom. I.* constat. Quare optime definitum in Congreg. S. Officii die 20. Maji 1754. conjugium illud nullum extitisse, adeoque integrum fuisse alterutri sponso ad alia vota transire. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 22. §. 9. Neque obstare judicatum est prius dixisse utrumque sponsum, accipio hunc in conjugem, deinde ad novam interrogationem utrumque conditionem subdidisse, quia & prior, & secunda interrogatio unus, idemque actus judicatus est.

Ex his etiam resolutus est a S. Congregatione casus alter die 8. Julii 1724. Vir & femina convenerunt celebrare Matrimonium coram Ecclesia, ut illud nequaquam consum-

summare deberent; sed post quindecim dies mulier Monasterium ingrederetur, & post probationis annum profiteretur; interim vero omni juri renuntiabat, quod in mariti personam ex Matrimonio sibi acquirere potuisset; consenseratque, ut si ab his pactis defecisset, Matrimonium nullum, irritumque declararetur. Ita conventum inter illos, pactaque hæc scriptis consignata sunt, ac significata testibus, & Parocho, coram quibus ineundæ erant nuptiæ Hoc Matrimonium nullum esse declaravit S. C. *ex cap. Si conditiones, De condit. Apposit.* nam abdicatio facta ab utroque de potestate in corpus alterius, aperte contraria est substantiæ Matrimonii. Quamvis enim in ipsa Matrimonii celebratione actu expressæ non essent pactiones istæ, constabat tamen ex antecedentibus, & sequentibus simul junctis conjuges ab iis non recessisse. *ibid.* §. 10.

Matrimonium infidelis in infidelitate contractum non statim resolvitur, ex quo alteruter conjugum baptizatur, & alter nolit, sed tunc cum baptizatus ad altera vota transit. Epistola ad Vicesgerentem de Baptismo Hebræorum &c. *Postremo Mense &c. Bull. Tom. II. n.* 28. Vide & *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 4. §. 4.

Hebræi cum hæretica non valet, obstante cultus disparitate. Epistola ad Cardinalem Ducem Eboracensem data *die* 9. *Febr.* 1749. §. 11. *& seqq.*

Num in casu quo alteruter ex conjugibus ad fidem venerit, relicto altero, qui negat cohabitare sine injuria Creatoris, dein vero & ipse ad fidem conversus sit, atque interim, postquam secundus licet ad fidem conversus est, prior conjux secundas nuptias iniverit, in eo casu suadendum sit Pontifici, ut Matrimonium in infidelitate consummatum dissolvat in favorem secundi conjugii, ambigit merito Pontifex, & censet id fieri non debere, nisi adsint causæ gravissimæ. *De Synod. Diœces. lib.* 6. *cap.* 4.

Catholici qui cum hæretico Matrimonium celebrant etiam in locis hæreticorum gravissime peccant, quia hoc agendo cum illis in divinis communicant, quod, nisi forte cum gravissima causa, illicitum est. Si vero postquam sic contraxerint coram Parocho Catholico, possint iterum coram ministro Protestante conjungi ad evitanda gravia damna, quæstio est; ad quam S. C. respondit, ministrum hæreticum si assistat hisce Matrimoniis, ut minister politicus, tunc a Catholicis peccatum non committi; secus vero si assistat ut minister sacris addictus. Ita censet Pontifex *in Syn. Diœc. l.* 6. *c.* 5. §. 4. *&* 5.

Conjugia hæretici protestantis cum femina hæretica coram Parocho non Catholico in Belgio confœderato celebrata valida habenda sunt. Decretum a Pontifice approbatum die 4. Nov. 1741. Item valet ita, & in iis Regionibus celebratum, si hæreticus Catholicum ducat, quamquam postremum hoc *illicitum* haberi debet. *ibid.* Idipsum reperitur in Epistola ad Cardinalem Ducem Eboracensem data die 9. *Febr.* 1749. §. 17.

Nuptiæ inter Catholicum, & hæreticum conjugem multo rectius non sunt benedicendæ, neque Missa in præsentia hæretici celebranda, nec tandem connubii ritus inter Ecclesiæ ambitum peragendus, quod & vetitum fuisse a Clem. VIII. circa benedictiones quidam referunt. *De Syn. Diœc. l.* 6. *c.* 5. §. 5. *nov. edit.*

Matrimonia inita a Græcis Catholicis in Ecclesia Orientali post susceptum sacrum Ordinem, dubium est num valeant, an tantummodo illicita habenda sint; quare si forte id accidat, petenda est dispensatio a Sede Apostolica, sed in dispensatione non exprimitur conditio, ut consensus inter conjugatos repetatur.

Quoad Italos Græcos Matrimonia post Ordinem sacrum inita, nulla sunt. Constit. ETSI PASTORALIS, *Bull. Tom. I. n.* 7.

Impedimentum ex adoptione proveniens ita explicatur a Pontifice in *Tract. de Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 36. connubium iniri non potest inter adoptantem, & adoptatum, atque ab isto descendentes; quod impedimenti genus semper durat quoad adoptantem tantum, & adoptatum. Secundo inter adoptatum, & filios naturales adoptantis. Sed impedimentum istud tamdiu durat, quamdiu perseverat adoptio, seu filii remanent sub patria potestate; nam ea soluta, sive per mortem adoptantis, sive per mancipationem filii, sive adoptivi, sive naturalis, cessat impedimentum. Tertio inter adoptantem, & uxorem adoptati, seu vicissim inter adoptatum, & uxorem adoptantis, idque semper durat. An vero hæc impedimenta obtineant tam in adoptione perfecta, quam imperfecta, lis est inter Doctores. Porro adoptio perfecta tunc fit, cum persona extranea sui juris ex Principis rescripto, ita transit in potestatem, & familiam adoptantis, ut perinde ac filius legitimus fiat ejus hæres necessarius tam ab intestato, quam extra. Adoptio imperfecta dicitur, cum persona extranea constituta sub patris, seu avi potestate, solius magistratus, alteriusve Judicis competentis auctoritate in filium, aut nepotem adsciscitur; non tamen in familiam, & potestatem adoptantis transit, & succedit solum ab intestato. *De Syn. Diœc. lib.* 7. *c.* 36.

Matrimonia filiorum familias sine parentum consensu contracta, etiamsi in Galliis habeantur invalida quoad effectus civiles, ut de dotis validitate, & communitate inter virum, & uxorem; valida tamen habenda esse in ratione Sacramenti censet Pontifex, & oppositum sentientes rejiciendos omnino judicat. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 68. §. 2.

In Matrimonio puberis cum impubere, malitia ætatem supplente, Episcopus potest jure suo licentiam contrahendi largiri, Encyclica ad Episcopos Poloniæ. *Bull. Tom. II. n.* 51. MAGNÆ NOBIS. Ad pronunciandum in ea causa cumulativum jus est inter Sedem Apostolicam, & judices ordinarios. *ibid.*

Matrimonia inter impuberes nondum conjugio aptos solus Romanus Pontifex dispensat. *ibid.*

Impedimenta Matrimonium impedientia ab Episcopo relaxari possunt, si excipias impedimentum ortum ex sponsalibus cum altero prius initis, & illud quod ex voto perpetuæ castitatis, & ingrediendæ Religionis, nisi fuerint conditionata, ortum duxit. Cætera vero Matrimonium irritantia tollere, nisi Romanus Pontifex, nemo potest Excipitur tamen casus, quem statim subdo.

Si forte accidat, ut matrimonium jam fuerit contractum in faciem Ecclesiæ cum omnibus solemnitatibus, initumque fuerit bona fide ex ignorantia impedimenti juris, & facti, & sit consummatum, occultum sit tamen impedimentum, & adiri non possit Pontifex, seu ab eo dispensatio obtineri ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam &c. nec possit separatio fieri sine scandalo. Dum simul omnes istæ circumstantiæ adfuerint, tunc ab Episcopo ea dispensatio tuto conceditur, quam potest major Pœnitentiarius Papæ, & in foro tamen conscientiæ tantum. Quare si impedimentum illud postea detegatur, & deducatur ad forum contentiosum, impetranda est a Summo Pontifice dispensatio. *De Syn. Diœc. lib.* 7. *cap.* 31. §. 1.

Forte etiam Episcopus dispensare poterit in impedimento dirimente occulto, cum Matrimonium proxime contrahendum est, in casu quo tales urgeant rerum circumstantiæ, ut nec S. Pontifex consuli possit, nec Matrimonium differri sine scandalo, aut infamia contrahentium. Tunc censendus est S. Pontifex tacite delegare Episcopo potestatem dispensandi. *ibid. n.* 2.

His præcisis rerum circumstantiis, nemini fas est Episcopo dispensare in impedimentis publicis Matrimonium dirimentibus. Neque enim verum est, & sanum Axioma illud a nonnullis adoptatum: *Quidquid potest Pontifex in universo Orbe, si excipias, quæ totius Ecclesiæ statum respiciunt, velut fidei articulum definire, potest Episcopus in sua Diœcesi, nisi Papa sibi illud reservaverit.*

Non enim potest inferior legem a Superiore latam relaxare. Sunt qui consuetudinem prætendant; at considerent attente, cum res sit de minuendis juribus Roman. Pontif. unice competentibus num 100. ad minus annorum spatium sine ulla interruptione perseveraverit. Considerandum insuper & potissimum, num per eam consuetudinem *disrumpatur nervus Ecclesiasticæ Disciplinæ;* tunc enim

enim nunquam contra legem præscribitur. *Cap. cum inter, de Consuet. Tract. de Syn. Diœc. l. 7. c. 31.*

In contractis Matrimoniis pro eorum revalidatione non dispensat S. Pœnitentiaria in gradibus *primo & secundo* consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, nisi forte in secundo gradu per decennium duraverit occultum impedimentum, & conjuges ut legitimi reputati fuerint. In reliquis vero dispensat, sicut in gradibus & tertio, & quarto publicis revalidat Matrimonia ex causa occulta subreptionis, & obreptionis litterarum Apostolicarum nulliter contracta, nisi si falsitas consistat in narratione falsa præcedentis copulæ. Bulla PASTOR BONUS. *Bull. Tom. I. n. 95. §. 40.* Vide *Inst. Eccl. 87.*

Si in dispensatione a Dataria obtenta quoad gradus prohibitos reticeatur copula ex causa infamiæ, tunc sacra Pœnitentiaria dispensat in Matrimonio contrahendo, & etiam contracto, at cum agitur de primo in secundum gradum exigit compositionem 50. Ducatorum auri de camera, nisi gratia prior fuerit expedita in forma pauperum. *ibid.*

Si in dispensatione a Dataria petita in impedimentis graduum expressa fuerit copula, tacita tamen mala intentione facilius obtinendæ dispensationis, tunc si mala intentio sit occulta, dispensat S. Pœnitentiaria cum miserabilibus personis absolute, cum reliquis taxa definita. Si vero copula habita fuerit affinitate, seu consanguinitate non agnita, tunc pro dispensationibus non est necessario exprimenda. *Inst. Eccl. 87. §. 23.*

In impedimentis occultis affinitatis ex copula illicita absente etiam periculo scandalorum in contracto, & contrahendo Matrimonio in foro conscientiæ dispensat.

Dispensat etiam in impendimenta criminis tam pro contracto, quam pro contrahendo, ubi nulla adest machinatio. Potest etiam dispensare, quando agitur de machinatione ex parte tantum alterutrius; id tamen rarius præstat. *ibid. §. 44.*

In impedimentis dispensat etiam si fuerint multiplicia, sicut & dispensat in foro Conscientiæ pro legitimatione prolis, nisi illa concepta fuerit in adulterio. *ibid. §. 45.*

In dispensationibus pro impedimentis Matrimonii super gradibus vetitis impetrandis, si taceatur copula antecedens, sicut (si adfuerit) intentio facilius obtinendæ dispensationis, rescriptum vitiatur, ut DD. *Instit. Eccles. 87. §. 13.* In contractis tamen Matrimoniis, si hoc vitium occultum perseveret, dispensat Pœnitentiaria. *ibid. §. 14.*

Clausula illa in dispensationibus Matrimonialibus, *absolutio, & dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur*, eam vim habet, ut si impedimentum ex occulto fiat publicum, potest Ordinarius conjuges separare a toro. Si tamen illi occulte sine scandalo debitum invicem reddant, non peccant, ita sentiente Navar. *ibid. §. 50.*

Si Ordinarius subodorans impedimentum velit procedere in cognitionem delicti, id potest; imo debet facere, etiamsi reus protestetur de obtenta dispensatione. Si vero certioretur ea de re ab aliquo fide digno, ut a Confessario, seu Parocho, qui possunt id clam testificari Episcopo, tunc debet Episcopus acquiescere, nec debet ad delictum puniendum procedere, ut ex Clericato monet Auctor. *ibid. §. 50.*

Postrema clausula sic enunciatur: *Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute &c.* Rejicitur sententia opinantium hanc non esse conditionem, sed ut Confessarius instruatur, quo certior sit contractus; ac veram esse conditionem ex ablativo absoluto, quo enunciatur, ut est Juristarum sensus, demonstratur. *Inst. Eccl. 87. §. 68.*

Nec admittitur sententia asserens, quando fieri non possit revelatio impedimenti, sufficere, ut pars illud sciens habeat copulam cum parte ignorante affectu maritali, cum prior consensus partis insciæ fuerit nullus, adeoque ex parte illius nullus sit, unde debet innovari. Aliorum sententia pariter rejecta est, eorum nempe, qui suadent, ut sciens impedimentum proponat alteri se adeo illam amare, ut denuo cum illa velit ligari; si alter respondeat affirmative, consensus censetur innovatus. Hæc tamen opinio rejicitur, eo quod consensus præstitus a parte inscia, est consensus junctus cum errore, quare non adimpletur conditio, *dicta muliere certiorata.*

Præfertur cæteris quarta ratio certiorem reddendi partem ignaram, & tunc fit, cum parti ignaræ dicitur in priori Matrimonio defuisse consensum validum; adeoque suasu Confessoris se proponere, ut iterum innovetur ex parte utriusque. *ibid. §. 78.*

Sed quid si timor occurrat, ne parte ignara certiorata de nullitate consensus, futurum sit, ut illa renuat novam celebrationem, adeoque sic soluta Matrimonio, nata antecedenter proles timeatur, ne declaretur illegitima? Tunc utique de prole non est cur dubitetur, nam semper habetur ut legitima, cum impedimentum est occultum, & unus saltem ex conjugibus in bona fide versatur. Verum si adhuc perseveret metus scandalorum ex resolutione hujus Matrimonii; suadet Auctor, ut per novas litteras exponatur S. Pœnitentiariæ casus, vel recurratur ad Episcopum, qui id suadebit, quod erit opportunum. *ib. §. 83.*

Causæ Matrimoniales a Curia Romana commissæ in partibus, non delegantur nisi Episcopis, vel si nullus sit in Diœcesi, saltem vicinioribus; & si vel illi abfuerint, Judicibus Synodalibus. Const. DEI MISERATIONE Bull. *Tom. I. n. 33.* Mandat insuper Pontifex, ut si singulis Diœcesibus defensor Matrimoniorum designetur, qui semper adsit in judicio, & citetur in omnibus actibus. Si vero Judex in partibus pro validitate Matrimonii sententiam ferat, ab ea sententia appellatio nulla intercedat. Secus si pro invaliditate, defensor appellare debet intra tempus legitimum, sive pars instet, sive non. Pendente vero appellatione ad novas nuptias transire conjuges vetantur sub pœnis contra polygamos constitutis.

Post duas conformes de nullitate Matrimonii, tunc licitum est conjugibus transire ad alias nuptias, dummodo pars, seu defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum. *ib.* pacta prævia inita inter conjuges de non appellando a sententia de nullitate Matrimonii irrita declarat Pontifex in Encycl. ad Polonos. Bull. *T. I. n. 85.*

Matrimonia inter hæreticos sine præsentia Parochi in Provinciis fœderasi Belgii, cum non sit ibi receptum Concilium Tridentinum, tenent; quemadmodum etiam Matrimonia inter hæreticam, & catholicum ab incolis illorum locorum substinentur. Idem statuitur si uterque contrahens pertineat ad militias Ordinum fœderati Belgii addictas muniendis arcibus, vulgo dicti di *Barriera*. Extenditur ad contrahentes in Civitate Musæ Trajectentis. Sed si contrahentes habentes domicilium in Provinciis fœderatis velint contrahere in regionibus Catholicis, seu vicissim velint contrahere in Provinciis fœderatis, cum habeant domicilium in regionibus Catholicis, nihil de illis decernitur. *Const. Matr. Bull. Tom. I. n. 34.*

Denunciationes Matrimoniales non sine gravi causa dispensentur ab Episcopo, mandat Pontifex Constit. SATIS VOBIS. Bull. *Tom. I. n. 55.* In eo vero casu, quo fiat dispensatio, jubet nomina contrahentium, & fides celebrati Matrimonii a ministro deputato facta in libro secreto adnotetur, quem sigillis clausum servandum esse in Episcopali Cancellaria edicit. Si proles nascatur, ejus parentes, & fides collati illi Baptismatis in eodem libro adnotanda est, quapropter moneri jubet contrahentes in actu contrahendi matrimonii, ut infra triginta dies a nativitate numerandos, moneant de his omnibus Episcopum, & si secus fecerint, sciant occultum Matrimonium fore revelandum ab Episcopo.

Matrimonio celebrato non præmissis denunciationibus, nec obtenta ea de re ab Episcopo facultate, si adsistat Parochus, suspensione ad triennium plectendus est ex Cap. *Cum inhibitio §. final.* a qua suspensione toto eo triennio absolvi ab Episcopo nequit, ut ex Sanchez firmatur. *In Tract. de Syn. Diœc. l. 7. c. 69. §. 2.*

Diebus, quibus interdicuntur matrimonia, non quidem absolute illa vetantur, præcisa consuetudine, sed solemnitas tantummodo & pompa nuptiarum, ut ex Cap. *Capellanus de Feriis* monent Theologi, & notatur *Inst. Eccl. 70. §. 5.*

Nomine vero solemnitatis nuptiarum censentur, & quidem potissimum benedictiones in Missali Romano expressæ. Vetantur vero illæ sub peccato gravi, ut ex Sanchéz, aliisque notatur *Inst. Eccl.* 80. §. 7. Quare cum temporibus feriatis celebrari nuptias permittit Episcopus, numquam licet benedictiones illas conferre. *ibid.* §. 2.

Imo, & tota Missa pro sponso, & sponsa omittenda est, cum benedictiones illæ pars ejusdem habeantur: Tunc igitur celebranda est Missa de tempore. §. 11.

Ideo vero requiritur facultas Episcopi ad celebrandum matrimonia diebus feriatis (quamquam illa sint de se licita), quia in Synodis, vel ex consuetudine introducta vetita illa habentur; quare requiritur, ut Episcopi facultas intercedat. *ib.* §. 4.

Semel tamen inita matrimonia diebus feriatis, consummari possunt, ut ex sensu DD. Theologorum statuitur. *ibid.* §. 17. & 18.

Quare licita est traductio sponsæ ad domum viri, ut ex Congreg. firmatur. *ib.* 7. 21.

Matrimonia per Procuratorem contracta valent, ut communis est Theologorum, etiam post Tridentinum scribentium, sententia. Quanquam cautius est, ut quæ sic conciliata sunt, iterum præsentibus conjugibus coram Parocho renoventur: quæ tamen dicta sunt ad cautelam, non autem ad necessitatem. *De Synod. Diœc. lib.* 13. *c.* 23. §. 9. *nov. edit.*

Matrimonia occulta antequam ab Episcopo permittantur, debet ille exquirere qualitatem, gradum, & conditionem petentium, an sint sui vel alieni juris, an sint filii familias, & num illæ nuptiæ sint tales, ut pater juste illis possit dissentiri. Cum vero omnia repererit ad formam, debet deputari ad assistendum eisdem nuptiis Parochus alterutrius ex contrahentibus, nec, nisi ex gravi causa, id muneris demandari debet Sacerdoti a Parocho diverso; qui Sacerdos vel Parochus debet exhibere Episcopo documentum celebrati matrimonii cum nota loci & temporis & testium qui interfuerunt. Id vero documentum transcribatur in libro diverso ab illo, in quo reliqua publica matrimonia annotantur, idemque liber clausus & sigillis obsignatus in Episcopali Conc. caute servetur, non aperiendus, nisi cum alia similia matrimonia annotanda sunt. Mandat Pontifex ut proles inde nata denuncietur Episcopo vel per literas parentum manu propria signatas, vel per personam fide dignam a parentibus designatam, eademque attestatio scribatur in libro diverso ab eo, in quo matrimonia occulta describuntur: utriusque parentis nominibus appositis. Qui liber custodiendus est ea diligentia, qua liber matrimoniorum occultorum. Verum in celebratione matrimonii hujusmodi, ille qui Parochi nomen, & vices gerit, debet monere conjuges ut prolem ex eo conjugio natam denuncient Episcopo, eo modo quo supra, alioquin, si hæc omittantur, denunciet, Episcopum, secreti fide neglecta, matrimonium illud occultum revelaturum, ne filiis natis jactura inferatur. Ita in *Bulla Satis vobis* n. XXXV. Bullar. Tom. I.

Cum petita fuisset a Pontifice dispensatio de tertio in quartum consanguinitatis, & contracto matrimonio non jam consummato, repertum fuit inter conjuges intercedere non unum, sed duplex impedimentum itidem de tertio in quartum, ideoque supplicatum fuit pro dispensatione in eodem secundo impedimento, & vir cujus nomine oblata est supplicatio significavit uxorem suam esse insciam novi hujus impedimenti, quia si hoc scivisset, institisset pro nullitate matrimonii, & si hoc dissolveretur, magna scandala oritura essent, Pontifex concessit novum Breve, in quo dispensavit in radice matrimonii. Uxor in nova supplicatione demonstravit se consciam fuisse secundi hujus impedimenti ante concessionem secundæ hujus dispensationis, & dum parabat se opponere huic matrimonio ratificando, obtentam fuisse a viro, se insciæ, dispensationem. S. Congregatio resolvit pro invaliditate ejusdem matrimonii; cujus resolutionem Benedictus XIV. confirmavit in sua Bulla *Etsi matrimonialis &c.* Bullar. Tom. IV. n. 50.

MATUTINUM

Matutinum non est segregandum a Laudibus sine causa, quæ optima suppetit Ecclesiæ, sejungendi Matutinum a Laudibus nocte Natalis Domini. *Inst. Eccl.* 24. §. 9.

Peccat etiam venialiter, qui sine ulla legitima causa horam non servat, ut ex D. Thoma. *ibid.* §. 9.

Hora recitandi Matutini die præcedenti incipit post exactas tres quartas partes diei, ut in Calendario Romano adnotatum est. *ibid.* §. 10.

MEDICUS

Medici tenentur sub gravi monere infirmum, cum vocantur ad eum curandum, ut vocet Confessarium, ut provideat de salute animæ suæ, ita præcipiente Concilio Lateranensi in Cap. *Cum Infirmitas De Pœnit. & Remiss.* S. Pius V. in sua Constitutione 3. in Bullario Romano, jubet, ut Medicus ante omnia id moneat; neque tertio die ulterius illum visitet, si vocare Confessarium recusaverit: Transgressores Medicos incurrere pœnam infamiæ, & privationem omnium privilegiorum ejus Professionis. Mandat insuper ut nemo deinceps Lauream Medicinæ obtineat, nisi prius juret coram publico Notario, & testibus ejus Bullæ observantiam. Neque ab his servandis excusantur Medici de consuetudine jam per longum tempus introducta, cum ob singulorum juramentum consuetudo ista induci non potuerit. Sufficit tamen si medicus id moneat per alium virum gravem. *Inst. Eccl.* 22. §. 16.

Non tamen tenentur sub gravi monere ægrotum in quocunque morbo, sed quando ita aliquo morbo corripitur, ut attentis omnibus judicari possit periculum esse, ut evadat mortalis. *ib.* §. 18. Consultius est tamen, ut moneatur ægrotus, etiamsi non timeatur periculum illud. *ib.* §. 22.

Si tamen ægrotus renuat confessionem, & morbus sit adeo periculosus, ut desertus a Medico timendum sit, ne moriatur, docent tunc Theologi deserendum a Medico non esse, ne ægrotus amittat spem sanitatis recuperandæ, adeoque resipiscendi. *ibid.* §. 17.

Laici artem medicam, vel chirurgicam exercentes ex præscripto suæ artis, etiamsi aliquis ægrotus obierit, non tamen incurrunt irregularitatem; attamen ad *cautelam* petunt, & obtinent dispensationem si promoveri ad Ordines sacros postulant; attamen ejusmodi Brevia non conceduntur, nisi prius audito Episcopo; cui injungitur, ut distincte referat casus omnes animadversione dignos, eorumque peculiares circumstantias, simulque exponat, cujus rei gratia orator ad Ordines sacros promoveri poscat. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 19. §. 4. *nov. edit.*

Sacros vero Ordines jam obtinentes, vel etiam minores cum ecclesiastico Beneficio, ex præscripto sacrorum Canonum necessario debent petere indultum, si medendi artem velint exercere. Hoc vero indultum non obtinetur, nisi exposita causa, nempe quod locus, in quo Orator degit, & profiteri cupit, vel sit pene destitutus, vel non satis illi provisum sit ex Medico laico, vel denique ejus familia tantæ sit egestatis, ut providendum illi sit ex honesto lucro ab arte Clerici percipiendo. *ibid.* §. 6.

Regulares vero in Missionibus agentes privilegio donantur, ex Bulla potissimum Clementis XII. *Cum sicut*, ut possint exercere artem medicam. Hoc tamen privilegio frui non possunt, nisi in ea arte sint periti, & gratis remedia præscribant, ac tandem abstineant ab incisione, & adustione. Denique requiritur, ut non adsint Medici laici; vel sint quidem, at hæretici, vel hebræi, ut ex Decreto Congreg. de Propaganda fide. *ibid.* §. 7.

Regulares ex instituti sui ratione Hospitalium curam, & administrationem obtinentes, medicam artem exercere non possunt extra illa hospitalia. *ibid.*

In prædictis indultis Apostolicis, Monachis, vel Clericis concessis semper apponitur hæc limitatio, *absque incisione, & adustione. ibid.* §. 8.

Clericis Sæcularibus sacris Ordinibus insignitis si conces-

cessum fuerit indultum, ut provideant familiæ indigenti; illud durat, quoad usque Orator certos Ecclesiasticos reditus, vel residentiale beneficium obtinuerit.

Insuper affertur limitatio, ne quid exposcat ab ægrotis, neque enim Ecclesiastico sæculari Medico prohibetur, ut sponte oblata recipiat, præter quam a veris egenis, a quibus nihil penitus potest accipere. *ibid.* Regularibus vero indultariis semper datur cum modificativa, ut nihil penitus ab ægrotis recipiant. *ibid.*

Porro indulta illa ecclesiasticis, vel Regularibus concedi non solent, nisi prius audito Episcopo testante de viri peritia in ea arte, & de indigentia medici in ea Civitate, vel Oppido. Præterea exquiritur etiam pro Regularibus testimonium Superioris regularis circa mores illius, qui indultum petit. Si vero non præmittatur testimonium Episcopi, adhuc tamen Pontificii Brevis executio Episcopo committetur, qui commissum munus impleturus de his omnibus certiorem se reddere tenetur. *ibid.* §. 9.

Chirurgiam vero exercere ecclesiasticis sæcularibus, & regularibus longe difficilius conceditur, & tunc solum cum omnis omnino chirurgus laicus deest; quin & tunc sine adustione, & sectione. *ibid.* §. 11.

MEDITATIO. *Vide* ORATIO.

MISSA

Missæ Sacrificium est *Latreuticum*, *& Eucharisticum*, idest laudis, & gratiarum actionis pro beneficiis acceptis, est propitiatorium, quo expiantur peccata, non eo tamen modo, quo Baptismus, & pœnitentia, peccata remittentes per gratiæ infusionem; sed Deus intuitu hujus Sacrificii pœnitentiæ donum largitur, seu peculiarem gratiam donat, qua quis excitetur ad contritionem, vel ad absolutionem in Sacramento pœnitentiæ utiliter consequendam. Quoad remissionem tamen pœnæ, abolita jam culpa, immediate illam remittit; remittit, inquam, illi pro quo offertur, ea tamen mensura, quæ Deo placuerit. *De Sacrif. Miss. l.* 2. *c.* 13. §. 17. Est denique *impetratorium* spiritualium, & temporalium bonorum. *ib.* §. 19.

An ejusdem sit efficaciæ sive a bono, sive a malo Sacerdote Missa celebretur? Respondendum est, fructum provenientem ex opere operato nunquam minui, & si applicetur semper operari, dummodo impedimentum nullum obstet. *idid.* §. 20.

Alius est fructus, qui oritur ex universa Ecclesia offerente Sacerdotum suorum ministerio. Ecclesia vero est semper sancta, pulcra, sine ulla ruga, aut macula.

Tertius tanden est fructus ex ipso celebrante veniens, diciturque pariter *ex opere operantis*, atque iste ex majori, vel minori Sacerdotis sanctimonia minuitur, augeturve. *ibid.*

Missæ fructus triplex est: *generalissimus; cujus* fideles omnes sunt participes; *Specialissimus*, quo Sacerdos fruitur: *Medius*, quem Sacerdos applicat pro iis, pro quibus Sacrificium offert. *De Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 8. §. 1.

Materia Sacrificii Missæ est panis triticeus, & vinum ex uvis. Si vero magna esset permixtio farinæ ex aliis frugibus, & permixtio aquæ vinum superaret, hæc materia inepta esset consecrationi. *De Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 10. §. 15. Nec post consecrationem novus liquor, & præsertim aqua in Calicem infundendus est. *ibid.* §. 16. Alioqui censet S. Thomas corruptionem Sacramenti sequi potuisse pro aliqua parte, nisi forte quantitas novi liquoris tantilla esset, ut non posset in omnes partes diffundi. Hæc tamen sententia non æque Scholasticis omnibus probatur.

Ad essentiam Sacrificii necessaria est utriusque speciei consecratio, quod etiam in prima sua institutione a Christo Domino servatum est; ex quo fit, ut nemini permitti unquam possit consecratio sub unica tantum specie; quanquam si hoc fieret a Sacerdote, consecratio quidem valeret, sed ille gravi se crimine obstringeret, & Sacramentum quod m, non vero Sacrificium conficeret; deesset enim tunc mystica victimæ mactatio. *ibid.* §. 19.

Sacerdos verba Consecrationis proferens super panem, & vinum, sed extra Missam, valide quidem, se illicita consecrat, nam tota vis consecrationis in verbis Christi consistit. *De Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 11. §. 11.

In forma Consecrationis defectus accidere possunt, qui invalidam, & defectus, qui illicitam tantum illam reddant. Illicitam dicas, si ommittatur vox *enim*, & verbum *est*. Item si loco vocis *hoc* dicatur *istud*. Invalidum si pro *hoc* substituatur *illud*, vel *hic* pro adverbio sumptum. Dubium est, an invalida sit consecratio Calicis, illis tantummodo verbis prolatis: *Hic est Calix Sanguinis mei*, cæteris omissis, ideoque si id forte contigerit, repetenda sunt sub conditione verba consecrationis vini. *ibid. cap.* 16. §. 15.

Sacerdos valide consecrat, etsi lethali crimini sit infectus, excommunicatus, hæreticus, degradatus. Licite tamen ut celebret, debet esse in statu gratiæ, & a lethali peccato liber. *ibid. cap.* 11. §. 1.

Alioqui duplicis culpæ reum se constituit, conficiendo scilicet vel suscipiendo indigne Sacramentum, & infideliter sibi ipsi ministrando. *ibid.* §. 2.

Vetat Tridentinum *Sess.* 13. *cap.* 7. *de Eucharistia*, ne Sacerdos peccati mortalis reus, quantumvis contritus, nisi prius Sacramentali Confessione expiatus, ad celebrandum accedat. *ibid.* §. 3. Permittit tamen Sacerdotibus celebrationem prævio tantum actu contritionis, dummodo gravis necessitas urgeat, nec sit copia Confessarii; simul vero in eo rerum eventu mandat, ut qui ita celebraverit quamprimum confiteatur. *ibid.* §. 4. Atque ita explicat præceptum divinum ab Apostolo traditum: *probet autem seipsum homo*. In casu vero urgentis necessitatis non satis est attritio, sed omnino contritio requiritur, vel saltem attritio, quam Sacerdos sine culpa contritionem existimaverit. Illud vero præceptum, *ut quamprimum confiteatur*, verum est præceptum, & non consilium; nec ita intelligendum est, ut Sacerdos non teneatur crimen suum confiteri, nisi quando rursus est celebraturus. Hæc omnia ex variis damnatis propositionibus eruta latius explicantur, *ibid.* §. 5.

Urgens necessitas, de qua hic, ea censetur, si Sacerdos eo die non celebrans offensioni esset, & scandalo. Item si Parocho celebrandum est ad ministrandum Viaticum. Sunt qui addant, sufficere ad celebrationem in eo rerum statu, si nuper decessit anima probabiliter Sacrificio indigens; quod tamen aliis, & merito, minus probatur, cum omnes animæ in Purgatorio Sacrificio indigent. *ibid.* §. 6.

Sed quid, si Sacerdos cœpta Missa recordetur peccati lethalis, non expositi in Confessione, vel se obstringi aliqua censura, vel jejunium non servasse? Profecto si ante consecrationem peccati, seu jejunii non servati recordatur, Missam deserere tenetur, nisi aliud suadeat justus de gravi scandalo timor. Si vero post consecrationem, perficiat, & sumat Sacramentum præmissa contritione, si succurrat grave peccatum, nondum pœnitentia deletum, & (elicito proposito) satisfaciendi postmodum præcepto Confessionis, & absolutionis. Si vero nequeat conteri, cautius est scandalum potius permittere, quam Sacramentum conficere, & indigne recipere.

Scandalum vero an causaret recedendo ab Altari ille, qui in loco privato celebraas cum unico ministro, peccati gravis, inchoata Missa, recordetur, quæstio est anceps, sunt enim qui minimum esse scandalum censent, si adsit tantummodo Minister puer, vel celebrantis servus, aut amicus. *ibid.* §. 9.

Si ea die, tempore Missam præcedente, grave peccatum commissum a Sacerdote fuerit, de quo tamen doluit, & confessus est, non decet Sacerdotem eadem ipsa die celebrare, quia tollitur quidem reatus culpæ, sed non continuo immundities corporis adimitur. *ibid.* §. 11. Idem dicas de eo, qui pollutionem proprii corporis sensit, nec tamen consensum apposuit. Quamvis nulla sit in eo culpa, indecens est tamen ad Sacrificium accedere; præsertim si menti tenacius inhæreant pravæ cogitationes. *ibid.* §. 12.

Quid

Quid statuendum, si contingat defectum aliquem deprehendi vel in pane, vel in vino consecrationis, ex Rubrica repetatur; quæ mandat; si forte accidat, ut post sumptionem sanguinis animadvertatur primo hostia inepta Sacrificio, resumendum esse novum panem, & vinum cum aqua, & verba consecrationis super utrumque repetenda, sumpto initio ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur* facta tamen prius utriusque oblatione. Sunt quidem qui putent sufficere hostiæ tantummodo consecrationem; at tunc *debitus ordo non servaretur*, quæ altera est ex duabus causis, ex quibus Rubrica utriusque consecrationem mandat. Quare Rubricæ parendum. *ibid. cap.* 15. §. 2.

Si vero post Consecrationem sumpta jam hostia cognoscat vinum ineptum fuisse ad consecrationem: tuncne nova hostia, novumque vinum apponendum est, novaque utriusque consecratio facienda? Id utique censet S. Thomas, ejusque discipuli. Sed post reformatas sub Clemente VIII. Rubricas Missalis legitur in illis expressum: si Missa celebretur in loco publico coram multis, ad scandalum evitandum sufficere, si tantummodo apponatur novum vinum cum aqua, & facta oblatione consecretur, statimque sumatur. *ibid.* §. 3. 4. *&c.*

Defectus si occurrat in pane, & vino, deprehendaturque ante consecrationem, nova materia apta apponatur, si post consecrationem, Missa omitti tuto potest; si post sumptionem, necessario omittitur, nisi forte multitudo adesset Missæ audiendæ, quo in casu posset Sacerdos submissa voce preces aliquas recitare, quæ ad illam partem Missæ non pertinerent, & benedictionem populo impertiri. *ibid. cap.* 15. *n.* 9.

Si aqua infusa Calici non sit, idque ante consecrationem agnoscatur, infundatur statim; si post consecrationem Missa peragenda est. *ibid.* §. 10.

Si Musca, vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, effundatur vinum; & novum apponatur. Si post consecrationem, illud, quidquid est, extrahatur, lavetur, & comburatur, & ablutio cum cineribus in sacrario reponatur. Ita ex S. Thoma. *ibid.* §. 11.

Si venenum immixtum deprehendatur ante consecrationem, idem quod prius servandum est, si post consecrationem, in aliud vasculum transfundatur, & tamdiu servetur, donec species vini fuerint exsiccatæ, & aliud vinum consecretur, ut ex S. Thoma. *ibid.*

Vinum acescens non est adhibendum in Missa; si tamen id fiat, conficitur Sacramentum; nec peccant Regulares, qui celebrare debent, nec habent auctoritatem vinum commutandi, id enim peccati ligat eorum Superiores, ut ex Quarto, & Merato adnotatur. *Instit. Eccles.* 77. §. 2. Vinum, quod ex aqua conficitur botris superinjecta, quale a Latinis priscis lora, seu lorea dicebatur, ineptum est ad Sacrificium, ut ex Theologis firmatur. *ibid.* §. 4.

Vetitum est sub peccato gravi adhibere vinum illud dilutum; quod ex musto, & aqua æquali, vel fere æquali quantitate conficitur, ut ex Theologis. *Inst. Eccl.* 77. §. 6.

Licitum est tamen adhibere in eam rem vinum, quod ex modo illud conficiendi in regionibus aliquibus habet aliquid aquæ admixtum, est enim vinum usuale. *ibid.* §. 7.

Si guttæ vini reperiantur extrinsecus in cuppa calicis, censeantur non consecratæ, & abstergantur purificatorio. Si interius tutius censeantur consecratæ, & per secundam purificationem adsumantur. *Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 17. §. 7.

Generatim monet S. Thomas in dubiis, num aliquid omissum in Missa sit, vel si certe constet omissum, nec illud sit de necessitate Sacramenti, neglidendum esse; si sit vero de necessitate Sacramenti, illud iteretur, & reliqua omnia ex ordine deducantur. *ibid. cap.* 15. *n.* 16.

Cum novi Sacerdotes cum Episcopo celebrant, non debent intentionem suam ita conformare, ut intelligant se consecraturos eodem momento, quo Episcopus extrema verba protulerit, sive ipsi ante, sive postea formam compleverint. Tunc enim effectus Formæ remaneret in suspenso; sed debent esse ita animo comparati ut omne studium ponant proferendi ultima verba cum Episcopo, atque ita una cum eo consecrent; ex quo fit, ut si non ita jungant sua verba cum Episcopo non consecrent, cum non habuerint intentionem consecrandi. *ibid. c.* 16. §. 6.

Sacerdotes Missam cum Episcopo celebrantes eleemosynam pro Sacrificio illo accipere minime valent, quia dans Eleemosynam petit Missam modo consueto. *De Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 16. §. 10.

Intentio applicationis Missæ sufficit si habitualis fuerit: est enim veluti quædam donatio, quæ semper valet etiamsi multo ante intercesserit. *ibid.* §. 8. Tempus applicationis num sit sufficiens post consecrationem, ambiguum est. Præstat, ut Sacerdos Missam applicet cum se ad eam præparat. *ibid.* §. 9.

Beneficiatus, cui injungitur a testatore celebratio Missæ certis diebus non explicata applicatione pro se, vel pro aliis, debet illis diebus Missam applicare pro Fundatore ejusdem Beneficii, ut S. Congr. Conc. sæpius respondit. *De Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 9. §. 2.

Idem dicas, si Fundator mandaverit orari pro se in Missa, nam præsumitur nomine orationis applicationem designasse; nisi tamen ex aliis conjecturis deducatur, aliam fuisse ejusdem Fundatoris voluntatem; ut si pluribus capellaniis fundatis, in aliis mandaverit applicationem, in aliis orationem, ut ex resolutionibus S. C. *ibid.* §. 3.

Si Superior Sacerdoti præceperit, ut Missam certo alicui applicet, at ille pro alio offerat, reus est quidem Sacerdos inobedientiæ, sed applicatio a Sacerdotis voluntate pendet, cum ille sit minister, & dispensator sui Sacrificii. *ibid.* §. 4.

Missæ applicatio quoad Parochos. Vide *Parochus*.

Missa Conventualis in Collegiatis quotidie celebranda est, & applicanda pro benefactoribus in genere; nec sufficit si pro uno benefactore applicetur, neque satisfit si beneficiatus, seu Canonicus teneatur aliunde ex alio debito illam applicare. Si vero præbenda beneficii tenuis sit, nihilo tamen secius supplendum est ex distributionibus: quod si & distributiones, & præbenda tenuissimæ sint simul sumptæ, tunc recurrendum est ad Congregationem Concilii. Ita Pontifex in Encyclica ad Episcopos Italiæ incipiente CUM SEMPER Bull. *Tom. I. num.* 103. Sufficit tamen prioris Missæ applicatio, etiamsi plures cantentur in Collegiata. *ibid. n.* 22.

Si Sacerdos sumpta purificatione animadvertat remansisse in corporali, vel patena fragmenta, sive illa magna sint, sive parva, illa absumantur, sicut & absumenda sunt fragmenta si quæ remanserit post distributionem Eucharistiæ in adstantes peracta Missa. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 17. §. 13.

Si tamen quod remanet, non fragmentum, sed integra est hostia, magna, seu parva, hæc post sumptam purificationem non est absumenda, sed vel recondenda in tabernaculo, vel ponenda in patena, ut alteri Sacerdoti mox celebraturo reservetur: quod si fieri non potest absumatur. Ita ex Rubricis. *ibid.* §. 4.

Particula illa hostiæ, quæ separatur in inferiori parte hostiæ in duas partes fractæ, si cum vino non diffluat in os, sed remaneat in calice, potius quam digito redigatur ad oram calicis, præstat, ut mediante novo vino hauriatur. *ibid. l.* 3. *cap.* 17. §. 1.

Sacerdoti in sacristiam jam restituto post Missam, & nondum sacris vestibus exuto, absumenda sunt fragmenta si quæ adverterit remansisse in patena. Si vero sacras vestes exuit, quidquid superfuerit e sacrificio, reponendum est in tabernaculo, si adsit; sin minus, vel non liceat sine aliqua admiratione populi, absumendum est. Ita ex S. Thoma. *ibid.* §. 5.

Peccaret graviter Sacerdos; si hostiam in Missa consecratam reponeret in tabernaculo, & ejus loco sumeret hostiam, quæ in eodem tabernaculo antea continebatur. Ita ex Canone *Relatum de Consecr. distinct.* 11. *ibid.* §. 8.

Sacerdos celebrans, si habeat hostiam parvi moduli, melius faceret, si populum doceret, ne miraretur, si illam adhibet pro majori, quæ tunc non suppetit; potius quam utatur sententia aliquorum, qui censent posse tunc ex-

entrahi e tabernaculo hostiam majorem, quæ forte illi adest, & adhibere illam ad elevationem. *ibid.* §. 9.

Si pyxis hostiis parvis plena sit præsens moraliter Sacerdoti, sed non fuerit aperta ante oblationem, & consecrationem, illicite quidem id fieret, sed cum moraliter præsens esset Sacerdoti, valida esset consecratio; quod verum est etiamsi quando consecravit actu de particulis non cogitaret. Moralis vero præsentia ea dicitur, cum ita præsens est, ut verificari censeantur illa verba formæ *Hoc* vel *Hic*. *Ibid. cap.* 18. §. 2. & 3.

Si particulæ afferantur ad altare post peractam oblationem, non debet Sacerdos illas consecrare sine legitima causa, ut si magna multitudo populi, parata ad recipiendam Eucharistiam, alias careret Sacramento; tunc vero Sacerdos deberet prius illas ante consecrationem mente offerre. Cœpto jam Canone si afferatur particula non est consecranda, neque pro dando Viatico infirmo, tunc enim sufficeret, si Sacerdos ex sua hostia parvam portionem separaret. *ibid.* §. 5.

Si forte contingat, ut pyxis deferatur ad altare, nec Sacerdos illam advertit, adeoque proferens verba consecrationis nihil cogitans de pyxide, tunc utique si pyxis non sit supra petram sacram, non censetur voluisse Sacerdos consecrare; alioqui enim censeretur voluisse illud, quod sibi illicitum est. Quamvis vero sint DD. qui contrarium censent, cum tamen in Sacramentis conferendis sequi teneamur opinionem tutiorem, relicta probabili, ideo in eo casu particulas illas non esse populo distribuendas, sed adservandas, ut in alia Missa sub conditione consecrentur, satis constat. *ibid.* §. 6.

Si celebranti sint præsentes undecim hostiæ, & ille habeat intentionem consecrandi solum decem, nec determinet quales, nulla ex illis esset consecrata, ut ex Rubricis discimus. Quare debet Sacerdos intentionem suam ita dirigere, ut velit omne consecrare quidquid ante se positum est. Ex quo intelligitur Sacerdotem, qui cum hac intentione habet in manu duas hostias, unam se tenere putans, utramque revera consecrare. *ibid.* §. 7.

Missam bis eodem die celebrare, quamvis adsit causa necessitatis, nemo potest, etiamsi Parochus sit, nisi saltem Episcopi licentia accedat; quæ tamen datur ob causas singulares, non tanquam privilegium. Ita Pontifex in Bulla DECLARASTI. Bull. *Tom.* 2. *n.* 3.

Sacerdos, qui sacrum facere quotidie per seipsum debet, potest aliquando illud omittere, tum quia ea præsumitur voluntas fundatoris, tum ad majorem pietatem sibi comparandam, ut ex Cap. *Significatum de Præbendis*; non tamen potest, qua die vacat, sacrum agere, & alicui attribuere, percepta eleemosyna. *De Sacrific. Miss. lib.* 3. *cap.* 22. *n.* 4.

Sicut nec potest duplicatum stipendium pro eadem Missa accipere applicando uni fructum medium, alteri specialissimum, & contrariam sententiam proscripsit Congregatio S. Officii, ac dein Alexander VII. Proposit. IX. inter damnatas. *ibid.* §. 5.

Sacerdos, qui Beneficium possidet, in cujus fundatione expresse cautum est non teneri celebrantem ad applicationem Sacrificii, num possit pro applicatione novum stipendium exigere non vetatur; sed neque reprobatur contraria sententia negans, & Decreta S. Congregationis Concilii non apparent. *ibid. c.* 22. §. 7.

Si tamen nihil expressum sit in fundatione ejusdem Beneficii, quod demonstret testatorem remittere applicationem sacrificii arbitrio Sacerdotis, tunc semper standum est pro obligatione applicationis pro testatore, ut ex Decretis S. Congregationis. *ibid.*

Missæ in altari privilegiato celebrandæ semper debent esse *De Requiem*, nisi cum aliud Festum duplex, vel Dominica dies occurrerit; tunc enim acquiritur indulgentia, etiamsi Missæ de Festo agantur. Perinde est autem sive altare istud privilegium habeat perpetuum, sive ad septennium, vel certis solum diebus in hebdomada. Si igitur testator jusserit celebrari sibi Missas in certis hebdomadæ diebus ad altare privilegiatum, & in dies istos incidat aliquod festum duplex, satisfit testatori cum Missa de festo. Idem dicas de diebus, in quibus duplex quidem non currit, sed Missæ pro defunctis vetantur. Hæc omnia ex Decretis variorum Pontificum, quorum postremus est Clemens XI. *De Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 23. §. 8.

Missæ altaris privilegiati debent esse *de Requiem*, nisi cum inciderint in diem, in qua Missæ illæ celebrari non possunt, sive ratione Festi duplicis, sive alia quacunque. Ita ex plurimis Pontificum Decretis. *Inst. Eccl.* 34. §. 27.

Missæ privatæ de Requiem celebrandæ non sunt in Festis duplicibus, & Dominicis diebus, sicut nec infra Octavas Epiphaniæ, Paschæ, & Pentecostes, prima die Quadragesimæ, tota Hebdomada sancta, Vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, & Pentecostes; denique ex Decretis S. C. infra Octavam Corporis Christi, & Natalis Domini, sicut nec cum expositum est Vener. Sacram. *ib.* §. 28.

Solemnes, & cantatæ pro Defunctis Missæ qua die a testatore præscriptæ sunt, & illa sit vere annua illius obitus, celebrari possunt, etiamsi Officium sit de duplici majori, vel minori. Ita ex Decreto S. C. *De Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 23. §. 5. Non vero in Dominicis, & festis de præcepto, nec in iis, in quibus nec de duplici agi potest. *Inst. Eccles.* §. 5. *n.* 24. & *seq.*

Præsente corpore canitur quidem Missa pro Defunctis, *exceptis tamen duplicibus primæ classis*. Quæ verba sunt Decreti S. C. Rituum die 5. Julii 1698. attamen non satis constat, an id vetitum sit in omnibus duplicibus primæ classis, & non tantum in magis solemnibus. *De Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 23. §. 5.

Dies tertia, septima, & trigesima, quæ habent Missam cum oratione propria in Missali, nihil habent privilegii supra reliquas privatas. *ibid.*

Si Parochus duas regat Parœcias, nec populi unius possint in templum alterius convenire, ac desit alius Sacerdos, potest duas Missas eodem die celebrare. *De Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 5. §. 1. Debet tamen Episcopus saltem cognoscere, num revera sit tanta necessitas, ut bis celebrari opus sit.

Hic vero unicus est casus, in quo bis celebrare liceat; neque enim fas est Sacrificium repetere sive propter adventum hospitum etiam nobilium, etiam Principum, aut Episcopi, qui die Festo Missam non audierint, nec alius adsit Sacerdos; neque enim hæc est tanta necessitas, quanta requiritur in *cap. Consuluisti de Celebrat. Missarum*. Item ex eadem ratione non licet ob benedicendas nuptias, quæ differri alia die non possint. Tunc enim celebrari possunt nuptiæ sine Missa, & benedictiones in sequentem diem transferri. *ibid. l.* 3. *c.* 5. §. 3.

Sed quid si ministrandum sit Viaticum infirmo? Profecto si Sacerdos jam Missam absolvit, tunc utpote non jejunus, non licet ei rursus celebrare. Si Missam non absolvit, potest necessitati illi providere, dando partem hostiæ suæ. Si vero Sacerdos Eucharistia quidem, non vero ablutione percepta moneatur de Viatico infirmo ministrando, tunc utique potest aliam Missam celebrare. *ib.*

Cum in alicujus forte Ecclesiæ capella tam multas Missarum ibidem celebrandarum eleemosynas receperit, ut non possit infra hebdomadam illis satisfieri, mandavit S. C. Concilii, ut quæ supersunt in aliis altaribus ejusdem Ecclesiæ celebrentur, injunxitque simul, ut deinceps fideles eleemosynas oblaturi ea de re moneantur, scripta tabella in loco visibili Ecclesiæ exposita. *De Syn. Diœc. lib.* 7. *cap.* 7. §. 5.

Quamvis a Sacra Congregatione sæpius decisum fuit in Oratoriis publicis sitis intra fines Parochiæ juris non esse Paroeho prohibere, ne Missæ celebrentur ante Missam Parochialem; si tamen Episcopus in Synodo id prohibeat, ne populus retrahatur a Missa Parochiali, & concione, constitutio illa valet, & Episcopo parendum est. *De Syn. Diœc. lib.* 7. *cap.* 70. §. 7.

MISSA celebranda est ab aurora usque ad meridiem; toleratur tamen anticipatio tertiæ horæ partis, sicut & prorogatio tertiæ horæ partis post meridiem, ut ex edicto Benedicti XIII. *Inst. Eccl.* 12. §. 4. Jus habet Episcopus

pus vetandi etiam sub pœnis canonicis, ne Regulares intra consuetas horas celebrent, ut ex Decretis S. C. firmatur. *Inst. Eccl.* 60. §. 12.

Nemo ignotus sive sæcularis, sive regularis admittendus est ad celebrandam Missam, nisi adductis testimonialibus; iisque visis, & approbatis ab Episcopo; idque præcipi posse ab eodem Episcopo, saltem quoad Sacerdotes regulares exteros, etiam Regularibus censuit S. C. *Instit. Eccl.* 34. §. 4. & *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 41. §. 5.

Tridentinum *Sess.* 23. *c.* 4. monet Episcopos, curent, ut Sacerdotes non habentes animarum curam, diebus saltem Dominicis, vel Festis solemnioribus Missam celebrent. An committant peccatum grave Sacerdotes illi, si monito Tridentini non se subniserint, quæstio est anceps. Profecto peccaret graviter, qui nunquam per annum Sacrificium offerret; esset enim hoc indicium vitæ corruptæ, & pareret scandalum. *De Miss. Sacr. l.* 3. *c.* 1. §. 10. Teneretur etiam celebrare, ut ægroto Viaticum deferretur, si alio modo fieri non posset. *ibid.*

Missam quotidie celebrare melius est quam ab ea abstinere; negandum tamen non est, quin optime præstet Sacerdos si aliquando abstineat ex reverentia, seu ad hoc, ut ferventius celebret. Id vero eruitur ex eo quod ad spiritum Ecclesiæ propius accedit qui quotidie Sacramentum recipit. Addendum quod munus Sacerdotis est non privatum, sed publicum, estque ejus opus Ecclesiæ utile; & ex assidua celebratione validius auxilium obtinebit a Deo, ut dignius celebret. Quare statuendum, Sacerdoti, ut plurimum, quotidie celebrandum esse, si discussa conscientia sua persuadere sibi moraliter possit, se esse in statu gratiæ. Nec obstat minor fervor; cum illum persæpe patiamur inviti. *De Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 2.

In Oratoriis privatis, in quibus pro infirmo conceditur unica Missæ celebratio, die Natalis Domini fas est tres Missas ab eodem sacerdote celebrari, ut ex Decretis S. Congreg. *De Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 4. §. 8.

Episcopi quanquam non habeant amplius facultatem concedendi licentiam, ut in Oratoriis privatis celebretur, adhuc tamen possunt in suis domibus privatum Oratorium habere, & permittere aliis Sacerdotibus, ut in eo celebrent; ut ex Decretis Sacr. Congregationis. *De Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 6. §. 1.

Hæc etiam celebratio præstari rite ibidem potest, etiam absente Episcopo; atque ibi audientes Missam quicunque fideles præcepto ecclesiastico satisfaciunt. Denique quod hic dicitur de Episcopis, valet etiam pro Cardinalibus non Episcopis. Animadvertendum est tamen valere hæc pro Oratoriis Episcopi in suis domibus, in quibus certus, fixusque locus est assignatus. *ibid. lib.* 3. *cap.* 6. §. 6.

Si Missa omnino celebranda sit, nec possit in templis, vel etiam in Oratoris privatis, licet illam celebrare in loco non indecenti, quicunque tandem ille sit, ut planum fit exemplo Capellanorum in Castris; eorum etiam qui per infidelium regiones iter faciunt, & etiam in littore maris respectu navigantium. *De Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 6. §. 7.

Ut celebretur Missa in mari peculiare privilegium requiritur, nec sufficit clausula generalis, quo facultas fit celebrandi *in loco honesto, ac tuto*. Non conceditur autem, nisi cum conditione, ut totum sit navigium, longe absit a littore, tranquillum sit mare, ac tandem adsistat celebranti alter, vel Sacerdos, vel Diaconus. *ibid.*

Sacerdos Missam celebrans etiam in necessitate dandi Viatici infirmo absque uno e sacris indumentis; peccat graviter ex irreverentia; neque enim urget Viatici præceptum, si ministrari non possit eo modo, quo decet. *ib. lib.* 3. *cap.* 7. §. 1.

Idem dicas, si absque luminibus, quæ sint oportet sive ex cera, sive ex oleo, & si desint, in necessitate saltem e sevo; sufficit tamen, si necessitas urgeat, unicum lumen. Idem dicas, si celebret absque Missali Libro, in quo sit saltem Canon. Hæc ex DD. *ibid.* §. 2.

Peccat etiam Sacerdos celebrans sine ministro, ut eruitur ex *cap. Proposuisti, de Filiis Presbyterorum*. Si tamen sit ministrandum Viaticum, potest Sacerdos sine ministro Missam celebrare, & sibi ipsi respondere. Alias præstat omittere Missam, quamvis si hoc agat, sunt qui negent illum peccare. *ib.* §. 3.

In templo polluto celebrans Sacerdos, quamvis peccet graviter, ut ex *cap. Is qui de sent. excomm. in* 6. nullam tamen pœnam incurrit, cum nulla sit in jure expressa; quin nec desunt, qui credant eum minime peccare si adsit Episcopi consensus.

Vicissim autem irregularitatem Summo Pontifici reservatam incurrit, qui in loco interdicto celebrat, ut ex eodem *cap. Is qui ibid.* §. 4.

Sacerdos ratione beneficii obstrictus bis, vel ter singulis hebdomadibus celebrare, potest anticipare tempus, nisi appareat testatorem voluisse in qualibet hebdomada bis vel ter celebrari, ne pagus, aut altaria quædam singulis hebdomadibus Missa carerent. *De Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 9. *n.* 8.

Si conferens eleemosinam Missæ tempus præscripserit ob causam, quæ differri non possit, Sacerdos non servans illud tempus deest obligationi suæ, ac tenetur eleemosynam restituere. *ibid.* §. 6.

Sacerdos onus habens Missæ quotidianæ, unicam tantum Missam applicare cogitur in Festo Natalis Domini. An vero Parochus itidem teneatur tres ejus diei Missas pro populo applicare nunquam decisum a S. Congregatione reperitur, tenetur tamen ut obviet scandalo tres ea die Missas celebrare. *ib.* §. 9.

Sunt qui doceant die Commemorationis Defunctorum cessare onus Capellaniæ quotidianæ, adeoque integrum esse capellano ea die vel pro defunctis omnibus, quod esset optimum, vel pro privato quodam defuncto applicare. *ibid.* §. 9.

Canonici in Cathedralibus, & Collegiatis, qui juxta præscriptum Rubricæ certis quibusdam diebus plures Missas canere tenentur, an omnes debeant applicare pro benefactoribus nunquam a S. Congreg. decisum est. *ibid.* §. 9.

Eleemosyna pro Missis a Regularibus celebrandis in eorum Ecclesiis, taxanda est ab Ordinario loci; ut ex Decreto S. Congreg. *Inst. Eccl.* 56. §. 10.

Missarum eleemosynam ultra quantitatem ab Episcopo taxatam exigere non possunt Sacerdotes tam sæculares, quam regulares; nam debet dari quædam proportio inter id quod datur, & quod accipitur, hanc autem proportionem definire ad Episcopum spectat; quare justitiam comutativam lædit ille Sacerdos, qui plus exigeret. Potest tamen dans ultro plus dare, & petens minus accipere, quanquam fieri possit, ut aliquando prohibeatur Sacerdos minus accipere, ne hinc consuetudo introducatur minus dandi in præjudicium aliorum. Hæc omnia late in *Synod. Diœces. l.* 5. *c.* 2. & id quod postremo dixi, confirmat ex Decreto Congregationis Concilii lato in una S. Severini *die* 16. *Julii* 1689.

Missarum stipendia si quæ accepta sunt pro curanda celebratione Missarum retineri non possunt parte eorumdem tradita Sacerdoti celebranti, etiamsi pars illa contineat consuetam eleemosynam. Secus qui fecerit, & laicus colligat Missas in loco ubi datur majus stipendium ac committat easdem Missas celebrandas alteri Sacerdoti minori stipendio, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, incidit in excommunicationem. Sacerdos vero seu Clericus in suspensionem ipso facto; quæ excommunicatio & suspensio Pontifici Romano est reservata. Constit. *Quanta cura*. *Bull. Tom. I. n. XXII.* vide *Instit. Eccl.* 56. §. 4.

Vetitum est accipere novas Missarum eleemosynas iis, qui veteres habent satisfaciendas, *dummodo*, ut legitur in Decreto Urbani VIII. *infra modicum tempus non possit omnibus satisfieri*. Modicum tempus definivit S. C. Concilii esse unum mensem. *De Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 24. §. 14.

Si Ecclesia, & loca pia careant reditibus, adeo ut non possint licite illos erogare in expensas pro Missarum celebratione, fas ejus administratoribus est aliquid subtrahere de consueta eleemosyna, quantum necesse est pro celebratione illius Missæ, ut ex Decr. Urbani VIII. certum est. Sed ex pluribus Decretis Sacræ Congr. eruitur de-

detrahi in eo casu aliquid posse ex eleemosyna in Missis perpetuis: tunc autem videndum est, num adsit aliquis, qui sit obligatus supplere, & num potius supplendum sit recurrendo pro diminutione numeri Missarum.

Sive autem Ecclesia sit paupercula, sive non, non potest aliquid exigi ab iis Sacerdotibus, qui sponte religione ducti veniunt in aliqua Ecclesia celebraturi, sicut etiam ab iis, qui ab administratoribus Ecclesiæ eleemosynam nullam recipiunt.

Jure tamen exigitur hæc detractio ab iis qui omnino ibi celebrare volunt, nec Ecclesia habet de suo quomodo utensilibus provideat, nec de suo providet ille, qui eleemosynam suppeditavit. Hæc omnia *De Sacrif. Miss. l.* 2. *cap.* 24. §. 13.

De eleemosinis receptis pro Missis Sacristæ regulares tenentur illas ponere in arcâ duabus clavibus obserata, quarum alteram tenere debet Superior localis, alteram unus ex Regularibus a Capitulo deputatus, ac dein de satisfactione earumdem Missarum tenentur reddere rationem coram Patribus discretis, ut ex Decreto Urbani VIII. ab Innocentio XII. confirmato constat. *Instit. Eccl.* 72. §. 29.

Missæ nec ita breves esse debent, ut saltem horæ tertiam partem non attingant, neque ita longæ, ut horæ dimidium excedant. *De Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 24. §. 2. Vide *Instit. Eccl.* 34. §. 19.

In Missæ celebratione ne quis Episcopus concedat licentiam tegendi caput coma fictitia vetuit Innoc. XI. in sua Encyclica apud la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 401. idque pariter locum habere in parvo pileolo ex Theologis docetur. *Inst. Eccl.* 34. §. 14. Gyro tamen capillitio, vulgo, *girello*, uti passim etiam Romæ Sacerdotes ibidem notatur. *Eadem Inst. Eccl.* §. 4.

Annulum etiam in digito gerere dum Missa celebratur cujuscumque dignitatis nemo potest, vetante S. Rituum Congregatione. *ibid.* §. 15.

Nec licet etiam Protonotariis non participantibus adhibere in Missa instrumentum argenteum cum candela, ut ex Decreto apud Monacellum. *ib.* §. 17. quod etiam Superioribus Ordinum Mendicantium, & Parochis vetuit S. C. cujus literæ hic referuntur §. 16. Quin & juxta Decreta Alexandri VII. Abbatibus Regularibus consecratis id non licet, nisi in Missa solemni, cum Pontificalibus utuntur, ut ex Decretis S. C. *ibid.*

Pari passu cum hoc argenteo instrumento procedendum est cum assistenti. *ibid.* §. 18. ut ex Decreto S. C. Rituum. *ibid.*

Missæ privatæ feria V. in Cœna Domini, & sabbato sancto prohibentur non Decretis tantummodo S. C. Rit. sed etiam edicto Clementis XI. die 15. Maji 1712. *Inst. Eccl.* 38. §. 9.

Novus Sacerdos in celebrationæ primæ Missæ vetatur Ecclesiam circuire sacris vestibus indutus, ut recipiat oblationes; potest tamen se vertere ad altare, & ibi eas accipere ex Decreto S. C. *Inst. Eccl.* 56. §. 7.

Sacerdos in alia Diœcesi celebrans Missam non potest nomen Episcopi sui nomini Episcopi illius Diœcesis substituere, ex Pouget, & Merato. *De Sacrif. Miss. l.* 2. *cap.* 17. §. 4.

Sacerdos die Natali Domini non tenetur ex præcepto tres Missas celebrare, sed potest unicam. *De Sacr. Miss. tib.* 3. *cap.* 4. §. 5.

Missa cantata in eo distinguitur a solemni, quod cantata fit cum cantu chori, sed unico Ministro assistente; solemnis vero habet adjunctum Diaconum cum Subdiacono; idcirco si testator mandat cantari sibi aliquam Missam non requiritur Diaconus, & Subdiaconus. *Inst. Eccles.* 105. §. 119.

Commentitia est distinctio inter Rubricas præceptivas & instructivas. *De Sacr. Missæ cap.* 11. §. 3. sed omnes sunt præceptivæ, sed aliquæ ex materiæ parvitate sub veniali tantummodo obligant. *ibid.*

Nulla urgente causa leve peccatum est celebrare Missam privatam non recitatis Matutino, & Laudibus. At si de Missa Conventuali agatur, mortalis criminis reus videri posset ille, qui ante Matutinum, & Laudes eam celebraret (nempe ante eam partem Officii in Choro celebratam). Sicut & peccato gravi se obstringeret; qui perpetuo, & quasi animo statuisset numquam Missam celebrare Matutino cum Laudibus recitato. *ibid.* §. 4.

Nemini licet ab altari recedere cœpta Missa, relicto alio Sacerdote, ut reliqua suppleat, ut statuitur in Canone *Nullus Episcopus de Cons. dist. I.* Quod ibi vetatur sub pœna suspensionis, quæ tamen est ferendæ, non latæ sententiæ; nec locum habet, si Sacerdos ante consecrationem ab altari sine causa recesserit. *ib. c.* 14. §. 2. ubi id definitum a S. C. affertur.

Si contingat, ut Sacerdos dum Missam celebrat subito morbo corripiatur, vel mortuus concidat, vel hoc accidit ante consecrationem, nec tunc opus est Missam ab alio continuari; si vero post consecrationem unius, vel utriusque speciei, tunc supplenda est Missa, & quidem ex præcepto, a Sacerdote initio inde sumpto, ubi alter sacerdos desierit; & si prior ille Sacerdos adhuc vivat, & capax sit Sacramenti, nec alia præsto sit hostia consecrata, ex hostia Sacerdotis secundi pars infirmo ministranda est; ut in Rubricis Missalis. *ibid.* §. 4. & 5.

Sacerdos Missam suppleturus præstare id potest si alius non adsit, etiamsi non sit jejunus, quin etiam si in statu gratiæ non versetur; tunc enim quærendus ab illo est Confessarius, & si non reperiatur, eliciendus actus contritionis, atque ita comparatus Missam perficiat. At si neque conteri posset, neque Missa ab altero perfici ante meridiem, tunc hostia & calix recondendi sunt in tabernaculo, ut ad alteram diem reserventur. Hæc omnia ex Rubricis, & DD. *ib.* §. 7. & 8. Ex hoc conficitur quod laico, si fuerit præsens, hostia illa, & calix dari non potest. *ibid.* §. 6.

Si Sacerdote Missam celebrante violetur, vel polluatur subito templum ante incœptum Canonem, Missa intermittenda est; eo vero incœpto perficienda, ut ex Rubricis. *ibid.* §. 12.

Si dum celebratur incidat subita irruptio hostium, vel imminens alluvio, aut ruina templi, ante consecrationem deserenda est Missa, post consecrationem sumendum statim Sacramentum, omissis aliis cæremoniis. Si vero casus isti incidant, hostia quidem, sed nondum sanguine consecrato, potest Sacerdos hostiam statim sumere, & abire, nisi forte in casu, quo Christianæ Religionis hostes in contemptum ejusdem Religionis minitentur Sacerdoti mortem, nisi sacrificium imperfectum relinquat. *ib.* §. 13.

Superveniente excommunicato non tolerato, Missa, si nondum perventum est ad Canonem, vel ut quidam volunt ad consecrationem, nec ille possit abigi, deserenda est; post consecrationem perficienda. Sed sumpta communione reliqua perficienda sunt, vel in Sacristia, vel in alio loco decenti. *ibid.* 8. 14.

Rite pariter interrumpitur Missa, etiam interruptione longa, vel ad baptizandum infantem moriturum, qui alioqui sine Baptismo moreretur, vel ad audiendam confessionem infirmi, qui alioqui non confessus obiret; vel etiam ad Extremam Unctionem administrandam. Curandum tamen tunc esset a Sacerdote, ut Sacramentum interim diligenter custodiatur, & cum redierit resumenda Missa est ex eo loco, ubi fuerit intermissa. *ib.* §. 15.

Si recitato jam Evangelio, & Symbolo superveniat vir Princeps, laicus, seu ecclesiasticus, qui Missam die Festo non audierit, negant plures DD. posse ex integro Missam resumi. *ibid.* §. 16.

Bened. XIII. in Romano Concilio, uti Pontifex Innocentius XIII. Præfectis Regularium ante præscripserat, monuit, ne in taxanda pecuniæ summa pro Missis perpetuis sexaginta scuta Romana definirent non excedendo, nec minuendo. *De Sacr. Miss. l.* 3. *c.* 22. §. 9.

Missæ S. Gregorii, quæ a S. C. olim prohibitæ sunt, erant quædam Missæ peculiares, ineptiis refertæ. Cæterum triginta Missas continuatas juxta consuetudinem a S. Gregorio inductam non vetuit, quas tamen celebrare debet Sacerdos juxta ritum Ecclesiæ; quare tribus diebus

Ma-

Majoris Hebdomadis intermittendæ sunt. *ib. cap.* 25. §. 3. *& Instit. Eccl.* 34. §. 21.

Episcopus potest quidem visitare Parochiales Ecclesias Regularium, sed num possit etiam recognoscere de oneribus Missarum, an sint impleta, requisita fuit S. Congregatio, & nondum prodiit responsum. Potest tamen Episcopus inquirere, num Parochus regularis singulis diebus festis pro populo celebraverit, cum id concernat curam animarum, de qua jus est inquirendi Episcopo in Visitatione. *De Synod. Diœces. Lib.* 13. *Cap. ult.* §. 5. *nov. edit.* Fas est tamen Episcopo visitare Confraternitates Laicorum in Ecclesiis Regularium erectas, & altare, si illis incumbit onus manutenendi, & onera Missarum, ad quæ Confraternitates illæ tenentur, ut ex Decreto S. Congregationis. *ibid.* §. 6.

Si testator Missas reliquerit quotannis celebrandas in Ecclesiis Regularium, & hæredi suo permiserit, ut designet Sacerdotem, per quem celebrari debeant, non possunt Regulares exigere, ut unus ex suis designetur, quin & præstare debent patientiam, ut ab eo, quem hæres designarit, in suis Ecclesiis celebrentur, dummodo tamen dentur frustatoriæ, ut ex responso S. Congr. *ib.* §. 7.

A mandatis, & monitoriis &c. per quæ retardetur executio provisionum, & statutorum pro divino cultu conservando, & augendo, præsertim circa Missæ celebrationem, ad executionem Decretorum Trid. *Sess.* 21. *de Ref. Cap.* 8. *& Sess.* 22. *in Decret. de Observand. & evitand. in celeb. Miss.* ne recipiantur in Tribunali actus Judiciales, per quos eorum executio impediatur sancitum est a Pontifice in Bulla AD MILITANTIS, Bull. *T.* 1. *n.* 48. §. 6.

Eucharistiam fidelibus administrare infra actionem Missæ, non sunt obligandi Sacerdotes, si Parochi, seu Episcopi censuerint præstare, ut hæc administratio fiat in altari, ubi SS. Eucharistia adservatur extra Missam. Encyclica ad Episcopos Italiæ CERTIORES EFFECTI. *Bull. Tom. I. n.* 64.

Missam auscultare diebus festis in quacunque Ecclesia, etiamsi non sit propria Parochialis, cuicunque fideli, ut præcepto satisfaciat, fas est, ut consuetudo ubique obtinens, quæ proinde induit rationem juris communis, demonstrat. *De Syn. Diœc. Lib.* 7. *Cap.* 64. §. 10.

Sacerdotes sæculares in Ecclesiis Regularium illorum Missam legere vetantur, sed utendum est illis Romano Missali, ita tamen, ut possint de Sancto, de quo Regulares illi agunt officium, Missam recitare; eam desumendo ex Communi Missalis Romani, ut pro Capellanis, & Confessariis Monialium decrevit S. Congregatio, Clemente XI. Decretum approbante. *De Sacrif. Miss. Lib.* 3. *Cap.* 23. §. 1. *& Institut. Eccles.* 34. §. 26.

Missarum onera a Fundatore Beneficii præscripta non licet Episcopo diminuere, quoties fructus relicti decrementum subierint, non enim posse ab Episcopo reduci Missas semper renuit S. Congr. Concilii; facultas vero ad hoc data in Concilio Trid. *Sess.* 25. *de Ref. Cap.* 4. ut Episcopi possent Missas in testamento, vel dispositione inter vivos adsignatas reducere in Synodo Diœcesana, & Generales Ordinum in suis Capitulis Generalibus, intelligitur tantummodo de oneribus Missarum impositis ante Concilium Tridentinum, & de reductione facienda in Diœcesana Synodo, vel Capitulo proxime post expletum Concilium Tridentinum habendis, ut exposuit S. C. *De Syn. Diœc. Lib.* 13. *Cap. ult.* §. 18. *nov. edit.*

Modo insuper non licet Episcopis &c. id præstare in suis Synodis &c. quia id vetuit Urb. VIII. & Innoc. XII. in sua constitut. de qua *ib.* ex vi quorum neque licet Episcopo reducere eadem onera antequam acceptentur ab iis, ad quos pertinent; uti definitum est a S. Congregatione. *ibid.* §. 19.

Cum datur Episcopis facultas reducendi *pia legata*, *& Missarum onera*, adhuc tamen ex contextu totius Dispensationis constat nihil illis concessum esse quoad reliqua legata, sed tantum quoad onera Missarum. *ib.* §. 22.

Si aliqua dispositio Missarum onera, & alia pia opera comprehendat, & ob tenuitatem reditnum reductio aliqua facienda sit, reducenda esse prius reliqua onera, quam numerum Missarum censuit Sacra Congregatio. *ibid.* §. 23. Quanquam hæc vera sunt, nisi ex toto contextu dispositionis alia fuisse mens Fundatoris deprehenderetur. *ibid.* At si Episcoporum auctoritas quoad hanc reductionem profluxerit ex ampliatione Indulti Concilii Romani sub Benedicto XIII. vel ex instructione quadam tradita a S. C. & res fuerit, ut vel numerus Missarum, vel alia opera pia sint imminuenda, tunc præstat recurrere ad S. Congregationem Concilii. *ibid.* §. 34.

Insuper ex vi concessionis prædictæ non possunt redigi Missæ, quarum celebrationi Ecclesia &c. per contractum sese obstrinxit, hoc enim cavetur expressis verbis in præmemorata Constitutione, *ibid.* §. 25.

Si testator Missas aliquot annuas pro se reliquerit celebrandas, & in eum finem hunc, vel illum fundum addixerit, & fundus ille diminuatur, ut non sufficiat ad consuetam Missæ eleemosynam, non est locus reductioni, sed cogendus est hæres, ut suppleat quod deest; præsumitur enim testator semper voluisse hunc Missarum numerum in favorem animæ suæ. Porro si verba dispositionis incipiant ab impositione oneris, & postea descendant ad assignandum fundum, tunc utique cum particula ista sit demonstrativa, fundus si deficiat, supplendus est ab hærede. Si vero dispositio illa incipiat a designatione fundi, & subinde descendat ad onera Missarum, tunc utique impetranda est *taxativa*, adeoque locus est reductioni, nec cogendus est hæres, ut suppleat. Quæ omnia exprimi solent in Istructione de qua supra. *ibid.* §. 32.

Si testator mandet hæredi dare fundum legatario, ut ex ejus reditibus celebrentur Missæ; hæres facta fundi assignatione ad nihil aliud tenetur, ut ex DD. & Decisione Rotæ coram Certo, *ibid.* §. 33. Si vero testator mandasset hæredi, ut tot præstaret fructus sufficientes ad injunctam Missæ celebrationem, & ipse fundum idoneum dedisset, si fructus ille dein non sufficiat, supplendus est ab hærede. *ibid.*

In reductione Missarum perpetuarum per ampliationem Concilii Romani facienda, stabiliri solet eleemosyna seoaginta scutorum monetæ Romanæ: quoad Missas vero cantatas assignanda est eleemosyna consueta pro iis Missis in qualibet Diœcesi vigens, ut ex Decreto S. Congr. *ibid.* §. 34. At si celebrandæ sint simul aliquot Missæ cantatæ, & aliquot privatæ, nec sufficiant reditus, erogandi sunt illi in celebratione Missarum privatarum, delato onere Missæ cantatæ, ut ex Decreto S. C. *ibid.*

At si reductio fiat ab Episcopo vigore facultatis in Instructione contentæ, statuendum est, ut Missæ celebrentur, non quidem ea eleemosyna, quæ ex Indulto Concilii Romani præfixa est, sed ad rationem eleemosynæ manualis in Diœcesi obtinentis; ita enim constat ex verbis ipsius instructionis. *ib.* §. 35.

Si Episcopus ab Apostolica Sede obtinuit facultatem reducendi Missas in sua Diœcesi, potest etiam reducere pro Regularibus, ut Delegatus Sedis Apostolicæ, si ad illum recurrant. *ibid.*

Ne novæ aut inusitatæ orationes in Missa recitentur vetitum est in Bulla *Quemadmodum preces Bull. Tom. I.*

Non promoti ad Presbyteratum, si Missam celebrent, tradendi sunt a Judicibus S. Inquisitionis Curiæ sæculari puniendi ex Constitutionibus Pauli IV. Sixti V. & Clementis VIII. Item Urb. VIII. in Constit. *Apostolatus officium* iis pœnis subjicit etiam minores annis XXV. dummodo XX. expleverint. Has Constitutionis innovat Bened. XIV. in Bulla *Sacerdos in æternum Bull. T. I. n.* 97. & addit singulas testium depositiones, nempe quando testes in suis depositionibus sunt singulares, valere ad reorum torturam. Valere autem ad pœnam si Ordinarius declaraverit per simplices literas reum a se non esse promotum. In eadem Bulla iisdem Constitutionibus subjicit hos reos celebrantes unam tantum Missæ partem, dummodo elevationem peregerint. Si reus has exceptiones, sic a Pontifice sublatas prætenderit, sive illæ conjunctim considerentur sive singulatim, non tamen satis est hoc, quominus

nus tradantur brachio sæculari si sint laici, & si clerici quominus procedatur ad degradationem & traditionem brachio seculari. Declarat insuper Pontifex eisdem pœnis submitti quoscumque non Sacerdotes Sacramentalem confessionem audientes & absolutionem impertientes. Si tamen non sit prolata absolutio, tunc a Judice ecclesiastico minor pœna est injungenda: *ib.* §. 8.

Benedictus XIV. concedit Præsbyteris Latini ritus in Russia Polonica degentibus Missas celebrantibus in Ecclesiis Ruthenorum unitorum, ut deficientibus altaribus seu lapidibus consecratis, & calicibus aureis vel argenteis, Missam celebrare possint super antimensia eorumdem Ruthenorum, Latino tamen ritu, Bulla *Imposito nobis*. *Bull. Tom. III. n.* 93.

MONIALES

Monialium professio religiosa ante decimum sextum ætatis annum expletum, & exactum annum novitiatus emissa irrita est ex Trident. *Sess.* 25. *c.* 15. *De Synod. Diœc. l.* 13. *c.* 12. §. 1. *nov. edit.* Excipiuntur tamen mulieres, quæ pœnitentes, aut Convertitæ appellantur; cum quibus constitutiones earum circa probationem servandæ sunt, non obstante Conciliari Decreto de Monialium professione, ut ex Decreto S. C. Concilii. *De Syn. Diœc. l.* 13. *cap.* 12. §. 1. *nov. edit.*

Hæc Conciliaris sanctio de anno probationis valet etiam pro illa, quæ, usa Privilegio bimestris post conjugium, Religionem ingreditur, & quamquam id cedat in incommodum illius, qui in sæculo remanet, ut non possit transire ad alias nuptias; nisi postquam conjux Religiosa anno probationis exacto professionem emittit. *ib.* §. 2. Quin & accidere potest, ut biennium expectandum illi sit, si conjux Religiosa anno probationis fere exacto Religionem mutaverit, & in ea novam probationem instituerit.

Si novitia ordinis Prædicatorum in mortis articulo professionem emiserit ante expletum annum probationis, quod ex Bulla S. Pii V. illis concessum est, nec facile derogatum illi est ex posteriori Bulla Gregorii XIII. qua professio ante expletum annum probationis irritatur, ea quidem professio valet ad spirituales gratias lucrandas, non vero ad vindicandam Monasterio dotem, & reliqua bona professæ, ut ex sæpius decisis a S. Congr. Concilii. *ib.* §. 6.

Sponsa per verba de futuro alteri oppignorata, addito utriusque juramento de contrahendo, & consummando Matrimonio, potest ante initum conjugium Religionem ingredi, juxta illud, *Promissum non infringitur ab eo, qui in melius illud commutat, Cap. Pervenit de Jurejur.* Et definitur in Cap. *Commissum de Sponsal.* quamvis ibi dicatur tutius esse si ineat Matrimonium, tum Religionem ingrediatur, quod tamen vel est de consilio tantummodo, vel sponsalia tunc non inferebant aliam promissionem, nisi de conjugio celebrando; non vero de celebrando, & consummando, uti nunc ferunt. *ib.* §. 8.

Matrimonio rato, non consummato, integrum est mulieri Religionem approbatam ingredi, & per professionem in ea conjugii vinculum dissolvitur. Hæc tamen valent pro veris, & approbatis Religionibus, in quibus tria vota substantialia emittuntur, ut est etiam ordo Equestris Hierosolymitanus, non vero cæteri Equestres Ordines, ut ex Trid. *Sess.* 24. *de Matrim. c.* 6. & traditis a DD. *ibid.* §. 9.

Consummato jam conjugio, si liber utriusque conjugis consensus intercesserit, potest utique mulier Religionem ingredi (idem de viro dixeris), & in ea profiteri; si tamen & alter conjux consentiat in Religionem ingredi si junior est, vel si senex extiterit, emittat votum simplex castitatis. Si vero ab alterutro, vel revocetur consensus libere præstitus ante alterius professionem, vel etiam post professionem valide emissam; si non adimpletæ fuerint conditiones superius expressæ, conjux religiosus eo petente egredi e Religione tenetur, ut definitum in Cap. *Præterea de Convers. Conjug.* Can. *Quia Agatho* 27. *Qu.* 2. Cap. *Cum sis, de Convers. Conjug. ib.* §. 10. 11.

Non vero sufficit, si muliere Religionem ingressa, alter conjux non senex sacros Ordines suscipiat, ex Constitut. Joannis XXII. *Antiquæ*, tit. *De Voti redemptione*.

Si vero legitime probatum fuerit adulterium uxoris, quæ dein transit ad Religionem, tunc integrum viro est in sæculo manere, dummodo tamen castitatis votum emittat. Ita ex Decis. a S. Congr. *ibid.* §. 15.

Quin & in eo casu, si ex Episcopi testimonio constet virum in sæculo manentem vitæ esse probatæ, conceditur illi per indultum, ut nullo se castitatis voto obliget, adeo ut post uxoris mortem possit ad alias nuptias transire. Ita ex resolutis a Congreg. *ibid.* §. 16.

Concessum est etiam aliquando indultum viso sexagenario majori, ut Sacerdotio initiari posset, dummodo uxor fere sexagenaria perpetuam castitatem voveret. *ibid.* Concessum est etiam, ut vir septuagenarius de consensu uxoris acciperet sacros Ordines, & uxor paris ætatis Tertiariæ habitum indueret, dummodo diversas omnino ædes incolerent.

In ingressu Monialium in Monasterium dotis solutio approbatur ea, quæ datur non ad ingressum in Religionem, sed pro contractu, quem facit Religio cum illa, quæ ingreditur, obligans sese ad ejus substentationem. Si vero Monasterium per se sit dives, ut sufficere ex suis possit Monialium substentationi, tunc utique præstaret dotem imminuere, quin etiam penitus remittere, quamquam id agendum non est, nisi prius consulta S. Congreg. Concilii. *De Synod. Diœc. l.* 7. *c.* 58. §. 6.

Quoad prandia, cœnas, & munera, quæ ab ingrediente Moniales exigunt, perseverare censet Pontifex prohibitionem factam ab Urbano V. Extrav. 1. *De Simonia* inter Comm. *De Synod. Diœc. l.* 7. *c.* 58. §. 6.

Modum tamen imponendum sumptibus apparatuum, & commessationum ac pomparum, quæ fiunt in ingressu Monialium, censet Pontifex, usus opportune hac in re doctrina Navarri in *Tr. de Redd. Eccl. in fin. pr. q. ib. n.* 7.

Moniales Regularibus subjectæ ex Trident. *Sess.* 25. *de Regul. c.* 6. Ordinario loci tanquam Delegato subjiciuntur quoad clausuram. Id vero declarans Gregorius XV. in Constitutione sua *n.* 18. statuit Confessarios earum regulares ab ipsis suis Superioribus deputatos pro confessionibus Monialium ab Episcopo approbandos esse. Eidem etiam Episcopo reddendam esse rationem ab iis qui bona illarum administrant, aecitis tamen tunc etiam Superioribus Regularium, qui si renuerint, tunc id præstet per se Episcopus. Datur etiam Episcopo auctoritas præsidendi una cum Superiore regulari, cum Antistites Monasterii eliguntur. Denique conceditur Episcopo, ut si Regulares forte in ordine ad clausuram deliquerint, puniat illos, & corrigat usque ad censuras. Alexand. VII. in sua Const. 153. concedit Superioribus regularibus jus ingrediendi septa Monasterii earumdem Monialium semel quotannis occasione visitationis. Sæpius vero ex causa urgenti vetuit ne ingrederentur nisi præsente Episcopo, vel alio Ecclesiastico, ab eodem deputato. *Inst. Eccl.* 29. *n.* 4. 5. Contraria quoad hæc omnia consuetudo etiam immemorialis a S. C. sæpius reprobata est. *ib.* §. 7. *&c.*

In visitationibus Monasteriorum Sanctimonialium, non tenetur Episcopus denuntiare illis diem, & horam visitationis, sicut nec tenetur ducere secum superiorem regularem ejusdem Ordinis. *ibid.* §. 8. Potest etiam Episcopus Monialibus Regularibus subjectis sacram Eucharistiam ministrare, si ipsæ velint. *ibid.* §. 9.

In Monasteria Monialium introduci pueros, & puellas tenellæ ætatis vetandum est, ex more Romæ obtinente. *ibid.* §. 24.

In electione Abbatissarum, quæ præsint Monasteriis Regularibus subjectis, tenentur Regulares monere Episcopum, si velit interesse vel per se, vel per alium, ut ex Const. Gregorii XV. *n.* 18. quibus debet Episcopus manifestare suam voluntatem. At potest Episcopus in Synodo generaliter edicere velle se interesse omnibus istis electionibus, ex quo satis manifestat sua voluntatem. *De Syn. Diœc. lib.* 5. *cap.* 12.

Mo-

Monialium transitum de uno ad aliud Monasterium, cum Monialibus ultra montes concedit Summus Pœnitentiarius; qui tamen facultatis hujus executionem Ordinarii arbitrio committit. Bulla PASTOR BONUS, *Bull. T. I. n.* 95. & 96.

Translatio Monialium ab uno ad aliud Monasterium fieri jure nequit, nisi de licentia Romani Pontificis; nisi exigente aliquo repentino casu, in quo rei necessitas exigat repentinum egressum; tunc enim etiam pro Monialibus Regularibus subjectis, præter facultatem Prælati regularis, Episcopi licentia in scriptis requiritur. Bulla S. Pii V. DECORI ET HONESTATI.

Casus repentini indicantur in eadem Bulla, magnum incendium, infirmitas lepræ, ac epidemiæ, sive pestis. *De Syn. Diœc. l.* 9. *c.* 15. *nov. edit.*

Non licet autem absque facultate Sedis Apostolicæ egressum hunc permittere, etiamsi possint occurrere casus alii, qui videantur equipollere iis, quo S. Pius V. in sua Constitutione expressit, ut si ex. gr. sit aliqua Monialis, ex qua prudenter timeri possit periculum scandali, & perversionis aliarum. *ibid.*

Superiores Monialium tenentur bis, aut ter singulis annis exhibere Confessarios extraordinarios Monasteriis sibi subjectis, quibus tamen sic oblatis non tenentur Moniales confiteri peccata sua, sed solummodo se præsentare, ut saltem accipiant ab illis monita salutaria.

Si vero aliqua Monialis graviter ægrotet, ut sit in mortis periculo, petatque alium Sacerdotem, qui non sit ordinarius Monasterii Confessor, huic a respectivo Superiore annuendum est. Si vero Superior regularis illum concedere noluerit, potest id præstari ab Episcopo. Quin etiam si aliqua Monialis etiam extra prædictum casum postulet sibi per aliquod tempus alium Confessarium ab ordinario diversum, debet illi dari a suo Superiore. Quod si Superior Regularis id renuerit, tunc potest Episcopus satisfacere ejus petitioni, etiamsi requirat alterius Ordinis Regularem, vel etiam Sacerdotem sæcularem ex approbatis a Superiore ad Confessiones Monialium. Demum suadentur Superiores earundem Monialium, ut si aliqua ex illis petat pro majori animi sui quiete, & ulteriori progressu in via Dei, ut aliquando liceat sibi confiteri Sacerdoti ad excipiendas Monialium Confessiones jam approbato, etiamsi sit alterius Ordinis Regularis, vel Sacerdos sæcularis, non sint difficiles ad præbendum assensum. Requiritur tamen semper, ut Confessarius iste extraordinarius sit ex approbatis ab Ordinario ad Confessiones Monialium audiendas. Postremo si superiores regulares non saltem semel in anno elegerint in Confessarium extraordinarium, vel Sacerdotem sæcularem, vel regularem alterius Ordinis, in eo casu devolvitur hæc electio ad Episcopum. Hæc oblatio Confessarii extraordinarii bis, vel ter in anno, sicut & cætera omnia, quæ superius præscripta sunt, præstari debent etiam cum aliis mulieribus, sive regularibus, sive sæcularibus collegialiter degentibus, quæ unicum habent Confessarium. Hæc omnia ex variis S. C. Decretis olim stabilita confirmat Pontifex in Bulla PASTORALIS CURÆ *Bull. T. II. n.* 56.

Durante munere confessarii extraordinarii pro tota Communitate non licet Confessario ordinario audire confessiones alicujus ejusdem monasterii monialis, neque alterius cujuscumque intra septa monasterii aut piæ domus commorantis. *ibid.*

Quoad censuras, seu pœnas in casibus occultis etiam violatæ clausuræ, vel in dispensando aliquo occulto defectu Major Pœnitentiarius Confessarium Monialibus concedit. In casibus publicis clausuræ, a Monialibus, vel ab aliis quibuscumque ad malum finem delinquentibus non absolvit, nisi prius Ordinarius supplicarit, & casus a Congr. super Episcopos, & Regulares ad Pœnitentiarium delati fuerit. Bulla *Pastor bonus Bull. T. I. n.* 95. §. 37. & 38.

Annuæ præstationes, quas consanguinei solvunt designatis Monialibus, vitæ communi minime repugnant, sed requiritur, ut omnia manibus Præpositæ consignentur, quæ prius consulere debet indigentiis illius Monialis, in cujus gratiam collatæ sunt; & si quid reliquum, in cæterarum levamen erogetur. Ita ex pluribus Decretis, *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 12. §. 19. *nov. edit.*

Ingressus in Monasteria Monialium, quæ Regularibus subduntur; fieri debet de licentia Episcopi, nulla obstante consuetudine in contrarium, ut post diligens examen decretum est, approbante Urbano VIII. *ib.* §. 23. in quo etiam decreto statuitur, licentias Moniales illas alloquendi petendas esse ab Episcopo, non vero a Superiore regulari.

MONS PIETATIS

In Montibus pietatis de novo erigendis nihil ultra sortem exigi potest ab iis, qui mutuum ab eo accipiunt, etiam titulo expensarum, *nisi Apostolicæ Sedis dispensatione*, ut ex Decreto S. Congr. Concilii in Causa Neapolitana *die* 7. *Februarii* 1737. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 48. §. 2. Sicut neque absque beneplacito ejusdem Sedis plus exigi potest, quam antea fuerit consuetum, etiamsi hoc augmentum necessarium censeatur pro sübstentatione ministrorum, ut ex alio Decreto S. Congr. *ib.* §. 2. Si vero plus exigatur, quam opus sit ad expensas necessarias, tenetur Episcopus moderari istas usuras; tutius est autem quod consulat de hac re S. Congregationem. *ib.* §. 3.

MULCTA

Mulctas pæcuniaras Episcopus sibi addicere non potest, quantumvis pauper sit, sine licentia Sedis Apostolicæ, ut ex pluribus argumentis S. Congr. evincitur in *Tract. de Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 53. §. 2. Sed debent in usus pios expendi. Multo magis non possunt nisi in pios usus applicari illæ mulctæ, quas Tridentinum inflixit Clericis non residentibus, aut concubinariis. *ibid.*

Si quas vero mulctas Diœcesana Synodus alicui certo loco pio applicaverit, Episcopi non possunt illas sibi obtinere ab Apostolica Sede, etiamsi sint pauperes, quia Sedes Apostolica juri alteri quæsito præjudicium non infert. §. 3.

Has vero mulctas antequam applicentur suæ destinationi deponendas esse penes admnistratorem fidelem jussit S. C. in sua Encyclica ad omnes Episcopos, die 5. Februarii 1670. *ibid.* §. 4.

NEGOTIATIO

Constitutiones adversus Clericos negotiatores innovantur, & extenduntur ad Clericos sub laici nomine quomodolibet negotiantes.

Extenduntur item ad negotia a laicis inchoata, dein ad Clericos devoluta, sive hæreditario jure, sive quocunque alio titulo, sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive conjunctim cum aliis bonis, cohæredibus, vel sociis laicis existentibus.

Comprehendi etiam censentur illi Clerici, qui per seipsos, eorumque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine etiam per suos cohæredes, ac socios negotium exercent.

Hos omnes subjicit Pontifex quoad bona sic ab eis acquisita pœnis in Constitutione Pii IV. quæ incipit *Decens esse*, quæ est 19. inter Bullas ejusdem Pontificis. Pœnæ illæ sunt, ut bona sic acquisita sub spoliis debitis Cameræ Apostolicæ comprehendantur.

Si qui vero exempti sunt a pœna spoliorum ex Constitutionibus Pii IV. *Romanus Pontifex*, & Pauli V. *In eminentis*, illos pariter non exemptos quoad bona ex negotiatione provenientia decernit, atque declarat in Constitution. *Apostolicæ Servitutis*, quæ est XIII. *T. I. Bull.*

Negotiatio tamen impropria non est Clericis interdicta, ut ex. gr. manuum suarum labore, & honesto artificio victum sibi comparare, quod & Apostolus Paulus suo exemplo docuit, & a SS. etiam Monachis præstitum est. *De Synod. Diœc. l.* 7. *c.* 49. §. 2.

Licitum est etiam Clericis vendere res collectas ex propriis prædiis, sicut & eas, quas coemerunt ad familiæ suæ sub-

substentationem, quæ si superfuerint possunt vendere carius, quam emerint, intra limites tamen justi pretii. *ib.*

NUNDINÆ

Nundinæ a mercatis sedulo distinguendæ sunt; nam illæ semel in anno fiunt, vel raro in eodem loco, & de longinquo eo conveniunt populi; Mercatus vero est quo exponuntur venales res ad quotidianos usus necessariæ, & fiunt singulis hebdomadis, currentibus populis, e vicinis. Posteriores isti si incidant in festum de præcepto, transferendi sunt. Priores vero non sunt; quamvis apothecæ ea die claudendæ, sicut nec contractus fieri oportet Matutinis, & Vesperis horis quibus divina Officia in Ecclesia celebrantur. Ita pro Ditione Ecclesiastica jussit Benedictus XIV. in Constitut. AB EO TEMPORE. Bull. *Tom. I. n.* 144.

OBLATI MONASTERIORUM

Oblati, & qui Donati appellantur, quamvis non sunt Religiosi, si tamen bona sua, ne minima quidem parte excepta, quoad proprietatem, & usumfructum sibi non retinuerint, sed transtulerint in Monasterium, sunt personæ ecclesiasticæ, gaudent privilegio Fori, & immunitate ab exactionibus sæcularibus. Verum ut subtrahantur ab jurisdictione Episcopi requiritur, ut actu inserviant suæ Religioni, ut late docet Pontifex. *De Synod. Diœces. Lib.* 6. *Cap.* 3.

OBSTETRIX

Debent obstetrices diligentius examinari a Parocho, num sciant ea quæ necessaria sunt ad S. Baptismum conferendum. Tunc autem si baptizaverint, in templo supplendæ sunt cæremoniæ; non tamen iterum sub conditione iterandus est Baptismus indiscriminatim ex eo quod ab obstetrice, aliisve similibus tinctus est puer, sed inquirendum nunquid aliquid necessarium omiserint. *Institut. Eccles.* 8. §. 6.

OFFICIUM DIVINUM

In recitatione divini Officii pro aliqua morali difficultate dispensanda, commutare potest major Pœnitentiarius. Bulla PASTOR BONUS. *Bull. T. I. n.* 95. §. 30.

ORATIO

Indulgentiæ jam concessæ pro orationibus seu vocaliter, seu mentaliter, confirmantur in Bull. QUEMADMODUM. *Bull. T.* 2. *n.* 23.

Qui rudes homines pie orandi, seu meditandi exercitationem docuerint, quique institutionibus hisce interfuerint, toties quoties lucrantur Indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenas, dummodo vere pœnitentes sint, ac sacra Communione refecti: Const. QUEMADMODUM. *Bull. T. II. n.* 23. Item qui id præstiterint assidue, semel singulis mensibus, vere Pœnitentes, & sacra Communione refecti, & pro consueto Indulgentiarum more orantes, plenariam Indulgentiam animabus etiam Purgatorii applicabilem consequi possunt. Quod itidem obtineri ab iis potest, qui quotidie toto mense uno saltem horæ quadrante orationi mentali operam dederunt, dummodo sint vere pœnitentes & confessi, ac sacra Communione refecti, & oraverint pro concordia &c. Quapropter suadet Pontifex ut Episcopi injungant singulis præcipuarum Ecclesiarum Præpositis in Civitatibus, & singulis Parochis in oppidis, ut certa diei hora ad campanæ sonum invitent fideles, sive ut in Ecclesiam ad hoc exercitium conveniant, sive ut id privatim domibus præstent.

Peccatorum orantium tria sunt genera. Alii scilicet in statu peccati mortalis degunt & se credunt contritos, quamvis non sint. Eorum oratio rite instituta a Deo exauditur. Alii dolent quidem de peccato, sed non ita ut ab eo se expediant; hi vero, ut eniti, ac se liberare valeant, si ideo Deum deprecantur, ea saltem impetrabunt, quæ ad æternam suam salutem pertinent. Sunt tandem qui nec dolent de peccato, nec enituntur ut e statu illo exeant, imo nea volunt; si quid illi petierint a Deo vel spirituale, vel temporale, raro exaudiuntur. Ita ex Suarez. *Instit. Eccles.* 62. §. 16.

ORATORIUM PRIVATUM

Non obstante Decreto Clementis XI. fas est Episcopis altaria erigere, ibique celebrare, vel celebrari facere extra suas domos in domibus laicorum, quando illi agunt per modum habitationis, veluti si ibi sunt occasione visitationis, vel itineris, vel hospitio ibidem recepti. *Const.* 48. *Bull. Tom. III. pag.* 377.

Indultarii, coram quibus celebrari potest Missa in Oratoriis privatis, sunt illi qui nominantur in fronte, seu in inscriptione Brevis; illis non præsentibus, Missa celebrari non potest. *ibid.*

Si tamen in corpore Brevis nominatur aliquis coram quo Missa celebrari possit, etiamsi ille non veniat in fronte seu inscriptione Brevis; adhuc tamen eo præsento Missa celebrari potest.

Sacramentum Pœnitentiæ vetitum est ibi administrare, vel ab ipsis pariter Regularibus. *ibid.* §. 26. Communio sacra non potest hic administrari, nisi accedat Episcopi licentia. §. 23.

ORATORIA PUBLICA

Nullum jus assistit Parocho, ne in Oratoriis publicis intra suam Parœciam Missa celebretur ante absolutam Missam Parochialem, ex Decretis S. C. *Instit. Eccl.* 44. §. 11. Potest tamen id vetare Ordinarius; *dummodo tamen Missa in Ecclesia Parochiali hora opportuna celebretur.* Quæ verba sunt Decreti S. C. *ibid.* §. 12.

In Archiepiscopatu tamen Bononiensi, si Oratorium publicum distet a Parochiali unum milliare, permittitur hæc anticipatio, onere tamen injuncto capellano annunciandi Festa de præcepto, Evangelium explicandi, sicut & Catechismum, ac Doctrinam Christianam habendi, quod etiam mandatur a Clemente XII. in Encyclica ad Episcopos Italiæ data anno 1735, *ibid.* §. 15.

ORDINES

Ordinem verum esse novæ legis Sacramentum ex consensu Theologorum omnium & Concilii Trid. definitione *Sess.* 23. *c.* 3. certum est. Id vero Sacerdotio convenire una est omnium Theologorum Catholicorum vox; nec sine periculo gravis erroris id negaretur de Episcopatu, quamvis diversum non esse Ordinem a Sacerdotio, sed ejus extensionem, perfectionem, complementum teneretur. De Diaconatu quamquam certum non sit de fide ex sensu quorundam Theologorum, attamen ex Tridentini definitione inferri posse videtur.

De cæteris singularibus Ordinibus disceptant Theologi, quamvis de Subdiaconatu aliquanto minor sit quæstio præ cæteris inferioribus. Hanc definiendam Pontifex nequaquam se assumpsisse profitetur. Quare vetat Episcopis, ne Sacrilegii crimine in suis Synodis eos damnent, qui cum conscientia peccati lethalis Ordines Diaconatu inferiores susciperent. Quamvis alio nomine se sacrilegii gravis reos statuerent, cum sacra Ordinatio fieri plerumque non soleat, nec possit extra Missarum solennia, in quibus recens initiati sacra Eucharistia participant, cui irreverentiam gravem irrogaret ille, qui cum conscientia gravis peccati ad eam suscipiendam accederet. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 24. *per totum.*

De materia hujus Sacramenti dubietas intercedit (de Sacerdotio, Episcopatu, & Diaconatu res est) num in Instrumentorum traditione, num vero in impositione manuum;

nuum, num tandem in utraque simul consistat? Quin & de impositione manuum, dubii hæremus; trina est enim. Ex quo fit, ut si in aliquo rerum articulo omitti aliquid contigerit, ex responso S. C. censet Pontifex, ut simul tota Ordinato sub conditione iteretur. *De Syn. Diœces. lib. 7. cap.* 25.

In denunciationibus, quas plerique Episcopi Ordinationes sacras inituri per Archidiaconum suum præmittunt, suæ scilicet non esse intentionis, illos ordinare, qui irregularitate, cæterisque Canonicis impedimentis tenentur; unicus plerumque est scopus, ut sic vitiatos deterreant, serio tamen volunt quemlibet sibi propositum consecrare. Neque enim censendi sunt vel gravis peccati se reos statuere, plane contrariæ voluntati insistendo. Commissuros enim gravem culpam, si id voluerint, omnes fatentur. Censet tamen Pontifex præstare, ut ea denuntiatio omittatur, atque intra fines edicti, quod in Pontificali Romano habetur, Episcopi sese contineant. In eo enim edicto sub excommunicationis pœna precipitur, ne quis Canonico detentus impedimento accedere audeat. *ib.* §. 26. Vide etiam de hac quæstione. *De Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 10.

Sacri vero Ordines intra Missarum solemnia nec ab alio, quam ab Episcopo ordinante celebranda, conferendi sunt, et reum se gravis culpæ Episcopus constitueret, qui alio Sacerdote celebrante ipse interim sacræ Ordinationis ministerium præstaret. Valeret tamen Ordinatio. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 26. §. 5. *&* 6.

Beneficium, ad cujus titulum Ordines conferuntur, debet tantum ex reditibus ferre, quantum sufficit ad Clerici sustentationem honestam, juxta taxam ab Episcopo definiendam; detractis tamen oneribus, non tamen Missarum, saltem nisi aliter Episcopus statuerit. Si vero Clericus ordinetur in loco domicilii, & beneficium obtineat in alia Diœcesi, tunc si beneficium poscit perpetuam residentiam, sustentatio ista dirigenda est juxta taxam Synodalem loci, ubi est beneficium; secus vero statuendum est, si residentiam non exposcat juxta ac statuit Innoc. XIII. in sua Constit. *Apostolici Ministerii*. Hæc omnia *de Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 72. §. 2.

Ordines sacri conferendi sunt primario titulo Beneficii Ecclesiastici; nec nisi in subsidium pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum conferri possunt ab Episcopo ad titulum Pensionis, vel Patrimonii ex Trid. *Sess.* 21. *c.* 5. *de Reform.* Nec, nisi concurrat necessitas, vel commoditas Ecclesiæ, licitum id esse edixit S. C. Concilii in Encyclica *die* 13. *Maji* 1679. jussu Innoc. XI. exarata. *Inst. Eccl.* 26. §. 2.

Ad Ordines conferendos censet Pontifex ex *Conc. Trid. Sess.* 23. *de Res. c.* 2. non esse positum in arbitrio Episcopi, ut Ordines minores det ignorantibus linguam Latinam, si spem ostendant futuri profectus: nam Concilium exigit, ut saltem linguam Latinam intelligant; & arbitrium Episcopi, de quo ibidem, cadit super interstitia, non super scientiam Latinæ linguæ. *Inst. Eccl.* 42. §. 2.

Quoniam vero ad sacros Ordines requirit Trid. *ibid. can.* 14. scientiam requisitam ad docendum populos necessaria ad salutem, ac ad administranda Sacramenta; ideo Subdiaconatu convenit ut præcedat annus integer studii, sive Theologiæ moralis, sive Scolasticæ, sive Juris Canonici. Biennium vero ad Diaconum ordinandum, triennium ad Sacerdotes. Nec impletur mens Tridentini, si quis in Theologia morali tantum studuerit contractus, cambia &c. Concilium enim exigit, ut possit erudiri populus quoad necessaria ad salutem. *ib.* §. 3.

Ordinum sacrorum interstitia dispensare etiam quoad Regulares, non quidem ad eorum Præsules, sed ad Episcopum ordinantem spectat; ut ex responso S. C. *Instit. Eccl.* 58. §. 1. Quanquam ab Episcopo deferendum sit judicio Superiorum regularium, ut ex aliis Decretis S. C. *ibidem*.

Quoad Clericum sæcularem Episcopus dispensare potest, si agnoverit id postulare utilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ. Utilitas tunc resultat, cum pauci ministri suppetunt: Cum ordinandus provectior sit ætate, & simul etiam maxime provectus in studiis: Seu tandem cum agitur de Parœcia, seu alio Beneficio exigente intra annum Ordinem sacrum, ut ex DD. *ibid.*

Cæterum si quis obtinuerit ad dispensationem interstitiorum indultum Sedis Apostolicæ; permissa est tamen ista dispensatio arbitrio Episcopi, ut Innocentius XII. in sua resolutione die 4. Dec. 1693. in ejus Bullario. *ibid.*

Si quis obtinuerit privilegium a Sede Apostolica, ut ordinari possit extra tempora tribus diebus festivis interpolatis cum dispensatione interstitiorum; non potest Ordines recipere tribus diebus interpolatis quidem, sed festivis tantummodo, quia celebratur in illis festum duplex, sed non festum de præcepto. Licet enim in Brevi dicatur *festivis diebus*, attamen festivum stylo Sedis Apostolicæ indicat diem festum de præcepto. Accedit Decretum S. C. Concilii, definiens dies festos accipiendos esse pro festis de præcepto. *Inst. Eccl.* 106. §. 6.

Ordines minores conferre non licet nisi mane diebus Dominicis, & festis duplicibus *de præcepto*, quod postremum additum est Pontificali Romano ex nova correctione Urbani VIII. cum prius tantum legeretur *festis diebus duplicibus*; quare non licet ordinare initiandos diebus duplicibus, sed non festis de præcepto. *Inst. Eccl.* 106. §. 3.

Si quis recipiat Ordines minores eademque die Subdiaconatum, incidere in suspensionem vi Decretalis *in cap. de eo, qui furtive ordines susc.* Doctorem quidam censent, quamquam alii negant. *Inst. Eccl.* 106. §. 8. Vetitum est tamen id agere, ut ex pluribus Decr. S. C. firmatur. *ib.*

Si Clericus sacris initiandus sit consuetudine aliqua peccandi adstrictus, modo vero ita sincera exhibeat resipiscendi argumenta, ut Confessarius vere eum contritum judicare possit, nolit autem pœnitens ille Confessario suadenti, ut differat susceptionem sacri Ordinis, acquiescere, firmusque statuat statim se solemni voto obstringere; utrum in ea voluntate sic obfirmatus possit absolvi, quæstio est anceps, adeoque suadendum est illi, ut prudentem, & doctum virum consulat, a quo remedia petat, & consilium. *De Syn. Diœc. l.* 11. *c.* 2. §. 17. 18. *nov. edit.*

Ordines minores collati ab Abbate nullum ad id obtinente privilegium, neque licite conferuntur, neque valent. Si vero conferantur ab Abbatibus habentibus jus conferendi illos certo personarum generi, & quos initiaverint ad alterum genus pertineant, illicite conferuntur, sed tamen valide; ita ex variis Decretis S. C. *De Syn. Diœc. l.* 2. *c.* 10. §. 13.

Cum Regularibus faciliorem se præbere potest Episcopus in ordine ad examen, ut ex *Salm. Theol. Moral. Tr.* 8. *c.* 5. *Dub.* 2. *Punt.* 2. *n.* 47. Facilius etiam dispensare cum illis potest ab interstitiis, conformando se judicio Superioris regularis testantis de sufficientia causæ. *Inst. Eccl.* 23. §. 1.

Episcopus alienos subditos per dimissorias ad se directas ordinaturus, non tenetur quidem ordinandum novo examini subjicere, cum id a proprio Episcopo sit præstandum, ut ex communi Doctorum sententia; at si velit novæ discussioni illum subjicere, potest, ut sæpius a S. C. Concilii definitum est. At Episcopus Suffraganeus ad supplendas Diœcesani vices assumptus, nec tenetur, nec potest, ut ab eadem Congregatione decisum est in causa *Elbor. Dubior.* die 22. Augusti anni 1721. cui tamen fas est ab Ordinatione illius abstinere; si aliqua justa causa suppetat ad eum removendum. *De Synod. Diœc. l.* 22. *c.* 8. §. 7. *nov. edit.*

Ordinatus, ut valide id præstet, debet habere intentionem virtualem saltem externam, & internam suscipiendi quod Ecclesia intendit ab eo suscipi. Quod si coactus gravi metu animum intendat ad suscipiendos Ordines, ut malum illud vitet, nunc utique ordinatio valet. *De Sacr. Miss. l.* 7. *c.* 10. §. 12. Si vero recipiat absque intentione interna, profecto ordinatio non valet. Nec valet etiam, si habuerit animum indifferentem, idest nec voluntatem suscipiendi, & non suscipiendi Ordines. Pro invaliditate hujus ordinationis refertur Decretum S. Congregationis.

In

In Sacr. Congr. die 31. Martii 1685. agitatum est, num Clericus (qui falsaverat Testimoniales ordinum præcedentium, adeoque metu censurarum, quæ in eo casu comminari solent in edicto, habuit intentionem non suscipiendi Ordinem Subdiaconatus, qui tunc sibi ab Episcopo conferebatur) reipsa ordinatus esset? Respondit vero die 24. Augusti ejusdem anni esse iterum ordinandum sub conditione; nam illa animi perturbatione, qua agitabatur Clericus, non satis constare poterat, utrum verum animum suscipiendi Ordinem non habuerit. *ibid.* §. 13.

Cum male promotis ad Ordines, & signanter cum promotis per saltum in casibus occultis Major Pœnitentiarius dispensare potest ad effectum, ut omissos Ordines occulte suscipiant a quolibet Antistite, etiam extra tempora, non servatis interstitiis, & absque Dimissoriis: non tamen ut plures Ordines sacros eodem die suscipiat. Bulla PASTOR BONUS. Bull. *Tom.* 1. *n.* 95. §. 18.

Dispensat etiam cum promotis ad sacros Ordines per simoniam, in casibus tamen occultis, & in foro conscientiæ. *ibid.* §. 19.

PAROCHUS

Parochus actualis, etiam regularis, quocumque appelletur nomine, nempe Vicarii perpetui, seu ad tempus constituti, tenetur Missam applicare pro populo singulis diebus festis de præcepto, ut in encyclica ad Episcopos Italiæ incipiente CUM SEMPER, *Bull. Tom.* 1. *n.* 103. Pontifex mandat.

Si habeat diebus illis alias obligationes applicandi Missam, curare debet ut illis per alios satisfaciat. *ib.* §. 8. Parochis tamen pauperibus potest Episcopus indulgere, ut ipse Parochus satisfaciat aliis obligationibus, quæ forte occurrunt, applicandi Missam diebus Festis, dummodo tamen eidem Missæ pro populo infra hebdomadam satisfaciat. *ibid.* §. 8. Parochus etiam pinguioribus reditibus præditus absolvitur ab obligatione applicandi Missam singulis diebus pro populo; dummodo non aliter in fundatione Beneficii cautum sit. *ibid.* §. 6.

Parochum regularem suo munere deficientem potest punire Episcopus cumulative cum Superiore Regulari; ita tamen, ut si aliter statuit Superior regularis, aliter Episcopus, standum sit Episcopi mandato. Ita statuit Pontifex in Bulla FIRMANDIS. *Bull. Tom.* 1. *n.* 109. Si removeri debeat, potest tam Episcopus sine Superiore regulari, quam hic sine illo id præstare. *ibid.* §. 11.

Parochi jurisdictionem habent ordinariam in foro interno, non vero externo, quidquid alii censuerint, ut proinde nullam excommunicationis sententiam ferre possint; ut ex communiori, & in praxi recepta sententia. *De Syn. Diœc. l.* 5. *c.* 4. §. 2.

Parochi Ecclesiarum filiarum interesse tenentur benedictioni Fontium diei sabbati sancti, ex sæpe repetitis S. C. Concili Decretis. *Inst. Eccl.* 1. §. 2. *& seq.*

Episcopi successores ex rationabili causa etiam extra visitationem possunt examinare Parochos ad Ecclesias parochiales alias approbatos, ut in Decr. S. Congr. Congr. Concil. *Inst. Eccl.* 9. §. 16. Quin & hoc potest Episcopus præstare pro libito, & ex sola quiete animæ suæ, quamvis nihil habeat suspicionis. *ibid.*

Si vero Episcopus velit iterum examinare quos ipse approbavit, requiritur saltem extrajudicialis infamatio de inscitia. Quamvis hoc non requiratur ab iis, quos laicus Patronus nominavit ad Beneficium curatum, cum probati non fuerint in concursu, ut ex S. Rota, & ex Cardinali de Luca *de Paroch. Disc. . . . . ibid.*

Parochus habendus est quoad crimen complicitatis ille, qui peccat cum famula sua, quæ in ejus domo inhabitat, quamvis in alia Parœcia habeat paternam domum. Et reipsa quidem præceptum Paschale tenetur illa implere in Parœcia, ubi famulatus habet. *Inst. Eccl.* 83. §. 22.

Tolerari potest, ut Parochus habet in domo mulieres sibi conjunctas in primo, & secundo gradu consanguinitatis, & etiam affines in primo gradu cum ancillis earum, quæ tamen minores non sint annis quadraginta. Ita Decretum est a S. Cong. Concilii pro Diœcesi Bononiensi. *Instit. Eccl.* 72. per totum, quamvis hoc decretum respiciat famulas cum uno tantummodo Parocho cohabitantes; quæ vero munus suum præstant propinquis ejusdem Parochi minoris etiam ætatis permittuntur, dummodo tamen testimonium bonæ famæ suæ habeant.

Parochi alienæ Diœcesis non possunt in altera audire confessiones sine approbatione Ordinarii illius loci, nisi tantum suorum subditorum. Ita ex Decr. S. C. Concil. *Instit. Eccl.* 86. §. 7.

Parochi per concursum provisi censentur idonei ad audiendas Confessiones in tota Civitate, vel oppido, ubi Parochi constituuntur, non vero in tota Diœcesi Episcopi approbantis; ut ex Decretis S. Congregat. *ibid.* §. 13. Ex consuetudine tamen Parochi Civitatis Confessiones audiunt in Diœcesi, & vice versa. *ibid.* §. 13.

Si Parochus Beneficium renunciet, indiget nova facultate audiendi confessiones, ut ex communi Doctorum. *ib.*

Parochus habens reditus tenues, & populum frequentem, ut per se sufficere nequeat audiendis confessionibus, tenetur sibi adjungere alium Sacerdotem adjutorem, cui, si ipse nequeat, populus necessaria ad sustentationem subministrare tenetur. Ita ex Decr. S. Congr. Concilii. *Institut. Eccl.* 94. §. 7.

Parochus ex privata scientia noscens alterum ex sponsis matrimonium celebraturis hæreticæ sectæ occulte adhærere, assistere Matrimonio non potest, quemadmodum nequit, si sciret impedimentum etiam impediens. Ita *De Syn. Diœc. l.* 6. *c.* 7. §. 6. *& 7. nov. edit.*

Parochus ad residentiam materialem, & formalem obstringitur tempore pestis, etiam cum periculo morbi contrahendi, ut ex rescriptis S. C. a Gregor. XIII. approbatis. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 19. §. 2. *nov. edit.* Idque verum est, licet Sacerdotem idoneum provideat, ut se absente, ejus vicibus fungatur. *ibid.*

Fas est ejusdem Parocho propter inimicitias, & persecutiones a residentia recedere ex Textu Cap. *Ad supplicationem de Renuntiat.* quia tunc periculum inimicitiarum soli Parocho imminet; quare potest alium Sacerdotem substituere, qui sine suo periculo ejus munus adimpleat. At in peste omnibus æque periculum imminet, ideoque convenientius est, ut id discriminis subeatur a Parocho, quam ab alio Sacerdote. *ibid.* Quæ de Parocho dicta hic sunt, valent etiam pro Episcopo.

Parochus tempore pestis & eo morbo infectis tenetur ministrare Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, ut adnotatum est V. *Pœnitentiæ Sacramentum;* sed & Viaticum, ne tanto bono in illa necessitate Parochiani priventur, nisi in eo rarissimo casu, in quo rarus esset Sacerdos, vel Parochus; ex quo fieret, ut post administratum Sacramentum Pœnitentiæ uni, non superesset spatium, ut aliis morituris Pœnitentiæ Sacramentum administraretur: vel si eo Sacramento administrando mortem vitare non posset, & sic populus destitueretur Sacerdotibus, ut ex doctrina Suarii. *De Syn. Diœc. lib.* 13. *cap.* 19. §. 18. 19. *nov. edit.*

In ordine ad Extremam Unctionem ex doctrina ejusdem Suarii tunc tenetur Parochus illam administrare; quatenus valeat absque morali vitæ periculo. *ibid.*

PATRIMONIUM

Constitui non debet Patrimonium in industria Clerici, ut si sit Musicus, Magister &c. ut respondit S. C. in una Seguntina mense Octobris 1589. Sicut nec institui potest in bonis mobilibus, & semoventibus, ut respondit S. C. Conc. die 29. Nov. 1670. *Inst. Eccl.* 26. §. 7.

Patrimonium admissurum se profitetur Benedict. XIV. dum erat tantum Archiepiscopus Bononiensis, in Capellania amovibili, dummodo Patronus obligasset fidem suam nunquam ab ordinato removendi illam Capellaniam, quoadusque ille vixisset, vel quoadusque ordinandus non obtinuisset aliud sive Beneficium; sive Patrimonium, & idem

dem Patronus vel alius se pariter obstrinxisset ad alimenta ordinato præstanda, si forte impediretur a celebratione Missæ. *ibid.* §. 11.

Item admisit in casibus perpetuis, dummodo debitores census, si voluissent illum restituere, obligassent sese ad deponendam pecuniam in loco tuto, ad hoc, ut in novis censibus, vel stabilibus impenderetur. *ib.* §. 12. Tunc autem curæ erit ordinato sub pœna suspensionis de investienda eadem pecunia.

Si quis voluerit assignare de suo Patrimonium sufficiens ordinando, dummodo hæc liberalitas sit vera, & inalienabilis absque licentia Ordinarii, id utique admitti poterit ex variis responsis S. C. *ibid.* §. 13. Curandum est tamen ut bona illa adeo libera sint ab aliis oneribus, ut remaneant ex iis sufficientia alimenta ordinato. *ib.* §. 14. dummodo etiam absit omnis Pactio tacita, vel expressa facta extra instrumentum, ut possessio bonorum remaneat apud assignantem. Non valet assignatio Patrimonii facta a patre respectu filii, cui in præjudicium legitimæ reliquorum filiorum omnia sua tribuit. Sicut nec admittitur, si pater transferat omnia sua in filium cum onere, ut se alat, nisi id expressum candide fuerit in instrumento Patrimonii. *ibidem.*

Si quis fictum Patrimonium suum sciat, & nihilo secius ordinationem recipiat, manet suspensus, ut ex *Can. Neminem*, & *can. Cunctorum dist.* 70. & ex Decreto S. C. anno 1610. Si vero id nesciat, sciat autem Ordinarius, & tamen ordinet, Ordinarius quidem suspensionem non incurrit, tenetur autem de suo ordinatum alere ex vi eorumdem Canonum, & sensu S. C. Concilii. §. 16.

Patrimonii alienatio absque Ordinarii licentia ipso jure nulla est, ut ex Decretis S. C. *ibid.* §. 28. Nec commutari potest in alia bona, vel in aliud pariter Beneficium sine facultate Ordinarii, ut ex similibus Decretis. *ibid.* §. 29. Nec tandem obligari possunt bona Patrimonii, adeo ut si forte accidat, ut debitum solvendum sit, nulla fieri executio poterit, nisi supra eorum bonorum partem, quæ alimentis ordinati superfluit. Fas est tamen creditori recipere in solutum, seu vendere jus, quod post mortem transiret ad hæredes. Ita ex Decretis S. C. §. 30.

Denique ordinati ad titulum Beneficii, resignare illud nequeunt, nisi facta mentione tituli, qui Beneficio resignando adjacet, & concludentibus probationibus demonstretur aliam suppetere resignanti viam, qua commode sibi de victu provideat. Ita ex Decretis S. C. *ibid.* §. 30.

PATRONUS

Patronus Ecclesiasticus tenetur præsentare ad Beneficium Curatum illum, quem digniorem putat inter approbatos ab Examinatoribus ex vi Tridentini *c.* 18. *Sess.* 24. Episcopus non debet inquirere super prælectione facta a Patrono, nisi forte aliquis fuerit inter approbatos, qui reclamet super electione facta a Patrono, quasi elegerit minus dignum. Ita in Epistola ad Archiepiscopum Florentinum. *Bull. Tom. II. n.* 4.

Patronus laicus præsentare tenetur digniorem ad Beneficium curatum, ut ex S. Th. 2. 2. *q.* 65. *art.* 2. *ad* 3. aliisque Theologis firmatur. *Inst. Eccl.* 7. §. 5. 8.

Patronus si promiserit conferre alicui Beneficium ex motivo aliquo temporali, nempe quia sibi sit conjunctus sanguine &c. non obligatur servare quod spopondit, tum præsertim cum nondum beneficium vacat. Ita ex S. Thoma. *Instit. Eccl.* 23. §. 8.

Si Patronus ecclesiasticus præsentaverit aliquem tamquam digniorem, & examinatores illum tamquam probatiorem aliis concurrentibus judicaverint, & unus ex illis qui minus dignus judicatus est, queratur coram Episcopo de erroneo examinatorum judicio, seque digniorem esse contenderit, tunc Episcopus tamquam judex priusquam institutionem concedat; in judicium Patroni inquirere debet. *Epist. ap. Archiep. Florent. Bull.* §. 11. *n.* 4.

PŒNITENS

Pœnitens, vel quicumque alius, qui falso denunciaverit Judicibus ecclesiasticis se esse ab aliquo Confessario sollicitatum, incurrit reservationem Apostolicæ Sedi reservatam. *Bulla* SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ. *Bullar. Tom. I. n.* 20.

PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM

Attritio de peccatis sufficit quidem ex mente Tridentini ad disponendum pœnitentem, ut Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtineat, sed quænam sit ista attritio non satis liquet; potest enim esse cum aliquo Dei amore conjuncta, sed debili, tenui, & remisso. Potest etiam esse dolor propter Deum non quatenus est summe bonus, sed quatenus est bonus nobis; potest insuper esse dolor de peccatis unice conceptus propter eorum turpitudinem, aut solum metum pœnarum, & gehennæ absque ulla Dei dilectione. Hæc tamen postrema attritio potest etiam excitari ex meta gehennæ, ut conjungatur cum aliquo Dei amore initiali, quatenus ita peccata odio habentur propter supplicia, ut simul animus feratur in Deum ut objectum diligibile. Quæstio est anceps inter Theologos, num sufficiat attritio servilis, quæ elicitur ex unico metu gehennæ, & pœnarum, nullo vel initiali Dei amore adjuncto: vel requiratur saltem conjunctus amor Dei initialis. In hac quæstione nihil decidendum ab Episcopo in Synodo sua monet Pontifex; suadet tamen, ut doceantur Confessarii æquum esse hortari pœnitentes ad veram, & perfectam contritionem, quod & in Rituali jussu Pauli V. edito monetur. *De Syn. Diæc. l.* 7. *c.* 13. *per tot.*

Moriturum, qui, antequam incidat subitus ægritudinis gravis casus, signa contritionis exhibuit, & postquam supervenit Confessarius nullo externo signo hanc voluntatem ostendit, adhuc tamen absolvi posse multo verior, & tuta est opinio. Neque hic locum habet controversia, num absolutio conferenda sit sub conditione, an absolute: hæc enim tantum valet in casu, quo moriturus dubia prorsus, & ambigua contritionis signa præbuit. *De Syn. Diæc. l.* 7. *c.* 15. §. 8. *nov. edit.*

Si vero ex nullo testimonio constet illum ante casum mortalis illius morbi signa doloris exhibuisse, & petiisse Confessionem, adhuc tamen multo verior est opinio contendentium, ut absolvatur sub conditione, dummodo moriturus christiane vixerit: nam acta christianæ vitæ totidem sunt voces quibus miser ille absolutionem sibi dari petierit, & contritionem exhibuerit; & nisi sint præsentes actus pœnitentis, per vitam illam antea christiane actam, præcessisse dicendi essent, & tunc pro præsentibus haberi, quemadmodum præsens censetur contritio ante subitum mortis casum promissa. *De Syn. Diæc. l.* 7. *c.* 15. *n.* 10. *nov. edit.*

Sunt qui etiam velint, etiam iis non negandam absolutionem sub conditione, qui licet male vixerint, tamen catholicam fidem retinuerunt, & pro catholicis se gesserunt, quorum tamen sententia nimis laxior videtur. *ibid.* §. 13.

Pœnitentiæ Sacramentum iis, qui morbo pestis infecti sunt non tenetur per se præstare Episcopus, cum ille agat per Parochos, ut causa universalis per particulares; sed Parochus omnino tenetur, quod & ratio suadet, & decreta S. C. approbata a Gregor. XIII. declarant; quanquam administrare illud possit aut directe per se, aut adhibita opera alicujus Sacerdotis ab Ordinario approbati; nam si Parochus omnino per se id agere deberet, cæteri Parochiani morbo non affecti nollent tunc a Parocho recipere Sacramenta, eo quod sibi metuerent. *De Syn. Diæc. l.* 13. *cap.* 19. §. 7. *nov. edit.*

PŒNITENTIARIA

Pœnitentiarii facultates dirigit, & ad certas leges extendit & reformat Bened. XIV. in sua Bulla PASTOR BONUS.

NUS. *Bull. Tom. I. n.* 95. Absolvere potest omnes quoscumque eo se dirigunt, tum ab omnibus criminibus, tum ab omnibus censuris etiam latis in Bulla Cœnæ; Regulares quidem in utroque foro, cæteros in foro conscientiæ. Quamquam etiam cæteros in utroque foro potest absolvere, quando agitur de censuris latis a Jure, & Apostolicæ Sedi reservatis; quin etiam latis nominatim ab homine si jam exspiraverit jurisdictio Judicis, qui sententiam tulit, seu quando ab illo remissa est absolutio ad sanctam Sedem, vel si censuris illis innodati fuerint impediti, ut adeant eos, a quibus de jure deberent absolvi.

Absolvit etiam hæreticos dummodo occultos, etiamsi in hæresim externam incurrerint, dummodo actus illi extrinseci a nemine visi, vel notati fuerint.

Publicos etiam hæreticos, & apostatas absolvit in foro conscientiæ in casibus, in quibus non est necesse denunciare complices, nempe quod illi obierint, vel degant in Regionibus palam infectis, non tamen in iis, in quibus viget officium S. Inquisitionis.

Non absolvit Principes, & alios jus Imperii vicario nomine habentes &c. Episcopos, & alios superiores Prælatos in casibus publicis contentis in Bulla Cœnæ Domini.

Non absolvit eos, qui astrologia judiciaria vel per se, vel per alios de statu Reipublice Christianæ, seu de vita, & morte Romani Pontificis viventis exquirunt. Reliqua vide in eadem Bulla.

Vacante Pastore Ecclesia Romana, major Pœnitentiarius, cujus officium tunc non vacat, absolvere potest quæcumque ad forum conscientiæ pertinent etiam ab iis censuris in foro tamen conscientiæ, a quibus vivente Pontifice non posset, ita tamen, ut sit absolutio ad reincidentiam, nisi intra tempus taxandum recursus fiat ad novum Pontificem.

Quoad forum externum vacante Sede Apostolica nihil potest S. Pœnitentiaria, nisi tantum in ordine ad Regulares apostatas, ut dictum est V. *Regulares*.

Demum in eodem casu potest absolvere a censura publicos violatores ecclesiasticæ libertatis, & immunitatis cum reincidentia tamen, ut supra. Hæc omnia Pontifex in *Bulla* PASTOR BONUS *Bullar. Tom. I. n.* 95. §. 52.

Potest etiam Monialibus Confessarios deputare, ex approbatis tamen ad Moniales audiendas.

PESTIS

Pestis tempore quid agi liceat, vel secus circa administrationem Sacramenti Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, vide in singulis eorum articulis.

Num liceat dimidiare confessionem mortalium ex timore contrahendi morbi, quæstio est inter DD. anceps, in qua nihil certi decernitur. *De Synod. Diœc. l.* 13. *cap.* 19. §. 19. *nov. edit.*

In ordine ad administrandam Eucharistiam non esse omnem Ecclesiæ ritum servandum, qui modo ab Ecclesia præscribitur, docet Muratorius in Tractatu de Peste, sed ab Episcopi judicio expetendum esse, quid a singulis præstari posset, ut minus periculose, sed decenter ministretur quod etiam rescriptum fuit ad postulata Vicarii Apostolici Juliæ Cesareæ. *De Syn. Diœc. ibid.* §. 26.

Tuto posset Episcopus judicare tempore pestis, quod Eucharistia laicis porrigeretur suis manibus accipienda, ut ipsi per se ori illam inducerent. *ib.* §. 27.

Extrema Unctio erga peste infectos conferri potest inungendo organum illius sensus, qui unctioni magis expositum se offert, ita formam proferendo quomodo fieri solet cum unus tantummodo sensus inungitur. *ibid.* §. 29.

Licet autem judicio Episcopi in eo casu inungere ægrotum adhibita oblonga virga, cujus in extrema parte sit gossypium oleo sacro imbutum. *ib.* §. 30.

PIGNUS

Quæ vendi non possunt, nec possunt in pignus dari. L. *Papillus* §. *Eam rem.* ff *Quæ res pignori &c.* Quare res Ecclesiæ, & etiam mobilia pretiosa non nisi concurrente legitima causa, & accedente licentia Sedis Apostolicæ vel Episcopi respectu mobilium minoris pretii vendi possunt. *Inst. Eccl.* 79. §. 5.

PRÆCEDENTIA

Parochus loci, ubi aliquis obiit, cadaver associans semper habet præcedentiam supra alios, quoadusque est intra limites Parœciæ suæ. *Inst. Eccl.* 105. §. 54.

PRECES PUBLICÆ

Principes seculares si petant ab Episcopo ut preces publicæ indicantur pro necessitate status, id utique potest, & debet. Nonnisi vero summa abusio esset, si etiam ea consuetudine Principes Episcopali auctoritate neglecta indicere illa vellent. Encyclica ad omnes Episcopos. QUEMADMODUM PRECES. *Bull. Tom. I. n.* 82.

PROCESSIO

Ad Processiones solemnes cogi non possunt Clerici nullum Beneficium, vel officium ecclesiasticum obtinentes, sicut nec simplices Presbyteri. Beneficium vere etiam non residentiale obtinentes utique possunt. Ita censuit S. C. cujus Decreti occasione ponderatur, nihil hic decerni de Clericis non beneficiatis, sed alicujus Ecclesiæ servitio addictis. *Inst. Eccl.* 31. §. 2.

Processiones prius fieri debent, dein Missa solemniter cantanda ex Rubrica Missalis Romani. *Inst. Eccl.* 68. §. 12. nisi tamen aliter ob gravem causam Episcopo, vel Clero videatur. *ibid. ex eadem*.

Regulares instituere nequeunt Processiones nisi intra, vel circum Ecclesias suas; nec confraternitates, nisi intra Oratorium suum: Si vero velint per Urbem procedere, utique debent Parochis respectivorum locorum aliquid officii exhibere. *Inst. Eccl.* 105. §. 51. Sufficit tamen licentia Episcopi etiam reclamante Parocho, ut a S. Congreg. Rituum decisum est, *ibid.* §. 52.

Processio in festo S. Marci, si incidat in ipsam Paschæ Resurrectionis diem, transferenda est ad tertiam diem Paschæ ex Decreto S. C. Rituum die 25. Septembris 1734. *Inst. Eccl.* 28. §. 3.

PROFESSIO REGULARIUM

Judicia de nullitate Professionis quomodo instituenda sint? Vide V. *Regulares*.

QUÆSTUATIO

Græci quantumvis exhibentes testimoniales de adhæsione sua Romanæ Ecclesiæ, adhuc tamen ex Decreto Innocentii XI. prohibentur quæstuare, & facultatem ea de re obtentam a quocumque, vel ab ipsa pariter Congregatione jubentur Episcopi ad se recipere, & ad eandem Congregationem de Propaganda Fide transmittere. Insuper Clem. XII. in suo Brevi mandavit pecuniam ita a Græcis collectam, & alicubi depositam sequestrari ab Episcopo, & ad eandem Congregationem transmitti. *Inst. Eccl.* 75. §. 1.

REGULARES

In probanda nullitate Professionis Regularis multa edicit nova Benedictus XIV. in sua Constitutione, SI DATAM HOMINIBUS FIDEM, Bull. *tom.* 2. *n.* 47. Mandat igitur servari Decretum Tridentini, *Sess.* 25. *de Regul. c.* 19. quo vetantur audiri reclamantes contra Professionem, nisi intra quinquennium a die Professionis reclamaverint. Confirmat etiam varia Decreta Congregationis Concilii ea de re edita. Mandat deinde, ut probationes non fundentur in extrajudicialibus attestationibus, sed omnia juridice procedant. Insuper citari, & audiri jubet tum de-

defensores Monasterii, in quo habita est Professio, tum consanguineos, sive alios, qui bona Professi obtinent, tum etiam auctores, vel complices metu incussi (si ex metu prætendatur nullitas Professionis). Mandat ut in singulis Diœcesibus ab Ordinario deputetur defensor Professionis, cui stipendium a judice definitum solvatur sive ab iis, quibus bona Professi obvenerunt, & eorum defectu a Monasterio, & eo impotente ex multis Tribunalis. A priori sententia pro nullitate omnino appellandum est, nec sine secunda sententia licet Religioso cucullum exuere.

Post quinquennium peti necesse est a Sede Apostolica restitutio in integrum, pro qua obtinenda defensor Professionis adsistat semper tum processibus instituendis ex vi commissionum, & Superioribus regularibus, & Ordinariis locorum, tunc etiam cum dubium utrum concedenda sit restitutio in integrum in S. Congregatione proponitur. Neque in ea concessione sufficit unica sententia favens, sed duo conformes requiruntur. Hæc novo jure sancit Pontifex; in cæteris consueta judicialis praxis retinenda est.

Cum Regularibus redituris ab apostasia major Pœnitentiarius dispensare, & commutare potest pœnas quomodocumque incursas, & pœnitentias regulares obeundas, sicut & absolvere a censuris cum reincidentia tamen, nisi ad tempus præfinitum redierint (irregularitate tamen usque ad actualem reditum perseverante). Potest etiam illis concedere transitum ad alium Ordinem. Nemini autem Regulari permittat ut vivere possit in veste sæculari, seu Clerici sæcularis. Bulla PASTOR BONUS, Bull. *tom.* 1. *n.* 95. §. 33.

Transitum de una Religione ad aliam etiam laxiorem potest major Pœnitentiarius concedere; ita tamen ut restringat hanc suam facultatem transeundi ad Ordines, in quibus regularis observantia viget, & in dubio attestatio Ordinarii requiratur. Non concedit tamen transitum ad Ordines Hospitalares, & Militares, quamvis ad Ordinum S. Joannis de Deo facilius indulgeat; sicut nec concedit transitum ad Ordinem S. Benedicti antiquioris observantiæ, aut ad alias consimiles Congregationes cujuscumque Ordinis fuerit. *ibid.* §. 34. & 35.

Si Regularis ante Professionem habituali morbo detineatur, nec interrogatus vitium suum denuntiet, nisi post Professionem, expelli non potest, nisi aliter declaretur in Constitutionibus ejusdem Ordinis, uti reipsa declaratum est in Constitutionibus PP. Capuccinorum, in quibus Religio *ad retinendum* ejusmodi Professum *minime velle se esse obligatam exprimit*. An tunc vero Professus non dimissus a Religione possit sponte abire; etiam illa repugnante; quæstio est non adhuc a S. Congregatione definita. *De Syn. Diœces. l.* 13. *c.* 11. §. 4. *nov. edit.*

Regulares pro apostatis habentur si sese nulliter professos contendentes regularem habitum exuunt, & claustris discedunt, nec unquam audiuntur causam suam defensuri, nisi postquam redierunt ad Monasterium. Ita ex Trident. *Sess.* 25. *c.* 19. *de Regul. De Syn. Diœc. l.* 13. *c.* 11. §. 14. *nov. edit.*

Insuper non licet illis, ex inaniter præsumpta necessitate recurrendi ad Superiores Ordinis, exire extra claustra sine Superioris litteris; alioquin enim apostatarum pœnis per Ordinarium loci puniantur. Ex Trid. *ib. c.* 4. §. 13. Hæc tamen intelligenda sunt, quando recurrendi causa non est vera, urgens & gravioris momenti. *ib.* §. 14.

Vetitum est Superioribus regularibus, ne subditis suis facultatem faciant transeundi ad aliam Religionem, nisi non dubiis documentis constiterit illis, alterius Religionis superiorem paratum esse ad eum recipiendum; atque ita res constitutæ sint, ut transitus iste recta fiat ab una ad aliam Religionem. Ita ex Decreto S. Congreg. Concilii ab Urbano VIII. approbato. *ibid.* §. 14.

Transitus iste, etiamsi agatur de apostata transferendo, fieri nequaquam potest ad Religionem, in qua regularis observantia non viget; quin nec licet, si Religio illas sit militaris, aut hospitalaris, excepto Ordine S. Joannis de Deo. Ita edixit Benedictus XIII. in sua Constit. LICET SACRA. *ibid.* §. 14.

Regularis in Claustris non degens, si ab illis abscessit non præobtenta Superioris venia, vagaturque, etsi gestet religiosa indumenta, & animum redeundi retineat, debet ab Episcopo loci ubi moratur, in carcerem conjici, & Superioribus regularibus consignari, secundum Regulam puniendus, ut ex Decreto S. Congreg. Concilii ab Urbano VIII. confirmato. *ibid.* Hæc tamen vera sunt, nisi aliunde constet Regularem illum se subtraxisse ab immoderata severitate Superioris localis, ut recurrat ad alium Superiorem majorem. *ibid.*

Regulares incorrigibiles expelli possunt ab Ordine, quidquid vetera S. Congreg. decreta olim in contrarium statuerint, ut ex novis Decretis ejusdem Congreg. Concilii firmatur. *ibid.* §. 16.

Incorrigibilis vero censetur, qui omnibus inustus est improbitatis characteribus in Jure Canonico ad id designatis. Debet præterea antecedere carceratio sex mensium in pœnitentia, & jejunio, ac tandem sententia Provincialis ejusdem Provinciæ, consultis tamen sex aliis ex eadem Provincia Religiosis, designandis in Congregatione provinciali, confirmandisque a superiore Generali, cui reservata est facultas iterum retractandi eandem causam, & priorem sententiam revocandi. Ita ex novissimis Decretis S. Congregat. Concilii. *ibid.* §. 19.

In conficiendis incorrigibilitatis processibus valent illi, qui ad normam regularum, & consuetudinem ejusdem Ordinum formantur. *ibid.*

Lata contra ejectos sententia notificanda est Episcopo ordinario loci, non ut de illa cognoscat, sed quia illius jurisdictioni subest, ejusque mandatis obsequi debet. Ita ex Decretis S. Congreg. *ibid.* §. 20.

Ita ejecti non possunt induere habitum Religionis, sed clericalem adhibeant necesse est. Manent insuper perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum in Religione susceptorum, nec potest ab Ordinariis ea pœna relaxari, vel moderari. Ita ex Decretis S. Congreg. *ibid.*

Si vero ex litteris Testimonialibus Ordinarii constiterit spem evidentem inesse resipiscentiæ, tunc iterum ad Ordinem recipiendi sunt. Ita ex Decretis. *ibid.*

Demum ita ejectus voto castitatis omnimode obstrictus remanet, paupertatis vero, cum quadam moderatione, sicut nec obedientia proprio superiori regulari exhibenda ab eo est. Reliqua vero vota in Professione ab eo nuncupata, remanent in suspenso. Ita ex DD. *ibid.*

Ejectus si provocare vult ab injustitia sententiæ in se latæ, debet se constituere in carceribus formalibus Religionis, ut ex Decreto S. Congr. Concilii lato *die* 15. *Nov.* 1698. constat. *ibid.* §. 21.

Religiosi tamen Societatis Jesu post tria vota simplicia ab illis emissa exacto probationis tempore ab Ordine dimissi non comprehenduntur in Decretis de apostatis, & ejectis, ut ex Responso S. Congregat. Concilii. *ibid.* §. 21. Votum castitatis ab illis emissum, dum permanent in Ordine, dirimit Matrimonium. Isti ne celebrare possint vetantur solummodo, quia carent Patrimonio, vel Beneficio. *ibid.* §. 23. Sunt tamen habiles ad Beneficia, & Ministeria ecclesiastica obtinenda. *ibid.* §. 26. Valent tamen hæc omnia in dimissis ante Professionem solemnem. Post illam vero emissam censentur ac Regulares, in ordine ad ejectos. *ibid.*

Vota castitatis &c. a Religiosis laicis Cisterciensibus emissa, solemnia sunt, non simplicia, ut ex peculiari Decreto peculiaris Congregationis habitæ coram Bened. XIV. *die* 27. *Martii* 1747. lato constat. *ibid.* §. 28.

Si Religiosus ob crimen aliquod damnatus sit ad triremes ad certum tempus, num ea absoluta pœna recipiendus iterum sit a Religione, nondum definitum est a S. Congreg. quamvis fuit consulta. Hæc tamen sola sententia damnationis ad triremes, etiam si nondum remigaverint, perpetuo illos infames declarat, adeoque irregulares. *ibid.* §. 30.

Regulares quicunque etiam exempti in Indiis Orientalibus agentes, curam animarum exercentes subsunt prævio examini Ordinariorum, & approbationi, nec non visitatio-

tioni, correptioni, & jurisdictioni eorum in iis, quæ ad prædictam Curam pertinent. Const. QUAMVIS AD CONFIRMANDUM &c. Bull. *Tom. II. n.* 1.

Regulares sacros Ordines susceпturi non tenentur ostendere Dimissorias Ordinariorum propriæ originis, sed sufficit si illas acceperint a Superiore suo. Vicissim non possunt uti privilegio suscipiendi Ordines a quocumque, nisi illud obtinuerint post Tridentinum, & ad illos pervenerit concessione directa, non vero communione privilegiorum de uno in alium Ordinem. Si hujusmodi privilegium non habuerint, ordinari debent ab Ordinario loci, in quo degunt, si ille sacras Ordinationes tempore legitimo sit habiturus. Si vero habiturus non sit, possunt Dimissoriæ a Superiore regulari illis concessæ ad alium dirigi cum authentica attestatione Episcopi Diœcesani, ex qua constet ipsum Ordinationes habiturum non esse. Transgressores hujus sanctionis, qui Ordinationem ab alio susceperint, suspensionis censuram incurrunt. Superiores regulares, qui Dimissorias concesserint, voce activa, & passiva mulctantur. Ita Pontifex in Bulla IMPOSITI NOBIS. Bull. *Tom. II. c.* 27.

Si vero Regulares tempore Ordinationibus proximo transeant ad alterius loci Monasterium, & post receptam Ordinationem ab Episcopo illius loci, quo transierunt, redeant ad pristinum Monasterium, videtur hoc quidem fecisse in fraudem, nihilominus nihil potest contra hos decerni, quia potuit res fieri citra fraudem. Ipsi ergo sibi consulant. *De Synod. Diœc. Lib. 7. Cap.* 43. §. 4.

Si Superiores Dimissorias subditis suis dederint, ut ab Ordinario quocumque Ordines recipiant, nisi in casibus supra expressis, privantur usu vocis activæ, & passivæ, & dignitate, qua potiuntur. Ex Decreto Clement. VIII. *die* 15. *Martii* 1596. Quod Decretum non ita legitur, ut in multis editis, *pœnas incurrent*, sed *pœnas incurrunt*, quod infert pœnam latam, & non ferendam. *Instit. Eccles.* 23. §. 12. Num fruantur privilegio Ordinationum extra tempora, affirmandum esse videtur ex auctoritate Concilii Romani sub Benedicto XIII. *Titul.* 5. *Cap.* 2. *ib.*

Regulares habentes privilegium posterius Tridentino, ut exempti sint ab Interstitiis, frui illo debent, nec possunt Episcopi illos eo nomine ab Ordinatione rejicere. Ita ex Decr. S. Congr. *die* 24. *Augusti* 1686. *De Syn. Diœces. Lib. 7. Cap.* 42. §. 6.

Regulares etiam exempti nequeunt exponere Sacramentum Eucharistiæ sine velamine in suis Ecclesiis, nisi ex causa publica ab Ordinario probata. Fas est tamen illis ex causa etiam privata Sacramentum velatum exponere in Tabernaculo aperto; dummodo tamen ab illo non extrahatur, ut ex Decreto S. Congreg. *De Syn. Diœc. l. 7. Cap.* 41. §. 4.

Generatim vero jus est Episcopis cogere Regulares parere sibi circa ea, quæ ad majorem cultum hujus ineffabilis Mysterii & celebrationis Missæ præcipienda consueverint. Quod ex Decreto Trident. *Sess.* 22. *de observandis, & evitandi in celebratione Missæ*, eruitur. *ib.* §. 5.

Regulares tenentur parere Episcopo præcipienti, ne in eorum Ecclesiis exponatur insolita imago, aut nova reliquia ab ipso non approbata, & inobedientes possunt etiam censuris cogi, ut ex Decr. S. Congreg. *die* 5. *Julii* 1700. *De Syn. Diœc. l. 7. c.* 41. §. 5.

Regulares puniri possunt ab Episcopo tanquam Apostolicæ Sedis Delegato, si quid deliquerint in iis, quæ respiciunt Clausuram Monialium etiam exemptarum, & earum, quæ intra Monasterii septa degunt. *ib.* §. 6.

Regulares non possunt sæcularium confessiones excipere *sine licentia, gratia & beneplacito Episcopi*, quæ verba sunt Extrav. Bonif. VIII. in Cap. *Super Cathedram de Sepulturis*, quod & confirmavit Trid. *Sess.* 23. *cap.* 15. *de Ref.* sed & fas est Episcopis eam facultatem limitare ad certum tempus, certasque personas, quin & ex parte revocare, contrariamque opinionem Alexander VII. die 30. Januarii 1659. damnavit. *De Synod. Diœces. Lib. 7. Cap.* 42. §. 7.

Possunt tamen Regulares ab Episcopo approbati acciri ad domos sæcularium ægrotantium, eorum confessiones audituri, non petita a Parochis ægrotantium licentia; sed de audita ægrotantium illorum confessione debent relinquere syngraphaм, qua Parochus certioretur. Ita *Ibid.* §. 8.

Regularibus Prælatis non licet monasteria Monialium sibi subjectarum ingredi, nisi semel in anno causa visitationis; si autem necessitas urgeat, ut sæpius ingrediantur, non possunt nisi cum præsentia Episcopi Diœcesani, aut alterius ecclesiastici ab ipso deputati. Ita ex Constitutione *Felici* 256. Alexandri VII. *De Synod. Diœces. Lib. 7. Cap.* 41.

Regularibus vetitum est alloqui Moniales etiam sibi subjectas sine licentia expressa non solum Superioris regularis, sed Episcopi, ne vel semel quidem per spatium quadrantis horæ cum dimidio, ne vel pariter occasione concionis ad Moniales illas habitæ, ne vel tandem ex causa quantumcumque honesta, & pia. *ibid.* §. 7.

Regulares subduntur coercitioni Episcopi, si excipiant confessiones sæcularium sine prævia Episcopi approbatione, ut ex Constit. X. Clementis X. Item non possunt inconsulto, & non approbante Episcopo audire confessiones Monialium sui Ordinis etiam exemptarum ex vi Bull. XVIII. Gregorii XV.

Regulares, nova Monasteria, seu domus ne erigant, vetantur absque Sedis Apostolicæ, & Episcopi facultate, quamvis Tridentinum *Sess.* 25. *Cap.* 3. *de Regul.* solius Episcopi facultatem exprimit. *De Syn. Diœc. lib.* 9. *c.* 1. §. 9. *nov. edit.*

Est tamen pro Monialibus in Ditione Hispanici Regis Breve Urbani VI. suspensivum ejusdem Constitutionis, sed non valet extra Hispaniam. *De Syn. Diœc. L.* 9. *C.* 16. §. 9. *nov. edit.*

Ad statum Regularem transire possunt Presbyteri Ecclesiæ, vel Diœcesis servitio addicti, invito etiam Episcopo proprio; tenentur tamen, nisi aliquid obstet, illum consulere. Ita in Epistola ad Card. Quirinum EX QUO DILECTUS Bull. *Tom. II. n.* 25.

Regulares extra monasterium degentes, & Clericos Regulares quomodocumque exemptos in civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum, nisi habeant Judicem certum a S. Apostolica in partibus deputatum, coram Ordinariis locorum conveniri posse in prima instantia decernit Pontifex in Bulla AD MILITANTIS Bull. *Tom. I. n.* 48. §. 41.

RESERVATI CASUS

Ad solum Romanum Pontificem, Episcopos, & Prælatos inferiores habentes jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio separato pertinet casuum reservatio, ex doctrina Concilii Tridentini, & Decisionibus S. Congreg. *De Syn. Diœc. Lib.* 5. *Cap.* 4. §. 11.

Quamquam reservatio fieri potest extra Synodum, multa tamen suadent, ut potius in Synodo fiat; ideo præsertim, quia non desunt Theologi cum Roncaglia tenentes, leges ab Episcopo latas extra Synodum eo cessante cessare; cum ea tantummodo, quæ in Synodo fiunt ab Episcopo, legis plenam auctoritatem obtineant. *ib.* §. 3.

Actus mere internos nec Summus Pontifex, nec Episcopi reservandos sibi unquam censuerunt. *ib. c.* 5. §. 5.

Regulares non solum reservare prohibentur alia crimina, quam quæ in Decreto Clem. VIII. definiuntur, sed nec possunt alia ab his diversa crimina illigare censura reservata, ut & firmat Pontifex ex Decreto quodam Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium *ibid. Cap.* 5. §. 6.

RESIDENTIA

Ad residentiam tenentur Episcopi, & Parochi, ut ex Concilio Tridentino *Sess.* 6. *Cap.* 1. *de Ref. & Sess.* 23. *Cap.* 1. adeo ut quo tempore non resident, non faciant fructus suos, ut ex Const. 91. Pii IV. Ex qua etiam Constitutione constat, si quo tempore illi non resident, obie-

rint,

rint, de reditibus ecclesiasticis disponere nequaquam posse, etiamsi testandi facultatem obtinuissent. *Inst. Eccl.* 17. §. 4. & 5.

Episcopi æqua, & rationabili causa poscente, ad duos, tresve menses quotannis abesse a Diœcesi permittuntur; Parochi vero duobus mensibus possunt quidem, sed de licentia Episcopi, & relicto idoneo Vicario ab Ordinario approbando, ut ex Tridentini *Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Ref. ibid.* §. 7.

Nec sine licentia Episcopi abesse possunt per hebdomadam, sicut non sufficit licentia tacita. Ac demum non est satis ad evadendas pœnas, si causa sit evidens, & Episcopus non consulatur, vel si consultus neget; quamquam tunc possit fieri recursus ad legitima tribunalia. Si tamen ex improvisio discedere necessarium sit, tunc post discessum scribendum est ad Ordinarium. Ita ex Decret. Sacr. Congr. *ib.* §. 11.

Pro Parochis tamen agrestibus sufficit licentia Vicarii Foranei, pro absentia tamen modici temporis. Ita ex Decret. Sacr. Congreg. §. 12.

Si abeundum sit duobus, vel tribus diebus non festivis, mos singularum Diœcesum tenendus est. Ita ex DD. Canonistis. *ibid.*

Ad excusandam non residentiam non sufficit aeris intemperies. Si tamen Parochus ægrotaret, nec posset ibi ex defectu medicorum curari, tunc ad quatuor menses obtinere potest ab Ordinario licentiam secedendi ad loca viciniora, Vicario idoneo interim substituto, ut ex Decretis Sac. Congreg. *ibid.* §. 25.

Nec excusantur, si absint, ex eo quod Parœcia distat tantum tribus, quatuorve miliariis a Civitate.

Nec etiam, si nocturno tempore ibi resideant, & celebrata summo mane Missa, tum reliquum tempus agant in Civitate, relicto tamen idoneo substituto, idque præstent per majorem anni partem. Ita ex Decret. S. Congr. Concilii. *ibid.* §. 18.

RESTITUTIO

Bona immobilia ab hostibus in bello injusto capta, puta a piratis, infidelibus, hæreticis &c. si emantur a fidelibus, debent restitui proprio domino nullo exacto pretio ab eobem, quod decretum olim fuit a Congregatione Propagandæ fidei an. 1630. Quorum opinionem Benedictus XIV. admittit in epist. ad P. Nicolaum Lercari Secretarium ejusdem Congregationis. Bull. Tom. III. n. LVII. Quod vero ad mobilia eadem Congregatio censuit restituenda esse ab emptoribus legitimo domino, exacto tamen ab illo eo pretio, quo empta sunt; in hoc tamen judicium suum Benedictus XIV. non profert. *ibid.*

REUS

Reus juridice interrogatus in judicio criminali tenetur veritatem manifestare, ut innuit Pontifex in sua Bulla PATERNA CHARITAS Bull. *Tom. III. n.* 24.

SACRAMENTUM

Sententia asserens in Sacramentis conferendis non requiri in Ministro intentionem aliquam faciendi quidquid facit Ecclesia, sed tantum præstandi ritum externum nulla censura ab Episcopo configenda est. *De Syn. Diœc. l.* 7. *c.* 4. §. 9. Verum contraria tutior, & omnino servanda in praxi. Quare si quid ejusmodi contigerit, & necessitas urgeat Sacramentum Baptismi sic collatum, sub conditione iterum perfici oportet. Quod si res hujusmodi sit, ut moram patiatur, consulenda est Sedes Apostolica. *ibidem.*

SEMINARIUM

Tenetur Episcopus providere sibi consilium duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter a Capitulo eligatur, item duorum de Clero Civitatis, quorum alterius electio ad Clerum spectat, quæ omnia sunt ex *Cap.* 18. *Sess.* 23. Tridentini. His omnibus deputatis uti debet in administratione rerum seminarii; sicut etiam illi adhibendi sunt circa institutionem, & disciplinam ejusdem Seminarii; quamquam Episcopus ita debet in his omnibus eorum consilium audire, ut sequi non teneatur. *De Syn. Diœces. Cap.* 2. Ex pluribus Sacræ Congr. Decretis.

SEPULCHRUM

Sepulchra in Ecclesiis Confraternitatum haberi possunt, sed de licentia Episcopi, uti sæpe decisum a S. Congreg. *Instit. Eccles.* 105. §. 124.

Si Confrater obeat, non electa sepultura, mandari non potest sepulturæ in Ecclesia ejusdem Confraternitatis, ut est decisum a S. Congregatione. *ibid.* §. 124.

SIMONIA

In simonia contracta pro beneficio acquirendo major Pœnitentiarius monetur, etiam in casibus occultis, & in foro Conscientiæ, ne titulum ejusdem beneficii convalidet, nisi forte agatur de simonia, ignorantia facti, vel juris commissa, & Orator quam primum id rescivit, dispensationem petierit; quod valet & in pensionibus, in quibus simonia realis scienter contracta fuerit. Bulla PASTOR BONUS Bull. *Tom. I. n.* 95. §. 22.

Abstinendum est illi etiam a condonatione pretii simoniaci, quando in Ecclesiam læsam, vel pauperes debet erogari, nisi aliter suadeat paupertas delinquentium. *ibidem* 23.

Qui simoniace intercessit pro alio ad impetrandum beneficium, tenetur in subsidium restituere Ecclesiæ, vel pauperibus fructus a beneficiario male perceptos, ante omnem sententiam. *Instit. Eccles.* 12. §. 11.

Si quis poscat a S. Congregatione absolutionem a simonia commissa in obtinendo beneficio, impetrare solet rescriptum, ut *dimittat*, *moneat*, *& restituat*, nempe dimittat beneficium, moneat pro restitutione pretii accepti, Ecclesiæ, vel pauperibus restituat fructus perceptos. *ib.* §. 12.

Si vero simonia commissa est ab aliquo tertio, inscio beneficiario, tunc rescribitur pro convalidatione tituli, dummodo *ante possessionem*, quod valet ac si diceretur, modo id non rescierit ante acceptam beneficii possessionem. *ib.* §. 12.

Cum Parochiani habent jus nominandi Parochum ratione fundationis, tunc singuli, seu mares, seu fœminæ, seu minores habent jus nominandi in capita, ut ex Pitone *de Controv. Patron. All.* 100. *n.* 394. firmatur. *ibid.* §. 13.

Commendæ, Prioratus, atque Præceptoriæ Ordinis Hierosolymitani a Canonistis quidem tanquam beneficia habentur, in quibus si intercedant preces, pactiones, & munera, simonia committitur: id tamen negant communi consensu Theologi, animadvertentes non esse illis adnexum spiritalis ministerii exercitium, neque necessario conferri Clericis, quæ duo exigunt beneficia, quamquam negari non potest, gravem abusum ea in re intercedere, quem tollere adnisus est Clem. XI. in suo Brevi ad magnum Magistrum ejusdem Ordinis, in quo etiam declarat collationes hasce nullas, & irritas esse, & fore. *De Syn. Diœc. l.* 12. *c.* 5. §. 15. *nov. edit.*

SOLLICITATIO IN CONFESSIONIBUS

Sollicitatus nulla lege prohibetur, quominus ante denunciationem sollicitantis, illum occulte admoneat, ut sibi provideat, sponte se offerendo Tribunali. Tenetur tamen etsi monitus compareat, & sic ex correptione emendatus, illum denunciare, ut ex propositionibus ab Alexandro VII. damnatis eruitur. *De Syn. Diœc. l.* 6. *c.* 11. §. 9. *&* 10. *nov. edit.*

Præceptum denunciandi Confessarios sollicitantes ad turpia, & pœnæ aliæ huic sollicitationi indictæ non extenduntur ad alia crimina a re venerea diversa. *ibid.* §. 14. *nov. edit.*

Sacerdotes omnes etiam regulares sollicitantes ad turpia in re venerea in actu confessionis vel ejus occasione aut prætextu, præter alias pœnas in Constit. Sixti V. & Gregorii XV. inflictas, incurrunt etiam perpetuam inhabilitatem ad Missam celebrandam. Idemque etiam valet contra eos Sacerdotes qui Sacrificio Missæ abutuntur ad sortilegia. Ita ex Decreto S. Congreg. Inquisit. ex mandato Benedicti XIV. Id vero Decretum enunciandum publice est a superioribus cujuscumque ordinis palam semel in anno feria VI. post octavam Assumpt. B. M. V. & in quocumque Capitulo Generali aut Provinciali. *ib.* Append. ad T. II. Bullar. Bened. XIV. n. VIII.

SPECTACULA

Spectacula inverecunda, uti sunt puerorum, & adolescentium nudorum cursus, & luctæ, etiamsi longa consuetudine introductæ, ne permittantur ab Episcopis, legibusque latis prohibeantur, mandat Pontifex in Encyclica ad Episcopos Campaniæ NIHIL PROFECTO Bull. *Tom. I. n.* 60.

SPONSALIA

Si alteruter ex sponsis se ad alias partes transferat inscio altero, admonendus est Superior ecclesiasticus, qui tempus aptum assignet absenti, ut redeat, quo elapso si non pareat, vinculum dissolvitur. *Inst. Eccl.* 46. §. 5.

Sponsalia de futuro inita absque præsentia Parochi, vel absque scriptura valere semper pronunciavit S. Congregatio, cum Tridentinum tantum aboleverit Matrimonia clandestina. Priora vero sponsalia etiam non jurata, etiam sine copula prævalent secundis sponsalibus, etiam juris, & etiam cum copula, ut ex communi DD. *Inst. Eccles.* 46. §. 8.

Sponsalia inita invitis parentibus, quanquam judicari possint valida, illicita sunt tamen, & detecto dissensu parentum solvi possunt, etiamsi jurata sint, quod invicte probat Archiepiscopus Rossanensis D. Muscettola in Dissertatione legenda in Tom. I. Operum Zauli ad Statuta Faventiæ *ibid.* §. 16.

Sponsalia absque interna voluntate exequendi promissa, dubium est an obligent; est tamen grave peccatum sic promittere. *ibid.* §. 16.

Oscula ob delectationem carnalem, & sensualem, juxta terminos Propositionis 40. inter damnatas ab Alexan. VII. ob paritatem rationis neque inter sponsos licita sunt. *ib.* §. 18.

Sponsus, qui sponsam seduxit ad copulam, non potest puniri pœna stupri ob aliquod jus, quod habet in corpus illius, ut ex Decretis S. Congregationis apud Fagnanum. *ibid.* §. 20.

Promissio de præsenti absque præsentia Parochi, & testium, neque valet ratione matrimonii, neque sponsalium, ut ex pluribus Decretis S. Congregationis. *ibid.* §. 24.

SYNODUS

Synodus Diœcesana non necessario transmittitur ad sacram Congregationem Concilii, ut ab ea recognoscatur, emendetur, & approbetur. *De Synod. Diœces. l.* 8. c. 3. §. 6. Nam Sixtina Constitutio, quæ afferri ad id posset, nihil ea de re statuit, nisi quoad Concilia Provincialia.

Constitutiones Synodales statim ac promulgantur, ligare subditos incipiunt, neque bimestre expectandum, ut de Legibus Imperialibus edicitur. *L. Leges sacratissimæ, C. de Leg. & Rub. Novel.* 66. & de Legibus Pontificiis Doctores quidam asserunt, aliis magis communiter negantibus, nihil enim circa hoc statuitur de legibus ab inferioribus latis, ut monent DD. plures. *De Syn. Diœc. l.* 13. *c* 4. §. 2.

Regulares etiam subjiciuntur legibus Synodalibus in iis, quæ respiciunt curam animarum, & Sacramentorum administrationem, ex *Trid. Sess.* 25. *cap.* 11. *de Regularibus*, quamvis secus sit in aliis, sed ad evitandam deformitatem sese illis conforment oportet, non tamen sub gravi eas negligerent, notante Suario. Censet tamen Pontifex contra nonnullos Regulares, quamvis teneantur ad festa Diœcesos ex Trid. *Sess.* 25. c. 12. *Regul.* non tamen teneri ad jejunia ab Episcopo indicta, nisi alia consuetudo in quibusdam Monasteriis forte invaluisset. *De Syn. Diœc. l.* 8. *c.* 4. §. 5.

TABACUS

Tabacum per nares trahere, vel ejus fumum in os inducere ante Missæ celebrationem, vel communionis perceptionem, nequaquam interdicendum censet Pontifex, neque prohibendum judicat, cum ob receptam, ac pervulgatam ejusmodi consuetudinem omnis in ea re modo absit inhonestas, & indecentia. *De Synod. Diœc. Lib.* 7. *c.* 63. §. 3.

TERTIARIÆ

Mulieribus Tertiariis non collegialiter viventibus non possunt Regulares dare habitum sui Ordinis sine licentia Episcopi Diœcesani, cui debent rite probare, habere se hoc privilegium Sedis Apostolicæ, fœminas illas esse moribus probatas, habere illas ultra annum decimum quartum, tantum possidere de annuis reditibus, ut habeant satis ad alimenta, ac denique non cum aliis eas cohabitare, quam cum necessariis in primo tantum gradu consanguinitatis, vel affinitatis sibi conjunctis, ut ex Decr. S. Congreg. in casu Mazariensi die 10. Maji 1727. *De Syn. Diœc. lib.* 7. *cap.* 41. §. 8.

Tertiariæ collegialiter viventes, votis tamen solemnibus, & clausura non adstrictæ, cum sint contra Bullam 8. S. Pii V. a S. Congr. tolerantur potius, quam approbentur, sunt autem omnimode Episcopi jurisdictioni subjectæ, ut ex pluribus S. Congreg. Decretis. *Instit. Eccles.* 29. §. 13.

Tertiariæ non collegialiter viventes non possunt habere Confessarium quemcumque etiam sui Ordinis, nisi approbatum ab Episcopo pro Confessionibus sæcularium. Item non possunt Regulares illis die Paschæ Sacramentum Eucharistiæ ministrare. Defunctorum corpora sepulturæ mandanda sunt in Ecclesia Parochiali, nisi forte in Ecclesia Regularium sui Ordinis sepulchrum esset illis destinatum. *Instit. Eccl.* 19. §. 14.

Benedictus XIII. multa concessit Tertiariis, sive vivant in communi Monasterio, sive domi suæ vitam agant privatam, quæ utique jus novum condere viderentur; sed cum Clemens XII. in sua Constitutione *Romanus* anni 1732. jura Tertiariarium revocaverit ad Terminos Concilii Tridentini, ac Decretorum Apostolicorum, ideo nihil novum de illis statuendum est. *ibid.* §. 16.

Tertiariæ collegialiter viventes ex recepta S. Congre-

ga-

gationis immunitatis opinione, gaudent immunitate fori. Vicissim autem Tertiariæ in domibus privatis habitantes eodem privilegio non gaudent, ex Doctoribus definitur. *Instit. Eccl.* 105. §. 68.

TESTAMENTUM

Testamentum factum coram Parocho, & duobus saltem testibus idoneis valet pro toto Statu Ecclesiastico, nisi obstet statutum aliquod municipale, ex dispositione Cap. *Cum esses* 10.

Testamenta ad causas pias toto Orbe Catholico valent si fiant coram duobus testibus, ex cap. *Relatum* 11. *de Testamentis*. *Inst. Eccles.* 105.

